


Operum
ANDERNA
CI
Tomus I
Guinther.
I.

IOANNIS GVINTHERII ANDERNACI MEDICI CLARISSIMI,

W. 1.



DE MEDICINA VETERI ET noua tum cognoſcenda, tum faciunda Commentarij duo.



CVM CÆSAREÆ ET REGIÆ GALLIArum Maieſtatis gratia, & priuilegijs.

BASILEÆ,
Ex officina Henricpetrina.
Anno M. D. LXXI.






BIBLIOTEKA ELBLASKA
DZZiS





AD CÆSAREM MAXIMILIANVM II. CHRISTIANORVM Monarcharum optimum,

Ioannis Guintherij Andernaci Medici PRÆFATIO.



VM SVPERIORIBVS ANNIS MEDICINÆ scientiam in Lutetiæ Parisiorum academia profiterer, MAXIME CÆSAR, omnes eius scriptores tum Græcos, tum Latinos, & Arabicos celebriores diligenter inuicem contuli examinauique: vt quicquid in ipsis iuuentuti erudiendæ necessarium, memoriáq; dignum deprehendissem, in duos hosce Commentarios redigerem, concluderémq; in dialogos: quò studiosi faciliùs informari possent. Tanta enim barbarie artem medicam tunc infuscatam offendi, vt discipuli nullos fructus ex professoribus ob meliorum literarum ignorantiam percipere, & parum commodè institui potuerint: quòd hi etiam, qui olim illam literis prodidissent, aut breues & succincti nimiùm, aut prolixiores, aut confusi, inordinatíque extiterint. Verùm hæc à me non ideò scribi quisquam iudicet, vt optimos quosque medicinæ auctores, qui posteros labore suo & industria iuuare conati sunt, reprehendam, sed quòd nullum vnquam adeò perfectè illam absoluisse existimem, vt nihil amplius adhuc in ea desiderari, & aliorum scriptis vel augeri, vel imminui, vel corrigi queat. Non enim semper idem studium & diligentia fuit adhibita, neque idem ordo seruatus: sed confusa potiùs pleraq; tradita: vnde obscuritas doctrinæ & difficultas orta est. Nemo itaque vitio mihi vertere debet, si quædam ex antiquis, vel etiam recentioribus sim mutuatus, quæ ad institutum nostrum pertinent. Si enim Aristoteles multa ex Platone, Galenus ex Hippocrate, Dioscorides ex Democrate & alijs transcripserint, cur non mihi etiam nonnulla instituto idonea ex Græcis, Latinis, Arabibus, & Barbaris cuiuscunque linguæ in hæc nostra volumina traducere, veterum inuuenta augere, elaborare, & meliora quocunq; modo reddere liceret? Cur non potiùs boni omnes hoc nomine iuuentuti gratulentur, quòd ego illa, quæ sub singulis ætatibus apud diuersas gentes in vsum adhiberi solebant, lucubrationibus nostris comprehenderim illustrarímque? Nam hac de causa etiam Commentarios hos de veteri & noua Medicina tum cognoscenda, tum faciunda inscripsi, quòd scilicet non solùm ex Hippocratis, Galeni, & aliorum vetustorum, sed etiam ex recentiorum, Arabúmque, & nostri temporis professorum artis huius scriptis sint adaucti, certúmque in ordinem quendam redacti. Qui enim salutarem hanc disciplinam à prima origne huc vsque literis mandarunt, non vno doctrinæ genere, nec ijs-

dem semper remedijs vsi sunt. Præterea aliæ ætates & hominum mores, alios quoque morbos attulerunt: eóq; etiam hi alia medicamenta postularunt. Hinc medicina apud veteres duplex appellari consueuit: prima simplex: altera multiplex. Quandiu enim homines bonis moribus præditi moderata victus ratione vtebantur, simplex illa satis eis facere vtique poterat. vbi verò desidia luxuriáque, & aliæ graues corruptelæ corpus vitiârant, multiplex & operosa requirebatur. Ideò vetustiores solis herbis, radicibus, fructibus, & seminibus facili ratione & modo præparatis secundam valetudinem tuebantur: aduersam leuabant. Horum successores, quos iam affectus grauiores affligebant, lacrymas quoque arborum, resinas, gummi, aromata, aliósque terræ & maris prouentus in vsum adhibebant. Post istos Arabum familiæ, sicut etiam Indiæ populi medicinam varijs, & nouis facultatibus anteà incognitis adauxerunt, vt omnibus eruditis est manifestum. Tandem ars Chemica difficillimis quibusq; morbis curandis idonea accessit: quam olim diu obscuratam Paracelsus Eremita nostra tempestate rursus illustrare augeréque cæpit: non autem primus inuenit: quod discipuli ipsius existimant. Si enim Zosymi, Blamidæ, Olympiodori, & Hebes Mesues, aliorúmq; monumēta legerint, eam ante multas ætates etiam apud exteros populos in vsu fuisse intelligent: id quod Galenus quoq; in Commentario ad Pisonem testatur: vbi ipse medicamētorum per ignem paratorum vsum ostendit commendátque. Sed tamen hoc laudis Paracelso meritò tribuitur, quòd eandem artem hoc nostro seculo primus in medicum vsum reuocarit ampliarítque. Per hanc enim aquæ, liquores, & salia non solùm ex herbis, lignis, radicibus, sed etiam ex succis concretis, terræ fossilibus, vnionibus, corallijs, lapidibus preciosis, alijsque id genus solidis corporibus extrahuntur: nec non sublimes quoq; spiritus, facultates, & quintæ quasi essentiæ ex ijsdem eliciuntur, atque in pessimorum morborum, qui alijs non cedunt remedijs, curationibus: ante illos verò totius corporis tutandi gratia exhibentur. Olim quidem artem hanc doctissimi grauissimique viri exercebant: nunc plærunque illiterati, temerarijque mechanici agitant: quanto autem cum fructu, quotidiana docet experientia. Quemadmodum enim remedia per ignē confecta grauibus vitijs medendis cum iudicio adhibita multum commodi adferre, ita quoq;, si affectus, ægriq;, & medicamenti natura ac ratione incognita applicentur, summum sæpe vitæ periculum inducere solent. Iam præter enumeratas medendi rationes accesserunt etiam quædam ex Caballa, dæmonibus, vanísque superstitionibus petitæ: per quas olim quidam Ægyptij falsò medicos ementiti morbos curare tentauerunt. Quinetiam hodie extant, qui nihil referre dicunt, DEVS ne, an malignus spiritus ægrotos à morbis liberet vindicétque: imò remedia grauissimorum affectuum à nullo nisi dæmonum coniuratore, vel spiritu tam maligno, quàm bono comparari posse: quasi naturalium rerum scientia ad huiusmodi vitia non potens satis efficáxque esse possit. Talem medendi rationem, vt virum probum & Christianum minimè decet, ita quoq; nulli consuluerim: tantùm abest, vt commendarim. aliter nanq;

nos

nos sacræ literæ, & CHRISTVS ipse verus medicus docet. Non est igitur quòd quidam parum sanæ mentis affirment, dæmones à DEO cogi, vt bonis piisq; hominibus auxilientur: malis autem sua sponte id officij præstent. Porrò si quispiam nonnullis ex arte Chemica rectè paratis vti voluerit, libenter concesserim: modò priùs etiam rationalem Hippocratis, & Galeni medicinam experientiæ coniunctam exercuerit, & vitam honestam ac piam agat. Asclepiades enim, licet gentilis, medicamentum, quod à probo medico exhibetur, manum DEI, quod autem ab impio datur, venenum esse prodidit. Ideo etiam DEVS OPT. MAX. hanc artem ante reliquas per initia Adamo, deinde summis optimisq; Israëlitarum principibus viris, prophetis, & sacerdotibus donauit. hi posteà, cùm in familias essent distributi, mutuò sibi eam per manus, non per literarum monumenta tradiderunt. Vbi iam illi multis ætatibus & seculis eandem tractassent, tandem DEVS aliarum quoque gentium regibus, & præclaris principibus est largitus. Sicut enim Moyses Israëlitarum dux victus rationem illis ex medica arte præscripsit: ita quoque hanc reges, Glaucus Meßiniorum, Hermes Ægyptiorum, Euax Arabum, Sabor Medorum, & his adhuc potentiores Alexander Magnus, totius ferè orbis terrarum dominator: deniq; Romanorum Imperatores Tyberius, Marcus, Adrianus, alijq; plures excoluerunt. Sic etiam postea fortißimi duces Græcorum Achilles, & eius socij: adhæc clarißimi viri Pythagoras, Empedocles, & Democritus hanc medicinalem artem exercuerunt. Huius discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis illam literis prodidit. ante cuius ætatem ipsa tanto fuit in precio habita, vt ij, qui rudem eam adhuc, & vulgarem subtiliùs excoluissent, in diuorum numerum reciperentur. Post hunc Diocles quoque Carystius, Praxagoras, Asclepiades, Heraclides Tarentinus, alijque similes successerunt. Multis hinc ætatibus Galenus Pergamenus Hippocratem secutus est, eúmque ante alios interpretatus, & in succincta eius doctrina explicanda plus ei solus, quàm reliqui omnes contulit. Hic, quia veteres & medicos, & philosophos valde dum viueret insectabatur, nimiùm prolixus euasit. Quamuis autem ille omnia ferè, quæ ad medicinam pertinent, attigisse videatur, ordinem tamen in plærisque neglexisse, & non pauca omisisse constat: sicut complures viri eruditi ante me quoque indicârunt. Multa enim variè tradit: singula sparsim explicat: plurima necessaria præterit, vir alioquin ingeniosißimus multarúmque artium peritißimus. Seculis aliquot interpositis recentiores quidam Græci exorti sunt, vt Aretæus, Oribasius, Aëtius, Paulus Ægineta, Trallianus, & Actuarius. hi quicquid in illo nimis copiosum prolixúmq; visum fuit, contraxerunt, imminueruntque: sic tamen, vt neque ipsi mediocritatem seruarint, sed in aliud contrarium scribendi genus inciderint, dum nulla principia, nullásq; rerum demonstrationes apponerent. Similes his Latini medicinæ scriptores Cornelius Celsus, Scribonius Largus, Plinius, & alij magna ex parte empirici fuerunt, vt qui nullam eorum, quæ proposuerunt, rationem reddiderint. In-

super à sexcentis circiter annis medicina adeò corrupta fuit, vt professores huius tunc ipsi tenebras potiùs offuderint, quàm lucem aliquam, vel incrementum attulerint. Post Græcos Latinósq; auctores, Arabici etiam accesserunt: primus quidem Serapio, Rasisqúe empirici, deinde Halyabas Galeni simia appellatus: quòd hunc propiùs quàm alij sectatus fuerit. huic Alpharabius, & postremò Auicenna Princeps successit: is Græcos, licet eorum linguæ imperitus, magna ex parte tamen doctorum hominum opera adiutus, imitatus est: in nonnullis Galenum insectatus. At nostro hoc seculo, quo DEVS OPT. MAX. græcas literas, quibus ferè omnes scientiæ continentur, & latinas puriores nobis reddidit, tum aliæ quæuis disciplinæ, tum medendi ars methodo, & ordine instaurari cœperunt. Hanc ob causam ego studiosos medicinæ ex varijs potiùs auctoribus inuicem collatis, examinatísque, quàm ex vno quodam etiam præstantissimo docere malui, singulásque medicæ facultatis partes certo rectóque ordine persequi: sic vt rerum naturalium contemplatio, quæ Græcis φυσιολογία dicitur, præcedat: deinde affectuum, casuúmque superuenientium causæ explicentur: & tandem medendi modus ordine subsequatur. hoc enim neglecto, medicinæ scientia rectè absolui non potest, nec iuuentus facilè in ea erudiri. Si quis autem signorum, & sanitatis tuendæ rationes adiungere velit, ex tribus superioribus eas reperire poterit. Postquàm igitur CLARISSIME IMPERATOR, te summum nō solùm honestarum artium & disciplinarum, sed etiam Medicinæ patronum atque fautorem esse, omnésque viros literatos singulari beneuolentia prosequi constet: non alienum fore putaui, si quicquid ego laboris, operæ & industriæ in hisce meis libris ad studiosos in medicina feliciùs instituendos impenderim, MAIESTATI TVÆ offerrem & dedicarem. Cuius enim sub nomine iustiùs illos in lucem prodire exoptem, quàm eius, qui sacro suo auspicio, & potestate ROM. IMPERIVM feliciter gubernet: idq; non solùm iustitia, & æquitate, sed etiam singulari quadam humanitate, clementia, & vitæ integritate? adhæc in quo præter insigne pacis studium, prudentia in consilijs, fortitudo & magnanimitas in rebus arduis atq; periculosis est coniuncta? ita vt tu quasi solus inter Monarchas Christianos hisce seditiosis & turbulentis temporibus, in quibus omnia fatalem quandam mutationem, & ruinam minari videntur, REMPVBL. velut Atlas cœlum, moderatis & placidis institutis conatibúsq; sustineas. vnde meritò etiam omnes boni iniurijs oppressi afflictique ad te, tanquam ASYLVM vnicum spe salutis confugiunt. Quinetiam illa in te virtus, OPTIME CÆSAR, laudem & admirationem summam habet, quòd etsi tuapte prudentia & sapientia gubernare omnia possis, rectis tamen etiam aliorum consilijs libenter acquiescas. Quamobrem pij boníque omnes DEVM OPT. MAX. votis & precibus orare debent, vt te totius patriæ Christianæ patrem saluum & fortunatum quàm longissimè conseruare: nec non animum ac robur præstare, multósque Nestores & Achilles tibi adiungere dignetur, quò in saluberrimo instituto REIPVBL. conquassatæ iuuandæ conseruandæq; feliciter progredi possis. Sola

namque principum virtus sine præclarorum virorum adminiculo satis esse nequit: eorum præsertim, qui ingenio, re, & opera necessarios rectissimósque tuos conatus adiuuare, & imminentem Turcarum tyrannidem, atque calamitosissimum illud seruitutis iugum à ceruicibus nostris sub felici tuo auspicio repellere poßint. Quo nomine MAIESTATI TVÆ & REIPVB. Christianæ iure congratulor virtutem, & rei militaris experientiam, felicitatémque generosi, ac strenui Herois LAZARI à Schwendy, Baronis in Hohenlandßberg, ob res tum pace, tum bello in diuersis regionibus præclarè gestas, maximè verò propter superiorem Vngariam nuper fortiter felicitérque recuperatam & defensam. Eius namque fides, & studium erga MAIESTATEM TVAM atque communem REMPVBL. omnibus vbique sunt manifesta: vnde etiam non immeritò singulari gratia, honore, ac dignitate ab illa amplificatur, & ornatur. Quæ tua munificentia & liberalitas in benè meritos, verè Imperatoria virtus æstimari debet. His ergo eximijs animi tui dotibus fretus, hos meos Commentarios MAIESTATI TVÆ dedicandos censui, tum quòd illi tuo fauore & patrocinio muniti, calumniatorum maleuolentiam & inuidiam faciliùs sustinere poßint: tum quòd ijdem ex ea arte sint conscripti, quam tu diligentißimè excolere consueuisti. Quanto enim totius Philosophiæ studio & amore afficiaris, cùm alij, tum doctißimus IOANNES Crato Vratislauiensis MAIESTATIS TVÆ Archiatrus & consiliarius norunt. Stirpium siquidem, metallorum & lapidum, aliarúmque rerum naturalium genera, vires & naturam ita perscrutaris, vt non modò illarum magnam cognitionem antiquorum Imperatorum, Regum & Principum exemplo, ad animi recreationem & cultum amplexêris, verumetiam præ cæteris maiorẽ vsum, & facultates admirabiles habeas cognitas. Quare MAIESTATEM TVAM, MAXIME CÆSAR, etiam atq; etiam supplex obtestor, vt hos meos labores in communem studiosorum vtilitatem consumptos benigna fronte excipere, patrociniúmque eorum clementi animo suscipere digneris. Vale CLARISSIME IMPERATOR: DEVS OPT. MAX. faustum & lætum noui huius anni auspicium MAIESTATI TVÆ largiatur, prosperámque IMPERII gubernationem benè fortunet, & summam denique felicitatem donet. ARGENTORATI Calendis Ianuarij.

ΟὐΔῈΝ ΤΗΣ ἈΡΕΤΗΣ ΤΙΜΙΏΤΕΡΟΝ.



ὉΥΒΕΡΤΟΣ ΔΑΜΙΟΣ Ὁ ἈΝΔΕΡΝΑ-
κοῦς φιλιατρὸς εἰς τὸν εἰκόνα.

Σώματος ἡ μορφὴ τὴν ψυχὴν οὐκ ἀποδείκνυ:
Πολλὰ γὰρ ἐν καλλῷ φαῦλος ἔνεστι νόος.
Οἷος Γουνθερίου καταφαίνει σώματος εἰκὼν
Ἐν γέραϊ σεμνῷ, τοῖον δὲ ἔνθα βλέπεις.
Νοῦς δὲ καὶ εὐφυΐαν ἐξ αὐτοῦ γνώρισμα βίβλων,
Ἔργων τ' ἰατρικῆς, ὥσπερ ἕκαστος ἔγνω.
Τοῦτον φιλόλογοι παρὰ πάντα σέβεσθε γέροντα.
Πολλῶν εἴγ' ἰατρῶν ἔξοχός ἐστι πάνυ.

IOANNIS GVINTHERII ANDERNACI MEDICI de veteri & noua medicina cognoscenda

COMMENTARII PRIMI DIALOGVS PRIMVS.


ATHETES, Saluus sis honoratissime GERON: Quamuis mirum tibi videri possit, cur ego homo adolescens & peregrinus, nulla insigni doctrina ornatus audeam te virum grauissimum, summis rebus occupatum interpellare, spero tamen, vbi pro humanitate tua, qua prædicaris apud omnes, causam accessus mei intellexeris, æquiore te illum animo laturum. GERON, Aduentus tuus, mi adolescens, mihi pergratus, perq; iucundus est. verba enim tua te literarum meliorum studiosum esse, & non exiguum iam in eis progressum fecisse testantur. quare dicas liberè, quid te mouerit, quòd ex tam longinqua regione huc te contuleris? MATHETES, Nouisti, optime Geron, eam in scholis benè institutis esse consuetudinem, vt pueri & adolescentes primùm humanioribus, leuioribúsq; literis erudiantur: deinde adolescentiæ fines egressi, ad grauiores disciplinas condiscendas destinentur. quod cùm mei quoq; præceptores obseruare soleant, mihi ante annum rebus naturalibus vtcunq; perceptis, medicinæ studium consuluerunt. His igitur, vt obtemperarem, sicut decet, ad celeberrimos quosq; eius artis magistros statim me contuli, audiuiq; sedulò, & quàm potui diligenter, in eam nimirum spem adductus, vt hoc citiùs, rectiùs, & absolutius illam perciperem. sed longe aliter quàm putaram, res mihi euenit. Nam cùm præcipuos rei medicæ professores, nullo penè ordine, nulláq; certa ratione (pace illorum dixerim) sed eruditionis suæ ostentandæ potius, quàm auditorum profectus gratia in publicis scholis docere animaduerterem, parúmq;, aut nihil certè cōmodi ex illis reportarem, cœpi dubitare, ab institutione desistere, an aliam artem sectari deberem. sed ecce, dum sic animi dubius, & perplexus essem, magna inter medicos fama percrebuit, te commentarios quosdam de instituenda iuuentute in medicina tum cognoscenda, tum faciunda, multis iam annis in manibus habere, eo ordine, via, & ratione conscriptos, vt quis eam vniuersam breui tempore, & accuratè comprehendere possit. Quod vbi audiuissem, tanta me tui visendi, audiendíq; cupiditas, ac desiderium inuasit, vt

Ratio studiorum iuuentuti præscribendorum.

Professores nonnulli ostentationis gratia, in scholis hodie docent.

quamprimùm me itineri Argentoratum versus accingerem: vbi præter summos eloquentiæ, & Iuris Cæsarij professores, plerosq; etiam insignes medicos vigere intellexi. Quare te oro, atq; obtestor, optime Geron, vt iuuenili huic meæ audaciç, quòd intempestiuius forsan ad te accesserim, ignoscas. GERON, Consilium præceptorum, tuámq; medicinæ discendç voluntatem, non possum non approbare. Cùm enim DEVS OPT. MAX. vniuersis hominibus præcipiat, vt mutuis inter se studijs, & amicitiæ officijs societatem colant, nullum præstabilius scientiæ genus esse videtur, quàm id, quo homines malè affectos ad meliorem valetudinem reducere, & sanos in bona conseruare possis. Ideo non leuide causa, institutum tuum protinus tibi deserendum, sed in eo constanter pergendum esse, censeo. quamuis enim primis annis non omnia ex voto successerint: postea tamen meliora fortè sequentur. MATHETES, Credo tibi obseruande Geron. Quis autem in arte tam longa, tam difficili, & ardua, aliquid dignum ipsa, dignum studio & labore, dignum laude & gloria, citra viuam fidelium magistrorum vocem, opem & auxilium sperare potest? GERON, Rectè dicis. nam ego id quoq; olim ante annos ferè quadraginta, reipsa sum expertus, licet prçceptoribus eo tempore clarissimis in medicina discenda operam darem. Quanta enim, bone Deus, erat barbaries, quanta rerum, quæ ad hanc artem pertinent, imperitia: nisi enim lucem aliquam ex meliorum autorum cognitione, adeptus fuissem, vix longo tempore, verum medicinæ vsum intellexissem: adeò obscura, barbara, mutila, & deprauata omnium medicinæ scriptorum erant volumina. Quas me putas difficultates, quot molestias, & labores sustinuisse, antequàm ad frugem aliquam peruenirem? O te fœlicem, & terq; quatérq; beatum, cui hac tempestate, cùm alias artes, tum verò medicinam licet addiscere: eo quòd illa non modò multarum rerum insignium, quas antiquitas ignorauit, cognitione & vsu auctior, absolutiórq;: sed etiam, quòd multò facilior, cultiórq; in ipsis, cùm varijs diuersarum gentium monumentis, sua lingua iam dudum çditis, vel in latinum sermonem puriorē translatis, euaserit. Si quis autem dicat, morbos non eloquentia, sed medicamentis (vt ait ille) curari: fateor, addóq; nihil referre, qua quis in prçscribendis remedijs oratione vtatur, modò hæc ægrum non offendant. At eum, qui alterum docere velit, quæ ipse nouit, proprijs rerum dictionibus vti debere affirmo: in quorum vsu perspicuitas quasi meta spectanda erit. Nam qui sic quçdam appellare studet, vt quç discit, clarissimè intelligat, is optimus prçceptor dicendus erit: non autem, qui disciplinas per se aliâs difficiles, obscuris

Medicina inter alias scientias præstantissima.

Præceptorem proprijs rerum dictionibus vti debere

Præceptoribus eloquentia necessaria.

Quis optimus præceptor.

scuris, & barbaris suis verbis, & quasi ænigmaticis, vt quorundam chymicorum familiæ solent, adhuc reddit difficiliores: non dico quòd eos, qui purius illas tractare conantur, ignominiosè grammaticos, barbarè latinistas, aut græcistas nominent. MATHETES, Hæc vera esse quæ dicis, nuper ego, cùm professores aliquot medicinæ audiuissem, reipsa comperi. GERON, Toleranda quidem esset illorum infantia, & incultus rudisq; sermo, si modò ipsi rerum, quas profitentur, verè essent periti, & conuenientem in docendo ordinem, rationemq; seruarent, & auditorum ingenijs, se accommodarent. MATHETES, Hæc maximè in illis desideraui, nec alia ferè mihi deserendi ipsos, causa fuit. quare iterum te oro, humanissime Geron, vt me quoq; in discipulorum tuorum gregem, cui commentarios tuos prælegere instituisti, recipere digneris. quantum ad me attinet, promitto tibi debitam meam obseruantiam, omniq; officij genere, & studio, quodcunq; præstare potero, me tibi semper gratificaturum. GERON, Parum abest, quin mihi persuaseris, vt te inter familiares meos, & domesticos discipulos adnumerem. non satis autem est discipulo, ad medicinam rectè cognoscendam, faciundamq;, bonum, fidelem, eruditum, & exercitatum obtigisse præceptorem, nisi etiam alia nonnulla præsidia, sine quibus nemo vnquam excellens medicus fuit, simul adfuerint. MATHETES, Quænam sunt ista obsecro? nam si ea vlla ratione & modo comparare potero, nullã in me vel industriam, vel diligentiam, & laborem desiderari, patiar. GERON, Inprimis sanè DEI timor, ardensq; veritatis, & lucis naturæ desiderium. etenim hæc, animum hominis ad optima quæq; discenda incitant, & ne alias artes, quàm ille permiserit, affectemus, auertunt. Deinde singularis animi ad medicinam inclinatio, quæ ex cœlesti quodam syderum influxu prouenit, redditq; discentes ad omnia promptos, dextros, & expeditos, si Astrologis credendum est, ut nullum laborem in rebus diligenter inquirendis, meditandisq; refugiant. non enim Mercurius ex quouis ligno (vt est in prouerbio) fieri potest: & nihil quod inuita Minerua (sicut dici solet) inchoatur, fœliciter succedere solet. postea ingenium fœlix, vt adolescentes primas disciplinas, precipuè Arithmeticã, Geometriam, Astronomiam, & Differẽdi rationem facilius assequantur. Nouissimè animus pius, benè de hominibus ægris merendi affectus, temperantia, continentiaq;, in medico futuro requiruntur. Nam qui ob diuitias & opes comparandas magis, quàm ad sanitatem ægris reddendam, medicinæ professionem suscipit, quiq; gulæ, baccho & veneri deditus est, is veri medici nomen haudquaquam meretur. qui verò in primis annis verum

Medico futuro quæ necessaria.

Timor Dei, veritatis desideriũ.

In medico excellenti futuro quæ necessaria.

Naturalis animi ad medicinã inclinatio.

Ingenium.

Pius in ægros affectus, temperantia, & continentia, in medico requiruntur.

Medicus absolutus. *Medici officium.* *Non diuitibus & splendidis personis, sed etiam pauperculis succurrendum.* *Docendi ratio & modus in hoc commentario.*

à falso dijudicare didicit, rerumq; naturalium, & corporis humani cognitionem adeptus est, artemq; honestè & decenter exercere cupit, is omnes philosophiæ partes, ingenuo homini dignas absoluit, summaq; laude cumulatus medicus euadet, & nihil absurdi committet. Talis etiam non magis Reges, & Principes, quàm pauperculos in Cranone curabit: & si quando ab illis medendi causa accersatur, omnibus ex ęquo officium suum præstare, dignabitur. MATHETES, Magna certè à medico excellenti futuro exigis, quę profectò in me non esse omnia confiteor: voluntate autem & studio, nulli meorum ęqualium cessero: naturamq; semper habui, ad hanc artem amplectendam, si quis alius, inclinatiorem: & nihil ex illa amplius mihi desidero, quàm vt ciuibus meis gratificari, valetudinarijs succurrere, & rem tueri familiarem possim. Qua de causa spero, te mihi quoq; permissurum, vt tuis intersim auditoribus, & simul cum illis eodem lectionis tuæ fruar beneficio. GERON, Videris oratione tua, tanquam medicamento quodam phileterio, animum meum tibi deuinxisse, vt id quod petis, non possim recusare. ne autem te diutius remorer, cras horis antelucanis institutionem medicam meorum, in tuam gratiam exordiar: CHRISTVS cœlestis ille, & summus generis humani medicus, ac seruator, eam benè fortunet. Porrò, vt faciliùs eam & fęliciùs assequaris, ingenij tui viribus me attemperabo: primùm medicinam vniuersam in partes ex fine ipsius breuiter resoluam. deinde illam ordine contrario, à primis ipsius elementis vsq; exordiens, rursus componam, veluti si decurso celerius stadij spacio, rursus à calce ad carceres reuertar: omnia quæ prius in transcursu aspexisti tantùm, ea deinde acriùs intuenda proponam, ne quid mentione dignum omittatur. atq; hanc docendi rationem ex Hippocrate & Galeno sumpturum me esse ingenuè confiteor. MATHETES, Optimè facis, mi præceptor, qui viam mihi, & ordinem ostendis, quo vsurus sis, ne incertus huc illucq; uager, & à recto itinere aberrem. GERON,

Resolutoria docendi ratio. *Medicina ex quarum artium genere.* *Medicina cur à Deo nobis donata.*

Cùm itaque medicina ex earum artium genere existat, quæ in actione consistunt, & opus non quidem nouum, vbi ab illa destiterint, repræsentant, sed vitiatum corruptumq; corrigere ac reficere, integrum autem conseruare solent, profectò ipsam à DEO OPT. MAX. ad corporis humani valetudinem, veluti finem, vel emendandam si mala, vel conseruandam si bona sit, donatam nobis esse iudico. ideo etiam primùm disci debet, quibus ex partibus, tum simplicibus, tum compositis, corporis nostri harmonia constet, & quam hæ naturam, figuram,

magni-

Partes simplices natura quales.

magnitudinem, numerum & situm habeant. MATHETES, Quales sunt natura simplices? GERON, Quæ per omnia sibi inuicem, si diuidantur, respondent, vnde Græcis etiam ὁμοιομερῆ dicuntur, vt vena, arteria, caro, neruus, ligamentum, fibræ, pili, vngues, & id genus aliæ.

Partes compositæ.

MATHETES, Quales sunt compositæ? GERON, Quæ ex simplicibus istis conflatæ sunt, vt crus, manus, digitus, oculus, lingua, pulmo, iecur, & similes: quæ si incidantur, varias simplices particulas repræsentant.

Actiones suas singulæ partes proprias habent.

MATHETES, Eædémne omnium sunt actiones? GERON, Minimè, sed singularum propriæ. siquidem & totum crus moueri videtur, & singuli qui in eo sunt musculi. item motus quidam cruris interit, quouis musculo transuersim per totum dissecto. Præterea primus ipse musculus & cum eo articulus, qui mouebatur, sensus motúsque expers redditur, cùm neruus, qui in illum peruenit, vulneratus fuerit.

Actionum partes, & partium actiones inquirendæ.

Itaque actionis & partium notitia necessaria est. actionis quidem, vt ratiocinationis, memoriæ, & motus voluntarij: partium autem, vt cerebri spinalis medullæ, & cordis. Quare omnium quas nouimus actionũ partes, & vniuersarum partium actiones inquirere debemus.

Ambulatio cruris actio, quomodo fiat.

Totius sanè cruris actio est ambulatio, quæ fit, dum articuli per vices inter se extenduntur & flectuntur: verbi gratia, in genu

Cruris extensio & flexura quomodo fiat.

dum musculi priores patellam conscendunt, & tibiæ ossi, tendinum interuentu, inseruntur: vbi autem tibiam illic attraxerint, crus extenditur: vbi verò interiores similiter operati fuerint, flectitur. sic etiam in coxa, & pede motiones fiunt, cùm articulus flectitur, aut extenditur. Musculus itaque, vbi ambiente ipsum cute nudatus fuerit, licet euidenter contrahatur, & veluti ad caput suum seorsum retrahatur, non tamen neruus, qui ad ipsum peruenit, sensibili quodam motu agit, sed facultatis ex cerebro descendentis via esse videtur.

Facultatis ex cerebro descendentis, via neruus.

quòd autem cerebrum ipsum eiusdem ad neruos omnes venientis principium sit, palàm ex neruo quocunque diuiso cernitur. Nam qui cerebro continuus est, in superioribus quidem partibus actiones conseruat, in inferioribus autem perdit. MATHETES, Expone hoc in crure apertiùs? GERON, Ambulatio quidem totius cruris actio est: huic autem musculosum partium genus præest: ossa verò, cartilagines, pinguedo, glandes, arteriæ, cutis, venæ, membranæ, ligamenta, ex musculis initium motus habent. primùm enim ossa, deinde partes omnes, eò quòd ossibus vndiquaque adhæreant, simul cum illis mouentur.

Motus pedis musculi actio est.

Itaque pedis motus, musculi est actio: totius autem cruris motus, non omnium eius partium functio existit.

Actionum duplex genus.

MATHETES, Ideóne duplex genus actionum suprà posuisti? GERON, Indubiè. nam vnum est cuiusque simplicis partis, quæ primariò, &

principaliſsimo munere fungitur: alterum eius, quæ caſu,aut ſecundario, ſiue non primo agit. MATHETES, Dic obſecro, quibúſnam tum compoſitarum partium, tum ſimplicium actio in cruribus abſoluatur, quarum mentionem feciſti? GERON, Decenti oſsium numero, magnitudine,figura,& ſitu: aliâs muſculorum motus nihil profecerit.

Actio vtrarumq; partium quibus abſoluatur.

MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia in articulorum compagibus aliud os excipere, aliud ingredi,ligamenta verò extrinſecus circundari oportet, quæ illas conſtringant, ne ſede ſua moueantur: non tamen adeò valida & dura,vt motionibus reſiſtant: neq; tam laxa,vt articulorum commiſſuras vacillare permittant.

Crurum motionibus neceſſaria.

MATHETES, Videtúrne ideo etiam opus eſſe, vt ligamenta congruam quandam magnitudinem,figuram,numerum,& ſitum habeant? GERON, Vtiq;.nam ſiue minora,vel maiora fuerint,ſiue plura,vel pauciora quàm par eſt, ſiue in alia figura, & alieno in loco inſerta, non amplius motus decens articuli fieri poterit. Quemadmodum autem de ligamentis, oſsibus, & muſculis dictum, ita de omni actione & vſu cenſendum eſt. Nam ſi nulla pars actione & vſu vacat,ſed optimè ſua ipſius natura,magnitudine,figura,numero, & ſitu constructa inueniatur, qualis eſt, ſeruari ipſa: ſi verò aliquo modo viciata, corrigi debet. Id autem non antea fieri poteſt, quàm cuiuſq; partis actio,vſus, ſtatúſq; cognitus fuerit. hæc igitur vt intelligas,omni ſtudio incumbendum eſt, ſi corporis ſani & morboſi notitiam conſideres.

Ligamenta quæ requirant.

Actio partis, vſus & ſtatus cognoſcendus.

MATHETES, In quibus compoſitarum partium integritas,vitium & morbus conſiſtit? GERON, In quatuor generibus ſuprà recitatis, magnitudine ſcilicet, figura, numero, & ſitu. ſi verò partes naturalem quoq; vnionem & continuationem recipiant, quintum etiam quoddam genus illis accedet, vt optima ſtructura prædite,optimas operationes,prauiſsima,peſsimas exequantur. & ſi continuum quiddam ſolutum fuerit, eiuſmodi affectio non modò reprehenſibilis, ſed etiam morbus eſt.

Integritas, vitium & morbus in quibus conſiſtãt.

Continuitas,& eius ſolutio.

MATHETES,Is affectus ſolét ne etiam ſimplicibus partibus obuenire? GERON, Solet. etenim continua oſsis, nerui, venæ, arteriæ, carnisúe compages frangendo,rodendo, incidendo,diuellendo, & rumpendo vitiatur.

Continuationis diuortium in partibus ſimplicibus

MATHETES, Quo nomine hoc affectus genus in oſſe vocatur? GERON, Fractura nobis, Grecis κάταγμα: in carnoſis muſculorum partibus ex diſtentione factum, græcè ῥῆγμα appellatur. At cùm fibræ ſimiliter tenſe, ruptæq; fuerint, σπᾶσμα, noſtra lingua vulſura. pari modo continui in carne diuortium, non ex diſtentione, vt ruptura, ſed inciſione ortum, vulnus dicitur. ſi uerò quod vulnerat,acutũ & tenue fuerit,punctura nominatur: ſi graue,contuſio.id autem diuortium quod ex

Fractura.

Ruptura.

Vulſura.

Vulnus.

Punctura.

Contuſio.

erosione

Teredo. Vlcus.

erosione fit, in osse quidem teredo, in alijs autem vlcus. atque hæ sunt vniuersę quinti morborum generis in simplicibus partibus distinctiones. MATHETES, Quæ sunt in compositis? GERON, Prout diuersa partium genera committuntur, vocanturque omnia, auulsa, gręcè ἀποσπάσματα.

Auulsa.

MATHETES, Cuius nam affectus erit, si pars quędam simplex tota diuortium passa fuerit? GERON, Et ipsiusmet diuisę, & vniuersi instrumenti. MATHET. Casúne, an primariò fieri dicitur?

Casu fieri.

Primariò fieri.

GERON, Aliâs casu, cum scilicet vel musculus, vel alia quędam pars affecta fuerit: aliâs primariò, cum ligamentum iniurię patuerit. MATHETES, Quot sint quinti morborum generis, quod in partium continuarum diuortio, & separatione constat, distinctiones, iam intelligo. deinceps compositarum affectionum genera similiter persequere.

Compositarum partium quatuor morborum genera.

GERON, Cùm hęc vniuersa totam illarum naturam constituant, nec non figuram in eis & integram, & viciatam efficiant, diligenter inquirenda sunt: sicut etiam singularum simplicium natura: quamuis harum integritatem & vitium nosse, & affectus corrigere potueris. siquidem medicus perspectum habere debet, quęnam pars alterius loco substitui, quę verò non possit. MATHETES, Tu ergo id me doceas.

Quæ partes restitui, quæ non poßint.

GERON, Caro sanè, si affecta excindatur, alia regenerari: si verò neruus, aut ligamentum pręcisum fuerit, aliud tale restitui nequit. MATHETES, Qua de causa? GERON, Quia illa ex sanguine, hęc ex semine gignuntur: sicut etiam os, quamuis simile quiddam in eius locum restitui posit.

Partes ex semine ortæ non regenerantur, si excisæ fuerint.

MATHETES. Dic ergo quęnam ex semine, quę verò ex sanguine semper generentur: item simplices partes ex vna re, an ex pluribus constent, & quomodo inter se connexę sint. GERON, Hę quoque compositis in numero, figura, magnitudine, & positu eorum, quę ipsas constituunt, proportione respondent, & integrę, vitiosęque esse possunt: siquidem eodem modo ipsę generantur. Quemadmodum autem ex consectione anatomica omnes totius corporis particulas, sensu simplicissimas didicimus: ita & hoc ipsum, quales natura primę & simplicissimę existant, inuenire possumus.

Partes sensu simplices.

Natura simplices.

MATHETES, Qua ratione? GERON, Si non omnes, certè vnam, exempli gratia, carnem inspiciemus, examinabimúsque primùm, num id quod ipsam generauit, unum specie sit elementum: deinde, si tale non uideatur, an multa: postea, quot ea numero, quę, & quomodo inter se composita. MATHETES, Quotuplex ergo tu carnis elementum esse dicis? GERON, Quadruplex.

Elementa carnis quot.

MATHETES, Cur non unum? GERON, Quia si incidatur, & uehementer incalescat, dolore afficitur. vnum autem in aliud mutari non potest, cùm non habeat, in quod mutetur. si uerò id mutari, commutarique,

& affici nequit: & quod non afficitur, dolore vacat. vnum nihil pati posse, in confesso est. id quod etiam sic confirmari potest. Si caro vno constaret elemento, nunquam doleret: atqui dolet: non ergo vnum specie elementum ipsius erit. nam si carnis elementum affici nequit, non dolebit: atqui dolet: non itaque affectus expers est.

Quatuor elementa commutabilia sunt.

MATHETES, Quid, si quis plura elementa, sed quę commutari nequeant, esse dictitet? GERON, Eius orationem hoc modo subuertes. Si carnis elementa nullis pateant iniurijs, non dolebunt: atqui dolore afficiuntur: non possunt igitur carnis elementa ab affectibus esse aliena. MATHETES, Cum itaque omnia elementa per totum commutari possint, quot ipsa numero existunt? GERON, Quæ rem quamcunque commutant, ea attigisse illam antea, quam commutasse oportet, vt sensus docet, & ipsa rerum natura indicat. atque si id quod mutat, tangendo commutat, certè necesse est, vt tactilibus quibusdam qualitatibus operetur.

Qualitates tactiles.

MATHETES, Quæ sunt istæ? GERON, Acumen, grauitas, durities, calor, frigus, humor, & siccitas. MATHETES, Quid acumen præstat? GERON, Rem propinquam quidem secat, sed essentiam eius non commutat, quemadmodum nec grauitas: sed hæc quidem etiam rem subiectam contundit, non autem per totum ipsam mutat. neque verò durities materiam vicinam adeò potest commutare, vt in aliam speciem traducat. calor autem, & frigus essentiam propinquam totam commutare possunt. sic humor & siccitas: licet non tam subitò vt prædictæ, tamen spacio temporis ipsæ quoque res subiectas transmutant.

Acumen quid præstet.
Grauitas.
Durities.
Calor.
Frigus.
Humor.
Siccitas.

MATHETES, Præter has quatuor, quas modò recensuisti, restátne alia quædam qualitas ad commutandum efficax? GERON, Has solas nominari & censeri effectrices conuenit, prętertim primas inter se contrarias: atque in his magis calidam, quæ omnium longè efficacissima: deinde frigidam: postea humidam & siccam. nulla vero alia, res propinquas per totum ipsas commutat. si nanque diuellit quippiam, contundit, secat, & pungit, id quidem etiam facit, per totum autem rei patientis essentiam non commutat, sed in plurima diuidit.

Qualitates effectrices.

MATHETES, Exemplo indices. GERON, Si niuem in minimas partes diuidis, ipsa permanebit: sin autem eam excalefeceris, nix esse desinet. siquidem etiam ex aqua ipsa refrigerata, non in vnum cumulata, generatur. Nam hoc essentiæ est incrementum, illud generatio existit. quinetiam si omnia in parua diuidantur, essentiæ imminutio est: sin autem calefacta fuerint, alterius essentiæ generatio: quando speciem, quæ prius erat, commutauerit. MATHETES, Quę corpora has qualitates in se continent? GERON, Quatuor ista, terra, aqua, aër, ignis. atque hæc sunt & aliarum o-

Quatuor qualitatum corpora.
Terra.
Aqua.
Aër.
Ignis.

mnium

mnium rerum, & carnis elementa, mutuasq; inter ſe viciſsitudines ſubeunt, nec non omnibus rebus, communi quodam modo ſubijciuntur: atq; ex his inter ſe commixtis, corpus vnum fit ſimplex ac ſimilare, pro temperationis illorum qualitate, ſiue ſenſu præditum, ſiue illius expers. pari modo ſigillatim in vtroq; genere omnes partium diſtinctiones temperationis differentiam comitantur. ſiquidem pro huius proprietate, aliud in corporis eſſentia os, aliud caro, aliud arteria, aliud neruus efficitur. MATHETES, In quibus proprietas iſtarum partium conſiſtit? GERON, In propria ipſarum temperatione: ſiccior namq; & calidior leonis caro eſt, humidior frigidiorq;, ouis: media inter vtranq; humana. atque inter ipſos homines Platonis caro, (exempli gratia) calidior eſt, Hippocratis frigidior. MATHETES, Quot ergo ſunt ſimplicium partium temperationes? GERON, Totidem, quot elementa: ſimplices quidem calidiores, frigidiores, humidiores, & ſicciores: compoſitæ verò aliæ quatuor, humidiores ſimul, & frigidiores, calidiores & humidiores: tertia ſiccior vnà, & calidior: deinde quarta frigidior ſimul, & ſiccior. his accedit princeps omnium temperatiſsima. MATHETES, In quibus ſimplicium integritas & vitium conſiſtit? GERON, In elementorum commoderatione, & immoderatione. MATHE. Qua autem ratione, vitium ipſarum in morbo, diſtingui poterit? GERON, Vtrarumq; rerum notione. MATHETES, Quæ, ſalubris corporis ſtatus, quę item morboſi nota exiſtit? GERON, Salubris ſanè, quòd integras naturæ functiones: morboſus autem quòd offenſas habeat. proinde cùm ſanus quiſpiam, imbecilliores, quidem, quàm alius ſecunda valetudine præditus, actiones habet, nondum verò læſas, intemperatior quidem eſt, ſed nondum ægrotat. MATHETES, Quot igitur ſunt inter ſalubres corporis habitus temperati? GERON, Vnus eſt temperatiſsimus, octo intemperati: totidem nimirum numero, quot ſalubres temperaturæ. MATHETES, Eſtne morbus aliquis temperatus? GERON, Nullus, ſed vniuerſi intemperati. ob quod, tertium corporum ſtatum ſalubrem, latiùs quodammodo patere oportet, vt complures ſanorum corporum diſtinctiones, pro vt illa magis, aut minus ſana, ſub eo comprehendantur. MATHETES, Quot ergo ſtatus corporum in nobis omnibus collocandi ſunt? GERON, Tres generales. nempe optimus, deprauatus, & morboſus. Sed optimus ſanè vnus eſt, nam deterius perfectiſsimo non innaſcitur, reliquorum duorum innumerabilis copia exiſtit, in qua alius alio magis, vel minus valet. MATHETES, Cùm itaq; medicinæ ſcientia nihil in corpore noui, vt prius dixiſti, efficiat, ſed quod corruptum eſt, corrigat, quod

Pars ſimplex vnde.

Suam ſingulæ partes habent temperationis elementorum proprietatem.

Temperaturæ elementorum.

Simplicium partium proba, & vitioſa actio in quibus conſiſtat.

Salubris ſtatus corporis, & morboſi notæ.

Intemperatior nondum æger dici debet.

Habitus corporis intemperati octo, vnus temperatiſsimus.

Intemperatorum magna latitudo.

Status corporum tres.

Valetudo bona et mala in homine vnde cognoscatur. — *Simplicium partium operationes dextræ.* — *Sinistræ.* — *Compositarum actiones bonæ & malæ.* — *Simplicium & compositarũ status communis.* — *Vnio.* — *Solutio.* — *Temperaturarum cognitio necessaria.* — *Curatio ex quibus fiat.* — *Morbi simplicium ex intemperie quomodo curandi.* — *Morbi compositarum partium.* — *Contraria contrariorum remedia.*

quod integrum tueatur, vnde valetudo tum secunda, tum improspera cognosci poterit? GERON, Ex partium corporis, tum simplicium, tum compositarum operationibus benè, vel perperàm peractis. MATHETES, Quando dextrè simplices partes operantur? GERON, Cùm aptam quatuor elementorum, vnde constant, qualitatum misturam habent. MATHETES, Quando sinistrè? GERON, Cùm ineptam sortitæ sunt. MATHETES, Quando compositæ, muneribus suis rectè funguntur? GERON, Cùm situm, figuram, magnitudinem, & numerum habent decentem. MATHETES, Quando minus commodè officium, suum pręstant? GERON, Cùm ea, quæ iam dixi, vitiosa obtinent. MATHETES, Vnde omnes tum simplices, tum compositas, in salubri aut contrario statu esse, deprehendam? GERON, Inde, quòd antè inter se connexæ, vel inuicem dissolutæ, turpiter existant: atq; sic omnes ferè partes tum sanas, tum ægras facilè cognosces. MATHETES, Non satis est ergo medico futuro nosse, singulas partes ex humido, frigido, sicco, calidoq; mixtis, oriri? GERON, Nequaquam: sed ipsas etiam distinctè inspicere oportet, quæ ossium sit temperatura, quæ carnium, neruorum, venarum, aliarumq; simplicium omnium, similiter & compositarum, quæ cuiusq; sit constructio, veluti manus, cruris, iecoris, pectoris, pulmonis, cordis, & cerebri. MATHETES, Vbi iam omnes corporum status, ex hac partium notitia didicero, dic quæso, qua ratione salubris conseruari, & morbosus curari, debeat. GERON, Cùm pars siue simplex, siue composita benè sana, sit omnino moderata, ægra autem immoderata, huius immoderationi, altera quadam aduersaberis, & obsistes: in simplicium particularum vitioso statu, qualitate: in compositarum affectibus, si ad magnitudinem morbi immoderatio refertur, alteram ex aduerso magnitudinem oppones: si in figura, alteram quoq; figuram: ita habet, si in situ, & numero eueniat. Quare in omnibus contraria immoderatio, aliud immoderatum, ad mediocritatem reuocat. nam quod contra naturam est, dum ad eam reducitur, per eandem quidem viam, sed in aduersum tendentem redit. Quòd si iam rursus ad priorem statum reuerti debet, certè per remedia præsenti affectioni contraria, eò perueniet. atq; id sanè, quò maximè communis, generalisq;, omnium morborum curatio, dirigitur, contrarium existit, quemadmodum Hippocrates etiam memoriæ prodidit: Contraria, inquiens, contrariorum sunt remedia. singula verò singulis aduersantur, vt calido quidem morbo, frigidum remedium, frigido autem calidum adhibeatur. pari modo etiam sicco humidum, humido siccum. MATHETES, Succincta valde medendi ratio existit, quam ferè omnes

omnes

omnes homines mentis compotes, intelligunt. GERON, Videtur ita omnibus, vt dicis, sed quibus, qua mensura, quomodo, & quo tempore remedia ista adhiberi debeant, imperiti ignorant. MATHETES, Atqui hanc medendi rationem simplicibus partibus conuenire docuisti, quę autem compositis accommodari potest? GERON, Morbosæ vniuscuiusque eorum quatuor generum, de quibus facta est mentio, immoderationi alia cōtraria opponi debet, donec ad naturalem moderationem peruenerit. MATHET. Exemplo hoc explices? GERON, Si caro amplior quàm natura exigit, vlceri cuipiam supercreuerit, medicamentum adhibere conuenit, non quod carnem generet, atq; nutriat, sed quod detrahat, demat, erodat, atq; cōsumat. contrà, si pars aliqua caua magis vlceris vitio euaserit, huic medicamētum, quod carni faciundę est, vt eam reficiat, applicari debet. vtroq; verò tandiu vtendum est, quousque pars affecta, ad moderationem naturalem peruenerit: tollere autem oportet, priusquam illa ad contrarium excedat. nisi enim supercrescenti carni demendo, in medio constiteris, cauam partem efficies: ita nisi cauam reficiendo medium seruaueris, ampliorem quàm par est, reddes. MATHETES, Si ergo in hoc morborum genere, quo partes vel maiores, vel minores iusto fiunt, restitutio per contraria fieri debet, quid in altero genere agam, quo naturalem figuram excedunt? GERON, Si pars aliqua gibbosior quàm prius euadat, cùm plures singulares cuiusq; ipsarum distinctiones inueniantur, in contrarium statum premēdo, & repellendo, deducere oportet: quæ verò introrsum compressa est, ac veluti resima, vt in naso accidit, extrorsum reduci debet: item læuia exasperari, aspera læuigari decet. cauitates quoque vel meatus, vel omnino foramina, aut maiora, aut minora, aut magis vacua, aut pleniora, quàm conuenit, aut à crassis lentisq; humoribus obstructa, etiam contrarij ratione, ad moderatum statum reduci necesse est. MATHETES, Quid in situ, & numero agendum censes, si naturam excedant, vt emendari queant? GERON, Quæ in priorem partem, retrorsum: quæ retrorsum vergunt, prorsum agere oportet: item quæ sursum, deorsum: quæ deorsum, sursum: rursus quæ dextrorsum, sinistrorsum: quæ sinistrorsum, dextrorsum mouere expedit. In numero autem partium naturali vitiato, considerandum est, aliud eius excessum, aliud defectum existere. MATHETES, Quomodo curatio eius tentanda erit? GERON, Non aliter quàm in magnitudine corrigenda, ablatione & adiectione perfici debet. hoc verò intercedit discriminis, quòd in isto morbi genere, nempe numero vitiato, partes totæ: in magnitudine autem violata, particulæ illarum tolli, vel adijci

Ex magnitudine morbus quomodo curandus.

Ex figura.

Ex situ.

Ex numero.

Curatio morbi ex numero.

Curationis indicatio vnde petenda.

ijci poterint. MATHETES, Vnde in hisce morborum generibus vniuersis, indicatio restitutionis petenda est? GERON, Non à rerum agendarum notione, sed à morbi specie. verum hæc quidem curationis modum solummodo indicat: fieri verò ipsa ne possit, an minus, non item ostendit.

Quæ pars affecta, & quando restitui, quæ non poterit.

MATHETES, Nihil profectò me iuuerit rationem curationis nouisse, si illam exequi nequeam. ne ergo temere illi manus admoueam, explica prǽceptor, ex quibus licebit cognoscere, quæ pars affecta, & quando restitui, quæ non poterit. GERON, Ex opificis causæ robore, & infirmitate: item ex materiæ copia & inopia. nam res eadem in his fieri, in illis minimè potest. MATHETES, Quæ sunt in morbis amouendis, vel in sanitate tuenda caussæ, quæ opificis rationem obtinent? GERON, Natura, & medicus, omnium quæ corpori humano boni causa fiunt, autores existunt: sed alia natura, alia medicus præstare potest.

Naturæ & medici mutua opera

nam os ita confractum, vt partes eius à sede natiua aberrent, membrúmque distortum sit, natura corrigere, & conformare, sicut & luxatum articulum reponere nequit: medicus autem potest.

Medicus in quo naturæ inseruiat & opituletur.

Contrà vlcus cauum carne replere, sicut & semicoctum, aut crudũ quid concoquere natura potest: medicus non item: verùm in hisce medicus naturæ inseruit, opitulatúrque, dum vlcus medicamentis, quæ id purgent, impositis purum efficit, & dum ei quod concoquere nequit, auxilium modicè calidum applicat. MATHETES, Hoc quod hactenus dixisti de opifice caussa intelligo: quid autem materiæ superiùs tribuere volebas? GERON, Alij parti restituendæ materia perpetuò suppetit, nempe quæ ex sanguine trahit originem, alij post primam ędítionem deficit, vt quę ex semine ortum habeat.

Scopus curationis.

hinc natura venam, arteriam, ligamentum, neruum, & similia, vbi violata fuerit, iterum reficere nequit.

Contraria contrarijs adhibenda.

quare primùm in omnibus eò consilium dirigi debet, vt contraria contrarijs adhibeantur: deinde vt in vnoquoque genere contrario ordine collocentur: postremò considerãdum, quando quidem naturę, quando verò nobis licebit scopo inseruire, quem indicatio suggerit: quando rursus vtrique vel omnino denegatur, vel certo tempore, vel partim. Nam si materię inopia vrgeat, nihil eorum quę ex semine in animali formando natura procreauit, ex alio restitui poterit: quæ verò ex alimento semper gignuntur, instaurare licet. MATHETES, Illa ergo quæ recensuisti vitiata, nullámne curationem recipiunt, sed quasi desperata relinquuntur? GERON, Recipiunt quidem aliquam, sed non absolutam: quippe osse, aut cartilagine, aut simili parte deperdita, alia in eis locum regigni haud poterit, simile verò aliquid substitui licebit. At neruosę septi transuersi essentię, aut cordis, iecoris, similisque id

genus vulneratæ, nullus medicinæ locus est. MATHETES, Huc ergo omnium vitiorum, quæ hactenus enumerasti, totam curandi rationem, deduxisse videris, vt alia refrigerentur, alia calefiant, alia humectentur, alia exiccentur: idq; consilium in similaribus dedisti. at compositarum vitiata magnitudine, curationem in adimendo, vel instaurando consistere docuisti: numero autem deficiente, vel superante, aut totum adimendum, aut regenerandum esse: figuram, si peccet, ad naturalem statum reducendam: repleta vacuando: vacua replendo: obstructiones aperiendo, adaperta contrahendo: conniuentia & densata in contrarium ducendo, partim adaperiendo, partim rarefaciendo: in compositionis autem morbo, vt partes diuortium continui expertæ, conglutinentur. sed quibus remediorum generibus, vitia superiùs dicta corrigi possint, nondum exposuisti, quare nunc ea seorsum quæro.

Curationis totius ratio, tum in partibus simplicibus, tum in compositis seruanda.

GERON, Certè medicamentis, cibo, potu, alijsq; auxilijs, quæ corpori adhibentur, quorum in numero sunt etiam nonnulla instrumenta, quæ luxatis articulis accommodantur.

Remediorum genera, quibus partium singularum vitia corrigenda.

MATHET. Itaq; totam medendi artem, ad duorum tantùm capitum cognitionem redigis, nempe ad corporum, quibus succurrendum est, & auxiliorum naturam?

Medendæ artis duo capita.

GERON, Pauca sanè videntur numero, sed doctrinæ vsus, & exercitij plena sunt. primùm enim qui artem velit exercere medicam, omnium affectionum dignoscendarum facultatem sibi comparet, maximè illarum, quæ particulas in alto latentes infestare solent. Neq; enim cuiusuis est, singularum partium vel simplicium, vel compositarum, cùm in alto sitæ fuerint, insalubrem statum inuenire: deinde auxiliorum materiam singulis idoneam conquirere: item tum facultatem ipsorum, tum vsum habere cognitum, quæ haud minima artis pars existit.

Affectionum totius corporis notitia.

Auxiliorum materia eorundemq; facultatis & vsus cognitio.

MATHETES, Cùm iam pleraq; alia compendiosè hîc, & summatim perstrinxeris, oro te, exponas etiam, qua via & ratione vnamquanq; partem affectam, eiusq; morbum deprehendere licebit?

Partis affectæ & morbi notitia.

GERON, Principiò internoscendum est, quo ex genere illorum, quæ contra naturam sunt, morbus, qui tibi curandus affertur, censeatur. nam tria vniuersa repugnantium naturæ genera numerantur: vnum affectio, actionem lædens: alterum illius caussa: tertium casus, qui comitari solet, græcè σύμπτωμα dicitur, quòd simul accidat, superueniatq;.

Tria naturæ aduersantur.

Affectio corporis actionem lædens.

Causa.

Casus.

MATHETES, Quæ causæ sunt eiusmodi affectionum? GERON, Principalissimæ quidem talem appellationem merentur cùm agunt: dicuntur autem subinde tales, etiamsi nondum quicquam agant, ideo quod agere possint, vt cruditas morbi causa dicitur, licet hunc nondum intulerit.

Affectionis seu morbi causa.

MATHETES, Quid vocas cruditatem? GERON, Voco hîc cruditatem,

Cruditas.

tem, non modò frustratam in ventriculo cõcoctionem, sed in vasis quoq;, iocinore, corporisq; mole vniuersa. apud grecos autem ὠμότης propriè deprauata ventriculi concoctio: ἀπεψία, quacunq;

Casus, siue symptomata morborum quot.

in parte humores malè fuerint concocti, nominatur. MATHETES. Qui in totum morborum sunt casus, quos symptomata vocasti? GERON, Hi tres: actionis offensa, casus qui corporibus eueniunt, & excrementorum immoderatio. horum autem omnium est corporis affectio, quam siue morbum, siue ægritudinem appellare licet. MATHETES, Vnde autem hæc, eorum quæ modò retulisti,

Causa affectionis vnde noscatur.

causa esse noscitur? GERON, Ex ijs quæ superueniunt. nonnulla itaq; ipsorum necessariò affectiones comitantur: nonnulla non necessariò, sed vel sæpè, vel raro, vel incertò: sicut alia rursus affectionis differentiam necessariò sequuntur, Græci παθογνωμονικὰ,

Indicia morborũ.

quod affectus indicent, appellant. atq; hæc firma ac stabilia morborum indicia censeri debent: quæ autem non necessariò euenire solent, vel morbi distinctionem, vel morem, vel magnitudinem ostendunt. MATHETES, Non satis intelligo quæ dicis. exemplo reddas vim vniuscuiusq; manifestam, vt ego quoq; eo adiutus, similiter meipsum in alijs omnibus eadem ratione, & via exercitem.

Exemplum in membrana costarum inflammationem experta.

GERON, Finge membranam costas succingentem, quam Græci ὑποζωκότα vocant, inflammatione laborare. affectus hic, nimirum inflammatio est, cui necessariò superueniunt tumor contra naturam, rubor & dolor: quorum duo sanè in conspectum nõ

Inflammationis notæ.
Tumor.
Rubor.
Dolor.

veniunt, solus autem dolor reliquus est, qui costas irritat, & punctorius efficitur. Dolet igitur homo, quia affectus inflammatio est, doloris autem species pungens est, eò quòd affectæ partis natura membranosa sit: costis autem negocium facessit, quia has affectus obsidet. quinetiam dolor longissimè pertingit, quia membrana costas succingens, quàm plurimùm extensa est. MATHET.

Febris cur inflammationem membranæ costarum sequatur.

Cur febris tanquam necessaria, semper adest comes? GERON, Tum affectus, tum partis ægræ causa: quorum alterum si desit, febris necessariò non sequetur. neq; enim si digitus inflammatione laborat, febris statim inuadit: quoniam procul à corde situs

Febris non omnem inflammationem comitatur.

est. neq; cùm membrana succingens laborauerit, morbus autem ipsius, aut scirrhus, aut œdema fuerit, febrim sequi necesse est. dif-

Difficultas spirandi ex ijs est, quæ locum affectum necessariò sequuntur.

ficultas verò spirandi necessariò partem affectam comitatur, quia hæc respiratoriæ cuiusdam partis portio est. MATHETES, Cur spiritus redditur paruus & frequens? GERON, Non sanè ob par-

Spiritus paruus & frequens cur in inflammatione membranæ.

tem affectam, sed propter ipsius morbum. nam dolor respirationis officinas plurimùm distendi prohibet, eò quòd illam vsu ipsius nondum absoluto, interrumpit, cogitq; ad secundam actionem celeriter properare, non tantum adhuc quietis intermittendo,

do, quantum in naturali ſtatu habebat. MATHETES, Suntne alij caſus, qui hanc inflammationem neceſſariò comitentur? GERON, Eſt etiam pulſuum commutatio, tum quæ à febribus, tum quæ ab affectæ partis ſpecie ſeparari nequit. nam arteriæ febris quidem ratione, maiorem, velociorem, & frequentiorem pulſum habent: quia verò pars quæ inflammatur, neruoſa exiſtit, tenſionem, duritiemq; experiuntur. MATHETES, Quid de decubitu cenſendum? eſtné ille quoq; ex eorum numero, quæ neceſſariò huiuſmodi morbum ſequuntur? nam audiui plerunq; ægros in nullum ſe latus commouere, aut in alterum duntaxat decumbere potuiſſe: & cùm ſe paululùm à ſano in affectum, aut ab hoc in ſanum dimouerent, atq; in id decumberent, maximo cruciatu angi ſolitos. GERON, Ita habet. interdum enim decubitus, in latus affectum, interdum in alterum facilior eſt, minusq; doloris adfert ægrotanti: eſt, cùm in vtroq; latere eodem modo habeat. Nam cùm membrana ſuccingens duplex exiſtat, ſi quidem exterior eius circa oſſa pars, validiore inflammatione laborat, ægri faciliùs in oppoſito latere decumbunt, quia in affecto, premuntur. quòd ſi altera, nempe interior affecta ſit, vt plerunq; accidit, in oppoſito decumbentes, maiore dolore cruciantur: quia pars inflammata ipſis dependet. ſin autem in affectam partem decumbant, minus dolent, eò quòd illa neq; ab oſsibus prematur, neq; pendeat, ſed ab ambobus hiſce liberata ſit, & ſuper altera non affectam nititur. At vtriſq; membranę partibus affectis, ęgri in vtrũq; latus æqualiter decumbunt. MATHETES, Quare dolor nonnullis ad præcordia, nonnullis ad iugulum pertingit? GERON, Id primùm partis natura efficit: deinde quòd inflammationis caſus ſuperueniens dolorem longiùs protendat. quoniam enim membrana ſuccingens, ad iugulum vſq;, & per totum ſeptum tranſuerſum peruenit, vbi ſuperiores eius partes inflammatione affliguntur, iugulum deorſum reuelli videtur: vbi inferiores, dolor ad præcordia pertingit. MATHETES, Quid ſi in media coſtarum regione, inflammatio oriatur, quò peruenire ſolet? GERON, Exigua, ne in alterutram quidem partem, nempe aut ſurſum, aut iugulum, aut inferiùs ad præcordia dolorem perducit: magna ad vtraſque. MATHETES, Audio quare dolor vel ad iugulum, vel ad præcordia vſq; pertingat, materia verò inflammationis manétne ſemper eodem in loco, an diſcutitur, vel aliò tranſmittitur? GERON, Non in eodem perſiſtit loco, ſed accidit, vt ex parte inflammata (ſicut etiam in omni oris, & oculorum inflammatione videre licet) ſanies quædam tenuis, tum loci, tum morbi ipſius ratione reſudet, & effundatur. nam inflammatio ex humorum influxu contrahi-

Pulſus qui inflammationem comitari ſolet.

Decubitus ægri.

Membrana ſuccingens duplex.

Dolor lateris pro inflammationis regione variat.

Dolor ad iugulum vel ad præcordia veniens.

Inflammatio in media coſtarum regione.

Inflammationis materia, an ſemper in eodem loco permaneat.

Inflammatio ex humorum influxu fit.

tur, ipsaq; pars affecta rara existit, non cutis modo constricta, & densa. MATHETES, Quo pacto hæc materia educitur? GERON,

Materia inflammationis quomodo educatur.

Tussi profectò, quæ ab hoc affectu separari nequit, sed perpetuò eum comitatur. verùm si copiosus simul, & tenuis in parte inflammata humor subsistit, & pars rarior est, plurimùm foris per tussim effunditur. contrà, si paucus & crassus, isq; per densa fluat, paululùm quidem ad tussim incitabit, sed nihil expuetur: sicut etiam cùm fuerit copiosissimus, ęgri & plurimùm tussiunt, & non

Excreatio an tussim semper comitetur in pleuritide.

pauca expuunt. MATHETES, Quemadmodũ tussis semper huic morbo adest, itáne etiam excreatio? GERON, Excreant sanè ægri non semper, sed plerunq;. MATHETES, Quo colore sputum cernitur, quod ex tali affectu prodit? GERON, Non eodem semper:

Sputi color in inflammatione laterum.

quia nec in parte inflammata excrementum, eiusdem semper naturæ est, vt quod aliâs sanguinolentum, aliâs biliosum existat, qualis etiam humor plerunq; defluit, qui inflamationem in pleuritide efficit. MATHETES, Sputum igitur ipsius coloratúrne sero humoris, qui in parte inflammata continetur? GERON, Quid ni? nam hinc rubrum quidẽ apparet, cùm id quod in membranam influit, sanguineum est: flauum, cùm biliosum: spumosum verò, quando pituitosus humor primùm impactus putridusq;, fluxionis quę inflammationem pepererit, autor existit: integrum autem interdum apparet, cùm fluxio siue sanguinea, siue biliosa nimiùm

Sputa quid indicent.

adusta fuerit. MATHETES, Quid huiusmodi omnia significare poterunt? GERON, Præter partis affectæ, morbiq; ipsius distin-

Morbus, & eius sedes quomodo cognosci queat.

ctionem, etiam fluxionis differentiam. nosci enim oportet cuiusq; partis offensæ naturam, & communionem, quam cum vicinis habet, vt, quis sit morbus, eiusq; locus deprehendatur. MATHET. Quæ alia perspecta habere oportet? GERON, Quæ singularum

Actio & vsus singularum partium obseruari debent.

partium actio, & vsus sit: item quomodo morbi, eorumq; casus generentur: quæ effectrices eorum sint caussæ. hæc enim ad quamuis partem læsam, eiusq; affectiones, & morbi ipsius distinctiones cognoscendas requiruntur, sicut etiam morbi cuiusque magnitudo & mores. MATHETES, Vnde hæc deprehendi poterunt? GERON, Magnitudo quidem ex affectionis ipsorum,

Magnitudo morbi, & mores.

& casuum illam comitantium distinctione: mores autem ex morbi differentia, & casibus, qui ipsum subsequuntur. MATHETES, Interpretare hoc apertiùs. GERON, In exemplo proposito, humor

Humor melancholicus perniciosissimus.

melancholicus præpollens, longè perniciosissimus est, tum quòd maximè malignus, ad erodendum acerrimus, & ad concoquendum, purgandumq; contumacissimus existat, tum quòd maximum calorem indicet, à quo adustionem est expertus. sanguine-

Sanguineus humor qualis.

us autem omnium mitissimus est, vtpote dulcissimus, & conco-

ctu

ctu facillimus. reliqui duo humores, medium inter hos locum obtinent, quantum ad benignitatem & maliciam attinet. MATHETES, Credo sanè sanguinem citissimè concoqui, & ad excretionem inclinari: melancholicum autem humorem ęgerrimè, tum concoqui, tum egeri posse; pituitam & bilem, mediam quandam inter hos, & ad concoquendum, & ad excernendum naturam obtinere. Sed quid protendit, si nihil expuatur? GERON, Lethale est, tum quòd fluxio ipsa ab inflammatione detineatur, tum quòd, si intus maneat, tota corrumpatur, quemadmodum, si & facilè, & sine molestia materia expuatur, securissimum est: si coctum sputum fuerit, multò securius. MATHETES, Quæ alia morbi conditionem & naturam indicant? GERON, Pulsus arteriarum, qui huiusmodi morbos comitari solent, sicut alia omnia, quæ ex consortij lege obueniunt, vt deliria, sopores, fastidium, vrinæ, & deiectiones aliæ atque aliæ, conditionem morbi significant, vnde præsagire licet, quò morbus, & dexter auxiliorum vsus tendat. nam præsagatio medicum excusat, si mors secuta sit, ægrosque reddit obtemperantes, & longè anteà tempus auxiliorum docet. quòd autem dexter illorum vsus, pars artis sit principalis, nemini est obscurum. MATHETES, Vno hactenus exemplo, partem affectam, morbumque ipsum indicasti, quin in altero adhuc clarius mihi exponas. GERON, Faciam id ex ijs, quæ excerni solent. nam excrementorum species multa docet: huic autem coniuncta est pars, vnde excretionem fieri cernimus, vt ex ambobus consociatis, firma quædam indicatio oriatur. Si enim (verbi gratia) membranosum quippiam excretum sit, idipsum si apparuerit, eiusmodi partem exulceratam esse indicat, quæ in superficie membranosam quandam naturam habeat: separata verò id ostēdere nequit. Attamen regio per quam fit excretio, ad affectam partem veluti manu nos deducit. etenim infrà per aluum deiectum, intestini vlcus testatur: suprà vomitu reiectum, ventris: per tussim redditum, membranarum, quæ asperas arterias integunt: per vrinas vesicæ, vel naturalium meatus, has itaque ipsas partes, nec non illas quæ tum consortij lege, tum primariò laborant, inuicem discernere conuenit, ac distinguere principatu, consequentia, magnitudine, paruitate, & accessione caussarum vtrasque deprauantium. Complures igitur ob stomachi affectus, vel cerebro consentiēte, melancholiæ casibus infestantur, vel oculis consortij lege dolentibus, suffusionum casus experiuntur. at si quis hæc diligenter animaduertat, deprehendet affectus iam commemoratos, ex cruditatibus, & recrementorum in ore ventriculi collectionibus prouenire: nec nō illas augeri ex ijs, quæ os ventriculi offendunt,

Pituitæ & bilis natura.

Si nihil expuatur.

Sputum facile quid notet.

Morbi naturam & conditionem quæ indicent.

Præsagatio.

Excrementorum species.

Regio per quam fit excretio.

Per aluum.

Per vomitum.

Partes distingui debent.

Quæ primariò, quæ verò ex consensu aliarum laborent.





Remediorũ commodo vsui quid necessarium.

Morbi ex intemperie, essentiam partis infestare solent.

Morbi ex figura.

remittere ex ijs, quæ ipsum iuuare dicuntur. MATHETES, Cognitis iam partibus affectis, quid ad cómmodum remediorum vsum requiritur? GERON, Partium essentiæ, figuræ, & situs cognitio. nam essentia primos morbos, qui ex intemperie gignuntur, edocet, quantùm à naturali statu recesserint, quantumq; calefacere, refrigerare, humectare, & siccare oporteat. figura morbos, de quibus anteà dictum est, indicat, quantum à naturali modo declinarint: eiusq; excessus docet, quatenus per contraria illi immutari debeant, vt ad naturalem statum reuertantur. atq; hæc morbis ex intemperie ortis, proportione respondent.

Cauitates & meatus propriã curationis rationem suggerere.

Porrò cauitates et meatus, propriam curationis rationem suggerunt. nam partes quædam spaciosas laxitates intra se habent, vt arteriæ, & venę artuum: nerui autem horum, neutro in loco: qui verò intra peritonęum existunt, in altero tantùm: quędam foris & intrò amplas capacitates habent, vt viscera ferè omnia. adhæc caro ipsa in pulmone spongiosa, in renibus densissima: post hanc iecoris: lienis autem, quantò densior est ea, quæ in pulmone habetur, tantò iecoraria rarior. hæc autem communionem habent cum his, quę à situ indicationem sumunt. In omnibus igitur his, quæ neutra ex parte cauitates, & receptacula habent, defluxiones superfluitatem recipientes, fortiter exiccare, & si non fuerint natura sicciores, sicut nerui, & pręcipuè in artubus, quæ intus & extrà aliquid inflammationis, remittere possunt, non adeò validè siccantibus indigent, præsertim si laxam partem, vt pulmo, habuerint.

Curationis indicatio ex figura et situ.

MATHETES, Exemplo rem nobis redde clariorem, quod ex figura, & situ, indicationem curationis ostendat. GERON, Obstructio vnus ex compositis affectus est, potissimùm verò iocinoris, tum propter eius constructionem, tum ob actionem accidit. etenim venę, quę à portis in totam iecoris cauam partem distribuuntur, osculis earum, quæ in gibba sunt, sensum latentibus cohærent, alimentum autem totum ex ventre ad portas defertur: hinc, in cauam iecoris regionem: inde, per terminos venarum iam dictos, in gibbam transumitur: vnde fit, vt viscus hoc crebris obstructionibus, ob viarum angustiam, & materię permeantis copiam, corripiatur.

Obstructionis curatio.

MATHETES, Quæ ergo curatio fuerit? GERON, Vt cibi & medicamenta extenuantia exhibeantur, antequàm obstructio augeatur, latiusq; pertingat, & homo febricitet. quòd si verò adaucta fuerit, non modò his auxilijs, sed etiam euacuatione vtendum, quam quibus in locis fieri conueniat, tum figura visceris, tum situs indicat.

Euacuatio quibus in locis fieri conueniat, figura viscerum & situs indicat.

MATHETES, Dic, quomodo hoc intelligam? GERON, Quæ in cauis partibus continentur, quia ex ventre illius prouenerunt, ad intestina dirigemus: quæ verò in gib-

bis,

bis, per vrinas educemus: simili modo, quę in thorace & pulmone continentur, per tussim expurgabimus: quæ in cerebro hærent, ad nares trahere oportet. MATHETES, Partium inflammatione laborantium curatio, etiámne ex situ & figura sumetur? GERON, Maximè: quomodo autem tentanda sit, compositarum partium natura docebit. MATHETES, Quaratione? GERON, Si humores in coxam decubuerint, per venas poplitis & tali, os educemus: per easdem etiam, si qui in vtero continentur: in thorace, & pulmone collecta, per interiorem cubiti venam detrahemus: quæ in capite, & ceruice infestant, per humerariam. nam optima, facillimaq; est eductio, quæ per proximas, & affectæ parti communes venas, confieri solet. MATHETES, De principió ne morbi dicis, an de fine? GERON, De principio. nam fluentibus adhuc humoribus, reuulsio quam Hippocrates ἀντίσπασιν vocat, medetur: ijs autem, qui iam parti affectæ infixi sunt, deriuatio, quæ παροχέτευσις appellatur: vtrunq; verò euacuationis genus, per communes venas fieri debet. MATHETES, Non satis assequor, quasnam sic appelles? GERON, Quæ in brachijs extant, communes ijs, quæ in auribus habentur: & quę in his apparent, cum illis, quę in brachijs visuntur, cõmunionem obtinent. si itaq; humores in vtero contentos, reuellere sursum, hoc est, in contrarium trahere velis, eam quæ in cubito est, venam incidas, aut cucurbitulas mamillis defigas, vel manus calefacias, vel eas deliges: rursus, si inuicem illos deriuare cogites, venam poplitis, aut tali ferias, cucurbitulas inguinibus accommodes, crura calefacias, perfrices, & deliges: si verò sinistra laboret, ex artubus, qui in illa directò habentur, sanguinem detrahas. Venas autem incidere oportet, quæ viciniores, magisq; locis affectis directæ existant. nam liene inflammato, si libet emittere sanguinem, interiores sinistri brachij venas: in iecore, dextri incides. MATHETES, Quas autem incidam, si superiores inflammationem experiantur? GERON, In angina, lippitudine, alijsq; capitis affectibus, exteriores, & è directo sitas: in artubus autem offensis, coniuges, siue reuellendi, siue deriuandi gratia, sanguinem detrahere oporteat. Hoc tamen obseruare debes, vt cum morbus inueterauerit, ex ipsa parte læsa, aut ex vicina, humorem educas. Ita quoq; in angina, venas linguę subiectas incidemus, vbi totum quidem corpus recrementis vacuum fuerit, morbus autem in vetustatem inciderit. Eodem etiam modo lieni & iecori cucurbitulas applicamus, aliamq; partem quamlibet sic affectam, scarificamus, vbi humores non amplius influunt. nam si adhuc fluunt, parti ipsi nullum adhibendum est remedium: quia tunc illos magis irritares, malumq; duplo maius redde-

Inflammatio partium quomodo tentanda sit.

Euacuatio quæ optima, & facillima.

Reuulsio quibus medeatur.

Deriuatio quibus.

Venæ communes quæ appellentur in reuellẽdis, deriuandisq; humoribus.

Venæ quęnam in inferioribus partibus inflammatione laborantibus incidendæ.

Venæ viciniores, & locis affectis directæ incidendæ.

Venæ incidendæ coniuges in superioribus partibus inflammatis.

Morbo inueterato, ex qua parte humorem ducere conueniat.

Humoribus adhuc fluentibus, nullum adhibendum est remediũ.

Humores, quando educere tempestiuum sit.

redderes. MATHETES, Quando igitur tempestiuum erit? GERON, Vbi totum iam corpus recrementis liberum fuerit, neque amplius quippiam influit. in parte autem læsa, id quod pridem influxerat, adhuc continetur, tunc ex ipsamet humores educes: si id fieri nequeat, saltem ex vicina, aut per venas diductas ab ijs, quæ in partibus ipsis sitę sunt: superius, eas communes appellaui. MATHETES,

Humores, an per solam venæ incisionem educi debeant.

Humorésne per solam venæ incisionem, educi debent? GERON, Non per hanc solam, sed etiam per medicamenta: vt si gibba iecoris regio laboret, id quod in ea continetur, per vrinam ducere conuenit: si caua, per aluum. ita pectus & pulmonem per

Humores, pro situs ratione educendi.

tussim expurgare licet: ventriculum & stomachum, per vomitum: intestina, per deiectionem, sicut etiam lienem: renes autem per vrinas: vterum per menstrua: cerebrum per palatum, gurgulionem, aures & nares. MATHETES, Hactenus de humoribus tum per initia, tum morbis iam inueteratis, pro partium affectarum situs ratione educendis, diligenter me docuisti, nunc de remedijs agas obsecro, quæ ipsis applicari debeant. GERON, Ex

Qualia remedia pro partium affectarum situ, adhiberi debeant.

ternis ac superficiarijs sanè partibus, talis medicamentorum species adhibenda est, qualem affectus requirit: penitioribus ac in alto sitis ea, cuius facultatem, non qualis nunc, sed qualis futura est, accommodandam ex situ etiam, discimus. nam antea per medias aliquot partes transire cogitur, quàm ad læsam perueniat. quare mendicamenti, siue ex ijs sit, quæ imponuntur, siue ex illis, quæ in cibo aut potu sumuntur, non præsens vis, sed ea, quam habebit,

Partibus in alto sitis, validiora requirunt remedia.

cùm parti affectæ appropinquat, inspicere oportet. Hac ratione, quæ ad pulmonis inflammationes extrinsecus, ac thoraci admouentur, multò validioris, acriorisq; naturæ esse debent, quàm quæ ipsi visceri applicentur, si fieri possit. quod enim per multas partes interpositas ad locum affectum peruenire debet: si per initia imbecillæ fuerit, in transitu prorsus exoluitur, & elanguescit.

Remedia acriora inflammatis partibus altiùs sitis idonea.

MATHETES, Quæ ergo sunt acriora remedia? GERON, Si pars multò fuerit remotior, altiusq; sita, cucurbitulis vtimur: quod auxilium inflammationibus per extima subortis, valde aduersatur. Ita cùm sanguis ex pulmone reijcitur, astringens quoddam medicamentum, parti quidem affectæ conueniret: quia verò ad eam penetrare nequit, alia quædam medicina commiscenda erit, quæ illud quasi manu eò deducat, aut ipso nō vtendum erit. nam

Astringentia in sanguinus reiectione thoraci admouere periculosum est.

qui thoraci astringentia in tali affectu, admouent, maximum ægro discrimen vitę, adferunt, eò quòd eiusmodi medicamēta etiam sanguinem, qui in thorace continetur, ad partē affectam, quò ipsa peruenire nō possunt, propellūt. Eadem quoq; ratio est in liene, iecore, & omnibus, quę intra peritonęū continentur, obseruanda.

uanda. ſæpiùs enim cutis, tametſi durior, minusq́ affectibus opportuna, quàm viſcera exiſtat, tamen eiuſmodi impoſitis exulceratur. Quòd ſi ipſis viſceribus medicamenta applicare poſſemus, quibus frequẽter indigent, hoc leniora eſſe oporteret, quò etiam ipſorum natura faciliùs afficitur. Et quidem omnia medicamenta quæ eſſe, & bibere medici pręcipiunt, viſcerum affectibus idonea, longè acriora, validioraq́ facultatibus eſſe conuenit, quàm illa, quibus partes affectæ indigent, ſi excipias ea, quæ ventriculo & ſtomacho conducunt. hîc namq́ ſola talia exhibentur, qualia affectus requirunt: cæteris vero omnia acriora, valentioraq́, præſertim quæ renum vel pulmonis cauſſa exhibentur, eoq́ ſtatim ex apertione corporum, quam anatomen vocent, diſquirendum eſt, quot numero partes medicamentum, quod ad pulmonem affectum, ſit peruenturum, antea tranſire cogatur. In ſingulis enim partibus, aliquid ex humoribus admiſcetur, ac mutationem quandam, commutationemq́ pro viſceris natura experitur. quare id quod ex facultate ipſius reliquum eſt, adeo exiguum, & languidum exiſtit, vt partem affectam adiuuare ſatis nequeat. Eodem modo in remedijs habet, quæ extrinſecus admouentur. nam in externa inflammatione, tale eſſe medicamentum oportet, quale ſpecies inflammationis indicat: in ea verò, quæ altè latet, tantò acrius requiritur, quantò illa ab exterioribus partibus magis receſsit. MATHETES, Cùm iam omnes ferè cũrandi rationes, breuiter ſis perſecutus, vnum adhuc, quod ad illas conducere mihi videtur, reliquum, ſcire ex te cupio: num ſcilicet fieri poſsit, vt quis ante morborum finẽ, prænoſcat ſanitáſne, an mors ſit expectanda? GERON, Fieri vtiq́ poteſt, ſi omnia dextrè in curatione adminiſtrentur, nec peccatum ab ægro in victu committatur. MATHETES, Ars né quædam de his tradita eſt? GERON, Græci copioſè, præſertim Hippocrates & Galenus eam tractarunt, vocaruntq́ προγνωστικὴν. hæc ſiquidem omnia, quæ in morbis euentura ſunt, ante illorum ſolutionem prænunciat. MATHETES, Si ergo ars quædam præſagiendi exiſtit, quomodo illam conſequar obſecro? GERON, Vnum ſanè, & primum te hoc ſcire oportet, nonnulla neceſſariò euenire: nonnulla verò caſu, & fortuitò. MATHETES, Quænam igitur neceſſariò eueniunt? GERON, Quæ morbi & naturæ ratione fiunt: vt ſi ille validus, hæc autem imbecilla ſit, mors certò præſagiri poteſt: contrà ſi natura valentior morbo reſiſtat leuiori, ſanitas ſperatur. MATHETES, Vnde natura valentior, aut imbecillior cognoſci poteſt? GERON, Summatim quidem ex actionum integritate & vitio, membratim autem ex ſingularibus actionibus. quarum primum quidem genus ad prin-

Medicamenta quæ edimus, & bibimus, viſcerũ affectibus idonea

Ventriculi medicamenta.
Renum.
Pulmonis.

Medicamentum partes in alto ſitas tranſiens, quale fiat.

Medicamentum in externa inflammatione quale eſſe oporteat.

Præſagiri ne ſanitas an mors poſſit, ante morborum finem.

Prognoſtice.

Neceſſariò quæ eueniant.

Naturæ robur vel imbecillitas vnde cognoſcatur.

ad principia refertur: alterum ad ea, quæ ab illis propagantur: tertium ad illa, quæ peculiarem quidem habent administrationem, sed processus quosdam ab illis recipiunt. quartum enim genus sui quidem ratione, ad prænotiones inutile existit: fortuitum autem ex his quoq; præsagire licet. quemadmodum etiam ex recrementis, præsagia de futuris nunquam non sumi possunt: ex illis quidem consortij, ac consensus lege: ex his autem, quoniam singula pro sua quæq; natura, statum concoctionis tempus habent, aut naturam materia illorum, aut materiam natura superiorem fore deprehendimus.

Præsagia futurorum, ex recrementis sumuntur.

Natura & ægri, & medentis vitio sæpe impeditur.

Præsagia quando eueniant, respondeantq; medenti.

Hoc interim admonere te volo, naturam sæpe vel ægri, vel medentis vitio impediri: vt hic illud quo tendebat, non assequatur, & fine, qui prædici poterat, frustretur. præsagia enim tunc solùm eueniunt, cùm & is qui curat, medicus optimus est, & æger nihil delinquit. quippe errores commissi, aut morbi solutionem remorantur, aut mortem accelerant. MATHETES, Ridiculam igitur esse video artem prognosticam, quã diuinatores profitentur, qui morbos hoc, vel illo modo finiendos prędicunt, non apponentes, omnibus ritè administratis.

προγνωστικὴ ridicula.

De morbis quo pacto augurari liceat.

Morbi solutio quando rectè prædicatur.

GERON, Rectè sentis. falluntur enim, qui de morbis hoc pacto augurãtur: multò autem rectius medici sapiunt, qui morbũ (si omnia, vt par est, agantur) septimo die solutum iri prędicunt: sin autem error committatur paruus, morbi solutio ex septimo in nonum diem transibit: magnus, in vndecimum: sin adhuc maior, in decimum quartum: si maximus, periculum vitæ pro certa salute sequetur.

Quid præsagire liceat, si & morbus & natura valens existat.

MATHET. Quòd si vterq; tum morbus, tum natura valens fuerit, túmne etiam præsagire possumus? GERON, Maximè. quemadmodum si luctatores duos fortes, singulari certamine congressos videamus, ex primis ipsorum insultibus deprehendere possumus, non solùm vter alterum superaturus sit, sed etiam vter præter victoriam, sæpe aduersarium etiam celerrimè sit prostraturus. MATHETES, Hęc igitur ex accurata virium, morbi, & naturæ cognitione prænoscimus?

Naturæ vis ex proprijs facultatibus, maximè verò ex pulsu deprehenditur.

GERON, Imò, ex his ipsis etiam præfinitum tempus victoriæ, aut offensionis deprehendimus: at robur naturæ ex proprijs functionibus, vt suprà annotatum est, maximè verò ex pulsu: quoniam huius opifex facultas, est vitalis. MATHETES, Sed morbi magnitudo vnde cognoscitur?

Magnitudo morbi vnde cognoscatur.

Recrementa omnia concocta aut cruda, naturæ vires indicant

GERON, Ex ipsis, quæ illi superueniunt, συμπτώματα græcè vocauimus. quantùm enim natura morbum, vel morbus naturam vincat, ex concoctione, & cruditate propriorum recrementorum deprehendimus: ventris sanè, quæ per aluum deijciuntur: vasorum autem, quæ per vrinas excernuntur: totius rursus corporis, quæ per sudores. Ita etiam alia omnia recrementa, quæ in vna, vel pluribus partibus consi-

ſtunt,concocta,aut cruda, naturæ vires indicant. in thorace quidem & pulmone, ea quæ tuſsi reijciuntur: quæ in veſica & renibus,illa quæ in vrinis feruntur: in iecoris autem caua regione, & meſenterio, ea etiam quæ inferius deſcendunt:in ſuperiore ventre & ſtomacho, ea quæ vomitu reijciuntur. At cerebri robur, quantum ſit,ea quę per palatum, aut nares, aureſq; excernuntur, indicant.

Cerebri robur quænam indicet.

in omnibus autem commune eſt,vt morbus non prius ſoluatur,quàm concoctionis nota,in recrementis exeuntibus appareat,ſiue aures,ſiue oculi,ſiue guttur malè habuerit. In ſumma, omnes excrementorum maturationes, celeritatem criſis, & ſecuram ſanitatem portendunt:cruda verò, concoctionis expertia, & in prauos abſceſſus conuerſa, criſis fruſtrationem, vel labores, vel moram morbi, vel mortem, vel recidiuas morborum nunciant.

Excrementorum maturationes,& cruditates quid oſtendant.

MATHETES, Cùm iſta quæ recenſuiſti, neceſſariò eueniant, quænam illa ſunt,quæ caſu accidere ægro pronuncias? GERON, Illa nimirum,quę extra morbum ſunt,vt ſi nocturnus vicinorum tumultus,aut canum latratus,aut triſte nuncium, ęgros reddiderit inſomnes.

Caſu, quænam accidere in morbis ſoleant.

MATHETES, Ergo quæ morbi ratione accidunt, certa ne portendere poſſunt? GERON, Non omnia, vt in acutis morbis potiſsimùm euenit. poteſt enim humor ſuperfluus intra corpus ad partem aliquam vitæ neceſſariam confluere: quemadmodum contrà alius ex nobili parte in obſcuram tranſmigrare. Is ſanè, qui in nobilem partem inuectus eſt, ſummum periculum eſſe futurum: qui verò in ignobilem labitur, repentinam ac inopinatam ægro ſalutem aduenturam,ſignificat. Ac in huiuſmodi corporis ſtatibus, hoc ſolùm certò, & indubiè prædicere poſſumus, quem verò in finem tendat, accuratè ſcire nemo poteſt: ſicut etiam de furentibus acutorum morborum humoribus, inconſtans ac incertum eſt iudicium.

Non omnia certa ex morbi ratione portenduntur.

De furentibus acutorum morborum humoribus incertum eſt iudicium.

de illis verò, qui iam partem aliquam obſiderunt, licet nobis quid futurum ſit, pręnoſcere certius,vbi varias naturę facultates,& quænam ipſorum ſit differentia,nouerimus. MATHETES, Videris duo tantùm hîc humorum excrementa adducere: vnum, quod per totum corpus vagatur mouetur&q;:alterum quod in partem aliquam reſedit:quid de illis iudicas,quæ adhuc cum ſanguine in vniuerſo corpore ſunt commiſta?

Duo humorum excrementa.

GERON, Si iuſtò copioſiora non ſint, ſingula ſuum concoquendi tempus habitura diximus, modò cuiuſq; naturam cognouerimus. ita namq; etiam de concoctione ipſius nonnihil artificioſè coniectare licebit, vbi omnia, nimirum circa ægrum rectè adminiſtrentur.

Excrementa ſuum concoctionis tempus habent.

Nemo igitur vel mediocriter in prognoſtica arte verſatus, morbum illum, cuius concoctio vt abſoluatur, duos requirit menſes, quatuor tantùm, aut ſeptem diebus ſolutum

iri

Morbus suum quisque terminum habet.

iri presagiet. sicut enim vnumquodque animans proprium viuendi tempus, ita morbi suum quisque terminum obtinet. MATHET. Hęc ne omnia sunt, quę ad morbos curandos pertinent, an quędã etiamnum dicenda supersunt? GERON, Supersunt vtique, sed pauca: primùm nempe, quomodo ij tractari debeant, qui morbis quidem nondum sunt impliciti, sed paulò pòst ægrotaturi, nisi ipsis prospiciatur. secundum, qua ratione à morbis conualescentes recreari possint: tertium, quo pacto integra sanitate præditi, in ea queant conseruari. veteres has artis partes προφυλακτικὴν, ἀναληπτικὴν, ὑγιεινὴν appellant. MATHETES, Quin illas eodem compendio & ordine, quo superiora docuisti, & ex quibus singulæ constent, persequaris. GERON, Vniuersum ipsarum genus in humoribus consistit, ex quibus, quæ naturæ aduersantur, originem trahunt: cuiusmodi sunt causæ, affectiones, & symptomata, quæ semper inprimis retineri in memoria debent. Cum enim, vel quædam humorum copia, vel prauitas, vel obstructio, vel corrumpens vis in corpore contrahitur, periculum est, ne homo propemodum ęgrotet. difficulter autem huiusmodi causæ cognosci possunt: quemadmodum etiam canis rabiosi virus, nullum peculiare signum in corpore effert, priusquàm ille, qui commorsus est, propè rabiat. MATHETES, Quid autem agendum censes, vbi nullis ex signis affectionem medicus animaduertere poterit? GERON, Ægros diligenter interrogare debet, quæ illis acciderint. Cùm autem copiosi, vel mali humores in corporis mole suboriuntur, vel viscus aliquod obstruitur, ea licet per casus quosdam cognoscere, quæ media quodammodo existunt, tum eorum quæ sanis insunt, tum illorum, quæ ægris accidunt. nam quæ sanis insunt, ea omnia secundum naturam sunt, & inculpata: quæ verò ægrotantibus eueniunt, contra naturam, & vitiosa: quę medio horum loco consistunt, ex genere quidem illorum habentur, quæ morbis contingunt, sed adeò exigua, & infirma viribus, vt nondum solitæ cuiusque actiones ab eis impediantur. Exempli gratia: dolor capitis, aut alterius cuiusdam partis adeò paruus, vt hominem lecto decumbere nondum cogat. quinetiam grauitas, aut pręcordiorum, aut capitis, aut alterius cuiusdam partis, aut visceris, quæ nec ipsa consuetas actiones impedire queat. Adhuc magis corporis tumor, aut gracilitas, aut malus color, & ad motiones pigritia, aut somnolenta affectio, aut vigiliæ nondum satis magnæ, vt hominem à vitæ transigendæ actionibus, abducant: multò magis fastidium aliquod, aut vehemens ciborum appetitus. Ambo namque fiunt, corpore etiam non admodum sano: queadmodum, si quis minus, aut magis sitiat, quàm par sit, aut in stoma-

Præcauendi morbos ratio.

Conualescentium recreatio.

Sanitatis conseruatio.

Humores eorum quæ naturæ aduersentur, causæ sunt.

Causæ morbi difficulter cognosci possunt.

Humores copiosos, aut prauos, vel visceris obstructio vnde cognoscere liceat.

Sanis omnia secundũ naturam insunt: ægrotantibus contrà.

Venientis morbi signa.

ſtomacho ſeu ventriculo roſionem percipiat, aut corporis laſsitudinem experiatur. Huiuſmodi enim formula quędam eſt eorum, quæ in morbum prolapſuris eueniunt. MATHETES, Cùm iam hæc ab illis, qui me conſulent, audiero, quomodo venienti morbo ſuccurram?

Morbi cauendi duplex ratio.

GERON, Duplex eſt cauendi morbi ratio: nempe immutatio, quam vulgus alterationem vocat, & euacuatio.

Immutatio quomodo fiat.

MATHETES, Quomodo autem fit immutatio? GERON, Contrarijs, vel tota eſſentia, vel vna qualitate, vel duabus.

Immutatio quæ fit contrarijs tota eſſentia.

MATHETES, Quænam immutatio fit contrarijs tota eſſentia? GERON, Eorum quæ toto genere contra naturam ſunt, vt venena, & virus peſtiferorum animalium, peſtisq; ipſa, quæ & immutari, & euacuari debent. quæ verò ad naturalem ſtatum redire poſſunt, immutari tantùm craſſa & viſcoſa extenuando, incidendoq;: tenuia efficiendo craſſa: communiter autem vtraq; concoquendo, obſtructiones aperiundo.

Alterationes à quibus fiant.

MATHETES, A quibus autem hæ immutationes fiunt? GERON, Immutantur ſanè humores, vel ab ipſa parte, cui inſunt, dum concoquuntur: vel à medicatis quibuſdam facultatibus, quæ etiam virus & venena tranſmutant.

Euacuatio quomodo fieri debeat.

MATHET. Quomodo autem fiet euacuatio? GERON, Attractorijs remedijs. MATHETES, Quibus? GERON, Ipſi affectus docebunt.

Humoribus omnibus ſimiliter adauctis venæ inciſio conuenit.

ſi namq; omnes ſimiliter humores adaucti fuerint, principaliſsima quidem, & maxima euacuatio, per ſanguinis detractionem adhibetur: reliquæ verò, functionibus totius corporis, exercitijs, balneis, inedia.

Sanguine redundante qualis euacuatio requiratur.

Ita euacuare etiam corpus oportet, ſi in eo ſolus redundet ſanguis.

Bile flaua aut atra exuperante, quid agendum.

MATHETES, Quid agendum cenſes, vbi flauæ, aut atræ bilis humor, vel aquoſum quoddam humoris ſerum exuperet? GERON, Euacuari quidem debet, ſed non ſimiliter. nam primarum venarum recrementa, alui ſubductionibus purganda ſunt: aliarum autem, ſiquidem aquoſa & tenuia, per vrinas: ſin autem bilioſa fuerint, per aluum educere conuenit. quanquam etiam tenuia per deiectiones euacuare liceat.

Per totum corpus diſperſa quomodo tollenda ſit.

MATHET. Quo pacto ea tollentur, quæ per totum corporis habitum diſperſa ſunt? GERON, Tenuia certè per ſudorem, & per medicamenta cuti admota exiccari ſolent: bilioſa verò primùm purgare, deinde per cutem euacuare oportet.

Pituita quomodo auferenda.
Salſa.
Acida.

MATHETES, Quòd ſi pituitæ humor exundet, qua ratione auferetur? GERON, Si quidem ſalſa fuerit, medicamento expurgabitur: ſin acida, immutationem requirit. MATHETES, Quamnam immutationem hîc intelligis? GERON, Quę fit per concoctionem, in qua obeunda, natura adiuuari debet.

Concoctio quibus adiuuanda.

MATHETES, Quibus? GERON, Quiete, calore moderato, cibis boni ſucci ac modicis, vini paulùm calefacientis potu. calorem autem moderatum præſtant puelli, aut catuli ventri incumbentes,

frictio mediocris, moderatus calidarum aquarum vsus, cibi & medicamenta modicè calefacientia.

Pituita dulcis.

At dulcis pituita multò faciliùs concoquitur.

Ad aperiundas obstructiones quæ conueniant.

MATHETES, Quibus obstructiones viscerum aperiuntur? GERON, Cibo, potuque idoneo, & medicamentis extenuandi facultate præditis. MATHETES, Vbi iam ægri à morbis conualuerint, imbecilles autem inde, ac senio confecti fuerint,

Conualescentes à morbis ac senio confecti quomodo recreari & refici debeant.

quomodo recreari, ac refici poterunt? GERON, Cùm nulla eos causa contra naturam, nec affectio infestat, sed sola corporis gracilitas, imbecillitasque virium adsit, quam bonus quidem sanguis, & cum eo spiritus animalis, & vitalis, sed exiguus licet, effecerit: vnde etiam solidæ illorum partes sicciores, eoque inualidiores, & totum denique corpus frigidius euaserit, magis præsentanea auxilia, ad huiusmodi habitum corrigendum esse puto, quæ celeriter & securè nutriunt: præcipuè verò mediocrem motum, cibum, potum, & somnum.

Motus à morbis conualescentium

MATHETES, Cùm motus varij sint, quinam hisce conueniunt? GERON, Gestatio, ambulatio, frictio, & balneum: atque si ex his meliusculè habuerint, paulatim ad consueta vitæ munera se conferant.

Cibi à morbis conualescentium quales.

MATHETES, Quos ipsis cibos præscribis? GERON, Principiò quidem humidos, concoctu faciles, & non frigidos: processu autẽ temporis eos, qui liberalius præstant alimentum.

Potus qualis.

Vinum læuius.

MATHETES, Quem potum commendas? GERON, Vinum, ætate quidem medium, sed leuius, & pellucidum: quod scilicet subflauum, vel album existat, odore gratum, gustu nec omnino aquosum, nec insigniter aut dulce, aut acre, aut amarum, aut aliam qualitatem eximiam resipiens.

Cereuisia.

In illis autem regionibus, quæ vinis carent, cereuisiam claram, quæ ex hordeo, & lupulo confecta sit. quare etiam aqua læuissima ex cinamomo, nuce muscata, & alijs id genus cocta, qua Turcæ vti solent.

Valetudinarij restitutio.

MATHETES, Postquàm valetudinarius ad pristinam sanitatem redierit, quibus præsidijs hanc tueri poterit?

Sanitas quibus præsidijs tuenda.

GERON, Ferè ijs, quæ iam commemoraui: quanquam in hoc à curatoria artis parte differat, quòd hæc paulatim viciata corrigat. Itaque si corpus priorem habitum conseruaret, arte, quæ illi præesset, neutiquam indigeret: verùm quia corrumpitur, nec idem perpetuò perseuerat, factum est, vt artem, quæ ipsi prospiciat, desideret. MATHETES, Hoc nondum assequor, explica luculentiùs. GERON, Cùm quotidie corporis essentiæ aliquid decedat, necessarium est, vt, ne tota euaporet & dissipetur, cibo moderato, concoctu facili, non nimis viscoso, crasso, aut tenui: potu autem vini generosi, odorati, puri, modico & familiari naturæ, illud resarciamus. quia verò omnia quę eduntur, bibunturque, ad amussim effluxę essentiæ similia reddi nequeant ac confici, necesse est recrementa praua inde excitari,

humo-

humorumq́ꝫ copiam: quę cùm corpori noceant, aufferri protinus debent. MATHETES, Quibus remedijs? GERON, Exercitijs, quę huc dirigantur, vt recrementa quidem eijciantur, expurgenturq́ꝫ, humores autem concoquantur.

Recrementa praua quibus remedijs aufferenda.

MATHETES, Quid aliud ad conseruandam sanitatem agendum censes? GERON, Omnes causæ, quæ illam offendere possunt, vitari debent: nempe somnus immoderatus, intempestiua venus, calor, frigus: item lassitudo, cruditas, temulentia, vigiliæ, tristitia, furor, ira, & aliæ id genus animi perturbationes. atq́ꝫ hęc tibi nuper medicinę initiato iam sufficere iudico.

Ad sanitatem conseruandam quæ vitari debeant.

MATHETES, Nihil prætere desidero, quàm vt argumentum, quod in hac institutione es persecutus, in summam redigas, quò faciliùs etiam aliorum meminisse possim. GERON, Medicina est ex earum artium numero, quæ in actione consistunt, non autem simpliciter, vt exædificatoria, fabrilis, & textoria, sed qualis ea, quæ collapsas ædes instaurat, & laceras vestes resarcit. quoniam verò & hæ bifariàm constituuntur, nempe aut ab artifice exempla ex se fingente, aut extrinsecus inspiciente: medicina secundi generis existit. Non enim ex se ipsa fingit exempla, sed ex corporis humani confectione, totum id accuratè meditata, ipsum quod corrumpitur, emendare conatur.

Medicina ex quarum artium genere existat.

Differt autem hęc ab alijs artibus, quòd magnam partem eorum, quæ in illa fiunt, natura operante suppeditat: vniuersa verò ipsius cognitio, qua nitens medicus tum corrector, tum minister est, omnibus alijs factorijs artibus proportione respondet. Etenim simplicium partium essentiam, & compositarum generationis modum: item quomodo affectus inueniantur, & quò singulorum curationis consilia dirigantur, edocet.

Medicina in quo ab alijs artibus differat.

Cognitio medicinæ alijs artibus factorijs respondet.

MATHETES, Maximas tibi gratias habeo, optime pręceptor, quòd omnia tam candidè, & luculenter, quæ artem medicam constituunt, edocere non sis grauatus, oro te obnixè, vt quando oportunum erit, eadem copiosiùs ordine contrario, quem compositorium appellasti, interpreteris. GERON, Faciam libenter quandocunq́ꝫ voles. gaudeo enim te medicam hanc artem obiter nunc, & veluti ex transcursu perceptam, accuratiùs deinde, & fusiùs omnes eius partes inuestigare, ac cognoscere velle: alio nimirum instituto, & consilio, quàm hodie pleriq́ꝫ faciunt, qui vix elementis illius rectè intellectis, solo nominis titulo, & experimentis, nescio quibus, aliunde mendicatis freti, ægrotis se posse mederi profitentur.

Ioannis Guintherij Andernaci Medici

DE MEDICINA VETERI ET NOVA TVM COGNOSCENDA, TVM FACIVNDA,

Ad iuuentutem Commentarij primi

DIALOGVS SECVNDVS.



MATHETES, Heri medicinam, veluti in tabula depictam, lineisque suis adumbratam, ordine illo quem ἀναλυτικὸν Gręci appellant, perspicuè ostendisti: vellem te nunc eandem ita summis ac principalibus suis partibus detectam, resolutamque, iterum quasi à primis vsque elementis restituere, ac componere, donec ipsam rursus ad pristinam dignitatem, ac perfectionem reduxeris. GERON, Recepi quidem me id in gratiam tuam facturum, quandocunque velles: sed metuo, ne dum omnia, quæ ad rei medicæ cognitionem pertinent, longiùs persequor, ab incepto studio desistas. MATHETES, Non est quòd metuas, perchare Geron: nam eo semper ingenio & animo fui, vt quamcunque rem consilio prudētium, & propria voluntate, semel discendam susceperim, nunquam, vel laboris, vel temporis longi tædio postea deseram: nisi me oleum & operam perdere intellexero, vt sub primis meis doctoribus mihi accidisse confessus sum. GERON, Faxit itaque CHRISTVS OPT. MAX. vt hoc nostrum institutum ad illius gloriam, & miserorum hominum salutem auspicatò procedat. Quicquid enim sine illius gratia et fauore, in omni vita perficiendum suscipitur, id totum vanum est, & in perniciem interitumque tendit. Priusquàm autem disciplinam hanc, à primis ipsius particulis componere incipiam, communi professorum consuetudine pręfabor, quid ipsa sit, & quibus ab alijs differat.

Herophilo igitur medicina est earum rerum scientia, quæ corpora salubria, insalubria, & neutra, hoc est, media inter illa efficiunt. atque hæc Galeno definitio absolutissima censetur, eò quòd non solùm perfectiorem medicinæ partem, sed etiam materiam, formam, & finem complectatur. MATHETES, Quomodo? GERON, Sanitas medicinæ finis est: forma autem, valetudo bona, vel aduersa, vel media: materia verò princeps, corpus: secunda, causæ. MATHET. Cur auctores quidam Græci illam nunc scientiam, nunc artem esse dicunt? GERON, Quatenus habitus est, qui recta ratione dirigitur, & primas theses ex philoso-

Medicina quid?

Medicinæ finis sanitas.

Forma.

Materia.

Medicina cur nunc scientia, nunc ars appelletur.

phia sumit, artificioq; ad docendum vtitur, scientiam esse: quatenus autem ad actionem singulorum, & exercitationem procedit, artem esse pronunciant. potest enim aliquis ex communi illo pręcepto, Contraria contrarijs remedia adhibenda, cognoscere, febri, frigida conuenire: sin autem ignoret, quęnam ex illis eligi debeant, artis est imperitus.

Scientia quomodo ars dicatur.

MATHETES, Ergò scientiam quæ sublata demonstratione ad opus tendit, verè artem esse dicis? GERON, Dico hac ratione medicinam, & musicam, esse artes, alias autem, vt arithmeticam, artibus similes. MATHETES, Audiui nuper ex non obscuri nominis viris, medicam artem incertam, & coniecturalem esse. quid tu sentis?

Theses medicinæ firmæ, & certæ.

GERON, Proposita quidem medicinæ, si nominum vsus ambiguitatem deponas, firma sunt, vt mathematica: exercitatio autem illius coniecturalis est, vt cui sæpe non solùm coniectura, sed etiam experientia minus respondeat.

Exercitatio incerta, & coniecturalis.

Quanquam autem hodie extent, qui medendi artem semper certam, firmam, & constantem, quæ nunquam fallat, esse velint, aliâs non esse medicinam: tamen Hippocrates in libro de prisca medicina, tantum illi non tribuit, sed tamen non ideo ipsam, quòd interdum fallat, contemnendam, sed magis amplexandam laudeq; dignam esse, quòd proximè ad veritatem accedat, memoriæ prodidit. Inter recentiores huius ætatis medicos, exorti sunt, qui illam adeò certam, & potentem esse prædicant, vt eius periti omne morborum genus, etiam veteribus insanabile, & pro desperato habitum, sanare possint. Sed de his postea seorsum agemus. MATHETES, Suntne aliæ omnes artes etiam coniecturales? GERON, Non omnes: sed quædam & sua natura, & exercitatione, certæ existunt, vt arithmetica: quædam certæ quidem per se, sed in exercitatione coniecturales, vt medicina, & agricultura: quædam tum per se, tum in exercitatione coniectura nituntur, vt diuinatoria. quare etiam verè artes non sunt, sed nomine tantùm. Quatenus igitur medicina & agricultura circa diuinationem versantur, coniecturales, & medio quodam modo artes existunt. qua de causa etiam Galenus medicum vati in prognosticis comparauit. MATHET. Satis pro humana conditione esse puto, si medicina, licet non semper fortasse, sæpius tamen respondeat. Cui tandem salutaris ista professio fertur accepta?

Medicinæ autor DEVS.

GERON, DEO OPT. MAX. qui Adamo primo nostro parenti, vbi post miserabilem casum, rerum optimarum ferè omnium noticiam amisisset, eam si non totam, certè, aliqua ex parte pro misericordia sua ipsi restituit: hanc mox ille liberis suis, & nepotibus: hi deinde cognatis, & familiaribus, veluti per manus tradiderunt. atq; sic medicina diu apud Hebræas gentes permansit. Ab his ad Græcos peruenit, ac diu

Medicina apud Hebræos diu permansit.

A Græcis exculta est.

diu illic rudem, vulgaremq; ad Æsculapij tempora vsq; perseuerasse legimus. hic illam postea subtilius excoluit, docuitq; posteros suos, qui ab ipso Æsculapiedę vocati sunt. MATHETES, Quibus adiutus principijs? GERON, Philosophiæ, vt non malè quis ipsam & rerum naturæ contemplationem, sub ijsdem esse natam auctoribus, existimet. ideoq; multos ex sapientiæ professoribus, peritos medicinę fuisse accepimus, clarissimos verò Pythagoram, Empedoclem, & Democritum, cuius ipse Hippocrates fuit discipulus. MATHETES, Cur nonnulli experientiam medicinæ principium esse affirmant? GERON, Quia fidem ipsa ab operibus accepit, vnde rectiùs dixerim, experientiam quidem arti constituendę accommodam, sed ita, vt naturalis ratio ei accedat, vti etiam Hippocrates censuit. Duo siquidem certissima omnium artium constituendarum principia existunt, nempe ratio, & experientia. MATHETES, Quinam primi auctores medicinam memorię, & literis prodiderunt? GERON, Ex omnibus memoria dignis Hippocrates, Coæ insulę princeps, doctrina & facundia insignis, medicinam primus in artem redegit, eamq; multò absolutiorem, quàm ipse à maioribus acceperat, Græcis post se reliquit. hunc plæriq; alij deinde imitati sunt: sed nullus eum vel ingenio, vel eruditione, vel iudicio assequi potuit. Longo interuallo successit Galenus Pergamenus, qui Hippocrati propemodum par, reliquos omnes, tum qui ante illum, tum qui pòst fuerunt, doctrina, eloquentia, & iudicio longè superauit. is quod ab Hippocrate fuerat omissum, addere & supplere conatus est. Postremis temporibus etiam inter Arabes, exorti sunt viri in medicina iudicio magis, quàm facundia clari: quorum alij se Galeni interpretes, alij censores profiterentur: nec omnino inutilem operam in arte hac promouenda collocarunt. quòd autem instituto suo, non per omnia facere satis potuerint, temporum potius infœlicitati, quàm eorum voluntati ascribendum esse iudico. MATHETES, At qui Hippocratem ætate secuti sunt medici, omnes eadémne via & ratione, qua ille, artem tractarunt? GERON, Minimè: tanta inter eos fuit dissentio, vt in diuersas curandi vias processerint, & plures illorum sectæ, præcipuè verò tres sint exortæ: nempe Rationalis, Empirica, & Methodica. MATHETES, Quid singulę profitebantur? GERON, Rationalis rerum naturæ sibi cognitionem vendicabat, hoc est, noticiam causarum, primùm abditarum, & morbos continentium: deinde euidentium: posthæc etiam naturalium actionum: nouissimè partium interiorum, necessariam medicinę esse proponebat. professores ipsius Græcis λογικοὶ, ἀναλογιστικοὶ, & δογματικοὶ appellabantur. Quę ab experientia empirica di-

Philosophia, & medicina sub isdem naturæ auctoribus.

Artium constituendarum duo principia.

Hippocrates medicinam memoriæ prodidit, & in artem redegit.

Galenus Hippocratis interpres.

Arabes excusandi.

Medici post Hippocratem in sectas tres diuisi.

Rationales.

cta fuit, nihil hanc rationalem disciplinam pertinere ad medicinam professa, in vsu & experimentis eam ponebat: euidentes quidem causas, vt necessarias amplexa: obscurarum verò, & naturalium actionum quęstionem, ideo superuacaneam arbitrata, quòd

Empirici.

natura esset incomprehensibilis. huius assertores ἐμπειρικοὶ ex ipsa professione vocabantur. Tertia communia quędam complectebatur, ijsq; & similibus apparentibus, non abditis, insistebat: eius

Methodici.

cultores μεθοδικοὶ appellabantur, à via quadam compendiaria, quę græcè μέθοδος vocatur. MATHETES, Exponas mihi copiosiùs, oro, in quibus sectæ istæ dissentiebant: & num in quibusdam etiam conueniebant. non possum enim ea quę iam breuiter es com-

Rationales, in quibus ab alijs duabus sectis dissentiebant.

plexus, satis assequi. GERON, Etsi non multùm referat, nosse reliquas dissentionis rationes: tamen morem tibi geram. Rationales, inquam, non credebant eum posse scire, quomodo morbi curandi essent, qui ignoraret, ex quibus principijs corpora nostra constent: quid secundam, quid aduersam valetudinem faciat. eum verò rectè curaturum, quem prima origo causæ non falleret. Quinetiam in nouis morborum generibus, in quibus vsus nihil adhuc ostendisset, animaduertendum esse contendebant, vnde ea

Causæ abditæ.

cœpissent: aliâs neminem mortalium posse intelligere, cur hoc, vel illo potius vti debeat. atq; hæ sunt causæ in obscuro positæ, siue abditæ, de quibus suprà mentionem feci. MATHETES, Quas

Causæ euidentes.

euidentes appellabant, cognituq; necessarias esse dicebant? GERON, Calorem, frigus, famem, satietatem, & similia, à quibus morbi initium capere solent. qui enim originem ipsorum ignorat, is minimè illis occurrere poterit. MATHETES, Quas naturales cor-

Actiones naturales.

poris actiones vocabant? GERON, Per quas spiritum trahimus, & emittimus, cibum potionemq;, & assumimus, & cōcoquimus: atq; hæc eadem in omnes membrorum partes digeruntur. Præterea sciendum etiam esse docebant, cur arteriæ modò summittant se, modò attollant: item quæ somni, quæq; vigiliæ sit ratio. nam cùm ista minus rectè in corpore succedunt, eum solùm mederi posse arbitrabātur, qui prius illa ipsa, qualiter euenerint, percepisset: sicut etiam cùm dolores, & varia morborum genera interiores partes infestant. ideo etiam mortuorum corpora incidenda, eorumq; viscera scrutanda esse dictitabant, vt cùm dolor intus incidit, scire liceret quid doleat, quaq; parte singula viscera intestináue sita sint. nam aptiùs extrinsecus imponi remedia, vbi interiorum sedes, figura, & magnitudo comperta esset. Porrò experimenta quidem necessaria esse fatebantur, modò rationi non aduersarentur, & consilio quodam, iudicioq; adhiberentur: aliâs ipsa prodesse posse negabant. nam ad similia quoq;, sicut reliquæ

sectæ

sectæ transibant, sed alio atq; alio modo. atq; hæc tibi de illis sufficere arbitror. MATHETES, Cur Empirici naturalium rerum in medicina quæstionem comprehendi non posse dicebant? GER. Quia neq; inter sapientię professores, neq; inter medicos de ipsis conueniebant. nam si rationes sequi vellent, omnium, probabiles videri potuisse aiebant: si curationes, ab omnibus hisce ægros ad sanitatem esse perductos. Igitur à certis potius, & exploratis petendum esse præsidium, id est, ab his, quæ experientia in ipsis curationibus docuisset. nam etsi diuersa de illis sensissent, se eidem tamen sanitati homines restituisse: idq; non obscurarum caussarum, neq; naturalium noticia, sed experimentorum vsu, prout cuiq; responderunt, adiutos. Adhæc repertis iam olim medicinæ remedijs, homines de rationibus eorum disserere cœpisse: nec post rationem, medicinam esse inuentam, sed post inuentam medicinam, rationem esse quæsitam affirmabant. primò tamen remedia exploranda summa cura fuisse: nunc verò iam explorata, & si quod mali genus ignotum incideret, protinus videndum esse medico, cui morbo id proximum sit, tentandumq; remedia similia illis, quæ vicino malo sæpe succurrissent, & per eius similitudinem opem repertum iri, pronunciabant. MATHETES, Quid? dicebántne medicum consilio non egere? GERON, Nequaquam. sic enim animal irrationabile hanc artem præstare posset: sed has abditarum rerum coniecturas superuacuas esse. quia non intersit quid morbum faciat, sed quid tollat: neq; quomodo, sed quid optimè digeratur: nec ad rem pertinere, quomodo spiremus, sed quid grauem tardumq; spiritum expediat: neq; quid arterias moueat, sed quid quæq; motus genera significent. deniq; mortuorum corporum incisionem apertionemq; necessariam non esse dictitabant, cùm aliter plæraq; se in illis habere, quàm in viuis soleant. MATHET. Quid singulare docebant Methodici? GERON, Communium quorundam, & vulgarium contemplationem. hi namq; medicinam non longam, non difficilem, sicuti Hippocrates & alij: sed breuem facilemq; esse dicebant, & contendebant nullius morborũ causæ noticiam, vel partis affectę, vel temporis: vel regionis, in qua æger decumbit: vel eiusdem ætatis, virium, naturæ, habitus, consuetudinis: vel interiorum partium corporis humani rationem, ad curationes pertinere: sed communia quædam morborum intuenda esse. ideo etiam omnes affectus speciales, ad generales & communes redigebant, remediaq; illorum communia statuebant, quæ græcè κοινωτῆτας vocabant, quasi dicas communitates, hoc est, quæ vbiq;, & in pluribus morbis conuenirent. MATHETES, Quot morborum genera proponebant?

GE-

Empiricorum opiniones.

Methodicorum sententiæ.

Sicut olim Thessalus.

Methodicorum morborum genera tria.
Astrictum
Fluidum.
Mixtum.

GERON, Tria: vnum astrictum, alterum fluidum, tertium mixtum. nam modò ægros parum excernere, modò nimium: modò alia parte parum, alia nimium. MATHETES, Qualia eiusmodi morborum genera esse dicebant? GERON, Nunc acuta, nunc longa: quæ nunc increscere, nunc consistere, nunc minui consueuerant. MATHETES, Quomodo autem agendum esse ijs cognitis censebant? GERON, Si corpus astringeretur, digerendum esse: si profluuio laboraret, continendum: si mixtum (vt si inflammatio simul cum defluxione oculum infestaret) occurrendum subinde vehementiori malo: & aliter acutis morbis medendum, aliter vetustis, aliter increscentibus, aliter subsistentibus, aliter iam ad sanitatem inclinantibus. Dissentiebant autem Methodici ab alijs sectis, singulis iam commemoratis, à Rationalibus sanè eo nomine, quòd medicinam in rerum abditarum coniectura ponerent: ab Empiricis autem eo, quòd obseruationi experimentorum nimium tribuerent, multaque circumspicerent: ipsi tantùm facillima, & plusquàm vulgaria persequerentur. ab vtrisque simul, quòd ex communibus curationem peterent, caussis omnium reiectis, auxiliaque vsu comperta in symptomatum concursu obseruarent.

In quibus Methodici ab alijs duabus sectis dissentiant.

MATHETES, Nullíne olim professores extabant, qui sententiam suam interponerent, quidque in vnaquaque secta vero proximum, quid rursus ab eo alienum esset, ostenderent: & num vnius professio per se satis præstare posset, an alterius quoque auxilium requireret? GERON, Indubiè extabant excellentes viri, qui trium istarum sectarum opinioni non prorsus addicti essent, neque ab illis nimiùm abhorrerent, sed quodammodo medij inter illos existerent, sic vt modò his, modò illis, vel suffragarētur, vel aduersarentur. Rationalibus quidem in hoc repugnabant, quòd cùm eius rei, cuius non est certa noticia, opinio certum reperire remedium non posset, superuacaneum esse dicerent, causas inquirere, quæ vel secundam valetudinem præstent, vel morbos excitent, quomodoque spiritus trahatur, vel cibus digeratur. nam has vel sapientiæ professores non scientia comprehendere, sed coniectura, quæ incerta & dubia est, persequi solere. deinde quòd etiamsi ipsas certò cognoscere liceret: tamen ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre, quàm experientiam. In illo rursus aliquantum assentiebantur, quòd faterentur, illos non frustrà omnino naturales causas istas introduxisse. nam multa esse, quæ licet ad ipsas artes propriè non pertineant, tamen adiuuent excitando artificis ingenium. adhęc naturę rerum contemplationem, etsi medicum non faciat aptiorem, tamen medicinę reddere profectum: eaque de causa etiam Hippocratem, aliosque antiquiores viros non conten-

Medij inter sectatores prædicti.

tos febres & vlcera agitare, sed rerum quoq; naturam ex aliqua parte scrutatos fuisse: vnde quidem non medici, sed maiores medici extiterunt. Sic ratione, etsi non inter obscuras causas, neq; inter naturales actiones referetur, tamen sępius opus esse ipsi medicinæ fatebantur. quia hæc ars esset coniecturalis, cui sæpe non solùm coniectura, sed etiam experientia minus respondeat: illamq; requiri, si nouum morbi genus inciderit, vt intelligatur, quo medicamento inter multa similia & morborum, & remediorum genera, vtēdum sit. MATHETES, In qua alia opinione Rationalibus accedere quodammodo videbantur? GERON, Qua putabant, etsi non referret, quę ęgri esset natura: humidum magis, an magis siccum corpus eius existeret: validi nerui, an infirmi: frequens aduersa valetudo, an rara: manifestis, an abditis causis morbos æstimarent: peterentq; fatigatio, an sitis, an frigus, an calor, an vigilia, an fames, an cibi viniq; abundantia, an intemperantia libidinis, illos fecerit: non tamen ignorari debere, quod æger vitæ genus sit secutus: ex his enim similibus sæpe nouam curandi rationem ducendam esse. MATHETES, In quibus veteres illi sectarum censores cum Methodicis, aut cōtra illos sentiebant? GERON, In nullis, aut certè admodum paucis. Nam dum Methodici in omnibus & morbis & remediis, communia spectanda esse docerent, hi sola illa non posse sufficere, nec ipsos intra professionem suam consistere posse, sed alia quoq; opus habere aiebant: debereq; vetustissimum Hippocratem imitari, qui tum communia, tum propria intuenda esse præceperit. siquidem & compressorum, & fluentium morborum genera diuersa esse, faciliusq; id in his quæ fluunt, inspici posse. aliud enim esse sanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere: aliud deiectionibus, aliud torminibus laborare: aliud sudore digeri: aliud tabe consumi. atq; in partes quoq; humorem erumpere, vt in oculos, auresq;: quo periculo nullum humanum membrum vacat. nihil autem horum sic, vt aliud curari. Ita protinus in his à communi fluentis mali contemplatione, ad propriam veteres medicos descendisse: atq; in hac quoq; rursus, aliam proprietatis noticiam sæpe necessariam esse. quia non eadem omnibus etiam in similibus casibus opitulantur. Etsi verò certæ quædam res sint, quæ in pluribus aut astringant, aut resoluant: inueniri tamen, in quibus aliter atq; in cæteris idem eueniat. In his ergo communium inspectionem contrariam esse, propriorum autem salutarem: & causæ quoq; æstimationem sæpe morbum soluere. necnon etiam proprium aliquid & loci, & temporis istis quoq; auctoribus existere, quod hoc, aut illud, vel admittendum, vel vitandum esse suadeat. præterea morborum in

In quibus Methodici cum Rationalibus consentiant.

In quibus sectarum censores cum methodicis, aut contra illos sentiant.

Hippocratis sententia.

iisdem

iisdem hominibus alias atque alias proprietates esse, & eum qui secundis aliquando frustrà curatus fuerit, contrariis sæpe restitui. Haud pauca quoque in dando cibo discrimina reperiri. nam famem faciliùs ferre adolescentem, quàm puerum: faciliùs in denso cibo, quàm in tenui: faciliùs in hyeme, quàm æstate: faciliùs vno cibo, quàm prandio assuetum: faciliùs inexercitatum, quàm exercitatum hominem sustinere.

Famem qui faciliùs ferant.

MATHETES, Satis superque de sectis istis disputasti, quam tu optimam esse iudicas? GERON, Eam, in qua tum abditarum, tum euidentium causarum cognitioni, morborumque & remediorum non modò communium, sed etiam pro priorum obseruationi iuncta est experientia. hæc enim sine illis, & illæ sine hac nihil magni præstare possunt, eò quòd vnaquæque aliarum poscat opem, & citra mutuum auxilium, trunca sit atque debilis.

Quæ optima sit secta.

MATHET. Audiui iam quidnam sit medicina, quæ ipsius origo, qui auctores, & quot profitentium eam sectæ extiterint, nunc illis omissis, reliqua ordine, quem nuper promisisti, aggrediaris. GERON, Id faciam, vbi ostendero quotnam medicinæ partes existant. MATHETES, Libenter audiero. GERON, Prima comprehendit hominis naturam, hoc est elementa, eorumque temperationes, ex quibus ille in vtero gignitur, & formatur, nec non interiores exterioresque partes, & ipsarum situs, figuram & vsum. Atque ideo recentiores Græci, commune ei nomen φυσιολογίας indiderunt. Secunda causas morbos continentes, morbosque ipsos, & accidentia continet: vnde etiam græcè αἰτιολογία, vel παθολογία appellata est. Tertia sanitatis tuendæ, & ne corpora in morbos incidant, vbi autem inciderint, quomodo ad meliorem statum reducantur, rationem indicat, vnde græcè ὑγιεινὴ vocatur. Quarta notas & signa, quibus morbi dignoscuntur, præsagiaque capiuntur, exponit: hinc σημειωτικὴ dicitur. Postrema medendi rationem præscribit, vocaturque ab omnibus, tum antiquis, tum recentioribus Græcis θεραπευτικὴ.

Medicinæ partes quot.

Naturæ contemplatio.

Causarum, & morborum consideratio.

Sanitas ex quibus constet.

Notarum & signorum, quibus morbi dignoscuntur, explicatio.

Curandi ratio.

Melius Galenus in libello de constituenda medicina partes has enumerat. Nam primo loco, de natura hominis, eiusque partibus & harum functionibus agit: deinde morborum genera, causas & symptomata recenset. hinc notas illorum, & præsagia enumerat, ac loco σημειωτικῆς ponit προγνωστικὴν: postea medēdi rationem: nouissimè, quomodo corpus à morbis asserendum, aut cum à morbo conualescit, recreandum, aut in sanitate, qua iam fruitur, conseruādum sit. Atque ex his tribus valetudinis bonæ tuendæ partibus, vnam προφυλακτικὴν, alteram ἀναληπτικὴν, postremam ὑγιεινὴν appellant.

Medicinæ partitio secundum Galenum.

MATHETES, Ista sanè ordinem illum compositorium, quo omnes artes tradi indicasti, compendio quodam repræsentare videntur, nec parum me iuuabunt, in

iis re-

ijs retinendis,quę mihi deinceps es declaraturus:tu si placet nunc institutum persequere. GERON, Auspicabimur itaq; ab hominis naturæ cognitione, paulò altiùs: quoniam nec in sanis bonam tueri valetudinem, nec in ægris morbi originem ac causam cognoscere,nec signis quippiam deprehendere,nec curationem rectè moliri posis,ignorans ex quibus homo principijs ac elementis constet, & quomodo his à naturali statu, quem prius obtinebant, mutatis, morbi nascantur. MATHETES, Quid vocas principia? GERON, Quæ nuper elementa: nam horum appellationibus etiam in illis veteres vsi sunt, nullamq; ferè distinctionem amborum esse putarunt. quanquam si vtraq; propriè & accuratè consideremus, res sunt paulùm inter se differentes. Principia enim totius rerum vniuersitatis, nec ex se vicissim, nec ex alijs sunt, nec rebus quæ ex illis suam trahunt originem, genere conueniunt: vt materia primaria, ac sempiterna, quam Græci ὕλην nuncuparunt, & principes qualitates, calor, frigus, humor, & siccitas,illi coniunctæ, naturaq; insitæ. Elementa autem sunt verè & naturaliter minimę, atq; simplicissimæ, cuiusq; rei partes, quæ non sensu, sed ratione, & intellectu percipi possunt, ex simplicioribus quàm ipsæ sunt,generatæ, eoq; in diuersas species diuidi nequeunt:sed genere prorsus illis respondent,vt terra,aqua, aër,ignis:vel vt Hippocrates ait,humidum, siccum, calidum,frigidum. MATHETES, Quibus, qualibus, & quot humana natura constat? GERON, His ipsis,non tamen puris, ac sinceris,sed inuicem mixtis, concretis, & ad temperaturam quandam redactis. MATHETES, Cur dicis hominem ex elemētis posse conflari,quorum naturæ non sint sincerę? GERON,Quia omnia elementa,quę apud nos extant, etsi impura sint, tamen sinceris, ex quibus ipsa prouenerunt,proximè accedunt.Nam illa ex puris,veluti imperfecta ex perfectis oriuntur. MATHETES, Eodem ne loco pura & impura consistunt? GERON, Minimè gentium. sed illa ab his seorsum remota sunt: ac terra quidem simplicissima, grauissima, siccissimaq;, & omnis humoris expers, ad mediam vniuersitatis sedem: ignis aliâs leuissimus, & ardentissimus, ad concauam cœli,interioremq; regionem situs est, licet is non adeò pellucidus, neq; perspicuus,vt noster appareat. MATHETES, Qua de causa? GERON, Eò quòd nihil solidi ei sit admixtum. MATHET. Seruánt ne elementa formas suas, quando in rerum generatione commiscentur? GERON, Nimirum.non enim idem in ipsorum commixtione, quod in simplici rerum transmutatione accidit. quippe in hac,cùm recens aliqua forma subiectæ materiæ imprimitur,vetus aboletur:cùm autem res noua ex elementorum tem-

Principia & elementa rerum omnium.

Hominis elementa.

Cur homo ex impuris elementis.

Pura & impura elementa an eodem in loco sita.

Formæ elementorum an in rerum generatione seruentur.

Commixtio & transmutatio differunt.

peratione efficitur, tunc formæ illorum perſeuerant. MATHET. Id exemplo clarius reddas. GERON, Cùm herba ex elementis concretis gignitur, eſſentiæ horum retinentur: cùm verò illa per concoctionem in ſanguinem, & tandem in carnem degenerat, quamuis prior herbæ forma, noua naſcente intercidat, tamen elementorum formæ non abolentur, ſed ſtabiles & firmæ permanent, quouſque vlla compoſiti ratio conſtabit, licet non vna & perpetua commixtionis proportione. Idem princeps Hippocrates

» ſentire videtur, dum ſcribit: καὶ πάλιν γε ἀνάγκη ἀποχορέειν ἕκαστον εἰς τὴν
» ἑαυτοῦ φύσιν τελευτῶντος τοῦ σώματος τοῦ ἀνθρώπου τό τε ὑγρὸν πρὸς τὸ ὑγρὸν, καὶ τὸ
» ξηρὸν πρὸς τὸ ξηρὸν, καὶ τὸ θέρμον πρὸς τὸ θέρμον, καὶ τὸ ψυχρὸν πρὸς τὸ ψυχρόν.

Similia ad ſimilia reuertuntur.

quæ verba ita latinè ſonant: Et ſingula corporis humani, cùm vita defungitur, ad ſuam rurſus naturam recedere oportet, humidum ad humidum, ſiccum ad ſiccum, calidum ad calidum, & frigidum ad frigidum. MATHETES, Explica hęc apertius? GERON, Singula quæ gignendi gratia coierunt, talem in corpore vim retinent, qualem contulerunt. atque omnia per interitum eò, vnde prodierunt, reuertuntur, quod fieri non poſſet, niſi priſtinas illa naturas retinerent. MATHETES, Quę amâbo rectè inuicem per-

Permiſtio recta.

miſceri poſſunt? GERON, Quæ ſibi mutuò aduerſantur, & contrarias in communi materia qualitates obtinent. MATHETES,

Quomodo fieri debeat.

Quomodo autem miſcentur? GERON, Si paribus ferè portionibus commixta, temperataque coëant. Tunc enim totæ illorum eſſentiæ mutua aduerſariarũ qualitatum vi & effectione franguntur, comminuunturque. Sic etiam qualitates temperatione confuſæ, omnino ſe retundunt, vt corpora illa tandem neque eſſentias, neque qualitates puras ac integras retineant. MATHETES, Quid? hę ne diſsipatæ abolentur? GERON, Nequaquam, ſed repreſſo duntaxat exceſſu ad moderationem, mediocritatemque reducuntur. MATHETES, Hoc igitur pacto mixtio perfectè fieri poteſt, quam tu contrariorum in vnum idemque concretionem dixiſti? GERON, Poteſt. non tamen aquam aquæ, aut vinum vino ſimili infuſum permiſceri dico: quia licet eſſentiæ in totum quodammodo perfundantur, manent tamen illa integra. MATHETES, Ergo ex contrarijs tantùm commixtio fieri ſolet? GERON, Proculdubio, prę-ſertim ſi paribus illa viribus quodammodo concurrant. Nam ſi reliqua inter ſe coëant, hoc autem poſtremum deſit, non vtique mixtio, ſed procreatio dicenda erit. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia ibi contrariorum vires valde ſunt impares, id quod inferius, & imbecillius eſt, à maiore & valentiore ſuperatum, eò adigitur, vt in illius naturam tranſeat. Ideo etiam aliud eſt miſcere, aliud gignere; hoc cõmixtio, illud generatio exiſtit. MATHET. Intelli-

Intelligo, quæ hactenus elementa enumeraſti, omnibus quæ in hoc mundi orbe continentur, eſſe communia: dic nunc etiam, quæ magis ei ſunt propinqua? GERON, Illa indubiè, ex quibus reliquæ etiam animantes ſanguine prędite generantur: priſci vocant humores: quorum princeps ſanguis eſt: cuius nomine etiam comprehenditur, reliqui, pituita, bilis flaua, & bilis nigra, de quibus poſtea copioſius tractabimus. MATHET. Quę propria hominis ſunt elementa? GERON, Minimæ ſanè partes ſimplices, quas nonnulli appellant ſimilares, eò quòd ſi diuidantur, per omnia ſibi ſint ſimiles: deinde etiam compoſitæ, vt mox audies. MATHET. Cur plura quàm vnum hominis elementum ſtatuiſti? GERON, Quia homo ſi ex vno conſtaret elemento, nunquam doleret. neque enim eſſet, vnde dolorem perciperet, ut Hippocratis verbis vtar. nam vnum in aliud mutari nequit, cùm non habeat in quod tranſmutetur. At quod nequit mutari, id neque commutari, neque affici poterit: quod autem affici non poteſt, id vacat dolore. MATHET. Vnde igitur dolor fit? GERON, Ex commutatione & ſenſu. MATHETES, Ex quibus commutatio & ſenſus? GERON, Ex primarijs qualitatibus. MATHETES, Declares oro apertiùs, cur id quod non afficitur, doloris expers cenſeatur? GERON, Qui vnum elementum homini tribuunt, ſiue atomos, ſiue corpus incompactum, minimum, & quod partitionem non admittat, appellare malint, nullas id qualitates cùm alias, tùm quæ per totam eſſentiam transfunduntur, naturà obtinere affirmant, eoque nec commutationibus ſubijci, quas omnes homines in ſe fieri aſſentiuntur. Dicunt, inquam, elementum ipſorum neque calefieri, neque refrigerari, neque exiccari, neque humectari: multò autem minus, vel nigritiem, vel albedinem, vel aliam quandam omnino qualitatem, ſecundum vllam mutationem ſuſcipere. MATHETES, Quid audio, itáne elementis ſuis omnem adimunt qualitatem? GERON, Exiſtimant ſanè aliquid in homine frigidum, calidum, humidum ſiccum, flauum, rubrum, nigrum, amarum, ſimiliaque videri, reipſa autem & natura tale non eſſe. MATHETES, Mirum quòd non animaduertunt, hominem, ſi tali natura præditus eſſet, dolere non poſſe. GERON, Rectè ſentis. nam quod dolore affici debet, hæc duo requirit, nempe vt commutari & ſentire poſſit. Nam ſi nullam omnino commutationem admiſerit, eum quem ab initio obtinebat habitum, perpetuò ſeruaret. ſin autem doleat, commutationem experitur, eoque priorem ſtatum retinere non poteſt. At ſi inſtar lapidum, aut lignorum, quæ calefiunt, aut refrigerantur, ſecanturque, tranſmutentur, nullo autem ſenſu polleant, affectionem quæ ipſis ineſt, non magis quàm lapides ſentient. Indiuidua enim

Elementa hominis propria.

Ἀλλοίωσις; *Commutatio, & immutatio, vulgò alteratio.*

Quod non afficitur, doloris expers eſt.

Opinio eorum, qui vnum elementum ſtatuunt.

Commutatio, & ſenſus dolorem pariunt.

Confutatio eorum, qui vnum elementum ſtatuunt.

corpuscula, quæ illi, pro elementis affirmant, neq; commutari, neq; sentire natura possunt. Quia igitur homo ex commutatione & sensu dolorem sustinet, non potest ex eiusmodi simplici, atq; vniformi elemento constare. MATHETES, Id exemplis quæso clariùs ostendas. GERON, Si cutem acu subtilissima pupugeris, animal omnino dolebit: continget autem acus atomum, vel vnam, vel duas, vel plures. fingamus autem vnam contingere: at nulla atomus, aut vulnerari, aut sentire poterit: nihil itaq; ab acu afficietur: & si maximè afficiatur, non sentiet affectum. Eodem modo habet, si acus duas atomos contingat. si enim neutra ab acu vulneretur, vel si vulneretur, id neq; sentiat, certè sensus & doloris expers erit, qui vulnerabitur. Eadem ratio est, si tres atomos acu tetigeris, quæ in vna fuit: quippe non maior in pluribus, quàm in paucis occasio affectus & sensus excitandi apparet, sicut in lapidibus, ossibus, pilis, & id genus aliis constat. Etenim nihil quod sub sensum affectumq; cadit, ex his quæ sentire, & pati nequeunt, in vnum coëuntibus, potest componi. MATHET. Quomodo eiusmodi ἀξιώματα inueniuntur? GERON, Experientia, & ratione. hinc enim deprehendes, corpus quod sentit, afficiturq; ex sensus expertibus, & impatilibus nunquam componi. Nam siue adamantes plures, siue alia corpora, quæ pati nequeunt, congregaueris, eaq; vulnerare tentaueris, id quod ex illis generatur, neq; vulnus accipiet, neq; sentiet. Ego nanq; ita iudico, quòd si natiuum omnes atomi sensum haberent, vulnerari autem, atq; affici non possent, inde quòd complicentur inter se, carnem efficientes: neq; sic dolituras, si acus in illas demittatur. Quéadmodum enim, si duos digitos, licet sensiles, inuicem complicemus, nullus dolor comitatur, cùm rursus separãtur dissoluunturq;: ita, vbi acus separat atomos inuicem, ac seiungit, nullam autem vulnerat, animal nequaquam dolebit, id quod tum euidentia, tum ratio ipsa testatur. MATHETES, Quid si dicant atomorum patroni, ipsas sentire? GERON, Etsi etiam concedamus illis sensus, separatio tamen earum nullum dolorem parit, siue experientiam, siue rationem inspiciamus. quantò autem minus dolebunt, si ipsis sensum adimamus? Cùm enim dolor commutationem & sensum, vt nuper dixi, necessariò postulet, atomi verò neutrum habeant, rationi consentaneum est, etiamsi alterum ipsis adesse concedamus, doloris tamen expertes adhuc manebunt. adhæc si pati quidem eas non posse, vim autem sentiendi obtinere admittamus, nulla etiam sic ratione dolebunt. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia neq; afficientur: & si affici quidem eas, verùm sensu carere dixeris, non dolebunt, eò quòd neq; sentiant. quicquid enim

Exemplum.

Experientia & ratio rebus demonstrandis necessaria.

Dolor ex quibus fiat.

enim dolet, tum affici, tum ſentire affectum oportet. MATHETES, Quid hinc tandem colligis? GERON, Nullum corpus, quod ex affectus ſenſusq; expertibus elementis conſtat, ſentire. item nullum, quod ex impatibilibus quidem, ſenſu autem prȩditis conflatum eſt, dolere vnquam: eò quod minimè afficiatur. Nam ſentiendi quidem facultatem habet, reuera autem nunquam ſentiet: quemadmodum & corpus humanum vim quidem ſentiendi obtinet, non autem prius ſentit, quàm ab aliquo afficiatur. MATHETES, Ex qualibus igitur elementis corpus ſenſorium componi debet? GERON, Ex eiuſmodi ſanè, quæ ſentire & affici poſſunt, vel quæ afficiuntur quidem, non autem ſentiunt. MATHETES. Primam ſanè opinionem, vt rationi conſentaneam accipio, alteram verò non aſſequor. Mirum enim videtur, quod corpus dolori obnoxium ex elementis ſenſu vacuis, etſi affici poſsint, generetur: cùm anteà dixeris, dolorem ex commutatione & ſenſu euenire. GERON, Omnes particulȩ corporum ſenſilium, ſi inquirere naturam ipſarum, & ratione ſcrutari velis, ſentiunt & afficiuntur, quemadmodum ſuprà oſtendi. Si verò prima elementa inſpicias, ſtatuasq; ſenſu quidem carere, variè autem in priuatis multis commutationibus inuicem agere, atq; affici poſſe, corpus ſenſorium producere non eſt alienum. Omnis enim quæ ex pluribus fit compoſitio, ſi ea quæ componuntur, talia ſemper, qualia ſunt ab initio, ſeruauerit, nullam extrinſecus nouam ſpeciem aſſumet, quæ non anteà ijs, quæ componuntur, affuerit. Sin autem hæc variè tranſmutentur, ac multifariàm commutentur, aliud quoddam ſecundum genus, quod prima eius elementa non habuerint, exoriri poterit. MATHETES, Hoc precor exemplo clariùs mihi oſtendas. GERON, Domus quȩ ex lapidibus, lateribus, lignis, & tegulis exædificatur, nihil genere diuerſum, quod non particulis inſit, quæ illam conſtituunt, acquirit. Quæ enim durities, color, grauitas, figura, & magnitudo in ſingulis illis cernebatur, in toto quoq; ædificio apparet. Id autem intercedit diſcriminis, quòd non ad amuſſim eadem tum figura, tum magnitudo in domo conſpiciatur, quæ in ſingulis eius partibus primò fuit. MATHETES, Quid ita? GERON, Quia hoc non quærimus, vtrùm domus maior ſit, an lateres, vel illa quidem oblonga, lateres autem quadrati exiſtant. verùm an propterea & magnitudinem, & figuram participet, quòd hæc particulis eius, quæ illam conſtituunt, inſint. Quis enim non nouit, quòd linea, quæ ab vno angulo ad alium pertingit, figuram quadratam diuidat, & quòd ex illis duobus triangulis coëuntibus, vna figura quadrata perficiatur. adhæc quòd tum triangulus, tum quadratum, etſi non omnino

Dolor ex affectu & ſenſu.

Corpus ſenſile ex qualibus elementis.

Noua forma quando aſſumatur.

Exemplum à domo.

eædem, non tamen diuersi generis figuræ existant. quinetiam duo semicirculi simul iuncti, totum absoluunt circulum. quare aliud ex alio fieri potest, non autem diuersi generis. nam figuræ figuras efficiunt, & minores magnitudines maiores: non autem figuræ pariunt magnitudines, neque hæ figuras. MATHETES, Quorsum hæc omnia attulisti? GERON, Vt intelligas ex elementis, quæ secundum qualitatem non transmutantur, nihil diuersi generis fieri posse: ex his autem quę transmutantur, posse. Quippe quod nuper nigrum fuit, nunc album: quod antea album, postea nigrum: quod olim sensus expers, iam sensile euadat. MATHETES,

Sensile corpus ex non sensili quomodo fiat.

Ergo putas corpus aliquod compositum ex igne, aëre, terra, & aqua, sensu carentibus sensorium fieri posse? GERON, Maximè: sed commutatis prius illis, nec non inuicem transmutatis, per totaque commixtis & temperatis. nam si remanent, qualia fuere, & solummodo, vti frumenta in aceruo, miscentur, nequaquam sensile, & dolori obnoxium progenerant. MATHETES, Quare mihi

Corpus sensile ex qualibus elementis fieri oporteat.

consentaneum ijs, quæ hactenus dixisti, videtur, corpus sensus compos non posse ex alijs elementis fieri, quàm quæ sentiant, & afficiantur, aut ex sensu quidem vacuis, sed quę commutari transmutarique adeò possint, vt quod ex ipsis generatur, fiat sensile. GERON, Rectè quidem colligis, verùm hoc etiam ex ista complexione sequetur, necessariò plura vno esse elementa, eaque posse affici & sentire, vel si ipsa non sentiant, certè id quod componunt, varia sua commutatione, mutationeque sensorium efficere. quòd si verò corpus inde conditum, tum sentiat, tum afficiatur, profectò dolori erit obnoxium: sin autem dolori, etiam voluptati subijcietur. Adhæc memoriam, recordationem, imaginationem, obtinebit, vt quorum omnium veluti radix ac fons quidam sensus existat. Si nihil horum habuerit, neque vllam aliam actionem animalem,

Demonstratio, elementa plura esse specie ex euidenti, nempe ex varijs morbis, & eorum remedijs.

neque animam ipsam habere poterit. Quinetiam ex euidenti licet intelligere, plura specie esse elementa, si consideres quàm varij morbi hominem soleant inuadere, quamque diuersa illis adhibeantur remedia. Quippe alius calidis, alius frigidis: quidam siccantibus, quidam humectantibus: hic dulcibus, ille acerbis: nonnulli astringentibus aluum, nonnulli relaxantibus: non pauci cutem densantibus, plurimi adaperientibus consanuerunt. Sin autem ex vno factus elemento homo doleat, certè vna quoque sanandi ratio apparet: sed multæ, & differentes curandi viæ existunt: non igitur vnum specie duntaxat elementum hominis esse potest. multò minus numero, vt illi putabant, qui hominem in totum, aut aërem, aut ignem, aut aquam, aut terram esse statuerunt, ignorantes se transmutationem elementorum potius, quàm vnum elemen-

elementum aſſeuerare. Eodem errore tenentur, qui hominem ſolum ſanguinem eſſe, aut bilem, aut pituitam, exiſtimant. nam nemo vnquam in purgationibus immoderatis, ex ſola bile, aut pituita purgata mortuus eſt: nec vllum anni tempus eſt, in quo vel ſola pituita, vel bilis, vel ſanguis in corpore humano appareat. MATHETES, Abundè ſatis, plura vno, aut ſpecie, aut numero eſſe elementa, demonſtraſti, ſiue indiuidua, ſiue incompactibilia corpuſcula, ſiue ignem, uel aërem, vel aquam, vel terram priuatim, ſiue ſingulos humores, aut bilem, aut pituitam, aut ſanguinem, corpus humanum illi conſtituant. ſed quomodo homo ex primis illis mundi elementis generetur, nondũ intelligo. GERON, Non ex ſolidis tantùm corporibus elementorum, ſed etiam qualitatibus eorum coniunctis generatur. nec his quidem puris & integris, vt dixi, verùm inuicem commixtis & temperatis, qualia in omni rerum humanarum materia habentur. Commiſcentur autem ipſa non æqualiter inter ſe, ſed hæc maiore, illa minore portione: atq; exuperantis elementi ſpecies in iſta mixtione, ab ingenioſis & induſtrijs deprehenditur. Cùm enim aliquid frigidum, ſiccum, & denſum apparet, plus terræ quàm aliorum elementorum accepiſſe colligimus: vbi humidum, rarum, & fuſile, plus aquæ: ſicut plurimus calor in corpore animalis, ignem copioſum adeſſe ſignificat: & ſpiritus natura, ſine qua animus conſtare nequit, aërem quidem potiſsimùm, ignem verò ſimul cum eo ineſſe oſtendit. neq; terram ipſam per ſe, ac meram in corpore animantis inuenias, neq; aliquid impermixtum. imò neq; in mundo ſinceram terram videre licet, quæ non aliorum elementorum etiam ſit particeps. idem quoq; de aqua, aëre, & igne ſentiendum. MATHETES, Audio ex illis inuicem temperatis hominem conſtare: ſed cùm nihil illis etiam ſinceris ſimile in corpore videam, vix vt credam, poſſum perſuaderi. GERON, Conſiderato triticum, hordeum, glandes, ficus, legumina, & arborum fructus, ex aqua & terra quidem procreari, ſed quibus aëris & ignis eſſentia miſceatur. Nam ſi terram aquæ adiungas, nihil aliud præter lutum efficies. ſingula autem legumina, & arborum fructus, nequaquam lutum exiſtunt. quare etiam ignem & aërem participant, quæ per ſe inuicem temperentur. MATHETES, Glandes ſanè, ficus, arborumq; fructus, & inprimis ſtirpes, ex mundi huius elementis ita oriri non dubito, cùm paruum cuiuſq; ſemen terræ mandari videam, quod ne milleſimam quidem partem totius plantę repręſentat: ſed qua ratione homo inde gignatur, nondum aſſequor. GERON, Perpendito animalia ex illis nutriri. quippe boues, oueſq; herbis, ſues tum his, tum glandibus etiam, capræ verò præ-

Contra eos, qui ſolum ſanguinem aut alium humorem hominis elementum eſſe putant.

Homo ex ſolidis elementis & eorum qualitatibus conſtat, ſed non æquali inter ſe portione.

Elementi exuperantis ſpecies, ab ingenioſis deprehendi poteſt.

Animus ſine ſpiritus natura conſtare nequit.

Nullum elementum purum in mundo apparet.

Elementa omnia inuicem miſcentur.

Homo qua ratione ex elementis gignatur.

terea teneris arborum surculis pascuntur. atq; ex his sanguis illorum generatur, corpus nutritur, conceptus formantur, augenturq́;. Cùm itaq; homo ex huiusmodi & similibus bestijs sumat alimentum, non certè alia ex re quapiam, quàm ex elementis etiam modò commemoratis, originis suæ principium, incrementum, vel præsens nutrimentum habere potest. Siquidem primùm legumina ac fructus, deinde animalia ex his generantur, pascuntur, augenturq́;. nec ex solis corporibus, igne, aëre, aqua, & terra, sed etiam ex illorum qualitatibus ipsis coniunctis creantur: quarum ratione inuicem agunt, patiunturq́;. MATHETES, Qua de causa? GERON, Quia omnia, quæ oriuntur & intereunt, duabus potissimùm mutationibus subijciuntur. MATHETES, Quibúsnam? GERON, Commutationi simul, & fluori essentiæ. Commutantur quidem dum refrigerantur, calefiunt, exiccantur, & humectantur. nam hæ solæ qualitates totam prorsus mutant essentiam: fluunt autem tum per sensiles excretiones, tum per latentem perspiratum. Quare vt corporis essentia conseruetur, duplici quoq; instauratione eget: altera quæ exuperantes reprimat qualitates: altera quæ locum inanitum repleat. At quæ excessum coercet qualitas, excedenti est contraria: quæ verò defectum supplet, non contraria, sed potius essentię quæ defluxit, simillima esse debet, vt cuius vicem in animali obtinere cogatur. hæc autem nutricio fit ex materia quadam simili ei, quæ prius fuerat, euacuata, vnde ipsa alimentum nominatur. At quæ essentiam pro qualitatis ratione commutant, non alimenta, sed medicinæ vocantur. MATHETES, Súntne aliquæ essentiæ qualitatum expertes? GERON, Nullæ prorsus. idcirco vbi necessitas vrget, illas cum essentijs adhibere cogimur: & quando summa qualitas requiritur, ipsum elementum, nempe ignem, aut aërem, aut aquam, aut terram offerimus: quando autem mediocris desideratur, mistum aliquod ex elementis applicamus: verbi gratia, vbi calefacere cogitamus, talem deligimus medicinam, in qua maior sit ignis, quàm contrarij elementi portio: vbi verò refrigerare, contrà: vbi vtrunq; tum commutare, tum nutrire studemus, eiusmodi materiam quærimus, quæ & medicinæ, & alimenti vsum præbeat. MATHETES, Intelligo nunc quatuor hæc elementa, ignem, aërem, aquam, & terram ex materia & qualitatibus, veluti omnium rerum primordijs, prouenire. ex elementis herbas, stirpes, ac fructus omnes generari: ex his rursus animalium cibos: ex his ipsis deinde humores: ex his postea singulas partes similares: ex his tandem inuicem iunctis, primum ac simplex instrumentum, quod ob vnam operationem à natura est conditum: ex his rursus simpli-

Ortus & interitus commutationi, & fluori essentiæ subijciuntur.

Qualitates essentiam mutantes quæ.

Alimentū quid.

Medicinæ quæ vocentur.

Ordo generationis à primis elementis, vsque ad integram hominis structuram.

simplicibus in vnum compositis, alterum maius instrumentum. atq; ex his nouissimè inter se connexis, vniuersi corporis structuram conflari ac constitui. Porrò qualitates elementorum efficientes, etiam totidem existunt, quot ipsa quoq; sunt elementa, nempe calida, frigida, humida & sicca. sed cur Hippocrates elementa calidum, frigidum, siccum & humidum, qualitatum harum nomine appellarit, nondum intelligo. GERON, Quia per has facta sunt elementa. nam si materiæ summus calor, aut frigus, aut humor, aut siccitas adiuncta fuerit, iam totum corpus est elementum. neq; enim quia flauum, vel nigrum, vel album sit, vel leue, vel graue: nec quia densum, aut laxum, aut rarum: nec quia premat, vel incidat, vel frangat: neq;, vt summatim dicam, quia per aliam quampiam qualitatem agat, elementum esse iudicatur. solæ namq; effectrices qualitates elementa testantur, prçsertim primæ inter se contrariæ. Atq; in his magis calor, qui omnium longè est efficacissimus: post hunc frigus: deinde humor: postremò siccitas. atq; ideo totam, cui adhærent, essentiam commutant: calor quidem & frigus subitò: humor autem & siccitas, temporis spacio, ac paulatim. In summa causæ sunt, cur elementa inuicem transmutentur, & plantas, animaliaq; procreent. MATHETES, Nullane alia qualitas patientem essentiam, in totum immutare potest? GERON, Nulla prorsus. neq; enim si graue leui, neq; si leue graui, neq; si asperum leui, vel si rarum denso, vel si tenue crasso coniunctum sit, vnam essentiæ speciem in alteram transferre consueuit. MATHETES, Quid de molli, viscoso, duro, & friabili sentis? GERON, Priora duo, ad humidorum naturam pertinent: reliqua ad sicca referuntur. MATHETES, Quæ aliæ præter has tactiles qualitates existunt? GERON, Nullæ: quòd autem visoriæ, auditoriæ, gustatoriæ, vel odoratoriæ qualitates, materiæ commutationes non sequantur, cuiuis est manifestum. Sunt enim hæ quoq; ex tactilium genere: differunt autem ab illis, quæ propriè tactiles nominantur: quoniam neq; in omnibus animalium generibus inueniuntur, neq; totas subiectas materias commutant. MATHETES, Quæ sunt autem visoriæ? GERON, Versantur in coloribus, albedine, nigredine, rubore & similibus. MATHETES, Quæ sunt auditoriæ? GERON, Soni graues, acuti, medij. MATHETES, Quæ saporum? GERON, Astringens, austera, acerba, amara, salsa, acris, acida, dulcis, & pinguis. MATHETES, Quænam sunt odoratrices? GERON, Saporibus respondent, sed non habent speciei nomina. odorum verò differentia, fragantia, & fœtore potissimùm comprehenditur. MATHETES, Consentaneum igitur illis videtur, quæ hactenus docuisti, vt tactiles quidem qualitates, non-

Qualitates primæ quatuor.

Qualitates effectrices solæ elementa testantur.

Qualitates summæ efficatia inter se differunt.

Qualitates secundæ quid possint.

Tactiles qualitates duplices.

Visoriæ.

Auditoriæ.

Gustatoriæ.

Odoratrices.

nonnullorum duntaxat animalium propriæ: quæ verò totam commutant eſſentiam, atq; tranſmutant, primæ naturæ, & omnium rerum communes, elementorumq; effectrices exiſtunt. GERON, Ita habet. calor enim, frigus, humor, & ſiccitas, non modò quamlibet materiam, cui ſubiectæ ſunt, procreant: ſed etiam mutuò in ſe agunt.

Elementa ſanguineorum elementa humores.

Hominis propria ſimilares.

MATHETES, Cur autem propria elementa animalium ſanguine præditorum, non ſolùm hominis, humores illos quatuor eſſe: ſimilares autem partes hominis tantùm ſtatuiſti, cùm & illę in alijs quibusdam animalibus inueniãtur? GERON, Humores ſanè iſti in omnibus ſanguineis animantibus cernuntur, eorumq; ſunt proxima & propria elementa. ſimilares autem partes, propriæ hominis dicuntur. quia etſi in alijs quoq; animalibus habeantur, non tamen omnes humanis ſimiles exiſtunt. quædam etiam alterius generis ſunt, vti vngulæ, cornua, aculei, roſtra, ſquamæ.

Cur humores hominis elementa dicantur.

MATHETES, Qua ratione humores hominis elementa dicuntur, cùm illos ex ſanguine tantùm menſtruo, originem habere audiam? GERON, Is quatuor in ſe humores continet, vnde omnes deinde particulæ gignuntur. caro quidem & neruus ſimilares ſunt, ſed illa ſanguinea, calida, & mollis: hic autem exanguis, durus, & frigidus: neutra tamen integrè, & abſolutè talis eſt. quid opus eſt verbis? duræ partes ex craſsiore ſanguinis portione, molles ex humidiore, ſic calidiores ex calidiore, frigidiores ex frigidiore procreantur.

Fœtus quomodo per initia formetur.

atq; ſic fœtus ſtatim ab initio formatur, ſingulæq; partes, ſequenti tempore ex propria, & familiari materia aluntur, augenturq;.

In ſanguine variæ partes.

MATHETES, Non putaui in ſanguine ipſo alios contineri humores. GERON, Lac quoq; vnum videtur, ſed reuera contrarijs & differentibus inter ſe partibus conſtat. vna ſiquidem eſt tenuis, & ſeroſa, quam Græci ὀῤῥὸν appellant: altera maximè caſeoſa & craſſa, quæ illis τυρὸς dicitur: ipſum verò lac, medium inter illas exiſtit.

Lactis partes.

ſic etiam in ſanguine, vna pars veluti ſanies illius, quę gręcè ἰχὼρ vocatur, ſero lactis reſpondet: altera ceu ſedimentum, & fex, caſeo ſimilis habetur. Quinetiam fibræ quædam ſanguini ineſſe cernuntur, quibus ablatis, ille non concreſcit, coloreq; & eſſentia differt.

Sanguinis color, quomodo variet.

Quidam enim ad amuſsim ruber apparet: quidam hoc magis flaueſcit: alius plus nigricat: alius album quiddam in ſummo reprę ſentat: interdum totus ſanguis liuidus apparet: ſæpe nigro proximus eſt, purpuræ ſaturatę modo. quare etiam vnum non eſt: alioqui ſimilis ſemper appareret. MATHETES, Quomodo varietas ipſius cognoſcitur? GERON, Ex colore totius corporis, vomitu, aluo, & venę inciſione. MATHETES, Id explices amabô. GERON, Cum totum corpus nigrius, cicatriceſq; in eo tales viſuntur, & venæ in cruribus varicoſæ

Quando sanguis niger & crassus appareat.

Flauus.

Ruber, & albus.

ricosæ simul & liuidæ apparent, crassus & niger humor abundat. cùm verò flauus color in corpore, pilis, vomitu, & aluo cernitur, nimirum bilis flaua superat: sicut etiam sanguis vel pituita excellere cognoscitur, si in illis rubeus, aut albus color appareat: id ex venarum incisione etiam per sanitatem facta confirmatur. siquidem ex alio flauus, ex alio ruber, ex hoc nigrior, ex illo albior effluit. Medicamenta idem testantur, si vnicuique humori purgando propria & idonea exhibeantur. quippe idem medicamentum non omni naturæ corporum, tum sanorum, tum ægrotantium conuenit. verbi causa: si quis regio morbo laborantibus, medicamentum bili ducendæ idoneum offerat, copiosam illam, tum flauam, tum pallidam expurgabit. contrà, si in eo aquę subter cutem genere, quod græcè λευκοφλεγματίας dicitur, medicamentum istud exhibere volueris, parum bilis educes: vti, si aliud pituitæ purgandæ efficax, arquato laborantibus præbeas, non modò nihil mentione dignum, sed etiam magno cum naturæ detrimento euacuabis: multum autem in hydropicis commemoratis, & sine noxa educes. Eadem ratione medicina atræ bili expurgandę idonea, in elephantico morbo, & plurimùm vitiosæ materiæ, & magna cum vtilitate extrahes. quæ omnia quatuor humores in homine contineri clarè demonstrant. idem in purgationibus immoderatis euidenter apparet. Nam si quis violentiùs medicamentum ad bilem purgandam efficax assumpserit, primùm sanè illam excernet: deinde pituitam: postea atram bilem: postremò purum sanguinem. Non aliter euenit, si fortius medicamentum pituitæ euacuandæ idoneum datum fuerit: principiò ipsam pituitam expurgabit, mox bilem flauam, deinde atram, tandem sincerum sanguinem: atque in hoc ægrotus emoritur. Vnde constat, medicamenta purgantia suum singula humorem proprium trahere. Cùm enim animans ob medicamenti violentiam adeò imbecillum euaserit, vt morti sit vicinum, tunc proprij humoris euacuatio cessat, & altera ipsam sequitur. MATHETES, Quare non amplius humor priori similis euacuatur? GERON, Quia prior ille propemodum totus è corpore est eductus, vnde neque viuere diutius animal poterit, aliquo ex elementis ipsius intereunte. sed quicunque deinceps ex reliquis humoribus ad euacuationem paratior fuerit, dissoluitur, corrumpitur, & diffluit. Quapropter siue atram bilem, siue pituitam trahens medicamentum, supra naturæ modum illam purgauerit, flauæ bilis humor, vtpote calidissimus, ac tenuissimus statim subsequetur. Rursus, si bili ducendæ idoneum medicamentum impendiò magis illam purgauerit, secundo loco pituita, deinde atra bilis euacuatur. MATHET. Quare

Suum quisque humor medicamentum postulat.

Ordo humorum expurgandorum per medicamina valentia.

Cholagogum primùm bilem, mox pituitam, deinde atram bilem, postremò sanguinem ducit.

φλεγμαγωγὸν primùm pituitã, deinde bilem flauam, postea atram, nouissimè sanguinem.

Melancholicus humor post alios humores purgatur.

melancholicus humor posteriore loco? GERON, Quia grauissimus, crassus, & moueri contumax est. MATHETES, Si grauitatis, crassitiei, difficilisq; motus ratione hic post flauam bilem, & pituitam purgari solet: cur sanguis eò leuior, tenuiorq;, & agilior, omnium postremus educitur? GERON, Quia natura hunc, vt sibi familiarem maximè amplexatur. MATHETES, Non igitur sine causa olim nonnulli, tum naturæ interpretes, tum medici, hominem ex solo sanguine generari, atq; nutriri pronunciarunt. GERON, Fateor: sed Hippocrates illū ex quatuor humoribus magis naturaliter gigni, augeri, & nutriri docuit: qui etiam cùm varias hominum formas in sanis corporibus videret, non vnum, sed quatuor humores elementa ipsorum esse asseuerauit: nec non diuersas admodū natura partes, ex differenti quoq; essentia primam statim originem trahere, & postea vario vti alimento, prodidit. MATHETES Verba eius recites obsecro. GERON, Quemadmodum semina, inquit, & stirpes, cùm terram subeunt, singula id, quod in illa naturæ ipsorum respondet, attrahunt: vtpote acida, dulcia, amara, salsa, & omnis generis alia: primùm sanè & maiore ex parte ad se trahunt, quod naturæ ipsorum conuenit, deinde quoq; alia. sic etiam medicamenta in corpore nostro agunt. quippe naturalis quædam facultas, singulis ipsis inest, qua familiaria sibi, & idonea attrahunt: sicuti Herculeo lapidi vis est indita ferri attractrix. Hac nutritiones, purgationesq; perficiuntur. ipsa quidem cùm alimenti copia suppetit, id quod conuenit attrahente: nonnunquam verò etiam id quod minus congruit. Idem in medicinis purgantibus accidit. nam cùm id bilis, aut pituitæ totum ex venis traxerint, quod in illis redundat, mox humidum particulis solidis insitum & proprium violenter rapiunt, animal velut resoluentes, ac in elementa redigentes, corrumpentesq;. At vehementem hanc medicinarum tractationem alius quidam humor illi natura proximus consequitur, qui primùm fuerat violenter attractus. MATHETES, Videor mihi iam totam elementorum rationem satis perspectam habere, si hoc vnum mihi adhuc explicueris: cur Hippocrates illorum moderatum inter se temperamentum tum facultate, tum copia ad hominis sanitatem requirat, alij verò non parem omnium in temperatura portionem esse doceant? GERON, Ille vniuersam totius corporis moderationem intelligit: hi de singularum partium temperamentis, quarum alię calidiores, aliæ frigidiores, aliæ siccæ, aliæ humidæ natura existunt. Atq; hæc de Elementis ex veterum, præcipuè Hippocratis & Galeni sententia, habui, quæ tibi cognitu necessaria putarim. cras si placet reuertere: nunc enim aduesperascit.

Sanguis cur omnium humorum postremus educatur.

Homo ex quatuor humoribus gignitur, augetur, & nutritur.

Singula semina sibi familiaria alimenta attrahunt.

Medicamentorum facultas naturalis, familiaria etiam attrahunt.

Interdum etiam attrahitur quod minus conuenit.

Medicinæ plus iustò purgantes, primùm superflua, deinde humidum particulis solidis insitū, & proprium rapiunt.

Hippocratis explicatio.

Ioan-

Ioannis Guintherij Andernaci Medici

DE MEDICINA VETERI ET NOVA TVM COGNOSCENDA, TVM FACIVNDA, COMMENTARII PRIMI

DIALOGVS TERTIVS.

MATHETES, Fauſtum ac fœlicem hunc tibi diem, honorate præceptor, exopto. GERON, Talis quoq; tibi contingat. quid ſibi vult, quòd tam manè huc te contuleris? MATHETES, Vt te horis iſtis antelucanis de elementorum & principum qualitatum temperationibus diſſerentem audiam. Quare ſi gratificari mihi voles, differentias illorum, quotnam & quales exiſtant, ſiue generales, ſiue ſpeciales, eo ordine, quo hactenus vſus es, perſequaris. totam enim hanc noctem propemodum inſomnem duxi: adeò inquietum me elementorum iſtorum meditatio reddidit: dum nunc pura & impura, nunc pari inter ſe portione miſta, nunc impari quidem, ſed pro ſua ſingula natura temperata, animo ſuccurrerent. GERON, Quandoquidem nudiuſtertiùs tibi promiſi, me de illis quoq; diſſerturum, laborem iſtum iam DEO duce ſuſcipiam: ille faxit, vt tibi ſiet fructuoſus, mihi non nimium grauis, & moleſtus.

Temperamentum quid.

Temperamentum igitur, ſiue temperatura, ac temperatio, quæ Græcis κρᾶσις, Latinobarbaris complexio dicitur, miſturæ elementorum ratio eſt, ſiue qualitatum principum, quæ elementis inſunt, harmonia, hoc eſt, congrua elementorum, & ſummarum illorum qualitatum commiſtio. Qui autem elementorum omnium miſturam, ſine primis qualitatibus factam, temperamentum nominant, maximè errant. nam elementa à qualitatibus ſeparari nequeunt. MATHETES, Intelligo te vocare temperamentum, in quo nō ſola elementa, citra effectrices qualitates, nec hæ ſolæ abſq; illorum omnium eſſentijs commiſcentur. GERON, Rectè intelligis. nam mutuam tum elementa, tum qualitates illę opem requirunt. MATHET. Quot ſunt vniuerſę temperamentorum ſpecies? GERON, Nouem. vna quidem temperata, quę Gręcis εὔκρατος dicitur: octo verò intemperatę. MATHET. Quænam obſecro? GERON, Quatuor quidem ſimplices, vt calida, frigida, humida, & ſicca: quatuor rurſus aliæ ex ſimplicibus illis compoſitæ, vt calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca. MATHETES, Quænam temperata illa eſt? GERON, Rectè de hac primùm interrogas, ſine cuius

Temperamentorum ſpecies.

Temperata.

Simplices.

Compoſitæ.

Temperata quid. cognitione de intemperatis nihil dici poteſt. Eſt enim ipſa omnium temperamentorum veluti norma & regula, quam reſpicientes, & ſanitatis tuendæ victum inueſtigamus, & intemperatos *Temperatum abſolutè quid.* ſtatus corrigimus. Verùm hoc notari debet, in rerum vniuerſitate aliud abſolutè temperatum, aliud in ſingulis generibus, vt ſtirpem, aut animal aliquod temperatum dici. MATHETES, Quod igitur abſolutè ſic vocatur? GERON, Quod ex contrarijs æqua portione coëuntibus conſtat. atq; hoc recentiores barbari pondere ac menſura, id eſt, verè & omnino medium vocant. MATHETES, *Non abſolutè temperatum.* Quando aut ſtirps, aut animal non abſolutè temperatum dicitur? GERON, Quando non contrariorum paritate, ſed mediocritate ſuæ cuiuſq; naturæ conueniente æſtimatur, & non ſolùm bonitate, ſed etiam viribus reliquis præſtat. Tunc enim ficum *Ficus temperata.* temperatam dicimus, cùm talis fuerit, qualis maximè natura eſſe debet. Eodem modo hominem, aut equum temperatum vocamus, quando pro ſua quiſq; natura optimè habuerit. MATHETES, Quando autem modò commemorata optimè habere dicuntur? *Optimè habere quid dicatur.* GERON, Cùm operationem ſuam optimè obeunt. ficus enim laudatur, quæ optimas, plurimasq; ficus profert: homo autem, cùm omnibus naturæ actionibus integris fruitur: equus, ſi velociſsimè currat. MATHETES, At eiuſmodi ſtirpes & animantia, cur non abſolutè temperata, vt eſſentiæ quædam dicuntur? GERON, Quia accurata contrariorum paritas in illis non ſit, vt dixi, ſed mediocritas, quæ ad paritatem refertur. Hæc in ſcholis hodie quaſi ad iuſtitiam temperata vocatur, quæ congruam, decoramq; generis ſui æquabilitatem obtinet. in ſumma, quæ veluti omnibus numeris & partibus abſoluta, integrè, & pro naturæ ipſius ratione, munere ſuo fungitur. *In nullis enim temperatis animalibus & plantis, ea temperaturæ æqualitas exiſtit, quæ ex pari elementorum commiſtorum mole ſpectatur, ſed quæ animalis & ſtirpis naturæ conuenit.* Debet autem aliâs humidum ſicco, & frigidum calido eſſe copioſius. quippe homo, leo, equus, ſimilem inter ſe temperaturam habere non ſolent. MATHETES, Percipio nunc quæ temperata voces: dic iam quæ ſint tempe- *Temperatorum differentiæ.* ratorum differentiæ? GERON, Quæ à temperata in ſuo genere natura deficiunt, & aliquo ſuperant. vnde alia calida, vel frigida, humida uel ſicca, aut coniunctim calida & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca dicuntur: ſi cum illa conferantur, & ab eo quod in miſtura præpollet, appellationem ſortiantur. MATHETES, Hoc explica manifeſtiùs. GERON, Calida ſanè *Calida, frigida, humida, ſicca, quæ ſingula exiſtant.* in quibus calor, frigus mediocre excedit: frigida, in quibus frigus calorem ſuperat: humida, in quibus maior humidi portio: ſicca, in qui-

in quibus ſiccitas excellit. MATHETES, At duæné iſtæ contrariorum oppoſitiones in omni natura inueniuntur, vt ſcilicet ea calidior, vel frigidior: & humidior, vel ſiccior exiſtat? GERON, Nequaquam. fit enim vt aliqua in calore & frigore temperata ſit, in humido autē & ſiccitate intemperata ſit: rurſus vt alia in humore & ſiccitate temperata ſit, in calore autem & frigore intemperata. MATHETES, At ſuperiùs dixiſti, vnam tantùm temperatę naturę differentiam eſſe: hîc alias duas præter illam adducere videris. GERON, Fateor: ſed illam ſummè temperatam intelligo: has autem medio inter temperatos, & intemperatos ſtatus ordine colloco.

Summè temperata natura.

Mediocriter temperata.

Qui namq; in ſummo eſt temperatus, is neutram oppoſitionem habet ſuperantem. qui verò è contrario intemperatus eſt, vtranq; habet vitioſam. medium autem locum ſortitur, qui in altera quidem temperatus, in altera verò intemperatus eſt. Qui itaq; ex dimidio temperatus, & ex dimidio item intemperatus eſt, non immeritò medius inter eum qui ex toto eſt temperatus, & eum qui ex toto eſt intemperatus, dici poteſt. MATHETES, Quid in omnibus rebus medium propriè appellatur? GERON, Quod æquali ſpacio ab extremis omnium contrariorum diſtat, vnde Græcis σύμμετρον dicitur, atq; in illo genere ſub quo continetur, vel in ſpecie temperatum exiſtit.

Medium quid propriè.

quod autem in vna tantùm illorum oppoſitione moderatum eſt: verbi gratia, vel in calido & humido, vel humido & ſicco, in illa medium voco.

Medium.

MATHETES, At cùm multa ſint genera, ſicut etiam indiuidua, neceſſe etiam erit in ſingulis quoq; illis medium aliquod inueniri. GERON, Rectè iudicas. quoniam inter animantia, medium locum obtinet homo: cum quo ſi reliqua conferantur, alia humida, alia ſicca appellantur.

Homo medius inter animantia.

iam inter ipſos homines alius calidus, alius frigidus, cenſetur, ſi ei qui medius inter illos exiſtit, comparetur. MATHET. Videntur itaq; corpora qualitate affecta, non vno inter ſe modo nominari? GERON, Non vno ſanè, vt ais, ſed triplici: aliâs nempe vt ſimplicia, & miſturę expertia, cuiuſmodi ſunt elemēta (verùm hoc ſignificatu in mixtis eſſentijs non vtimur) aliâs veluti ad eiuſdem generis, vel ſpeciei medium collata: aliâs quaſi ad rem quamlibet.

Corpora qualitate affecta trifariam nominantur.

MATHETES, Hoc exemplis luculentiùs exponas. GERON, Cùm os abſoluto ſermone ſiccum dicimus, non adijcientes leonis, canis, aut hominis, certè cum vniuerſæ omnium, quæ in mundo ſunt corporum naturæ medio conferimus. atq; hac ratione idem corpus calidum ſimul & frigidum, humidum & ſiccum eſſe poterit, ſed varijs modis.

Os quomodo ſiccum dicatur, ſi cum varijs conferatur.

Diuerſæ comparationes.

Verùm vbi vni cuilibet comparatur, contraria de eodem dicere licebit: verbi cauſſa, Hippocrates Democrito ſiccior eſt, Aſclepiade autem humidior. Cùm

autem ad medium eiusdem generis, vel speciei refertur, tūc idem homo humidus simul & calidus, nihilq; minus frigidus & siccus esse potest. At si ad mediocris temperamenti hominem referatur, siccus sanè, & frigidus dicitur: sin autem ad aliud quoduis animal, vt apem, vel formicam: aut ad stirpem, putâ oleam, ficum, laurum, aut ad materiam, quæ nec planta, nec animal sit, vt lapidem, æs, ferrum, humidus & calidus censetur. Ea ratione fit, vt idem corpus animalis, aut stirpis cuiuspiam, omnium quæ in eodem sunt genere, medium, hoc est, temperatum, & mediocre: alteri verò cuipiam comparatum, vel stirpium, vel animalium, vel inanimatorum, intemperatum dicatur. Quippe viuentis corpus cum demortuo collatum, humidius calidiusq; existit. verbi gratia, leo viuus cum leone mortuo comparatus, tum ipse seipso, tum alter altero calidior humidiorq; est. Atq; ideo animal calidum & humidum esse dicitur, non absoluto sermone, sed quòd humor, calórue in eo superet. Nam inueniuntur complura animalia sicca & frigida, vt culices, muliones, muscæ, apes, formicæ, si cum mortuis conferantur. viua enim apis calidior humidiorq; est q̃ mortua: sin autem cum homine, equo, boue, aliisq; sanguine prǽditis animalibus conferantur, calida & sicca dicuntur. si verò ad vniuersam naturam expendantur, omnia ipsa frigida siccaq; temperie sunt prædita. Sicut enim in vnoquoq; genere, vbi quod à mediocritate recessit, ab eo quod vincit, nomen accipit: ita in vniuersitatis materia, cùm aliquod medium transierit, non amplius temperatum, sed vel calidum, vel frigidum, vel siccum, vel humidum nominabitur. MATHETES, Quomodo igitur variæ istæ comparationes inter se differunt? GERON, Quę ad hominem fit, ad aliquid eiusdem speciei fieri dicitur, quod Græci πρὸς ὁμοειδὲς appellant. quæ verò ad apem, aut formicam, ad quippiam eiusdem generis, quod illi πρὸς ὁμογενὲς vocant. Simili modo quæ ad quamlibet stirpem fieri solet. Quamuis enim stirpium genus superius sit quàm animalis: & id quo lapis, ferrum, æs, & similia continentur superius illo, cui stirpes insunt: tamen omnia ad idem genus conferri, licet impropriè, dicentur. MATHETES, Redige illa quę so in summam, vt faciliùs memoria queam retinere. GERON, Corpora quæ quatuor illas numero qualitates, calorem, frigus, humorem, & siccitatem, sinceras & immistas suscipiunt, prorsus & absolutè calida, frigida, humida, & sicca dicuntur. reliqua verò aut animalium, aut stirpium, vel inanimatorum omnium, vt ęris, ferri, lapidum, lignorum, in medio illorum primorum consistūt. Nullum enim pręter elementa, summè aut calidum, aut frigidum aut humidum, aut siccum existit, sed medium prorsus contrario-

Comparationum differentiæ.

Quæ absolutè, aut non absolutè calida, aut frigida: humida aut sicca dicantur.

rum,

rum: ita vt nihilò magis ſit calidum quàm frigidum, aut humidum quàm ſiccum: vel ad alterum contrariorum eſt propenſum, ita vt magis ſit calidum quàm frigidum, vel magis humidum quàm ſiccum: & ſi medium planè fuerit, in vtroque contrariorum genere, non magis calidum quàm frigidum, aut humidum quàm ſiccum, id temperatum nuncupatur. Sin autem in vna tantùm oppoſitione contrarium ſuperet, medium locum obtinet, & partim temperatum, partim intemperatum exiſtit. ſin in vtraque præcellat, omnino intemperatum eſt, & ſi calidum magis quàm frigidum ſit, quod magis eſt, id appellabitur. idem ſtatuendum de ſicco & humido. Pari modo, ſi frigidum magis ſit quàm calidum, nominabitur frigidum. ita ſi in vtraque oppoſitione alterum ſuperet, ſiue calidum vnà cum humido, ſiue calidum cum ſicco, ſiue frigidum pariter cum humido, ſiue frigidum cum ſicco, certè ab eo quod præpollet, corpus appellationem ſortietur. Ac varius in quolibet iam dictorum temperamentorum exceſſus, defectusque modus, non in ijs tantùm, quæ ſimplicia ſunt, ſed etiam in compoſitis, idque tum in tota eſſentia, tum verò in vnoquoque genere inuenitur. MATHETES, Vnde ſingula temperamenta cognoſcentur? GERON, Ex temperatis, medijsque in quolibet genere naturis, cum quibus ſi alias compares, facilè quod in quauis ſuperet deficiátue, inuenies. Diſquiri autem debent, quæ abſolutè temperata, intemperataque, non in ſolis animalibus, & ſtirpibus, ſed etiam in omni generata eſſentia exiſtunt. Præterea obſeruari conuenit, eorum quæ calida, frigida, humida, & ſicca dicuntur, alia reipſa eſſe talia, alia eſſe, ſiue fieri poſſe: quoniam naturalem, vt id fiant, aptitudinem obtinent. MATHETES, Ex quibus verò media dignoſci poterunt? GERON, Ex miſtione extremorum. MATHETES, Qua ratione, obſecrô? GERON, Si aquæ feruenti parem modum glaciei miſceamus, medium quod pari interuallo ab vtroque extremorum aberit, tum eo quod vrit, tum illo quod ſtupefacit, efficiemus: ad quod ceu normam, alia omnia adaptata iudicabimus. Ita ſi terram quæ ſicca eſt, vel cinerem, vel tale aliquid quod ſit aridum, pari aquæ modo imbueris, medium in ſicci humidique oppoſitione euadet, quod ad humidorum & ſiccorum, quæ deficiant, aut ſuperent, notitiam comparandam, veluti norma & exemplar erit. corpus autem de quo iudicandum eſt, mediocriter calens eſto. nam hoc ipſum humidi ſiccique medium corpus, ſi ad ſummum calorem frigúsue fuerit perductum, falſam interim imaginationem excitabit, & videbitur quàm ſit mediocri aliquando humidius, aliquando ſiccius. Nam ſi calidius fiat, liquatum iam & fluxile, humidioris materiæ imaginationem de ſe præbebit: contrà, refrige-

Temperatum.

Intemperatum.

Temperamentorum notæ.

Reuera ſiue actione, & poteſtate eſſe, quæ dicatur

Mediorum dignotio.

Medium quomodo fiat.

ratum,plus iuſtò coagmentatur ac concreſcit, immobileꝗ redditur,& durum tangenti apparet: vnde etiam falſam ſiccitatis imaginem exhibet. Quòd ſi,vt humidi & ſicci parem modum habet, ſic etiam caloris & frigoris ſit in medio, nec durum, nec molle tangenti apparebit. MATHETES, Homône igitur tota hæc calidum,frigidum,humidum,& ſiccum, per tota miſcere poteſt? GERON, Nequaquam. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia terra aquę indita,miſcetur quidem,quatenus alicui videri queat, totaꝗ toti ita contemperatur: verùm appoſitio talis in exiguis partibus eſt,non autem totorum per tota miſtio: eò quòd amborum iſtorum per tota temperatio,DEI tantùm munus eſt,magisꝗ etiam ſi calidum ac frigidum tota per tota temperentur: at ambo per tota contemperare,vt ſingula corpora ſimplicia ſenſum effugiant,non id naturæ ſolius, ac DEI opus eſt, ſed etiam noſtrum,ſi lutum,quod ſicci humidiꝗ medium eſt, efficiamus: ſimili modo, quod calidi & frigidi ſit medium. MATHETES, Eſtne talis particula quædam in corpore humano? GERON, Eſt,hominis cutis omnium extremorum calidi, humidi, & ſicci, verè media, præſertim ea quæ eſt in manu. hęc enim omnium ſenſibilium norma futura erat, vt quam natura homini domeſticorum animantium prudentiſsimo, pro tactus inſtrumento condiderit, quò magis eam ab omnibus extremis pari abeſſe interuallo oportuit. Quæcunꝗ igitur partes cute ſunt duriores, veluti oſſa, cartilagines, cornua,vngues,ligamenta,vngulæ, caluaria,pili, in his omnibus ſiccum præualet. quæcunꝗ verò molliores ſunt, vt ſanguis, pituita,ſeuum,adeps,cerebrum, medulla tum ſpinæ, tum altera, in his humidi eſt plus quàm ſicci. quinetiam quantò pars ſicciſsima omnium quæ ſunt in homine, cutem ſiccitate ſuperat: tantò rurſus à cute ſuperatur id,quod eſt humidiſsimum. MATHETES, Cùm igitur in homine cutis manus interior omnis exceſſus ſit expers, quodnam tum animalium,tum verò omnium corporum temperatiſsimum exiſtit? GERON, Homo, qui totius eſſentiæ, vel potius tum hominum, tum reliquorum animalium veluti regula, & norma habetur, ac reliqui omnes huic collati, calidi, frigidi, humidi & ſicci dicuntur. MATHETES, Multas ergo notas in hoc homine concurrere oportet? GERON, Multas profectò. nam & cum vniuerſa eſſentia comparatus,& magis cum hominibus beſtijsꝗ, medius apparere debet. MATHETES, Sed quæ ſunt medij in vniuerſa eſſentia communes notæ? GERON, Superiùs ſunt expoſitæ. quæ autem in animalium ſpeciebus habentur, ex actionis cuiꝗ accommodatæ perfectione apparent. MATHETES, Quæ cuiꝗ actio conuenit? GERON, Homini, vt ſit ſapientiſsimus: cani, vt

Totorum per tota miſtio.

Cutis humana in manu temperatiſsima.

Homo temperatiſsimus.

Medij hominis notæ.

Actionis perfectio.

maximè ſit adulatorius, vigil pariter & ſagax: leoni, vt tantùm ſit fortis: ſicut oui, vt ſolùm placida exiſtat. MATHETES, At hi ſunt animi potius mores, quàm actiones corporis, quare huius ſtatum prius, deinde illius perſequaris. GERON, Medius horum extremorum apparet, gracilitatis, & craſsitiei, duritiæ & mollitiei, caloris & frigoris: ac tangendi corpus ipſius, calor occurrit mediocris, non autem mitis, aut halituoſus, nec igneus & acris: ſicut neq; frigus percipitur, quale in corpore ſanguineo & humido eſſe queat: ac tali ſanè corpore præditus, homo eſt temperatiſsimus. idem animo quoq; medium omnino ſtatum audaciæ, & timoris, cunctationis, & præcipitationis, miſericordiæ & inuidiæ obtinet. is ipſe quoq; eſt alacer, amicorum ſtudioſus, humanus, & prudens. atq; ex his primùm & præcipuè temperatus homo cognoſcitur: non pauca autem eorum accedunt, quæ neceſſariò hæc ſequuntur. Quippe edit ille, bibitq; moderatè, & alimenta non ſolùm in ventre, ſed etiam in venis, & tota corporis mole probè concoquit. Quid multis moror? omnes tum naturales, tum animales vires integras obtinet, vt qui & ſenſuum facultatibus, & artuum motibus optimis, colore'q; viuido ſemper ſit ornatus: nec non ad perſpiratum excrementorum bene comparatus: inter ſomnolentum & peruigilem, inter glabrum & hirtum, inter nigrum colorem & album medius, piloſq; habeat cùm puer eſt magis flauos quàm nigros: cùm ætate floret, contrà. vnde non immeritò talis diuinam quandam originem repræſentare videtur. MATHETES, Ad hócne veluti exemplar, alios referre homines, & pro illius ratione æſtimare oportet? GERON, Maximè. nam hæc via & ratio eſt, qua medium non in ſingulis modò animalium generibus, ſed etiam in vniuerſis cognoſces: etſi id non cuiuslibet ſit hominis deprehendere, ſed diligentis admodum, & qui ex longo vſu magnam omnium partium notitiam habuerit. Ad eum modum plaſtæ, pictores, ſtatuarij, deniq; omnes alij fictores, pulcherrima quæq; vnius ſpeciei, tum pingunt, tum fingunt: veluti hominem, equum, bouem, leonem optimè formatum, ad id, quod in illa ſpecie medium eſt, reſpicientes. Iam ſtatua quædam Polycleti commendatur, quæ à Græcis κανὼν, hoc eſt, regula ideo nominatur, quòd accuratam omnium inter ſe cõuenientiam obtineat. At longè præcellit is, qui ex mediocritate elementi procreatus, quadratum habitum, egregiamq; partium figuram eſt adeptus. Ideo etiam cutis manus interna, tactui maximè eſt idonea, quòd non ſolùm omnium hominis partium, verum etiam vniuerſæ eſſentiæ, quæ ortum & interitum experitur, media exiſtat, non autem calloſa, neq; dura, lapideáue, ſed natu-

Hominis temperatiſsimi deſcriptio, & notæ.

Status in corpore medius.

Animi.

Neceſſariò comitantia ſigna.

Naturales & animales vires integræ.

Temperatiſsimus homo diuinam naturam repræſentat.

Temperatus exemplar, pro cuius ratione alij æſtimari debent.

Polycleti regula.

raliter habita. MATHET. Quis naturalis eius ſtatus eſt? GERON. Non modò in duritia, & mollitie, ſed etiam in calore & frigore medius. MATHETES, Vnde hoc cognoſcam? GERON, Ex ipſius eſſentia potiſsimùm. eſt enim ipſa veluti neruus ſanguinis particeps, inter neruum & carnem media, ac ſi ex vtriuſq; mixtis conflata ſit.

Cutis temperamẽtum vnde cognoſcatur.

MATHETES, Qualis autem eſt tum neruus, tum caro? GERON, Ille quidem exanguis & frigidus: caro autem multi ſanguinis, & calida: medium locum tenet cutis, neq; planè exanguis vt neruus, neq; multi ſanguinis, vt caro.

Neruus & caro quali temperamẽto præditus.

MATHETES, Quali verò reliquæ partes temperamento præditæ ſunt: ſi cutem omnium veluti normam & indicem proponis, cui illas conferri, & iuxta quam ipſas examinari præcipis?

Reliquæ partes corporis quales.

GERON, Humorum ſiue ſuccorum corporis humani optimus, & maximè familiaris, ſanguis eſt, natura mediocriter calidus. Huius veluti ſedimentum, ac fæx eſt atra bilis, quæ idcirco tum frigidior, tum craſsior ſanguine eſt: ſicut flaua bilis longè calidior: pituita verò omnium quæ in animali habentur, frigidiſsima eſt, & humidiſsima.

Humorum differentiæ.

Sanguis.
Atra bilis,
Flaua.
Pituita.

MATHETES, Quo inſtrumento id cognoſcis? GERON, Quòd frigida quidem ſit, tactu deprehenditur: quòd autem humida, tactu pariter, & viſu, rationeq; iudicamus: ac tactu quidem & viſu, quoniam talis vtroq; apparet: ratione autem, quia non caloris copia, ſed naturali humore talis euaſit.

Inſtrumenta humorũ cognoſcendorum.

Tactus.
Viſus.
Ratio.

MATHETES, Ergo calidi, frigidiq; corporis ſolus tactus, humidi autem & ſicci, vnà cum tactu ratio iudex erit? GERON, Ita habet. nam ſiccum durum prorſus eſt, id quod tactu omnino dignoſcitur: non tamen ſi quid durum eſt, idem ſtatim & ſiccum erit. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia durities à ſicco corpore inſeparabilis eſt, non tamen eius ſolius propria. MATHETES, Cur non eſt propria? GERON, Quoniam id etiam quod à frigore concretum eſt, durum exiſtit, vti glacies. vnde neq; ſtatim ſiccum & humidum internoſcere tentandum eſt, antequam conſiderauerimus, quomodo in calore & frigore habeat. Neq; enim ſi quid cum ſummo frigore durum apparet, id etiam ſiccum eſt: nec ſi quid cum vehementi calore eſt molle, idem ſtatim eſt humidum. verùm cùm mediocriter eſt calidum, tum æſtimare, durùmne, an molle ſit, oportet. ſi nanque molle ſit, humidum eſt: ſi durum, ſiccum. quare etiam partium, quæ in humano corpore ſunt duræ, nulla eſt humida.

Durities ſiccitatis ſolius propria non eſt.

Molle.
Durum.

MATHET. Id non aſſequor, niſi rationem addideris. GERON, Quia tantum in illo frigus eſſe nequit, vt aliquid in duritiem concreſcere in eo poſsit: ſed quod prius fuit fluxile, aliquando concreſcere, vti adeps, poteſt: & quod oleoſum in ſanguine fluidum & pingue eſt, vbi in frigidum venit locum, cogelatur, durum tamen ne ſic quidem ef-

dem ef-

Adeps humidissima cùm sit, vnde gignatur.

dem efficitur. hinc etiam veteres rectè adipem dixerunt esse humidissimam. MATHETES, Vnde illa gignitur? GERON, Ex pinguiore parte sanguinis, per tenues venas effusa, crasso oleo similis. concrescit autem propterea, quòd membranis adhærescat, eoq; congelatur, vbi cum frigidis & exanguibus particulis coniungitur. circa alias autem præcalidas, vt iecur, cor, venas, arterias, & id genus similes concrescere nequit. Quoniam verò per id quod valdè est frigidum, cogitur, idcirco etiam calefacta liquescit reliquorum congelatorum modo. MATHETES, Quæ pars corporis, humoris ratione adipem sequitur? GERON, Carnosum genus. MATHETES, Quare carnosum genus dicis: súntne plures

Carnis plures species.

carnis species, an vna tantùm? GERON, Plures vtiq;. prima sanè, quæ propriè caro appellatur, quam scilicet nusquam in corpore per se inuenias: sed est perpetuò musculi portio: deinde succedit propria cuiusuis visceris essentia, quam Erasistratus græcè παρέγχυμα vocat: atq; huic visceris ipsius actio fertur accepta. MATHETES, Quid de cerebri proprio corpore censes? GERON, Id

Cerebri temperamentum.

cute quidem & carne tum frigidius, tum humidius existit: adipe verò tum minus humidum, tum frigidum. MATHETES, Vnde hoc conijciam? GERON, Ex eo quod molle quidem tactu appareat, non autem à frigore congelatum sit, nec calore fundatur. Hoc autem obseruari debet, cerebrum innato calore & genuino,

Cerebri extima pars ad calorem inclinat.

extima quidem sui parte, non parum ad calidum inclinare, quod tactu deprehenditur, eoq; vehementi æstatis calore offenditur:

Interna cerebri pars frigida.

interna autem esse adeò frigidum, vt congelare posit, id quod testantur excrementa, quę ex palato & naribus hyeme descendunt. at priores ipsius partes tantò humidiores reliquis, quantò etiam molliores existunt. Nerui quoq; molles inde procedentes, cuti

Nerui.

natura proximi sunt: duriores quidem humido & sicco ipsi cuti respondent: calore verò ab eius natura absunt tantùm, quantùm exangue corpus, à sanguine prædito abesse solet. Porrò ne te

Galeni sententia de cerebro.

perturbet, quòd Galenus cerebrum nunc temperatum, nunc calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum: nunc calidum simul & humidum, aut calidum & siccum, aut frigidum & humidum, aut frigidum & siccum esse dixerit. nam id facit quando illud cum suprà dictis corporis partibus, præcipuè autem natiuæ essentiæ ipsius temperamento comparat, quod frigidum & humidum esse solet. MATHET. Quę sunt reliquarū partium tempe-

Spinæ medullæ temperamentum

ramenta? GERON, Spinę medulla cerebro propemodum respondet, vt ex quo originem suam habeat, paulò autem frigidior illo natura existit, eò quòd nullis societur arterijs, nec ipsius modo pulset, quamuis situs ratione in viuo animali calidior cerebro di-

catur. MATHETES, Qua de causa? GERON, Quia in sui medio cordi propinquior ipsa est, quàm cerebrum: superiore autem & inferiore parte, cauæ venæ magnæq; arteriæ incumbit, nec vllibi frigidior, quàm in ceruice percipitur. præterea quòd, cùm cerebrum frigidam suam naturam, aduersus cordis calorem in viuo animali tuetur, hæc ipsam seruare nequeat: idq; tres ob rationes. primùm quòd longè illo sit minor: deinde quòd cordi vicina: postremò, quòd vasa ei substrata sint, vt dixi, quæ in cerebrum numerosa licet, exigua tamen penetrant. Cæterùm medulla ista etiam in hoc à cerebro differt, quòd siccior eo sit, durior & grauior, quamuis non tanto discrimine, vt grandem in cibis differentiam exhibeat.

Medulla reliquorum ossium.

MATHETES, Qualis ea est medulla, quæ in reliquis ossibus continetur? GERON, Alterius est naturæ quàm cerebrum & spinæ medulla. MATHETES, Quomodo inter se differunt? GERON, Cæterorum ossium medulla, nullum neruum producit, sed pinguior est, & humidior, nutrireq; potest, si probè concoquatur.

Spinæ medulla qualem succum gignat.

spinæ autem lentum & crassum humorem, sicut & cerebrum progignit.

Pulmonis caro.

MATHETES, Qualis verò pulmonis caro existit? GERON, Minus humida, quàm adeps, vt quę nec ipsa calefacta liquescat. Sunt autem qui pulmonem & calidi ipsius, biliosiq; alimenti, & cordis vicinitatis gratia tum calidiorem, tum sicciorem iecore ipso esse dictitant.

Lienis, iecoris, et renum caro.

Lienis, renum, & iecoris caro, adipe quidem longè minus humida, cuti tantò est humidior, quantò mollior: calidior autem, quantò magis abundat sanguine.

Cordis caro.

At cordis caro, tantò est prædictis illis siccior, quantò durior, & non modò his, sed etiam omnibus corporis partibus calidior: id quod si in sinistrum eius sinum adapertum scalpello, digitum inseras, deprehendere licebit.

Viscerum caro.

MATHETES, Caro viscerum, quorum iam mentionem fecisti, vbiq; eadem apparet, an diuersa? GERON, Iecoris, lienis, renum, & pulmonis caro natura simplex est, venis, arterijs, & neruis cuiusq; visceris vndequaq; obnascens.

Fibræ cordis propriæ.

Cor non simplicis naturæ carnis speciem obtinet, sed in eo sunt fibræ, quales in musculis cernimus, quibus caro circumcreuit. verùm non tamen in illo & musculis idem fibrarum genus inuenitur: quia in his neruorum & musculorum sunt particulæ: in illo propria est fibrarum species, æquè vt tunicæ venarum, arteriarum, intestinorum, ventriculi, vteri, & vesicæ vtriusq;. nam in his instrumentis propriam quoq; carnem quandam suis ipsorum fibris circumdatam videmus. MATHETES, Huiusmodi carnes quo sunt temperamentò præditæ? GERON, Ipsæ quidem sunt cute calidiores, fibræ autem partim paulò minus, partim paulò magis, tum frigidæ, tum siccæ quàm cutis, partim omnino similes cutis essentiæ existunt.

Membranarum temperaturæ.

exiſtunt. MATHETES, Quid de membranis ſentiendum? GERON, Omnes cute ſunt ſicciores, veluti etiã cerebri, & ſpinæ medullæ inuolucra, quę Gręcis μένυγχες dicũtur. ſunt enim hę quoq; membranæ. Tales natura ſunt etiam venarum arteriarumq́; tunicæ: necnon frigidæ, vtpote exangues: contactu autem ſanguinis caleſiunt, atq; ad medium temperamenti ſtatum veniunt. MATHETES, Vnde ſanguis calorem ſuum accipit? GERON, A corde. MATHETES, Cuius temperamenti ſunt nerui? GERON, Omnes calore & frigore membranis reſpondent: molles autem, humore & ſiccitate cuti conueniunt: duri nequaquam, vt anteà diximus.

Neruorum temperamenta.

MATHETES, Quæ deinde has partes ſequuntur? GERON, Tendines, quos Gręci τένοντας vocant, cute & neruis duriores: nec non ligamenta quibus oſſa inuicem connectuntur, tantò cute duriora, quantò etiam ſicciora. Adhæc cartilago, & medium quoddam inter hanc & illud corpus, quod Gręci νευροχονδρωδῆ σινώδεσμον, quaſi ex neruo cartilagineum ligamentum appellant. At os omnium quæ cutis operit, duriſsimum eſt. eorum verò quæ extra cutem extant, pilus eſt ſicciſsimus, mox cornu, deinde vngues, poſtea vngulæ, calcaria, roſtra, ſimiliaq́;.

Tendines.

Pilorum temperamenta.

MATHETES, Hactenus temperamenta partium cum cute, veluti norma, contuliſti: nunc etiam pro ętatis ratione, hominum temperaturas, earumq́; differentias exponi mihi velim. GERON, Rectè mones. nam hoc ordine omnia faciliùs aſſequeris, quæ ad temperamentorum cognitionem pertinent. quia verò homines cùm alia, tum ætatum ratione inuicem variant, primùm illæ cognoſci debent, vt quæ non minimum facultatis, nobis ad cauſarum inuentionem deinceps ſuggerant. MATHETES, Quot igitur ſunt hominis ætates? GERON, Hippocrati ſanè quatuor: nempe pueritia, adoleſcentia, conſiſtens ætas, prima pars ſenij, & altera quæ decrepita eſt. Sub adoleſcentia etiam iuuentus continetur, vt non dubitem ſeptem ætates numerare. MATHETES, Quibus nominibus apud Græcos recenſentur? GERON, Prima vocatur ἡλικία ἡ τῶν νεογενῶν παιδίων, ἢ βρεφῶν, quaſi dicas, ætas puellorum recens natorum, vel infantium. ſecunda ἡ τῶν παιδῶν, quę eſt puerorum. tertia ἡ τῶν μειρακίων, vel τῶν ἐφήβων, hoc eſt, ætas adoleſcentum, & puberum. quarta ἡ τῶν νεανίσκων, quæ eſt iuuenum. quinta ἡ καθεστηκυῖα, quæ iam conſiſtit, nec pergit vlteriùs. ſexta ἡ ἀρχὴ τῆς γεροντικῆς ἡλικίας, quaſi dicas principium ſenilis ætatis. ſeptima τὸ ἔσχατον γῆρας, id eſt, extrema ſenectus. Qui quatuor tantùm ętates ſtatuunt, gręcè primam vocant τὴν τῶν παίδων, quaſi dicas puerilem: alterã τὴν τῶν ἀκμαζόντων, hoc eſt, vigentium: tertiam τὴν τῶν παρακμαζόντων, hoc eſt, declinantium: quartam τὴν τῶν γερόντων, hoc eſt, ſenum conſtituunt. MATHETES, Quomodo hæ

Ætatum numerus, differentia, & temperamenta.

Prima ætas.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Quatuor ætates quomodo cū septem illis conueniant.

quatuor tum apud Hippocratem, tum apud alios positæ, cum sex illis, aut septem potius iam commemoratis, conuenire poterunt? GERON, Apud Hippocratem sanè sub pueritiæ vocabulo etiam infantia comprehenditur, & sub adolescentiæ voce iuuentus, quæ etiam aliqua ex parte vigens, aut summus ætatis vigor, vt Græcis ἡ ἀκμαστικὴ, uel ἀκμὴ dicitur: deinde senecta bifariàm intelligitur: altera validior, quæ iam à vigore declinauit, verùm citra manifestum sensum senectæ: altera decrepita. MATHETES, Quoto singulæ ætates anno incipiunt, finiuntque? GERON, Non possunt annorum numero circumscribi, nisi forsan generaliùs. nam alij citiùs, alij tardiùs post infantiam, succedentes ætates ingrediuntur. Communiter autem infantia à primo ortu ad septimum vsque annum perseuerat. Pueritia ad quartum decimum pertingit. Adolescentia ad vigesimum quintum prorogatur. Iuuentus ad trigesimum, vel trigesimum quintum peruenit, quo homines summè florent. Consistens ætas, media inter iuuentutem & senectam habetur: eam ingressi, iam à vigore nonnihil declinare incipiunt, sed ita vt vix percipi queat. tales non amplius iam crescunt, sed in eo statu quo sunt, permanent, quantùm sensu iudicare licet. Primum senium à quadragesimo quinto, ad sexagesimum, vel sexagesimum tertium protenditur: atque huius ætatis senes Græcis ὠμογέροντες, hoc est, crudi senes, sicut alij παρακμάζοντες, quasi declinantes appellantur. Decrepita ætas, vel extrema senectus ad vitæ vsque finem perdurat. Marcus Varro vetustissimus scriptor, etsi non medicus, naturalium tamen rerum valde peritus, quinque ætatis gradus æquabiliter singulos, præter extremum, in annos quindecim diuisos esse pronunciat: sic vt in primo gradu, vsque ad annum quartum decimum pueros collocet, quos ita etiam vocandos esse putat, quòd sint puri, hoc est, impubes. in secundo, vsque ad annum trigesimum adolescentes, eosque ab adolescendo hoc nomine appellari. in tertio, vsque ad quadraginta annos, iuuenes, atque sic dici, quòd rempublicam in re militari possent iuuare. in quarto, vsque ad sexagesimum annum, seniores ponat, nuncupetque ita, quòd nunc primùm corpus senescere incipiat. inde vsque in finem vitæ vniuscuiusque quintum gradum fieri, in quo qui esset, senem dici ait, quòd ea ætate corpus senio laboret. Alij aliter hominis ætates distinxerunt: sed hæc tibi breuitatem doctrinæ desideranti, sufficiant. MATHETES, Quónam temperamento singulæ ætates donatæ sunt, & quæ inter ipsas temperatissima censeri debet, ad quam cæteræ omnes referri possint? GERON, Infantes & pueri humidi sunt, & calidi, id quod intelliges, si primam eorum formationem in vtero, antequàm in lucem ædantur, consideraueris,

Pueritia & Infantia. Adolescentia & Iuuentus. Ætas vigens. Senecta. Singularum ætatum anni. Senes crudi. Senes decrepiti. Marcus Varro de ætatibus. Ætatum gradus quinque. Pueri, quasi puri, & impubes. Adolescentes. Iuuenes. Seniores. Senes. Ætatum temperamentum.

quæ ni-

quæ nimirum ex ſemine fit,& ſanguine, rebus ſcilicet natura humidis,& calidis. cùm autem hæ ſemper magisq́ ſicceſcant, initiò quidem membranæ, tunicæ, viſcera, & vaſa figurantur. poſtremò autem oſſa, vngues, cartilagines, concreſcente materia abſoluuntur. priuſquam enim hæc vel tendi, vel concreſcere poſsit, nihil ex commemoratis perficitur. MATHETES, Quæ itaq; ex ipſius tenſione fiunt? GERON, Tunicæ, membranæ, arteriæ, venæ,& nerui. MATHETES, Quæ ex congelatione? GERON, Oſſa, cartilagines, vngues, vngulæ,& viſcera. atq; his in vtero abſolutis, infans tandem in lucem prodit: ſummè licet algæ maris inſtar, humidus adhuc, non vaſis tantum, viſceribus, ac carne, ſed etiam ipſis oſsibus, quæ omnium partium corporis humani ſicciſſima exiſtunt: ita tamen, ut obſtetrices tum hæc, tum vniuerſos artus ceræ modo fingere formareq; poſsint. Florens autem ætas omnium naturalium in medio extremorum eſt, vt quæ neq; ad ſummam ſiccitatem, vt ſenium prouenerit, neq; in humido, & madore copioſo, vt infantes verſetur. MATHETES, Videris hîc trium tantùm ætatum temperamenta referre, cùm tamen quatuor & plurium antea adduxeris. GERON, Feci id quidem veterum exemplo: nunc autem tum harum, tum reliquarum omnium temperaturas, apertiùs explicabo. Ac puerorum ſanè humida eſt, & calida: iuuenum, ſiue ætate vigentium, calida & ſicca: declinantium à vigore, ſiue ſeneſcentium, frigida & ſicca: ſenum frigida, & in ſolidis quidem particulis, vt membranis, venis, arterijs, neruis ſimilibusq́ ſicca eſt: in ſpacioſis autem partium regionibus interpoſitis, ſuperuacuo humore ob frigus orta ſcatet: hinc duplici ratione ſenes, tum ſicci, tum humidi, dicuntur. MATHETES, Qualis eſt conſtans ætas? GERON, Inter iuuenes & declinantes, vel ſi mauis dicere ſeniores, ſicut etiam inter pueros, & ſenes, florens ætas media contrarijs, hoc eſt, temperata exiſtit, vt illis conuenit. MATHETES, Quæ verò temperatiſsima eſt omnium ætatum,& optima? GERON, Adoleſcentium, reliquæ omnes ſunt deteriores. MATHETES, Quare hæc alijs ita præcellit? GERON, Quia humor naturæ noſtræ familiaris, nempe ſanguis, ex temperamenti mediocritate in ea præcipuè dominatur. pueri ſanè hunc quoq; obtinent, ſed ob inordinatam ciborum copiam, nonnihil crudi ſucci contrahunt. iuuenes flaua bile redundant, præſertim ſi praua victus ratione vtantur. Conſiſtentes, ac declinantes, melancholicum humorem, vel in ætatis vigore aduſtum excipiunt: vel per ſe ex proprio temperamento colligunt. MATHETES, Cùm itaq; calidiſsimus bilis humor, in iuuenibus magis quàm pueris naſcatur, illinc etiam calidiores hiſce dicentur? GERON,

Ordo generationis partium hominis, dum adhuc eſt in vtero.

Quæ ex tenſione materiæ fiunt.

Quæ ex congelatione.

Florens ætas.

Temperatura puerorum. Iuuenum. Declinantium. Senum.

Senes nunc ſicci, nunc humidi quomodo dicantur.

Conſtans ætas qualis.

Florens ætas temperata.

Ætas temperatiſsima adoleſcentium cur ſit.

Bilis in iuuenibus.

Melancholicus humor in conſiſtentibus, ac declinantibus.

F

Si reliquis omnibus, quæ extrinsecus adueniunt, commutationibus circuncisis, eas quæ ex sola ætate veniunt, differentias ęstimaueris, neuter absolutè calidior videbitur: nam calores eorum qualitate dissident, quæ ex inæquali meatuum cutis perspiratu, vt sic dicam, creantur. MATHETES, Quis est inæqualis illorum perspiratus? GERON, Cùm puerorum essentia humida, vigentium autem sicca sit, multùm quidem ex illa, parum autem ex hac per latentes cutis meatus forâs effluit: vnde etiam calor puerorum magis halituosus, copiosus, & blandus: in florentibus autem fuliginosus, siccus, paucus, & subacris tactu percipitur: atq; sic æqualitas caloris in pueris, iuuenibusq; inuenietur: illic in humida, hîc in sicca essentia. MATHETES, Hoc exemplo declares. GERON, Lapis aliquando æquè calidus, vt aqua esse potest, nec impedit quicquam, quòd ille natura siccus, hæc sit humida. MATHETES, Quomodo autem calidum in ætatibus iudicandum? GERON, Bifariàm: vel in vno eodemq; infantis corpore, vel in pluribus puellis, & iuuenibus inuicem collatis. MATHETES, Non assequor: oro te, clariùs exponas. GERON, Propone tibi puerum, quem ante tempus aliquod noueris, & calorem eius qui tum fuerat, in memoriam reuoces, eiq; qui nunc est, cum illo conferas. nam si quę mutatio omnino in calidum frigidumq; in puero facta videtur, facilè excessum, qui vsq; ad florentem ętatem futurus sit, colligere poteris. ita nimirum, si idem puellus cum ipsomet conferatur, omnes eius externos accuratè similes casus obseruabis, ne quod propter horum aliquem calore & frigore differt, ætatis mutationi attribuatur. MATHETES, Quomodo si plures puellos, cum pluribus iuuenibus conferre oporteat, agendum censes? GERON, Graciles gracilibus, quadratos quadratis, & crassos crassis conferes: similiter etiam illos, qui calore & reliquis omnibus inuicem respondent. Nam si distinctionem in ætatibus inuenire studeas, eam in similibus quatenus licet naturis, tutiùs disquires: in contrarijs autem non item: quòd differentia interdum, non tam corporum quæ inquiruntur, ætatis, quàm naturalis temperamenti gratia existat. Sic etiam corpora quæ tum victu vniuerso, tum temporum in quibus inuestigantur, statu inter se conueniunt, eliges. non autem exercitatum cum ocioso conferes: non lotum illoto: non ieiunum pranso: non sobrium ebrio: non sole vstum cum eo qui perfrixit: non vigilem cum eo qui somno indulserit: non deniq; cum ijs, quibus contraria est vel natura, vel victus ratio, vel quiuis rerum euentus: sed reliqua omnia sunt, quàm fieri licet, paria, vna ætate excepta. MATHETES, Cùm iam anni tempora, ætatibus hominum respondere propemodum videantur,

Caloris puerorũ & iuuenum comparatio.

Calor in ætatibus quot modis diiudicandus.

Comparandorum corporum inter se ratio.

dicantur, velim mihi definias, in quibus illa ab his diſcordent. GERON, Si ipſa per ſe ſpectentur ſingula, hyems ſanè temperamento humida eſt, & frigida: non autem ea de cauſa, quòd reliquis temporibus humidior ſit, & frigidior, cùm id alia quoq; ratione accidat: ſed quòd humidum ſiccitatem, & frigus calorem ſuperet. Eadem etiam ratione æſtas calida dicitur, & ſicca, quod calor & ſiccitas in ea propolleant. Ver autem in omnis exceſſus medio, & temperatum exiſtit: quia neq; frigidum in eo plus quàm calidum, ſicut in hyeme, neq; minus, vt in æſtate valet. Ita ſiccitatis humidiq; æqualitatem in eo ſpectare licet, in quo ſcilicet, neq; ſiccum, vt in æſtate præualet, neq; humidum, ſicut in hyeme exuperat. Quare etiam meritò ſaluberrimum eſſe, & morbis periculoſis minus obnoxium dicitur. At autumnus neq; calidus eſt abſolutè, vt æſtas, neq; frigidus, vt hyems, neq; ęqualiter temperatus, vt ver: imò in hoc maximè ab illo diſsidet, quòd mediam temperiem, & æqualitatem perpetuò parem non ſeruet. Quippe meridie multò eſt calidior, quàm manè & veſperi: nec in humido & ſicco medium omnino ſtatum obtinet, quemadmodum ver, ſed ad ſiccius declinat: ab æſtate verò etiam in hoc vincitur, non tamen tanto interuallo, quanto in calore. MATHETES, Qualis itaq; autumnus vocari debet? GERON, Siccus nimirum, vt in quo humidum ſiccitas vincat: in calore autem & frigido miſtum quoddam ex vtroq; & inæquale dicitur: vnde morbi Hippocratis ſententia expectari ſolent. at facilè eſt colligere, quamuis adoleſcentia veri, iuuentus æſtati reſpondeat, reliquas tamen ætates autumno & hyemi per omnia accuratè non conſentire. MATHETES, Intelligo nunc quantum hominum temperamenta, ętatum ratione mutari ſoleant: quibus autem notis ſingula poſsim agnoſcere, nondum ex te audiui. quare id quoq; mihi paucis, vt ſoles, exponas. GERON, De temperato homine, quem tibi veluti regulam omnium propoſui, non opus eſt, vt plura tibi recenſeam: nouiſti enim adhuc omnia illius ſigna, tum quę ab animo, tum quæ à corpore, vel eius partibus ſumuntur. MATHETES, Quò facilius intemperatorum indicia aſſequar, obiter illa rurſus in memoriam reuoces. GERON, Prima ſanè & præcipua hęc eſſe dico, quę ex ipſius eſſentia ſumuntur, nempe quod non audax, aut timidus, ſed alacris, fortiſq; exiſtat: non iracundus, aut ignauus, ſed manſuetus: non præceps, aut cunctator, ſed prudens: non miſericors, aut inuidus, ſed amicorum ſtudioſus, & candidus: non callidus, aut hebes, ſed intelligens: non qui nimium concubitum appetat, aut formidet, ſed in eo moderatè ſe gerat: adhæc non prodigus, aut auarus, ſed liberalis exiſtat: qui mores, probam cerebri, cordis, &

Temperamenta quatuor anni têporum.

Ver ſaluberrimũ quare.

Autumnus qualis.

Temperati hominis præcipua indicia.

Animi mores.

iecoris temperiem sequuntur. Prętereа quòd simplicium quidem partium, eiusmodi hominis temperatura, medium in calido, frigido, humido, & sicco: nec non in mollitie, duritie, obęsitate, & gracilitate statum obtineat.

Simplicium partium temperatio.

Compositarum harmonia.

In compositis autem, quòd in magnitudine, figura, numero, situ, & simplicium, vnde illa fiunt, connexum, decentiam, ac moderationem repręsentet: in ambobus autem quòd vnionem singulis conuenientem, cùm per se, tùm cum alijs possideat. MATHETES, Quæ sunt minus præcipua & absoluta? GERON, Actiones naturales, vitales, animales. atq; hæ licet minus principales notę existant, necessariò tamen accuratam simplicium particularum temperiem, & multæ ex ipsis instrumentariarum conuenientiam, ambarumq; vnionem comitantur.

Indicia temperati minus excellentia.

MATHETES, Súntne alia adhuc signa? GERON, Sumuntur etiam quædam ex accessorijs, nempe quantitate, & qualitate. vt si ille de quo agitur, sit corpore mediocris, & quadratus: quanquam etiam magnus, & paruus esse possit, si partes eius omnes sint temperatæ, & commoderatæ: item si capite, oculis, thorace, venis, alijsq; partibus moderatis præditus sit.

Accessoria quantitas & qualitas.

MATHETES, Quæ ex qualitate indicia habes? GERON, Quòd toto corporis habitu in calido, frigido, molli, duro, hirsuto, & glabro mediocritatem obtineat: colorem autem ex albo & rubro mistum: capillos in pueritia rufos magis quàm nigros: in adolescentia flauos, & crispos modicè: in iuuentute nigros. adhæc quòd à causis morborum non facilè offendatur. Cæterum hæc signa vniuersa, in aëre & victu temperato obseruari debent, ita vt is de quo iudicium feres, neq; in sole perpetuò versetur, neq; in vmbra deliteat. nam regio temperata & intemperata, aër æstiuus aut hybernus, colorem cutis, mollitiem, & duritiem mutare ac corrumpere solet.

Signa ex qualitate.

MATHETES, Ista mihi ad temperati hominis agnitionem sufficiunt. Eodem modo intemperatorum indicia persequaris: quandoquidem superiùs alios absolutè temperatos, nempe in vtraq; contrariorum oppositione medios, alios in vna quidem temperatos, in altera autem intemperatos esse dixisti, priorum notis iam expositis, posteriorum deinceps similiter expedias. GERON, Antequam de his agam, hoc te admonere volo, temperamenta alia esse naturalia, nempe quę à prima origine talia extiterint, alia verò ex longa consuetudine acquisita, quæ quasi altera natura dicuntur. siccitas enim plęrunq; in humidum, & hoc in siccum mutatur: vnde etiam gracilitas in crassitiem, et crassities in gracilitatem transire solet.

Temperamentorum differentiæ.

Naturalia.

Acquisita.

MATHETES, Vnde hoc accidit? GERON, Ex ociosa & delicata vita, qui natura graciles fuerant, pingues redduntur: hi rursus ex laboriosa vita, curis & tenui victu persiccati, gracilescunt. MATHET.

Quæ

Corporis valdè calidi, humidi autem & sicco temperati notæ.

Quæ signa ergo corporis calore quidem excellentis, humido autem & siccitate temperati existunt? GERON, Animus audax, ad iram procliuus, præceps, iniuriæ vindex, callidus: corpus autem rubidum, quod tangenti calidum percipitur, citoq; incalescit magis: tardè refrigeratur: minus adipis quàm carnis habet, venasq; amplas: mediocriter hirtum: ad venerem procliue, capillis nigris. MATHETES, Quæ autem notæ in ijs apparent, qui frigido quidem excellunt, humido autem & sicco temperati sunt? GERON, Superioribus prorsus contrariæ, vt animus ignauus, timidus, cunctator, obliuiosus, minus sapiens, corpus ipsorum albidum, quod tactu frigidum percipitur, & facilè refrigeratur, ægrè autem incalescit: venerem non appetit: cutem habet rufam, & si frigus nimis excedat, liuidam & plumbeam: adipem moderatam, venas exiguas: caput pilis caret, glabrumq; est, capillos autem rufos obtinet.

Mores contrarij prædictis.

Sicciores natura, calido autem & frigido temperati

MATHETES, Quales sunt sicciores natura, calido autem & frigido temperati? GERON, Prudentes, iniuriæ memores, vigiles & iracundi: corpore sicco, duro, gracili, ad motus difficili, veneris vsu modico saturantur, multo læduntur, sicut etiam à causis alijs siccantibus.

Humidiores, & altera oppositione temperati.

MATHETES, Quibus signis humidiores, & altera oppositione temperati agnoscuntur? GERON, Simplices sunt, animo mobiles, somno dediti, ad venerem satis idonei, & procliues: corpus habent carnosius, & mollius temperato: ab humectantibus facilè offenduntur: atq; in altera tantùm oppositione temperati sunt, in altera intemperati: in reliquis verè temperato conueniunt, his notis quas recensui exceptis.

Calidiores, & sicciores.

MATHETES, Perge nunc intemperatos vtraq; contrariorum oppositione describere. GERON, Calidiores & sicciores acuto sunt ingenio, & prudentes, facilè mouentur ad iram, acres in agendo, vigiles, bellicosi: sin autem calor valde superet, stulti sunt, & insani, nulla in re constantes: corpus ipsorum tactu calidum percipitur, siccumq; impensè, & durum, gracile & hirsutum apparet: si calor multùm exuperet, cutis & capilli nigri sunt.

Calidiores, & humidiores.

MATHETES, Quibus indicijs calidiores & humidiores agnoscuntur? GERON, Simplices magis quàm prudentes, hilares & faceti sunt: corpore ad tactum calidiore, magisq; carnoso, & molliore quàm temperatum est: nec non venis amplis præditi, vbi vtraq; excedit qualitas. sin autem calor plus quàm humidū mediocritatem superet, corpus ipsorum multò adhuc calidius, magisq; hirsutum apparet: paulò autem carnosius, molliusq;, adipis expers, pilis nigris. Quòd si humor copiosus, calor autem modicè excellat, corpus paulò quidem calidius hirsutiusq;, multò verò carnosius & mollius existit, putridis morbis obnoxiū, colore ex albo & rubro mixto. MATHET.

Frigidiores, & humidiores. Quales autem frigidiores, humidioresq́;? GERON, Ingenio sunt stupidi, tardi, negotijs peragendis inepti: si paulùm sanè exuperantem vtranq; qualitatem habeant, corpus ipsorum album, molle, obæsum, & glabrum, venęq; exiles apparent; si verò multùm, pro qualitatum incremento etiam hæc augentur: si plurimùm, color quoq; rufus, aut liuidus, capillusq; rufus cernitur. MATHETES, Quæ frigidorum simul & siccorum notæ existunt? GERON, Obseruare hîc debes alios natura, alios ex ætate declinante tales esse. MATHETES, Qui natura tales dicuntur? GERON, In quibus vel vtraq; qualitas ex æquo, vel altera plurimùm, altera parum à medio recedit. MATHETES, Quibus indicijs vtraq; qualitas cognoscitur? GERON, Animo sunt ingeniosi, graues, integri, interdum maligni, inuidi, fraudulenti, auari, parci, timidi, tristes, taciturni, cogitabundi, solitarij, pertinaces, ad iram & venerem minimè procliues, sed irati non facilè pacantur: corpus tactu frigidum, durum, rectum, tenue, glabrum, & adipem per carnes sparsam, & si illud sit gracile, venas obscuras. MATHETES, Quibus ij, qui alteram tantùm habent vincentem qualitatem? GERON, Huius sanè qualitatis exilia, illius ampliora erunt indicia. MATHETES, Quibus notis distinguntur, qui ex ætatis inclinatione sicciores & frigidiores euaserunt? GERON, Corpus habent durum, gracile, in quo atra bilis abundat, eoq; nigrum & hirsutum apparet, si iuuentus calida & sicca præcesserit: si non, color cutis, capillusq; & pilus frigoris modum, & proportionem sequitur. At in omnibus commune est temperaturæ frigidæ, vel raræ indicium, si corpus facilè refrigeretur: calidæ vel densæ si non facilè. rursus siccæ, si à siccantibus offendatur, aridumq;, & ad motum difficile fiat: sicut humidæ communis nota est, si ab humectantibus lædatur. In coniugijs harum quatuor qualitatum, eius quæ magis excellit, indicia semper eminebunt. MATHETES, Cùm totius corporis temperaturam inquiras, ex quibus potissimùm partibus illius indicia sumenda censes? GERON, Ex cute, & musculis omnia ossa ambientibus, idq; in regione temperata, & in victu moderato. si verò hæ temperaturæ totius naturæ non sunt, sed cordis, aut iecoris, aut vtriusq; naturam præcipuè calidam & frigidam sequuntur, & sunt ascititiæ, aliæ notę apparent, quæ in harum partium temperamento frigido & calido referentur. hæ ipsæ etiam spectari debent in ijs, qui victu temperato vtuntur, & temperatam regionem incolunt. Nam aër æstiuus, nudis, & hybernus, vitaq; vmbratilis, etiam vestitis, signa, quę ex colore, mollicie, & duritia sumuntur, alioqui certissima corrumpunt. Insuper obseruare conuenit eandémne omnes musculi tem-

Frigidiores, & sicciores.

Sicci & frigidi ex ætate.

Totius corporis temperatura.

peratu-

peraturam, an diuersam obtineant. item num partium crassities, vel gracilitas à carne sit musculosa, an ex ossium subiectorum amplitudine, vel ex vtraq;, vel potius ex humore in spacijs inter partes simplices collecto, vnde illæ aluntur. MATHETES Quare autem ista inspectanda obseruandaq; adeò censes? GERON, Quia artus crassiores fiunt, & apparent, si ossa sint ampla duraq; ad tactum: item si caro copiosior molliorq;, illa etiam tenuia integat: vel si vtraq; tum ossa, tum caro sublimiùs circundata, & duritie satis ima appareant: adhæc si copiosus humor inter partes simplices contineatur: sicut rursus tenuiores artus efficit ossium subiectorum gracilitas, vel carnium penuria, vel vtraq;: nec non pauca materia humida nutritoria. humidiores autem efficit caro copiosa & mollis, humorq; ille spacijs similarium receptus amplior, subtiliorq; vti sicciores, pauca, duraq; caro. MATHETES, Particulæ ergo corporis humani non semper eodem omnes sunt temperamento præditæ? GERON, Non: sed in quibusdam sanè omnes æquabili, in quibusdam verò, nec his paucis, inæquabili sunt donatæ. Nam aliæ iusto sunt humidiores, aliæ frigidæ, aliæ sicciores, aliæ calidiores, aliæ prorsus temperatæ, ac mediocres.

Partes omnes nō eodem temperamento præditæ.

MATHETES, Quod corpus ex toto similiter temperatum esse dicis? GERON, Quod in totum æqualiter concinnum est, omniumq; partium inter se conuenientiam in latitudine, longitudine, & altitudine seruat. sin autē thorax, collum, humeri fuerint maximi, lumbi verò parui, angusti, crura gracilia & sicca, certè corpus in quo hæc sunt, æquabiliter affectum esse non potest: sicut nec illud, in quo crura crassa sunt, lumbi lati, & thorax angustus, vel caput maximum, aut paruum, vel crura blæsa, aut vara, vel artuum extrema gracilia, aut crassa, vel exectæ scapulæ sine carne ac nudæ, alarumq; modo prominentes, vel aliæ particulæ statim in vtero matris à naturali proportione, ad intemperiem mutatæ.

Corpus ex toto temperatum.

MATHETES, Ergo cùm de toto corpore iudicium facere oportet, omnésne partes prius examinare conuenit? GERON, Maximè. nam si cui thorax hirsutus est, non ideo illum etiam totum corpus calidius, sicciusq; necessariò, sed caloris plurimum in corde habere, eoq; audacem esse censemus. posse verò aliquando propter hoc ipsum cor accidere, quò minus totum corpus similiter calidū siccumq; sit. Nam si totius corporis temperies est ęqualis, thorax natura his erit latissimus, venæ amplæ, arteriæ magnæ, eædem maximè, vehementissimeq; pulsatiles, tum plurimi per totum corpus pili: atq; ij quidem in capite valde aucti, nigri & crispi, vtiq; in prima ætate, processu autem temporis caluities subsequitur. In tali temperatura totum corpus erit etiam vegetum,

Partes ante corpus examinari debent.

Thorax hirsutus magnum cordis calorem indicat.

Temperies corporis æqualis.

Caluities.

probè articulatum,& muſculoſum: cutis ipſius nigrior,durior,& hirſutior. Ad eundem modum,ſi contraria omnia in thorace ſint, ac æqualis in toto corpore temperies vigeat, hoc eſt, ſi vniuerſæ corporis partes humidiores & frigidiores ſint, thorax quidem anguſtus & glaber erit: ſicut etiam totum corpus pilis nudum, cutis mollis & alba, capilli ſubfului, potiſsimùm in iuuentute. hi in ſenectute nõ caluеſcunt,timidiq; ſtatim ſunt, ignaui & ſegnes, vt antea eſt indicatum. præterea paruis venis,& minimè conſpicuis: multa adipe grauantur, neruis, muſculiſq; imbecillis, artubus parum articulatè coniunctis. MATHETES, Optimè deſcripſiſti quales caſus comitentur,ſi temperamentum totius corporis æquale fuerit: qualia autem ſigna apparent, cùm illud inæquale extiterit? GERON, Cùm inæqualis partium temperies eſt, non poteſt ex vna earum de toto fieri iudicium, eoq; ſingulæ æſtimari debent,quo ſint temperamento præditæ. MATHETES, Vnde partium temperamenta cognoſcentur? GERON, Ex functionibus potius,quàm tactu,aut inſpectione. Non ſolùm autem illæ, ſed etiam affectiones, quæ partibus eueniunt, quarum extrema cutis eſt,examinari debent. MATHETES, Vbiquéne cutis internarum partium naturam prodit? GERON, Non,ſed in temperata tantùm regione: nec omnium quoq;, ſed earum duntaxat, quæ ſimilem ipſi habent temperiem. MATHETES, Cur non ſub ſeptentrione & meridie? GERON, Quia ſub illo calor corporum ab ambiente frigore, & vincente,in altum propellitur: ſub hac autem ab externo calore attractus, in cutem prodit. ideo etiam corporis temperies in regionibus ijs, quæ à temperie receſſerunt,inæqualis viſitur, dum externæ ſcilicet, internæq; partes ad eundem ſe modum non habent. Galli igitur & Germani, omniſq; Thrax & Scyta, frigidam humidamq; cutem habent. ideo etiam mollem,albam, & pilis nudam. His naturis omnibus calor in viſcera vnà cum ſanguine confugit: vbi dum agitatur,peruritur, & feruet. Sunt porrò illi audaces etiam,& pręcipitis conſilij: Æthiopes contra & Arabes, alijq; vniuerſi, qui ad meridiem habitant, cutem ex ambientis æſtu, & naturali calore foràs acto, aduſtam, duram,ſiccam,& nigram acquirunt, ita vt toto corpore natiuum quidem calorem exiguum,alienum verò,aſcititiumq; tum copioſiorem, tum feruеſcentem magis obtineant. Quare attendendum, & in ſingulis corporibus æſtimandum eſt, ſuo & proprio, an aſcititio calore incaleant. quæ enim putreſcunt,omnia aſcititio calore ſunt calida, proprio frigent. Adhæc qui meridianam plagam incolunt, aſcititio calidi, pròprio frigidi ſunt. E conuerſo, qui in ſeptentrione degunt,natiuo pollent calore copioſo, alieno & aſci-

Temperies partium inæqualis, non de toto corpore æſtimanda eſt.

Partium temperamenta vnde cognoſcantur.

Cutis non vbique internarum partium naturam prodit.

Cutis Germanorum, Gallorum, Thracum, & Scytarum.

Meridionales.

Proprius & aſcititius calor dijudicandus.

Meridionalium & ſeptentrionalium calor proprius & alienus.

& ascititio exiguo. MATHETES, At in aliis regionibus minus intemperatis, qualis calor præpollet? GERON, Hyeme naturalis vberior, ascititius minor: æstate contrà ascititius maior, naturalis minor existit. atq; hæc eum definire oportet, qui temperamentum rectè est cogniturus. neq; enim omnino, si cutis nigrior apparet, iam totus homo calidior est, sed si reliqua omnia respondeant. MATHETES, Quænam sunt talia reliqua indicia? GERON, Thorax, venæ, arteriæ, pili cuti respondentes. nam si alter in sole versatus diutius est, alter in vmbra, illi nigrior, huic albidior cutis erit. verùm hoc ad totius temperamenti commutationem nihil facit: ipsa namq; cutis sub sole diutius versata, siccior, in vmbra humidior euadet: non tamen naturalis temperies, vel iocinoris, vel cordis, vel alterius cuiusq; visceris, statim mutabitur. MATHETES, Aërem itaq; cutem mutare docuisti, quænam aliorum casuum sunt causæ? GERON, Calor naturalis in corpore excellens, spiritus vniuersos subtiliores, magisq; concitatos efficit: nec non facultates pro sua natura gubernat, easq; absolutiores, & expeditiores reddit. in cerebro quidem ratiocinationem, quę λογικὴ Græcis dicitur. in corde vitalem, quam θυμοειδῆ vocant, nos irascibilem ac animosam. in iecore verò naturalem, quæ Græcis ἐπιθυμοειδῆς, hoc est, appetitoria nuncupatur. Præterea spaciosas omnium partium capacitates, vt thoracem, venas, & arterias, dilatat, flatuq; distendit, & si humor non desideretur, sanguine ipsas replet. Huius autem pinguior, tenuior, et leuior portio, in calidioribus partibus alimentum quoddam caloris efficitur, quemadmodum in frigidioribus seruatur: cumq; venæ eam extra se in partes frigidiores, quod genus sunt membranæ, transmiserint, concrescit: in calidioribus autem, vt carnosis, absumitur, ac dissipatur: nisi fortè frigidæ temperaturæ, etiam victus ratio liberalior accedens, adipis aliquid carnosis partibus adiungat: quomodo etiam animalia in latibulis delitescentia, non rarò adipe obęsa inueniuntur: nec aliò fœminæ viris pinguiores existunt, quàm quòd illæ his sint frigidiores, & plurimùm domi in vmbra versentur. MATHETES, Si graciles ex calore, pingues autem ex frigido potissimùm nascuntur, vnde habitus quadrati, Gręcis εὐεκτοὶ, seu carnosi fiunt? GERON, Ex sola temperata natura, & mediocri exercitatione. MATHETES, Vnde corpulentia, quæ Gręcis πολυσαρκία dicitur? GERON, Ex humido quidem copioso, calore autem non multùm à mediocritate summa recedente: adhæc ex temperata quidem natura, sed vita ociosa & deside. Verùm hæc corpulentia naturalis non est, sed acquisititia: sicut nec illi, tum qui pingues crassiq; sunt, & venas amplas obtinent, tum qui angustas venas

Regiones minus intemperatas incolentes.

Calor naturalis spiritus & facultates gubernat.

Facultas rationalis.

Animosa.

Appetitoria.

Sanguinis pinguior & leuior portio alimentū caloris fit.

Animalia obęsa quæ.

Fœminæ viris pinguiores cur.

Habitus quadrati seu carnosi vnde.

Corpulentia vnde.

habent, & graciles existunt, natura tales necessariò euaserunt, sed consuetudinis alicuius occasione, eiusmodi habitum consecuti sunt. MATHET. Quamobrem? GERON, Quia habitus gracilis, cum spaciosa venarum laxitate, & harum angustia habituq́ pingui, & crassiore, rationabiliter in alium propemodum recidit.

Pili in singulis temperaturis varij gignuntur.

MATHETES, Vnde quæso pili in singulis temperaturis progignuntur, & cur in his multi, in illis pauci, aut nulli erumpunt: deinde quare in alijs nigri, in alijs albi, in alijs rufi, fului, aut flaui proueniunt?

Excrementa quæ per cutem exeũt. calor naturalis expellit, vt pilos.

GERON, Naturalis calor semper per omnem cutem aliquid difflat, simulq́ interim humoris, aut vaporis fuliginosi, crassiq́ & terrestris nonnihil, educit: verùm halitus celeriter, citraq́ impedimentum transfluit, humor in exilioribus spiramentis non nunquam hęret, aliquid etiam intrò recurrere ad profundum cogitur.

Vapor fuliginosus.

fuliginosus autem, crassusq́ vapor in angustis spiraculis impactus, nec facilè rursus intrò redit, nec vacuari potest. Hunc igitur alius atq́ alius iterum è profundo subiens ferit, prorsumq́ impellit.

Pili quomodo generentur.

Ac ex multis huiusmodi vaporibus fuliginosis alij super alios impacti, tempore coniunguntur, vnamq́ talem materiam efficiunt, qualis fuligo est, quæ foris cernitur, nisi quod spissatum est, id etiam per arctum transitum stipatum, in angustam prorsus figuram redactum est. Vbi autem talis materia totum obstruxerit meatum, deinceps iam violenter icta, similibus sui, quibus exitus non est, recrementis, tota ipsa interim propellitur: adeò, vt cute exire cogatur, iam lori formam adepta. quæ verò in meatu est impacta, quasi herbæ, aut stirpis radici respondet: quæ autem extra cutem prodit, veluti ipsi stirpi assimilatur. atq́ hac ratione & modo, pili generantur.

Hirsutos & glabros quid efficiat.

MATHETES, Cur calida & sicca intemperies efficit hirsutos, frigida autem & humida, prorsus glabros? GERON, Quia calor fuliginosa recrementa copiosè foràs propellit, frigus intrò relinquit. adhæc dura cutis non absimilis caseo recens coacto, perforatur quidem eorum quæ exeunt, impetu: cùm autem ob siccitatem rursus vniri nequeat, meatus ipsos immutatos seruat, qui etiam perpetuò transfluentium ictu, assiduè magis fistulantur. E contrario humida & mollis planè cutis, quasi caseus modò concrescens, vias illorum quę exciderunt, apertas non retinet, partibus eius scilicet, quæ prius dissidebant, rursus vnitis.

Cutis mediocriter hirsuta vnde nuda pilis.

Eadem ratione cutis calida quidem, sed humido & sicco moderata: item sicca quidem, in calido autem & frigido temperata, mediocriter est hirsuta: at frigida omnia temperamenta siue mediocri, siue immodico polleant humore, nuda pilis existũt. Quod autem frigore quodam exuperat, in humido autem & sicco est mediocre, minus glabrum existit, quàm frigidum simul & humidum,

dum, hoc adhuc minus frigidum & ſiccum. MATHETES, Nondum accuratè ſatis rationem eius rei intelligo. GERON, Cutis hominis, ex qua pili oriuntur, inter omnes eius partes, eſt temperatiſsima: pro totius autem corporis temperamento, nunc ſiccior, nunc humidior eſt: non autem adeò ſicca, vt animalium, quæ teſtis, aut cruſtis, aut ſquamis, ſiue tenuibus, ſiue craſsis intecta ſunt, nec vt terra: nam eius ſiccitas maximè ſine humore eſt: quæ verò in hominis, eiusꝗ ſimilium animalium corpore habetur, humoris compos eſt, & maximè omnium ad pilorum generationem idonea. Cæterùm humana, terræ potiſsimùm qualis in vere eſſe ſolet, prѥſertim eius medio reſpondet. in hoc enim illa quoꝗ medio, quodam humidi ſiccitatisꝗ ſtatu, vti cutis, eſt prædita. quæ verò pars veris, æſtati eſt proxima, ea iam ſicciorem iuſto terram reddit: hac etiam magis æſtas iam inchoata. Calida igitur & ſicca cutis, ei terræ ſtatui ſimilis eſt, quæ abeunte ſit vere, vel ineunte æſtate. nam media æſtate ſummè eſt ſicca, vt teſtaceorum animalium tegmenta, non vt hominum. Sicut igitur herbæ nec in ſicca & ſqualente, nec in humida & lacuſtri terra naſci poſſunt, verùm cùm humoris abundantia abſumi cœperit, tum è terra emergunt: largiùs autem augentur, vbi hæc quoꝗ ſicceſsit: modicè quidem in vere, celerrimè autem & plurimùm ineunte ѥſtate. ita pili quoque multi & magni, in calida & ſicca cute proueniunt: in humida & frigida nulli: in ſicca & frigida nonnulli: in frigida autem, & in humido ſiccoꝗ temperata, pauciſsimi. MATHETES, Iam ſatis aſſequor, quo in temperamento pili, aut copioſi, aut pauci gignantur: cur autem colore varientur? GERON, Niger pilus fit, cùm vapor excrementorum vi caloris aduſtus, in accuratam fuliginem mutatur: flauus autem vapor minus torretur: quippe quod tunc inhæret, flauæ bilis, non nigræ, fœculentum excrementum eſt: albus verò ex pituita naſcitur: rufus, ſicuti coloris flaui albiꝗ eſt medius, ſic ipſe ex pituitoſæ bilioſæꝗ fæcis media quadam natura prouenit. MATHETES, Vnde criſpi potius quàm recti fiunt? GERON, Vel ob ſiccitatem temperamenti, vel ob meatus in quibus radicantur. ob ſiccitatem quidem ad eum modum, quo corrigiѥ, quæ igne plus iuſto ſiccantur: imò ipſi pili, vbi igni propiùs fuerint admoti, protinus intorquentur: atꝗ hac quidem ratione omnes Æthiopes ſunt criſpi. At verò propter meatuum, in quibus radicantur naturam, ideo criſpantur, quòd exhalatio ſæpe imbecillior ſit, quàm vt rectam viam ſibi moliri poſsit: adhæc quia, cùm inflectuntur, etiam meatus ſuos figurent. Interim verò exhalatio ſatis valida eſt, ſed à duriore cutis natura recta ferri regione prohibita, in latus flectitur, vt extrinſecus non halitum

Cutis idonea ad pilorum generationem quæ.

Terra in medio vere.

In parte veris æſtati proxima.

In æſtate iam inchoata.

Herbæ qua in terra, & quo tempore gignuntur potiſsimùm.

Pilus niger, flauus, albus, rufus vnde.

Cur pili criſpi.

Æthiopes criſpi.

modò,aut fumum,sed etiam flammam ipsam, cùm sursum agi inhibetur,diuisam,vtroq; versus in obliquum agi videre liceat. Sic igitur & corporis exhalatio,vbi forâs ferri impeditur, obliquum sibi transitum sub cute molitur, donec longiore spacio temporis collecta,per vim erumpat,forasq; transpiret. Est quando ambabus coëuntibus,& primæ exhalationis, quæ meatum finxit, imbecillitate,& cutis siccitate,obliquitas pilorum radicibus contingat. Quales autem in radice finguntur, tales fore perpetuò,rationi est consentaneum. adhæc nullum durum siccumq; corpus, nisi prius molliatur, fingi in rectum potest.

Pili quales pro regione, ætate, & corporis natura esse soleant.

MATHETES, Quales pro regione,ætate,& corporis natura pili esse solent? GERON, In temperata sanè regione modicè nigri, & mediocriter, non prorsus crispi, nec omnino recti:plurimi autem incrementi, & robustissimi.

In regione calida & sicca.

In calida & sicca regione, qualem Ægypti, Arabes, Indi, alijq; complures inhabitant, nigri, sicci,crispi,exigui incrementi, & fragiles.

In frigida, & humida.

Contrà, qui humidam frigidamq; plagam incolunt, vt Illyrij,Germani, Dalmatæ, Sarmatæ, omnisq; Scytica regio, fuluos,tenues,rectos,& modicè auctiles obtinent:in ætatibus ad eundem modum habent.

In ætate.

MATHETES, Antequàm pergas,distinguas mihi accuratiùs, ex qua nam ætate variarum istarum regionum pilos enumerasti? GERON, Florentium tales esse existimo.

Pili infantium, & adolescentiū, in temperata regione.

nam infantium pili rufi, ac fului, in temperata regione esse solent, quales Germani plerunq; obtinent. Puerorum & adolescentium flaui,vel modicè nigri, ac ijs qui temperatum locum incolunt,colore,magnitudine,crassitie,& robore conueniunt.

Iuuenum.

Iuuenum autem nigri, cuiusmodi in Æthiopibus cernuntur. MATHET. Hîc quoq; hæsito,quanam in regione,ætatum iam dictarum pilos intelligere debeam. nam in Germanis ætate florentibus, non quidem nigros pilos, vt tu retulisti, sed flauos plerunq; video. GERON, Nimirum in temperata regione,temperatoq; homine.

Pro natura corporum pili quales.

MATHETES, Quomodo autem pro varijs corporum naturis pili se habent? GERON, Ad ætatum & regionum rationem.

Pueri pilis nudi quare.

pueri enim admodum parui, pilis nudi sunt, eò quòd vtiq; nec meatus vllus in cute illorum, nec fuliginosum recrementum extet.

Cùm pubescere incipiunt, quales.

incipientes autem pubescere,paruos,imbecilles, nunc albos, nunc rufos aut fuluos,pro temperamenti natura habent.

Adolescentes quales habeant.

adolescentes incremento,magnitudine,crassitie,& robore mediocres,colore flauos, aut fuluos,aut modicè nigros:

Iuuenum pili.

iuuenes qui ætate florent,valentiores, multos,magnos, & nigros habent, quòd & frequentes iam meatus sint facti, & fuliginosis excrementis,præ siccitate & calore abundent.

Pili capitis, supercilij, & cilij.

MATHETES, Quid de pilis capitis, supercilij, & cilij, qui etiam pueris nobis nascuntur,sentiendum putas? GERON, Hi

non

non vt herbæ ſponte prouenientes, generantur, ſed vt ſtirpes, quæ prima ratione à natura conditæ ſunt, non temperamentum corporis neceſſariò ſequuntur. MATHET. Obſcurius eſt, quàm vt poſsim intellectu comprehendere. GERON, Herbæ ex innato cuiuſcunqꝫ loci vapore proueniunt: ſtirpes, vt triticum, hordeū, & ſimilia etiam, agricolæ induſtria. atqꝫ ambæ ſic inter ſe dignoſci poſſunt, quòd hæ quidem certis quibuſdam limitibus ſint diſtinctæ, & æquabiliter, & nullis lineis circumſcriptæ. Ita pili qui in maxillis, & alijs membris habentur, à loci humore naſcuntur, ſi is calidus fuerit, plurimi: ſi frigidus, nulli omnino, aut paucisſimi.

Pili malarum & maxillæ.

Qui autem opificis animalium prouidentia, vt in palpebris, ſupercilijs, & capite gignuntur, hi omnibus naturis, calidis, frigidis, ſiccis, humidis inſunt, niſi vltra modum fuerint intemperatæ, qualis eſt terra petricoſa, aut arenoſa. Itaqꝫ generatio quidem horum pilorum, naturę artificis, color autem ętatis temperamento attribui debet.

Pili palpebrarū, ſuperciliorum, et capitis naturæ opificis prouidentia naſci dicuntur.

MATHETES, Cuiuſnam ſunt coloris? GERON, Subfului propemodum. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia, quod meatibus ob copioſum eius humorem, tranſitum facilem & deuſtionem imbecillem inhæret, nondum in totum eſt nigrum.

Pilorum color ætatis temperamento attribui ſolet.

MATHETES, Cur autem facilè creſcunt, & craſsi ſunt mediocriter? GERON, Propter excrementorum quibus aluntur, abundantiam. nam tota corporis pars, in qua fiunt, ſicca eſt: cùm tota quoqꝫ caluaria oſſea ſit, cutis autem, quæ illi eſt circundata, tantò reliqua corporis cute ſiccior, quantò etiam eſt durior. Attamen non parua fuliginoſi excrementi copia, tum ab ijs quæ circa cerebrum ſunt, tum verò ex toto corpore aſcendit: vnde fit, vt quale corpus totum eſt in ætate florentibus, talis ſit cutis capitis infantium.

Cur pili illi facilè creſcant.

MATHETES, Quibus igitur ab initio cutis ſiccior fuerit, ij procedente tempore meritò calui reddentur, ſi verum eſt quod dixiſti, ſeneſcentium partes omnes ſicceſcere.

Qui calui fiant.

GERON, Benè colligis: imò non paucis cutis veluti teſtacea redditur, vbi ſupra iuſtum modum fuerit exiccata, in qua ſicut iam didiciſti, nihil naſci poteſt. Ea ratione interna manuum & pedum cutis, ſemper glabra eſt, & pilorum expers, eò quòd is tendo qui illi ſubeſt, ſiccisſimus ſit, & denſisſimus.

Cutis manuum & pedum cur glabra.

MATHET. At quibus cutis capitis ad ſummam ſiccitatem non peruenit, quales in eis pili habentur? GERON, Imbecilli omnino albiqꝫ fiunt, quos vulgò canos appellant: imbecilli quidem conuenientis alimenti penuria: albi verò, quòd alimentum, quo aluntur, veluti ſitus ſit pituitæ, quæ temporis ſpacio computruit. vbi enim meatus etiamnum manet, excrementum verò exiguum eſt, & lentum, ac languidè à calore propellitur, ſimile quiddam putredini in hoc experitur. MATHE.

Pili cani in quibus, & vnde.

Caluities in syncipite magis, & cani in temporibus potissimùm cur prodeant.

Quare homines cùm senescunt, à syncipite magis caluescunt, & à temporibus canescunt? GERON, Quoniam syncipat omnium capitis partium est siccissimum. adhæret enim illic cutis ossi nudo: tempora verò humidiora sunt, quòd in his musculi magni sub cute habeantur: omnis autem musculus carnosus sit, caro verò tum osse, tum cute humidior. MATHETES, Qui ergo calui fiunt, ij totiúsne etiam corporis temperamento sicco omnes sunt præditi? GERON, Nequaquam. nam fieri potest, vt cutis capitis duntaxat ita sit affecta, reliquæ autem corporis partes sint humidæ: neque etiam si nigra cutis hirsutaque est, ideo totum quoque animans necessariò est siccum. Simili modo, neque si mollis depilisque hæc existat, humidum ex toto animal esse oportet. verùm si per totum æquabiliter est attemperatum, ratio est, vt qualis sit cutis, tales sint & reliquæ partes vniuersæ: sin inæquabiliter, non item. MATHETES, Hoc exemplo clariùs efficias. GERON, Ostreorum totum corpus humidissimum est, cutis siccissima. est enim illis testa qua teguntur, qualis nobis est cutis, vnde etiam nomen græcum ὀστρακόδερμα illis est inditum, quòd cutis eorum testę sit similis. Item locustæ marinæ, gammari, cancri, similiaque animalia, quæ molli testa integuntur, vnde μαλακόστρακα vocantur: cutem quidem habent siccam, reliquam autem totam temperiem humidam. imò verò illud ipsum, in eiusmodi animalibus nonnunquam humidi causa fit, quòd natura siccam, terrenam portionem his vniuersam circa cutem reponat. Non igitur existimandum est, nec quia cutis ostreis sicca circundata sit, ilicò carnem quoque esse siccam: nec quòd caro humida, mucosaque sit, iam cutem quoque esse eiusmodi. quippe vnamquamque particulam ex seipsa dignosci, æquum est. Quare cùm de corporis temperie iudicare volumus, illas prius definiemus, examinabimusque. MATHETES, Quibus notis temperamenta illarum cognoscentur? GERON, Dicam, vbi quatuor principum maximè partium differentias exposuero. Nonnullæ enim principia quædam sunt, & alias gubernant, vt cerebrum, cor, iecur, & testes: nonnullę ab his & processerunt, & gubernantur, vt nerui, spinalis medulla, arteriæ totius corporis, venæ omnes, & vasa seminaria: quædam nec alijs præsunt, nec ab alijs, sed insitis sibi natura facultatibus reguntur, vt os, cartilago, ligamentum, membranæ, adeps, glandulæ, & caro simplex: quædam connatas simul, & à principijs per neruos, arterias, & venas, deriuantes vires habent, vt lingua, pulmo, ventriculus, iecur, lien, renes, & reliqua corporis instrumenta. MATHETES, Quibus pilos & vngues attribuis? GERON, Nullis, vt quæ sint excrementorum soboles, nec vllis præsint, sed tantùm generentur. MATHETES, Recen-

In temperato qualis cutis, tales etiam reliquæ partes vniuersæ.

Partes corporis prius definiēdæ, quàm de illius temperie iudicandum.

Principia aliarum partium.

Quæ proprijs facultatibus regantur.

Quæ proprias, et à principijs vires habeant.

Recenseas igitur singularum partium temperamentorum indicia. GERON, Cerebri naturam, vt ab hoc exordiar, quinque congenita ipsi genera ostendunt. MATHETES, Quaenam obsecrô? GERON, Totius capitis habitus, sensus, motus, actiones principales, & naturales. MATHETES, Ex quibus capitis habitus indicatur? GERON, Ex quantitate, figura, & capillis. MATHET. Quaenam paruitas, aut magnitudo capitis portendit? GERON, Illa sanè, vitiosae cerebri structurae proprium est signum: haec autem non necessariò bonam indicat. verùm si quidem ob insitae facultatis robur eueniat, quo multam atque optimam materiam efformauerit, laudatum est indicium: sin autem ob solius materiae copiam, haud bonum existit. MATHETES, Quibus autem integritas, & vitium illorum distinguuntur? GERON, Figura, & ijs quae ex ipsa processerunt. nam illa si concinna, & ceruix valida sit, alia ossa optimè affecta, & tota neruosa essentia benè habita, & robusta, semper bonum est indicium: sin contrà, malum. MATHETES, Quae est propriè concinna capitis figura? GERON, Qualis est globi accurati ex cera, vtrinque sensim depressi, vt anteriores posterioresque eius partes magis gibbae quàm globi natura postulet, laterales autem rectiores fiant. Sicut autem apta syncipitis forma, cerebri, & neruorum ab eo procedentium, quorum complures quidem sensibus distribuendis dicati sunt, pauci verò motibus destinati, probam structuram ostendit: ita occipitij, & suturae, quae à graeca litera Λ, quam imitatur, nomen habet, concinnitas, cerebelli cerebro annexi, & ab illo prodeuntium, nempe spinae medullae, & neruorum plurium sanè ad motus, paucorum verò ad sensus factorum, optimum statum & robur testatur. MATHE. Quid partes in occipitio depressae, quae magis gibbae esse deberent, indicant? GERON, Si figura non illiberalis & absurda fuerit: item si nerui, ceruix, & reliqua ossa naturaliter habeant, quod rarum est, penuriam materiae, non facultatis formatricis imbecillitatem significant: si deteriùs affecta sint, quod frequens est, principium imbecillum signant. MATHETES, Quid partes acuminatae? GERON, Hîc quoque si figura non inconcinna fuerit, & processus naturaliter habeant, cerebelli bonum est indicium, sicut in magnitudine capitis est distinctum: sin contrà, malum. MATHETES, Quid synciput depressum, aut fastigiatum nimis indicat? GERON, Idem quod occiput ita formatum: si figura vel maior, vel minor non indecora fuerit, & procedentes à cerebro nerui sensorij, qui visum, & odoratum distribuunt, benè affecti, laudatur: sin aliter, improbatur. MATHETES, Vndè capitis habitus bonus vel malus innotescit? GERON, Ex capillorum crassitie, aut tenui

Temperamentorum partium notae.

Cerebri quinque congenita genera

Capitis habitus indicium.

Figura capitis concinna.

Cerebri, & neruorum proba structura quibus indicetur.

Cerebelli, spinae medullae, neruorumque inde prodeuntium habitus boni indicia.

Occipitij partes depressae.

Occipitij partes acuminatae.

Figura concinna.

Syncipitis depressi, aut fastigiati figura quid notet.

Capitis habitus boni vel mali notae.

tate: mollitie, aut duritia: figura recta & plana, aut criſpa, & flexa: colore aut albo, aut pallido, aut rufo, aut flauo, aut nigro: incremento celeri aut tardo: caluitio, aut præmaturo, aut tardiore.

Reliquæ cerebri notæ.

MATHETES, Quæ præter iam dicta, cerebri naturam indicant? GERON, Senſus, viſus, olfactus, guſtatus, auditus, & tactus. nec non motus voluntarius, qui per neruos & muſculos perficitur: adhæc principes animæ functiones, vt apprehenſio, cogitatio, & memoria: poſtremò naturales in cerebro actiones.

Senſus.
Motus.
Functiones animæ principes.
Naturales in cerebro actiones.

MATHETES, Quinque ergo ſunt numero, quæ cerebrum produnt? GERON, Maximè, ſed his quinque generibus accedit etiam, ſi facilè, aut difficulter à cauſis externis commutentur.

Cerebri optimi habitus.

MATHETES, Quæ optimi cerebri habitum notant? GERON, Integerrimæ actiones primariæ, ſenſoriæ, motoriæ, & naturales: ſomnus mediocris: excrementa quæ per aures, oculos, nares, palatum, ſuturas, & meatus alios emanant, modica: mediocritas capitis in magnitudine, & figura concinna: capilli per infantiam ſubrufi, in pueritia ſubflaui, in adoleſcentia flaui, & inter ſimplices ac exquiſitè criſpos medij, vix caluitium ſequitur, ſi regio, & humores in cerebro fuerint temperati. poſtremò quòd illud non facilè ab externis cauſis calidis, frigidis, humidis, & ſiccis offendatur.

Cerebri calidioris humido & ſicco temperati.

MATHETES, Quæ calidioris cerebri, humido autem & ſicco temperati, ſigna apparent? GERON, Inconſtantia opinionum, ſenſuum, motuumque, & ingenij celeritas, ſomni breues, leues, & parum pleni: vniuerſum caput calidius rubicundiusque: oculorum venæ manifeſtiores: excrementa per aures, oculos, nares, & palatum pauca & concocta excernuntur, ſi tali cerebro præditi moderato victu vtantur. plura autem, & non concocta eduntur, ſi cibo, potu, odoramentis, aëre, & alijs omnibus foris accidentibus natura calidis, præcipuè etiam humidis caput repletur, grauaturque, quod illis perpetuò accidit: præſertim cùm nullam victus rationem obſeruant. Capilli his ſtatim oborti in capite celeriter ſuccreſcunt. ſi cerebrum multò calidius temperato fuerit, nigri, validi, & criſpi fiunt: ſi non multò, ſubflaui per initia, deinde nigreſcunt: proceſſu ætatis caluitium ſequitur, præcipuè ſi longè calidius extiterit. adhæc tandem à cauſis calidis internis, & exterioribus facilè offenditur, iuuatur frigidis.

Quæ ſecundum naturam habent, ſimilibus conſeruantur, quæ ab illa longius recedunt, contraria poſtulant.

MATHETES, Hoc mirum mihi videtur, cùm antea ſimilibus conſeruari ſimilia, contraria curari contrarijs docueris. GERON, Quæ ſecundum naturam habent, ſimilia poſtulant: quæ verò à naturali modo longiùs recedunt, contraria: eoque omnis pars à ſimilibus ſuæ intemperaturæ cauſis læditur, modico autem contrariorum vſu adiuuatur.

Cerebri frigidi indicia.

MATHETES, Quæ frigidi cerebri indicia exiſtunt? GERON, Conſtantia opinionum, ſenſuum,

ſuum,

ſuum, motuumq́, & intellectus tarditas, ſomni longi, graues, & pleni: caput neq; tactu calidum, neq; viſu rubrum, ſed pallidum apparet: venæ omnino obſcuræ ſunt: capilli multò pòſt natales orti, tenues initio, exigui incrementi, recti, rufi, & ſtabiles. qui tale cerebrũ habent, canitiem, non caluitium experiuntur, à frigidis cauſis promptè offenduntur, & ipſo læſionis tempore deſtillationibus, & grauedine corripiuntur: à modicè calidis adiumentum ſentiunt. nam valdè calida deſtillationem, grauedinemq́ in eis augent, vt quæ excrementa cerebri colliquent. MATHETES, Qualis ſiccior cerebri eſſentia exiſtit? GERON, Firma & ſtabilis, eoq; formas non facilè ſuſcipit: vnde difficultas diſcendi, memoria fidelis, ſenſuum perſpicacitas, motuũ promptitudo quædam, & plurimæ vigiliæ oriuntur: caput ex ea ſiccum & gracile apparet: excrementa per meatùs ſuperius dictos exeunt: capilli à prima origine celerrimè proueniunt robuſti, criſpi potius quàm recti: caluitium citò ſuccedit: à ſiccantibus facilè læditur, ab humectantibus iuuatur.

Cerebri ſiccioris eſſentiæ ſigna.

MATHETES, Humida cerebri eſſentia nimirum, ſuperiori ne contrarijs ſignis innoteſcit? GERON, Sic habet, fluida eſt, & facilè ideo formas ſuſcipit: hinc diſcendi facultas, obliuio celeris, ſenſus turbulenti, graues, obtuſi, motus tardi: ſomnus paruus & grauis: caput ipſum humidum tangenti, tumidum, & obæſum apparet: excrementa copioſa prodeunt: capilli plani, & ſimplices apparent: canities, non caluitium ſequitur. eiuſmodi cerebrum ab humectantibus offenſionem, à ſiccantibus adiumentum percipit.

Cerebri humidi indicia.

Atq; hactenus ſimplicium temperaturarum cerebri notas commemoraui: ſi placet, nunc etiam compoſitarum, expediam. MATHETES, Amabô referas. GERON, Calidioris, & ſiccioris cerebri indicia ſunt, ſenſus exquiſiti, vigiliæ plurimæ, calor capitis, facies vſq; ad ætatis vigorem rubicundior: excrementa nulla: capilli prima origine quàm celerrimè enaſcuntur, & plurimi alimenti ſunt, colore nigri, & criſpi.

Cerebri calidioris & ſiccioris ſigna.

MATHETES, Quòd ſi paulò calidiùs & humidiùs extiterit? GERON, Tum color capitis bonus, & calor adeſt: oculi ſunt calidiores, & venæ in eis amplæ: excrementa copioſa, mediocriter concocta: capilli recti ſubflaui: caluitium ægrè admittunt: caput à calidis repletur, & grauatur: ab humectantibus autem multò maior excrementorum copia mox accedit. MATHETES, Quę multò calidiùs, humidiuſq́ cerebrum demonſtrant? GERON, Viſus turbulentus, cæteriq́ ſenſus parum accurati: vigiliæ non longæ: ſomnus grauis, interruptus, vigilijs & ſomnijs imaginationum plenus: excrementorum copia, calefacientia, & humectantia, vt Auſter, ſunt ei aduerſa: frigida autem & ſicca, vt Aquilo, amica. caput tali cerebro prędi[tum], morbis eſt

Cerebri calidioris humidioriſq́; notæ.

obnoxium. At si multò humidius, paulò calidius, contrà. quæ ratio communis est omnibus temperaturis compositis. MATHETES, Expecto nunc frigidioris & siccioris cerebri notas? GERON, Sensus omnes in iuuentute accurati sunt, nullo prorsus scatent vitio: processu ætatis qui tale cerebrum habent, subitò emarcescunt: in summa, omnes circa caput celeriter senescunt: caput ipsum tactu frigidum percipitur, & sine ratione decolor apparet: oculorum venæ delitescunt: excrementa inconstanter euacuantur: capilli in lucem ęditis vix emergunt, pauci nutrimenti, rufi, citò canescentes: procedente autem tempore, si humor superet siccitatem, caluitium sequitur. contrà si humorem siccitas, frigus calorem longè excedat, leue caluitium oboriur. Eiusmodi temperaturam causæ frigidæ facilè infestant. MATHETES, Quæ tandem frigidum & humidum cerebrum signant? GERON, Sensus obtusi, & tardi: somnus plenus, isque grauis, & altus: excrementorum copia: capillorum canities, non caluitium. hac intemperatura cerebri donati, frigore, repletione, grauitate, & destillatione affliguntur. MATHETES, Quia iam omnes cerebri intemperaturas, earumque notas absoluisse videris, optime præceptor, oro te, vt priusquam alias principes partes aggrediaris, oculorũ, qui neruos ex cerebro ortos habent, temperamentorum inditia percensere ne graueris. GERON, Temperatos oculos notant, concinna, vel magnitudo, vel paruitas: sed vtraque cum visione perfecta. illa enim multam materiam, hæc paucam: vtraque verò à facultate formatrice benè temperatam significant. quemadmodum inconcinna siue magnitudo, siue paruitas cum visione hebeti, multam materiam, vel paucam, à vi formatrice malè temperatam testatur. At calidiores natura oculos, calor qui tactu manifestè percipitur: item motus facilis, & creber, venæque latæ monstrant: frigidiores, contraria indicant. humidiores autem notant mollities cum multo humore, & tenuis humor copiosus, qui magis ad aquæ naturam accedit. sic etiam cristallinus humor mollior, nec ita copiosus tales ostendit. Sicciores verò, durities & siccitas, tenuisque humoris crassities, & paucitas: crystallinus autem durior, & paulò copiosior aquoso testatur. MATHETES, Quidnam oculos cęsios, quos Gręci γλαυκὰς appellant, efficit? GERON, Humoris cristallini amplitudo, splendor exquisitus, & situs eminentior. adhæc paucitas, puritasque humoris tenuis, & aquosi ad pupillam. MATHETES, Quid vicissim nigros reddit? GERON, Contraria: nempe humoris crystallini paucitas, splendor non exquisitè fulgens, & situs profundus, copiaque, vel impuritas humoris aquosi. At si omnes hæ priores causæ adsint, maximè cæsius: si posteriores, nigerrimus erit oculus:

Cerebri frigidioris & sicc ioris notæ.

Cerebri frigidi & humidi signa.

Oculorum temperatorum notæ.

Calidiores oculos quæ indicent.

Frigidiores.

Humidiores.

Oculi sicciores.

Oculos cæsios quid efficiat.

Oculi cæsi in quibus est fulgor quidam horrendus, & à cæde dicuntur, quòd hanc minari videntur.

Oculos nigros quid reddat.

oculus: si aliæ adsint, aliæ desint, maior & minor fiet glaucedo, & nigredo, pro illarum numero, & viribus. Iam qui mediam harum naturam habent, medijs quoque causis accepti feruntur. MATHET. Satis de his pro re præsenti egisti: nunc viscerum temperamenta exponas. GERON, Antequam id aggrediar, admonendus mihi eris, vbi partem quamcunque vel calidiorem, vel frigidiorem, vel humidiorem, vel sicciorem, quàm anteà factam dixero, me illam non alteri cuipiam rei, sed cum ipsamet conferre. quamuis alicui cor frigidius natura procreatum fuerit, multò tamen calidiorem cerebro calidissimo temperaturam obtinere. MATHETES, Enumeres igitur primùm simplices ipsius temperaturas. GERON, Calidioris cordis signa alia sunt propria, & quæ separari ab eo nequeunt: alia quæ non semper, sed magna ex parte eueniunt. prima quidem sunt pulsus velox, frequens, respiratio magna, audacia: & si calor multùm excesserit, furibunda quædam iracundia, & temeritas: natura ad actiones prompta: thorax hispidus, præsertim pectus: nec non partes præcordijs vicinæ: adhæc thorax latus, simul cum paruo capite. MATHETES, Quæ indicia minus propria, magna ex parte solum contingunt? GERON, Vniuersum corpus calidum, nisi iecur vehementi frigore obstiterit, prę sertim si caput paruum fuerit: vt rursus caput magnum cum thorace paruo, cor frigidius significat. At si thorax capiti respondet, temperaturæ cordis propria signa sunt obseruanda, his quæ à thoracis amplitudine sumuntur, neglectis. MATHETES, Contrariáne indicia, cor frigidum ostendunt? GERON, Vtique: sed ex his quoque alia maximè propria, alia minus existunt, vt quæ etiam non perpetuò, sed plęrunque soleant contingere. ac prima sunt pulsus minores, quàm pro naturæ modo, non tamen necessariò tardiores, vel rariores. Respiratio pulsui respondet, si thorax tantò minor est, quantò cor frigidius: sin autem maior est, quàm frigoris portio requirat, respiratio non solùm minor, sed etiam tardior, & rarior efficitur. Adhæc timiditas, natura ad actiones segnis, pectus glabrum, thorax exiguus simul cum magno capite, frigidum cor reprę sentant. MATHETES, Quænam alia sunt indicia, quæ non semper adesse solent? GERON, Vniuersum corpus frigidum, nisi iecur vehementi suo calore obstiterit: thorax paruus, nisi cerebrum calore multo aduersetur. Siccioris cordis propria sunt, pulsus duri, ira non facilis, sed fera, quæ ęgrè pacari queat. vniuersum autem corpus siccius, nisi iecur humidius obstiterit, plęrunque etiam cor frigidius significat. contraria, humidius, vt pulsus mollis, mores ad iram procliues, sed quæ facilè sedetur: corpus totum humidius, nisi iecur siccius renitatur. Porrò calidioris & siccio-

Cordis temperamenti signa. — *Pulsus.* — *Animi mores.* — *Indicia minus propria.* — *Corpus totum calidum.* — *Caput paruum.* — *Caput magnum.* — *Cordis frigidi notæ.* — *Pulsus.* — *Respiratio.* — *Animi mores.* — *Impropria signa.* — *Cordis siccioris propria.* — *Impropria.* — *Cordis humidioris propria.* — *Impropria.*

Cordis calidioris & siccioris propria. ris cordis notæ sunt (vt composita quoq; temperamenta referam) pulsus magnus, velox, frequens: respiratio magna, velox frequens: multò autem velocior & frequentior, si thorax non sit pro portione caloris cordis auctior. item iracundia, animus præceps, mores feri, ad furorem procliues, qui difficulter placari possunt, alacritas ad actiones, pectus omnium maximè hirsutum, & præcordia. *Cordis calidioris & humidioris indicia.* At calidioris & humidioris notæ sunt, pulsus quoq; magnus, velox, frequens, mollis: verùm arteriæ summissio, quæ Græcis συστολὴ vocatur, celerior quàm eleuatio, quæ διαστολὴ dicitur. Respiratio pulsui assimilis est, si thorax pro cordis caloris portione est adauctus. *Corporis frigidioris & humidioris signa.* Contrà, frigidioris & humidioris indicia sunt, pulsus mollis, animus timidus, non audax, ad iram propensus, nec iræ tenax, pigritia obeundis actionibus, pectus glabrum, quemadmodum *Cordis frigidioris & siccioris temperamenti notæ.* frigidius sicciusq; temperamentum testatur, pulsus paruus, durus, inspiratio moderata, si thoracis paruitas, cordis frigori respondet. si verò minor est thorax, tarda & rara fit respiratio, animus minimè omnium ad iram propensus, irasci autem coactus, iram diu retinet. Atq; hæc de cordis temperamentorum tum simplicium, tum compositorum notis sufficere videntur, si in memoriam reuoces, quæ de proprijs animi moribus, temperaturisq;, & naturalibus, siue insitis, & acquisitis dicta sunt. MATHET. Vtinam reliquarum partium notiones similiter pertractasses. quia autem sine illis, de toto corpore rectè iudicare non possum, *Iecoris calidioris signa.* obsecrô perge reliquas absoluere. GERON, Iecoris calidioris signa sunt, calidior sanguis, eoq; corpus vniuersum calidius, nisi cordis frigus obstiterit: bilis flaua in ætatis vigore copiosior, deinde etiam atra: venæ totius corporis natura amplæ: venter & *Frigidioris iecoris signa.* præcordia hirsuta. contraria indicant frigidius iecur, nempe sanguis, totusq; corporis habitus frigidior, nisi à corde calefiat. nam huius calor, illius frigus potest obtundere. At cordis humor, iecoris siccitatem ad contrarium habitum traducere nequit. siccitas autem illius, huius humorem magis vincit, quàm ab eo vincatur: sicut etiam cordis frigus, multò facilius iecoris calorem superat. Adhæc pituitæ copia, venæ natura graciliores, venter & præcordia glabra, frigidum iecur indicant. *Iecoris siccioris, & humidioris notæ.* Porrò siccius, sanguis parcior crassiorq;, & totius corporis habitus siccior, venæ duriores: contrà humidius, sanguis copiosior, humidiorq;, & corpus totum humidius, nisi fortè cor renitatur, & venæ molliores ostendunt. *Iecoris calidioris, & siccioris signa.* Compositi temperamenti iecoris, signa sunt eadem ferè, quæ in simplici temperatura retuli, nempe sanguis crassior, & siccior, totumq; corpus siccius, bilis flaua copiosa, in vigore ætatis atra, venæ latæ, & duræ, venter & præcordia plurimùm hispida.

Calidio-

Calidioris, & humidioris. Calidioris autem & humidioris, sanguis abundantior, eoꝗ vniuersum corpus calidius humidiusꝗ, nisi cor obstiterit: venæ amplæ, præcordia hirsuta: sed minus prędictis corpus morbis & putredine, humoribusꝗ vitiosis, si vtraꝗ qualitas sit aucta, præcipuè humida, non calida, obnoxium existit. Sin autem calor non humidum auctum fuerit, vitiosis humoribus non laborat. *Frigidioris, et humidioris.* Contrariæ frigidioris & humidioris notæ sunt, vt sanguis pituitosus, totumꝗ corpus similiter habitum, nisi cor impediat: venæ exiles, præcordia glabra. *Frigidioris & siccioris iecoris notæ.* Frigidioris porrò & siccioris, sanguis paucus, vniuersum corpus frigidius & siccius, nisi contraria cordis natura fuerit: venæ angustæ, præcordia glabra. MATHETES, *Cordis & iecoris vna natura quas notas habeat.* Quid si cordis, & iecoris eadem natura fuerit? GERON, Totum quoꝗ corpus illam sequetur, vt si ambo hæc sint calida, illud etiam calidum: si frigida, frigidum erit. sic etiam in cæteris habet. MATHET. *Partium minus principaliũ temperaturæ.* Quomodo partium minus principalium temperaturas cognoscam? GERON, Ex suis singulas actionibus. etsi autem ex cordis & iecoris natura totum corpus magna ex parte condiscamus, tamen testiculorum, ventriculi, & pulmonis temperamenta probè cognita, non parum etiam ad hanc rem faciunt. MATHETES, Quin illas breuiter exponas? GERON, *Testiculorum calidiorum notæ.* Testiculorum naturæ calidioris nota est, ad venerem propensio, fœcunditas in masculis præcipuè procreandis, genitales partes celerrimè pilis obsitæ: *Frigidiorum.* frigidiorem contraria indicant. *Humidiorum.* Humidiorem verò semen largum, & humidum: *Sicciorum.* sicciorem, paucum & modicè crassum. atꝗ hęc sunt simplicium. *Compositæ temperaturæ testium indicia.* Si composita est temperatio, *Calidæ & siccæ.* calidiore & sicciore testium natura præditi, statim ab initio ad venerem procliues sunt, protinus autem ea satiantur, & si ad concubitum cogantur, offenduntur: semen habent crassum, & fœcundissimum: naturales ipsorum partes, eisꝗ proximæ, ad vmbilicum vsꝗ & fœmora media, citissimè fiunt hispida. *Calidæ & humidæ.* Calidiore autem, & humidiore donati, non magis quàm alij concubitum appetunt, sed ex immoderatiore eius vsu minus læduntur. si calor & humor harum partium sint aucti, veneris abstinentia offenduntur: semine abundant: naturalia, eisꝗ vicina loca minus hirsuta prædictis apparent. *Frigidæ, & humidæ.* At frigidiorem, humidioremꝗ testium naturam sortiti, ad concubitum non sunt proni, sed tardè illum appetunt, exercentꝗ: semen tenue habent, aquosum, infœcundum, vel certè fœmellas generant: partes genitales ac vicinas glabras habent. *Frigidæ & siccæ.* Frigidiorem & sicciorem nacti temperationem, semen crassum paucumꝗ obtinent, cætera prædictis similia. MATHETES, *Ventriculi temperati signa.* Ventriculi nunc temperaturarum notas enumeres? GERON, Si is temperatus est, benè concoquit: si intemperatus, malè: *Calidioris.* at calidior de-

teriùs appetit, quàm concoquat: melius autem concoquit bubulam carnem, & quæ difficilia ſunt: facilia verò in ipſo corrumpuntur: ructus ędit nidoroſos, aut fumoſos: cibo potuq; calido oblectatur: modico frigidiorum vſu non grauatur, calidorum extrinſecus adhibitorum ſtatim lęditur, & ſuſtinere ea nequit.

Frigidioris.

Contrà, frigidior ventriculus vehementiùs appetit, imbecilliùs concoquit, præſertim cibum frigidum, & difficilem: ructus acidos plurimos ædit, præſertim à frigido cibo, facilè aceſcente. aliâs tum cibo, tum potu frigido oblectatur: immodico autem horum vſu, & rebus externis frigidis protinus lęditur.

Siccioris.

Sicciorem ventriculum indicat ſitis citata, quæ modico potu ſedatur, plurimo grauatur: fluctuationibus affligitur, & quod in eo abundat, in ſuperficie fluitat: ſiccioribus cibis delectatur.

Humidioris.

Humidiorem verò nulla, aut minima ſitis vrget, humorem largiorem faciliùs tolerat: omnibus quæ humectant, oblectatur.

Ventriculi calidioris, & ſiccioris.

Compoſitæ temperaturæ, ex ſimplicium natura cognoſcuntur: vt calidior & ſiccior ex ſiti maxima. verùm hæc diſtinguenda eſt, à thoracisne viſceribus, an à ventriculo oriatur.

Sitis à ventriculi vel iecoris calore orta.

Nam quæ ab huius, vel iecoris calore ſitis orta eſt, illam præcordiorum calor prodit, eamq; potus præſertim frigidus ſedat: inſpiratus autem aër frigidus non iuuat.

A cordis & pulmonis intemperie generata ſitis.

Quæ verò à cordis & pulmonis intemperie profecta eſt, hanc æſtuans thoracis calor, multa inſpiratio, longaq; expiratio indicant: nec non ipſam aër frigidus inſpiratus, euidenter finit. potus quidem modicè frigidus eam iuuat, non autem ſtatim ipſam reſtinguit.

Ventriculus cur interdum nõ concoquat.

Cruditas ex pituitæ defluxu, in ventriculum.

Ex bile, quam iecur in ventriculum miſit.

At quòd ventriculus interdum difficiliùs cibos præ imbecillitate non poſsit concoquere, id non ſolùm ex intemperie, ſed etiam ex ſucci cuiuſdam aliundè influentis vitio, ſolet contingere. Alijs enim ex capite pituita defluit, vt Romæ, & ſimilibus locis perinde humidis: alijs flaua bilis ex iecore in ventriculum confluit, etſi natura ſint pituitoſi, pingues, calidi, glabri, venis & muſculis parum conſpicuis. MATHETES, Atqui ego id temperamento calidis, gracilibus, hirſutis, muſculoſis, nigris, venoſiſq;, & bilioſis ſolis euenire putabam. quare tu mihi eius cauſam explices.

Bilis quomodo nunc ex inteſtinis ad ventriculum, nunc ad ieiunum inteſtinũ confluit.

Meatus ex iecore modò duplex, modò vnicus.

GERON, In bilioſis naturis nonnunquam bilis ipſa, ex inteſtinis ad ventriculum, plurimis autem non, conſcendit. Cur autem in pituitoſis & obæſis hoc eueniat, hæc eſt ratio: Meatus, per quem iecur bilem in ventrem euomit, alijs geminus eſt, alijs vnicus: ac plurimùm vnicus is inteſtino inſeritur, quod Gręcis ἐκφυσις dicitur, exitusq; fundi ventris, & ieiuni medium eſt. Vel ſi geminus meatus eſt, in exitum fundi ventris maior, in fundum ventriculi paulò ſuprà portas, minor ingreditur: in quibuſdam tamen, licet paucíſsimis, ſuperior pars maior, inferior minor inuenitur. In quibus autem

maior

maior est, his in ventriculum quotidie non parum bilis effunditur, quam vt euomant, ante cibos necesse est, & nisi id faciant, offenduntur. quibus verò vnicus est meatus, ijs tota bilis in ieiunum intestinum confluit. MATHETES, Qua ratione hos discernere inter se licebit? GERON, Totius corporis temperamento: deinde ijs quę infrà excernuntur. nam in quibus multa colligitur bilis, nihilq; ex ea in ventriculum peruenit, mera biliosa perpetuò deijciuntur. in alijs, qui scilicet & pituitoso corporis habitu sunt præditi, & bilem vomunt, haudquaquam aluus biliosa egerit: quippe in illis & minutior bilis portio gignitur, & maxima in ventriculum peruenit. MATHETES, Mirum mihi videtur, quomodo homines natura frigidi, venis, arterijsq; exilibus, & minus numerosis præditi, meatus bilis plures, quàm calidi & venosi habere possint? & si duos habent, cur ex inferiore nihil ferè bilis semper excernatur, plurimùm autem ad stomachum emergat? & si parum bilis in talibus gigni dicas, cur quotidie ventriculus ab eo infestetur? GERON, Rationi consentanea adfers, nec possum tibi refragari. etsi verò Galenus quibusdam geminum bilis meatum, ex iocinore inseri affirmet, & nonnulli hodie anatomici complures se tales vidisse pronuncient: ego tamen rarissimè binos deprehendi, idq; potius in biliosis natura, quàm pituitosis. nam calidis, & siccis temperamento familiare est, vt vomitiones spontaneas, subuersiones stomachi, & animi defectiones experiantur, quoties venter diutius ieiunus à bile torquetur. Nam cùm ventriculus nihil habet quo reficiatur, ab inferioribus biliosum hoc excrementum attrahit. MATHETES, Quando aliâs vomitus biliosus contingit? GERON, Primùm cùm bilis in ventriculo ex igneo ipsius calore, similiq; materia & succo nata, porracei coloris abundat: deinde cùm illa planè flaua, vel calida ex iecore descendit: tertiò cùm pituita in intestinis copiosissima congregatur, quæ meatum summo intestino insertum replet, vt bilis per inferiora descendere nequeat, sed ascendere ad stomachum, ibiq; nauseam, & alios affectus excitare cogatur. MATHETES, Ex quo porracea illa bilis in ventriculo gignitur? GERON, Non ex pane, suilla carne, aut simili quopiam, sed calidiore, maliq; succi necessariò. MATHETES, Ex qua materia flaua, pallidaq; bilis generatur, quæ ex iecore in ventrem defluere, euomiq; solet? GERON, Ex quocunq; cibo, tum mali, tum boni succi: etiamsi probè concoctus fuerit. imò magis in his qui accuratè assumpta concoxerunt, flaua euomuntur: atq; magis adhuc in illis, qui diutius cibo abstinuerunt. Porracea verò in ijs solis gignuntur, qui vtiq; cibos malè in ventriculo concoxerunt. At curæ, tristitia, ira, dolor, exercitia, vigiliæ, ie-

Discretio illorũ, qui bilem aut vomunt, aut deijciunt.

Cur frigidi plures bilis meatus, quàm calidi habeant.

Bini meatus bilis in biliosis magis quàm in pituitosis inuenti.

Calidis & siccis familiare.

Vomitus biliosus quando aliâs contingat.

Bilis porracea vnde gignatur.

Bilis flauæ ex iecore prodeuntis materia quæ.

Bilis in ventriculo orta quomodo ab illa quæ in iecore gignitur, dignosci queat.

iunium, & inedia, flauæ bilis generationem promouent, quoniam etiam in iecore adaugent. MATHETES, Quibus notis ergo bilis, quę temperamenti ratione in ventriculo gignitur, ab illa discerni poterit, quæ ex iecore ad ipsum confluit? GERON, Quòd à ſicco & igneo ventriculi calore, panis, caro ſuilla, & bubula melius, quàm piſces ſaxatiles concoquantur, leuior cibus deteriùs in bilem conuertatur. Bilem verò, quæ ex iecore in ventriculum confluit, nulla concoctionis diuerſitas, præter ciborum commutationem comitatur. Ad eundem modum cùm acidi ructus infeſtant, conſiderandum eſt, propriòne ventriculi affectu oriantur, an pituita ex capite in illum confluens, ipſos excitet. Simili ratione capitis dolores diſcerni debent, num ex propria eius temperie, an propter quædam ventriculi excrementa incidant. Iam cerebrum ipſum cuius ſit temperamenti, per ſe æſtimare eſt ſatius, quàm ex corporis totius affectione. Nam vnaquæque pars, vt antea monui, ſeorſum æſtimari, non autem ex vna, de omnibus iudicium ferri debet. MATHETES, Quare hoc iam ſæpius admones? GERON, Quia cęſij oculi, verbi gratia, ſiue humoris vincentis, ſiue caloris, ſiue amborum iudicium ſtatuere oportet: vtique ipſorum proprij ſic, non omnium totius corporis partium temperamenti, documentum erunt. Neque crura, ſi macra & ſicca fuerint, ideo quoque totius corporis temperamentum ſiccum erit. Alij enim affatim carnoſi, pingues, craſsi, prominente ventre, molles, & candidi, etiam eiuſmodi cruribus donati, cernuntur. verùm ſi totius corporis temperies æqualis fuerit, ſicci omnino erunt, qui macra crura habent: humidi, qui craſſa. adhæc quibus acutus & aduncus eſt naſus, hi ſicci: quibus reſimus, humidi. Si verò inęquale temperamentum, nec omnium particularum idem fuerit, non ex vna de vniuerſis iudicare oportet, ſicut antea quoque de cute diximus. MATHETES, At cum temperamenta pro ætatum ratione mutentur, notæ quæ illa indicant, etiámne variare ſolent? GERON, Non ſemper. fit enim ſæpe, vt præſens nota prioris temperamenti ſit, non eius quod in corpore nunc habeatur: veluti ſi quis annos natus ſexaginta, denſo ſit pilo, non quòd calidus & ſiccus nunc ſit, ſed quòd anteà talis fuerit. Conſiſtunt autem pili anteà geniti, eo ſcilicet modo, quo herbæ, quæ vere ſunt enatæ, nonnunquam æſtate perſeuerant. Alij enim temporis ſpatio, & paulatim hiſpidi plurimùm eſſe deſinunt, latentibus ſcilicet præ nimia ſiccitate pilis. Alij diutiſsimè pili permanent, nimirum qui nec in progreſſu temporis admodum ſiccantur, & à primo ortu valentem habent originem, amborum ritu, quæ radices in terra valenter egerunt. Quare Hippocrates rectiſsimè dixit, ſpectan-

Dolores capitis ab intemperie, et qui ex ventriculi recrementis ſunt diſcernendi.

Non ex partibus de toto corpore iudicandum.

Crura.
Naſus.

Ex toto corpore de partibus iudicium ferre oportet.

Notæ temperamentorum varíant.

ſpectandum eſſe, ex quibus, & in quæ mutationes fiant. nec ideo quemlibet piloſum, ſtatim melancholicum exiſtimandum eſſe: verùm ſi floret adhuc ætas, nondum talem eſſe: ſin iam declinat, melancholicum iudicabis: ſi verò ſenex eſt, non item.

Mutationes ex quibus, & in quæ fiant, ſpectandũ.

Quippe melancholica temperamenta ex ſanguinis aduſtione fiunt.

Temperamenta melancholica ex ſanguinis aduſtione fiunt.

Cæterùm cùm id pati incipit, non ſtatim eſt aduſtus: verùm hirtus, qui calidus & ſiccus eſt, celeriter erit, non autem ilicò melancholicus. Quippe cutis denſitas, craſsiorum recrementorum tranſitum remorans, in temperamentis, quæ ad ſummum calida ſunt, ea comburi cogit. Ita fit, vt tale his non ſit præſens excrementum, quod pilos creat, quale olim procedente tempore in vaſis eſt futurum. MATHETES, Partium temperies ſimilisne eſt excrementorum naturæ? GERON, Non vſquequaque. fieri enim poteſt, vt excrementa quidem pituitoſa colligantur, non tamen particula ſit humida: quia frigida neceſſariò, humida non neceſſariò exiſtit, eò quòd ſicca quoq; eſſe poſsit.

Temperamenta partium, non reſpondent excrementorum naturæ.

MATHETES, Quomodo pituita ſicca eſſe poterit, cùm tu nuper eam frigidam humidamq; eſſe dixeris? GERON, Quia illa non ex ipſo corpore noſtro, ſed ex cibis generatur.

Pituita interdũ ſicca.

Quando autem corpus ingeſtos cibos non vicit, qui humidi fortaſſe natura ſint, non mirum eſt, ſi tunc ipſum quoq; excrementum his ſimile procreant. Ne igitur putes, ſi corpus ſiccum fuerit, excrementum ſimiliter eſſe ſiccum. Nam ſi quis ſtatim ab initio ſicciore, frigidioreq; temperamento fuerit, is non eſt melancholicus, ſed excrementis pituitoſus. ſin autem ex habitus mutatione, frigidus, ſiccusq; eſt redditus, neceſſariò talis iam etiam melancholicus eſt. MATHETES, Declara hoc luculentiùs. GERON, Si quis ſuperiore ætate calidus & ſiccus, ex ſanguinis aduſtione, copioſam bilem atram generarit, is vtiq; præterquàm quòd ſiccus eſt, & frigidus, protinus etiam melancholicus exiſtit: ſin autem à principio frigidus & ſiccus fuerit, habitu corporis albus, mollis, glaber: venis, articuliſq; parùm expreſsis: gracilis, tangenti frigidus, animo minimè audaci, timido, & triſti: non tamen excrementa huic melancholica inſunt. Propriæ igitur notæ, non illæ quæ frequenter tantùm accidunt, obſeruari debent,

Notæ propriæ obſeruandæ.

ſicut nec omnia, quæ calefaciunt, ea quoq; ſiccare cenſendum eſt: quamuis nonnulli ita ſentiant.

Calida non ſemper ſicca.

MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia cùm inflammatas partes, aqua profundentes calida, humorem ab his euacuari cernunt, ſiccitatem calori ſuccedere arbitrantur. neq; id ſolùm, vbi calor cum ſiccitate, verùm etiam vbi cum humore eſt coniunctus. Verùm non eſt idem, vel humorem qui locis quibuſdam ſit diſperſus, ab aliquo euacuaſſe: vel propriam particulæ alicuius temperiem, ſicciorem reddidiſſe. Siqui-

dem partes inflamātæ inæquali in temperie laborant, dum similares quidem nondum proprium temperamentum amiserint, sed assiduè adhuc in mutatione, atq; commutatione versentur, omnibus nimirum quæ intercedunt spaciolis, materia fluida refertis. Quæcunq; igitur calida humidaq; natura sunt, cùm sic affectis admouentur, non modò superfluitates, quæ media similarium spatia occuparunt, euocant, sed etiam partes ipsas humectant. MATHETES, Enumeratis iam tum communibus omnium rerum, tum proprijs humani corporis principijs & elementis, varijsq; eorum temperationibus, obseruande præceptor, suscipe adhuc etiam hoc laboris, vt me doceas, quænam optima ex illis structura, ac habitudo, imò omnium aliarum veluti regula, censeri debeat. GERON, Nimirum ea, quæ apud omnes sanissima dicitur. MATHETES, In quo corpore hæc, & quibus notis deprehendi poterit? GERON, In quo omnes partes benè habent, ita vt simplices quidem idonea constent temperatura, compositæ autem ex his, vt summam in magnitudine, numero, figura, & situ, mediocritatem inter se obtineant: singulæ verò actiones suas rectè & constanter obeant. MATHETES, Ergo eiusmodi corpus difficiliùs quàm cætera, morbis corripitur? GERON, Non modò difficillimè in morbos incidet, sed etiam, actionibus suis præstantiùs, quàm alia fungetur. MATHETES, Qua de causa? GERON, Quia corporis offensiones, partim à causis externis, partim ab alimenti recrementis proficiscuntur. ab externis sanè, vt si quis supra naturæ modum sit excalfactus, aut refrigeratus, aut humectatus, aut siccatus: quibus annumerantur etiam curæ, tristitia, labor, vigiliæ, aliaq; id genus similia. A recrementis autem nimium aut copiosis, aut vitiatis. MATHET. Cur autem corpus moderatè habitum minus afficitur? GERON, Quia moderata ac bona eius temperies, non facilè ad immoderatā peruenit, eò quòd ab externis vndiquaq; plurimùm distet. adhæc, quia eiusmodi corpus actionibus suis probè fungitur, omniumq; præstantissimis succis scatet, faciliùs iram, tristitiam, vigilias, curas, imbrem, squalorem, & summatim vniuersas morborum causas sustinet. MATHET. Hac sanè ratione, excellentem istam corporis structuram, ab externis causis difficulter infestari posse intelligo: quomodo autem ab alimenti excrementis eam minus offendi cognoscam? GERON, Ex ipsius præcipuè natura, in qua neq; copiosi, neq; vitiati succi facilè congregantur, neq; si congregati fuerint, ideo læsio aliqua animantibus inde affertur. Quippe naturalium inter se actionum commoderatio, et vniuscuiusq; ipsarum integritas, recrementa tum gigni non sinit, tum generata facilè excernit: & si quando diutius inhæserint,

Habitudo sanissima.

Corporis offensiones, ab externis causis, & alimenti recrementis.

Corpus moderatum cur non facilè afficiatur.

Causæ externæ.

Internæ.

ſerint, minimè ab ipſis vincuntur. Etenim imbecilles, & intemperatæ naturæ, à morboſis cauſis facilè ſuperantur: temperatæ verò & validæ, qualem eſſe optimam illam diximus, plurimùm reſiſtunt: notas eius antea tibi recenſui. MATHETES, Eximia ergo illa corporis ſtructura ac fabricatio, ſoláne adfert ſanitatem? GERON, Summam quidem, & abſolutam illa efficit, rariſsimaq́ eſt, & omnis bonæ valetudinis, veluti Polycleti regula. quæ autem ab illa parum declinant, nihilominus ſanum etiam corpus, licet non abſolutè, efficiunt. MATHETES, Quare dicis optimum illum corporis ſtatum eſſe rariſsimum? GERON, Quia non frequenter, ſed per longos temporum circuitus gigni ſolet: minus autem perfectus aſsiduè. Porrò qui omnes illius facultates probè memoria tenet, is reliquas inferiores facilè dignoſcere poterit. MATHETES, Ne mihi excidant, quæſo in memoriam reuoces, quæ nuper de corpore prorſus temperato dixiſti. GERON, Medium hoc dicitur, inter molle & durum, inter piloſum & glabrū. adhęc inter illud, quod magnum pulſum habet, & hoc quod paruum obtinet: ſicut inter id quod magnas venas, & illud quod anguſtas poſsidet. MATHETES, Qualénam dicetur, quod compoſitis partibus eſt ad amuſsim moderatum? GERON, Vt vno verbo expediam, veluti Polycleti regula. MATHETES, At quod iam paulò plus iuſtò calidius, frigidum autem, humidum & ſiccum moderatè fuerit, & partem vnam aliquam non rectè figuratam habeat, quale dicetur? GERON, Id etiam ſuperare interdum, moderatum videtur: verbi gratia, quod durius quidem illo eſt, ab externis cauſis minus afficitur: quod verò mollius, ab interioribus: ſic etiam denſius externis: rarius internis, minus eſt obnoxium. vnde in quo plus excrementi per cutem difflatur, id valentius: in quo autem minus, infirmius id exiſtit. MATHETES, Quod nuper moderatum dixiſti? GERON, Quod iam neq́ rarum, neq́ denſum, ſed inter omnes exceſſus medium eſt, vtrunq́ id quod excedit, in aliquo ſuperat. MATHETES, Hæc non aſſequor. GERON, Denſum à cauſis externis: rarum ab internis, minus offendi: medium ab vtriſq́ prorſus tutum eſſe docui. Quod inter omnes exceſſus medium obtinet, mediocriter illis reſiſtit, idem omnium maximè ſanum cenſemus. Rurſus quod eo ſiccius eſt, humectantibus cauſis, quod humidius, ſiccantibus validiùs repugnat. MATHETES, Quid audio? oratio tua huc tendere videtur, vt medium illud corpus, non omni ex parte cæteris vniuerſis minus iniurijs oportunum, ſed in aliqua ſingulis ſit inferius: quanquam id nemo non deligere præ alijs debeat. ſed quam eximium illud corpus quod deſcribis, habet magnitudinem? GERON, Nec

Naturæ intemperatæ facilè à cauſis morboſis ſuperantur.

Status optimus rariſsimus.

Medium quid.

Inter compoſita medium.

Moderatum.

Temperatum maximè ſanum.

Moderati corporis magnitudo.

magnum, nec paruum exiſtit. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia magnitudo, humoris vel materię abundantiam, paruitas ipſius materiæ defectum, vel immodicam ſiccitatem, vt anteà admonui, comitatur.

Corporis humani incrementũ quouſq; tendat.

MATHETES, Quouſq; corporis humani incrementum ſe extendit? GERON, Donec oſſa firmum robur adepta ſint. in paruo autem corpore, vel ob materiæ penuriam, vel ob ipſam ſiccitatem indureſcunt, firmaq; redduntur. ideo neque magnitudo, abſolutè humoris indicium eſt, neq; paruitas ſiccitatis. Singula namq; ob duplicem occaſionem, ab incremento vel maturiùs, vel ſeriùs deſiſtunt. Quòd ſi in magno corpore mollitiem, in paruo duritiem protinus deprehendis, erit profectò illud humidum, hoc ſiccum. verùm ſi ſeparari inuicem nequeant, ſuperuacuum eſt ad magnitudinem, aut paruitatem reſpicere, cùm propriæ temperamentorum notæ ſufficiant. MATHETES, Duo ergo hæc corpora, tum magna tum parua, particulas moderatè conſtructas habere poſſunt?

Temperatiſſimum corpus.

GERON, Maximè. nam corpus quod nec denſum euidenter, nec rarum, nec durum, nec molle ſit, nec item piloſum, nec glabrum, quantamcunq; magnitudinem habeat, temperatiſsimum exiſtit. quòd ſi etiam compoſitæ eius partes, moderationem quandam inter ſe conſequantur, idem corpus erit etiam aſpectu pulcherrimum, cùm ipſius ſtructura omnino ſit integra.

Optima corporis ſtructura.

MATHETES, Si itaq; optima corporis ſtructura, ex bona ſimilium partium temperie, & æquali compoſitarum moderatione conſtat, quemnam habitum illam obtinere dicis? GERON, Nimirum bonum, quem Græci εὐεξίαν appellant.

Habitus bonus quis.

Habitus malus quis.

MATHET. Huncné aliæ quoq; corporum naturæ ſortiuntur? GERON, Non in totum vnaquæq;, ſed qui malus, aut abſolutè, aut alijs comparatus dicitur, in quauis ſtructura conſiſtit. MATHETES, Ergo qui bonam abſolutè habitudinem accuratè cognoſcere velit, eum optimæ ſtructurę notitiam habere oportebit? GERON, Indubiè. nam cùm amplam ipſa habeat latitudinem, incrementum, græco nomine εὐεξία, id eſt, bona habitudo, à priſcis tum philoſophis, tum medicis nuncupatur. defectus autem, & remiſsio, peculiare nomen non habent, ſed pariter atq; ipſum genus, ſanitas appellantur: quô fit, vt bona habitudo, optima quędam valetudo exiſtimetur, eoq; in corporibus optimè conſtructis gignitur. Quodcunq; enim tale non fuerit, id optimam valetudinem non ſuſcipit, nec bonam ipſam habitudinem adipiſci poteſt. MATHETES, At quid ſentiendum de illa, quæ comparata alicui bona habitudo dicitur?

Habitudo bona ad aliquem relata.

GERÔN, Ad ſingulorum naturam accommodatur, nec bona abſolutè, ſed cum appendice quadam, vel Hippocratis, vel Democratis habitudo, bona vocatur. Milonis autẽ Herculis & Achillis,

bona

bona ſimpliciter habitudo citra vllam additionem erit: ſicut & formoſus Abſolon abſolutè. Simia verò haudquaquam ſimpliciter, ſed quatenus ſimia formoſa. ſic etiam athletarum admodum boni habitus, cum appendice boni dicuntur, vt quos Hippocrates minimè tutos eſſe ſcribat. MATHETES, Ergô boni habitus etiam ſunt periculoſi? GERON, Bona quidem habitudo abſolutè, vbi ad ſummum peruenerit, minimè eſt periculoſa. Imò ea cùm ad ſummum euecta eſt, inter omnes corporis ſtatus tutiſsima habetur: ſed athletarum bona habitudo, cùm nec optima corporis affectio, nec habitudo abſolutè bona exiſtat, meritò cùm ad ſummum peruenerit, periculoſiſsima cenſetur, vt quæ à natura non proueniat: vnde fit, vt ſanus habitus ea ſit melior. MATHET. Quid eſt ſanus habitus? GERON, Summa ipſius perfectio, bona habitudo. athleticus autem habitus, non abſolutè, ſed cum additione vocatur, vt ſimia perpulchra, cubitus magnus, chœnix iniuſta, drachma adulterata. MATHETES, Quo modo hæc intelligam? GERON, Non alio, quàm quo communis docendi ratio poſtulat. nam cubitus magnus, non abſolutè cubitus, ſed totum hoc, cubitus magnus appellatur. ſic chœnix iniuſta, non chœnix ſimpliciter, ſed vniuerſum hoc, chœnix iniuſta dicitur. Eodem modo in aliјs omnibus, id quod abſolutè citra vllam adiectionem nuncupatur, non eandem habet naturam, quam ea quæ cum appendice nomen ſortiuntur. ſed illud quidem, cum ad ſummum peruenit, laudem: hoc autem reprehenſionem forſan meretur. quemadmodum etiam bona athletarum habitudo, non ſolùm ab Hippocrate, aliјsq; veteribus medicis, ſed etiam à preſtantiſsimis philoſophis meritò vituperatur. MATHETES, Quamobrem tantoperè contemnitur? GERON, Quia Plato eam libro tertio de Repub. ad naturales actiones inutilem, nec non ad ſanitatem minimè tutam eſſe oſtendit, vt quę non abſolutè bona corporis temperies, ſed grandis quædam ipſius moles exiſtat, nec queat gigni, niſi immodicè quiſpiam ſe expleuerit. atq; hac de cauſa nec tuta eſt, nec vſum vllum ad ciuiles actiones adfert. MATHETES, Cùm itaq; nullius ſit momenti, cur hanc cum verè bona conferendam cenſes? GERON, Nimirum vt accuratiùs cognoſcamus, & perſcrutemur, quidnam vtraq; in ſe commune, quid contrarium habeat. nam proba omnium partium temperies, validæq; actiones, tum bonæ reuera habitudini, tum athleticę communes exiſtunt: & ſi hæc, bonus quoq; corporis humor: contraria verò ſunt, ſanguinis, & totius ſolidarum inter ſe partium molis mediocritas, quæ in accuratè bona habitudine, & immoderatio earundem ipſarum, præcipue autem carnoſi generis, in athletarum ha-

Athletarum habitudo periculoſa

Habitus ſanus.

Athletarum valetudo cur repræhenſione digna.

Athleticus habitus cur periculoſus.

bitudine deprehenditur: quæ vbi ad ſummum peruenerit, tuta eſſe non poteſt. MATHETES, Quamobrem obſecrô? GERON, Cùm enim liberaliùs commedere, corporis augendi, & ad pugnas corroborandi gratia, cogantur, ventriculusq; eorum valdè, concoquat, ac alimentum facilè poſt concoctionem diſtribuatur, mox ſanguis generetur, apponatur, agglutinetur, ſiue adhæreat nutriatq;, periculum eſt: ne ſupra modum expleantur, nullusq; naturæ ad appoſitionem alimenti locus relinquatur, eoq; venis immodico ſanguine oppletis, natiuus calor perſpiratu impeditus, ſuffocetur, & reſtinguatur. ſin autem calor adhuc obſtiterit, quædam vel ex pulmonis, vel iecoris, vel pectoris præcipuis vaſis rumpuntur, vt quæ molliori cõſtant tunica, quàm quæ in cæteris membris habentur, & alimentum prius ſuſcipiunt. Præterea ſanguis bullientis cuiusdam inſtar efferueſcens, tum ob naturalis caloris copiam, tum ob aſsiduas actiones, tunicas ipſarũ, veluti muſtum dolia diſrumpit. MATHETES, Iſta ergò ex immodica repletione proueniunt? GERON, Vtiq;: nam calor innatus, à nimio in venis ſanguine extinguitur, venæq; ipſæ rumpuntur. MATHETES, Quòd omnes corporis noſtri temperaturæ, tum optimæ, tum mediocres, tum prauæ, ita vt docuiſti habeant, nón poſſum non tibi aſſentiri. quia verò nondum in corpore ipſo, ſingularum partium ſtructuram ac fabricationem perſpexi, valdè mihi difficilis earum notitia eſſe videtur. GERON, Rectè iudicas. ego enim nihil te vnquam egregij in medicina facturum puto, niſi prius harmoniam illam corporis humani, ex apertione, atq; conſectione, quam Græci vocant ἀνατομὴν, perſpectam habueris. MATHETES, Oro igitur te perchare magiſter, vt in hac quoq; me erudias, ne temerè tum in toto corpore, tum in eius partibus curandis quicquam tentem. GERON, Iam ex docendi labore nonnihil ſum defatigatus, cras, ſi gratum erit, maturiùs me accedito.

Calor innatus in athletis extinguitur.

Ioannis



Ioannis Guintherij Andernaci Medici Clarissimi

DE MEDICINA VETERI ET NOVA COGNOSCENDA, COMMENTARII PRIMI

DIALOGVS QVARTVS.



ATHETES, Adsum rursus tuo iussu honorate praeceptor, vt me totius corporis humani fabricationem, partitionemq́ doceas. GERON, Rectè fecisti, quòd tam manè adueneris. antequam enim vnam anatomes partem absoluero, dies nos deficiet. MATHETES, Quot sunt igitur vniuersae illius partes, & quae? GERON, Quatuor potissimum. Prima nanq́ ossa contemplatur, ac Graecis ὀστεολογία dicitur: altera viscera, & interanea ventris, thoracis, & capitis: tertia musculos, & neruos: quarta venas, & arterias continet. MATHETES, Possunt ne haec omnia vno in corpore simul conspici? GERON, Non facilè. veteres enim ante Galeni tempora, praesertim in Alexandria, primum adolescentibus cadauera assicata, quae graeci σκελετοὺς vocant, inspiciunda, examinandaq́ proponebant, vocabantq́ eam anatomes partem ὀστεολογίαν. Deinde integra corpora recens defuncta aperire, incidere, & perscrutari docebant, indicabantq́ initio, ventrem inferiorem, ab hoc thoracem, inde caput, & suas cuiusq́ partes explicabant. Postea in alijs corporibus, musculos & neruos, in alijs venas, & arterias, tum interiores, tum exteriores exponebant. Hanc nos quoq́ docendi rationem olim Lutetiae ante annos triginta in anatome celebranda obseruauimus. Deinde cùm alij, tùm Andreas Vesalius, qui antea mihi medicinam publicè profitenti operam dabat, & post hunc Realdus Cremonensis, insignis medicinae professor, in amplis suis de re anatomica voluminibus eandē imitati sunt. Ad quos sanè nunc te remitterem, nisi prolixiores difficilioresq́ tibi adhuc parum in consectionibus versato, esse putarem. Qua de causa commodius fore existimo, si prius in hisce meis rudimentis, ad ingenium tuum accommodatis, erudiaris, omnibus contentionibus, & anatomicorum controuersijs omissis. Huius autem te antea admonitum esse velim, quàm institutum aggrediar, anatomen non solum ex auditione, librorumq́ lectione, sed etiam ex inspectione corporum, & fide oculata (vt ait ille) cognoscendam esse. MATHETES, Pro tuo arbitratu & iudicio agas: ego diligenter ausc[ul]tabo, & intue-

bor. Cur autem oſsium hiſtoriam, cæteris anatomę partibus prę-mittendam cenſes? GERON, Quatuor de cauſis. primùm, quia oſſa inter partes ſimplices duriſsima, ſicciſsima, & maximè terreſtria, veluti fundamenta corpori ſubijciantur, quibus hoc innitatur. Quod enim pali in tentorijs, & in ædibus parietes, id oſſa in animalium corporibus ſuſtentandis præſtant. Deinde quia corporis noſtri figura, partiumq́ue eius effigies illis reſpondet. Nam ſi animalis caluaria ſit rotunda, cerebrum quoq; tale neceſſariò erit: quemadmodum, ſi illa oblonga ſit, hoc quoq; figuram talem induit: ita ſi maxillæ paruæ, facieſq́ue tota ſit rotundior, muſculi quoq; parui erunt: ſi rurſus illæ fuerint longæ, hi quoq; tales apparebunt, vt qui oſsibus extrinſecus adhęreant, magnitudinemq́ue eorum, & figuram imitentur, ſicut hos arteriæ, venæ, & nerui. Tertiò, quia ex oſsibus probè cognitis, etiam muſculorum inſertiones, neruorumq́ue proceſſus, & vaſorum quorundam ductus, accuratius perdiſcuntur. Poſtremò, quia medicus oſſa, cùm franguntur, vel luxantur, minimè curare poterit, niſi naturalem eorum ſtructuram, & compoſitionem anteà habeat cognitam. tunc enim optimè vitioſa cognoſcet, vbi ea prius, quæ naturalem modum conſeruant, intellexerit.

Ordo, qui in hoc libro ſeruabitur. Quia verò oſſa inter ſe variant, figura, magnitudine, numero, & ſitu, primùm obiter ſingula recenſebo: deinde mirabiles ipſorum commiſſuras ad ſtabilitatem, ad artus firmandos, ad motum, & ad omnes corporis actiones accommodatos, interpretabor. Quod ſi anatomici recentiores in operoſis illis ſuis, & nimium prolixis commentarijs feciſſent, minus obſcuri & difficiles eſſent.

Caput. Suprema igitur totius oſſeæ compagis & ſtructuræ pars CAPVT eſt, ex pluribus vtrinq; oſsibus affabrè connexum, quæ veluti fornicem, & cameratum quiddam repręſentant, vnde Grę-cis τὸ καμάρειον καὶ ψαλλοειδὲς dicitur.

Caluaria. Os huius eminentius, nobis caluaria, Græcis κράνιον vocatur: ab interiore parte concaua, ab exteriore gibba, vtrinq; læuis, & quà cerebri membranam contegit, & quà cute capillorum gignente, contegitur. Hac ſummus ille rerum opifex, principem animam, veluti munimento conſeruare voluit.

Caluaria quibus oſsibus conſtet. MATHETES, Vnóne ac ſimplici oſſe illa conſtat? GERON, Nequaquam: ſed pluribus inter ſe connexis, figura inuicem diuerſis.

Quot & quæ ſint caluariæ oſſa. MATHETES, Quot igitur illius ſunt oſſa, & quæ? GERON, Octo: vnum ſane in anteriore illius parte,

Os frontis. quod frontis os nominant, rotundum quodammodo, & iuxta ſuperiorem oculorum regionem tenue. in hoc etiam foramen (de quo poſtea) cernitur, vtroq; in latere ad ſupercilium medium pertingens. non ſemper autem vtrobiq; perfectum ac globoſum exiſtit, ſed plęrunq; ſinum

Ossa sincipitis duo.

num semicirculi modo exculptum duntaxat obtinet. Huic propinqua sunt alia duo, in vtroq; capitis latere singula, quæ sinciput constituunt, quadrilatera, cauernosa, rara, & omnium capitis ossium firmißima, præsertim quà ad verticem tendunt: vnde est, quod non modò sinciput, sed etiam superior frontis regio, in infantibus recens natis, ad tres menses vsq;, inter mandendum respirandumq; moueantur, & palpitent. nam tenera, mollia, & quasi membranea adhuc existunt: vnde cerebrum manifestè attolli, & summitti in illis conspicitur: paulò autem pòst sermonis initium, obdurescit. Quartum os est occipitij, quod Græcorum literæ Λ figura simile, sincipiti ad superiorem capitis partem connectitur. omnium id firmißimum, densißimumq;, et in media ipsius regione etiam craßißimum: in reliquis autem tenue quidem insigniter, sed nihilominus solidum, validumq; existit. vbi idem craßius est, cauernulis valida lamina obductis, scatet: vbi verò tenuè, minimè cauernosum cernitur. Ne igitur propter tenuitatem iniurijs maximè pateat, tuberculum habet oblongum, in medio ipsius lineæ instar exporrectum: præterea tum intus, tum foris lęue & æquale: ad inferiorem verò eius terminum, asperum, & inæquale deprehenditur: quò commodiùs nimirum ligamenta, & musculorum tendines edat, excipiatq;. Cæterùm foramen omnium quæ capiti insunt, maximum obtinet: cuius anteriore parte, sensim in angustum cogitur, tandemq; in amplam craßitudinem desinit. vtroq; verò eiusdem latere, duo capitula exigit, quæ primæ ceruicis vertebrę insinuentur, capitis flectendi extendendiq; gratia. MATHET. Quęnam reliqua sunt ossa? GERON, Quæ tempora à superiore parte capitis discernunt, & totis oris paulatim squamarum ritu extenuantur. vnde etiam Græcis λεπιδοειδῆ dicuntur, in vnguemq;, vt ait ille, committuntur: nempe vt inferiora ossa, superioribus leuiter insideant: in inferiore verò ipsorum sede, crassa, duraq; adeò existunt, vt saxea videri poßint, vnde etiam Græcis λιθοειδῆ, quasi dicas petrosa, nominantur: ob quod nullus capillus, vt verisimile est, ea parte gignitur. In his oßibus singulis, amplum & anfractuosum foramen auris apparet, quod primò rectum & simplex, procedendo flexuosum, ad cerebri sedem pertingit: deinde verò in multa alia foramina tenuia diducitur, per quę facultas audiendi nobis datur. Ab hoc meatu, alia bina itinera ducuntur: quorum hoc cæcum, anfractuosum, angustumq; est: alterum, etsi cæcum similiter existat, tamen minus flexuosum & arctum apparet. MATHETES, Auditus hoc instrumentum, solidóne temporum oßis processu, aliquo introrsum tendente constat? GERON, Non: sed ex tribus vtrinq; oßiculis, quorum veteres

Ossa in infantibus tenera.

Occipitij os.

Os occipitij quale intus.

Foramen occipitij oßis.

Temporum ossa.

Foramen auris.

nullam mentionem fecerunt: recentiores duo tantum inuenerunt: hodie tria in vtraque aure conspiciuntur, coniuncta inuicem & colligata reperiuntur, membranis suis adnata, auditorio instrumento nimirum accommodata. Duo ex eis spongiosa sunt, & medullæ nonnihil pro eorum portione continent. tertium ob nimiam ipsius tenuitatem solidius existit. MATHETES, Quomodo inueniri per incisionem possunt? GERON, Partes quæ circa meatum auditorium consistunt, leniter, & sensim derimes, meatumque aperies, donec in conspectum veniat: vbi iam ad mediam ferè ipsius sinus sedem, scalpello circa membranam illi obductam, cauernososque sinus replentem, penetraueris, essentia ipsa apparet. MATHETES, Quem singula habent situm, & figuram? GERON, Primum propinquius est foramini interno, longiusculum, & inferiùs mucronis instar in aciem tendit: altera parte caput habet oblongum, & rotundum: nec non duos processus repræsentat. quà tenuè & acutum est, membranulæ inseritur, quæ ipsi & secundo osiculo intenditur: quà verò crasius est, & capite insignitum, illam ipsam membranam tympani modo quatit, cuius gratia malleus ab vsu magis quàm à figura dictus est. MATHETES, Quale secundum osiculum existit? GERON, Crasiusculum superiore parte est, & planum, vt incudem referre queat, vnde etiam ex re nomen accepit. nam primi osiculi, malleoli dicti, ferientis ictus excipit. Cæterùm in duos tenues, acutosque processus, veluti crura desinit: quorum alter tertio osiculo inseritur, ac membrana ibi annexa confirmatur. quidam hoc denti molari, qui radices duas, hanc longiorem ac tenuiorem: illam crasiorem, ac breuiorem habet, comparari aptius dictitant. sed nihil refert, incudi, an denti conferas. hîc vsus, illic figura potisimùm spectatur. MATHETES, Quare natura hæc duo osicula sic composuit? GERON, Vt crasiore parte se respiciant, ac penè contingant. Quia cùm auditio ex aëris motu fiat, huius ictus in meatum ad osicula ipsa defertur, ibique fit repercusio quædam sonitus, qui sentitur, ciendi gratia. nam osicula ista membrana cedente moueri, atque inuicem confricari, est consentaneum. MATHETES, Vbi tertium osiculum consistit? GERON, Intra meatum auditorium, in cauernula quadam leuiter rotunda situm est, cauum, et perforatum, ferreo instrumento, quo equis insidentes, pedes sustentant, non absimile. Cæterùm ossa temporum, de quibus nuper dixi, tres habent processus: primùm sanè obliquum, tenuem, & perquàm solidum, sed ita tamen, vt interdum leui de causa abrumpatur. Græci varijs eum nominibus, nunc à calami scriptorij, & styli similitudine γραφιοειδῆ, καὶ στυλοειδῆ: nunc ab acu βελονοειδῆ: nunc à galli galli-

Osicula tria auris.

Osiculorum situs.

Tres osium temporum processus.

gallinacei calcari πλῆκτρον appellant. Alter processus à mammę papilla μαστοειδής dicitur. Tertius longior, tenuiorque ad os iugale pertinet, eique inseritur. ad huius autem processus radicem, sinus ante meatum auditorium imprimitur, maxillæque cornu excipit. At reliqua temporum ossium portio, quæ sinciput spectat, ampla, tenuis admodum, solidaque & læuis extrinsecus est: intus autem inęqualis, & minimè cauernosa. quæ verò imam capitis sedem respicit, aspera est, & inæqualis. MATHETES, Quod septimum os capitis esse dicis? GERON, Id quod imæ capitis regioni, iuxta palatum subiacet, contiguumque habet occipitium. imò quod inter caput, & in alas cunei instar, medium infixum est, vnde Græcis σφηνοειδὲς dicitur, vnicum ac coniugis expers. quidam sanè capitis, quidam verò malarum ossibus annumerant, quòd in media illorum regione consistat, & vtriusque sit particeps. ego verò capiti attribuo, eò quòd non minimam caluariæ amplitudinis, quà cerebrum conditur, regionem occupet. Galenus id, quà à cauis temporum locis, ad dentes posteriores, & palatum procedit, eoque finit, os palati nominat. quà autem occipitio cohæret, basim cerebri, eoque vulgares, os basilare nuncupant, quasi cerebro substernatur, aut aliorum caluariæ ossium, ceu fundamentum existat. MATHETES, Quam hoc figuram obtinet? GERON, Non vnam, sed multiplicem, vnde etiam veteres Græci id πολύμορφον iure appellarunt. quippe ad latera & cauam temporum regionem, tenue solidumque admodum: in medio autem, & quà occipitio cohæret, omnium caluariæ ossium multò crassissimum apparet. adhæc extrinsecus quidem continuum, & solidum vndique cernitur: intus autem rarum, & tenuissimi pumicis modo latebrosum, spongiosumque, & vacuum existit, vt recrementa à cerebro manantia excipiat emittatque. ea verò parte, antra duo spaciosa, tenui quodam osseo distincta septo, obtinet: sub ima verò huius sede, aliud etiam exiguum antrum delitescit. MATHETES, Qua parte huiusmodi spaciosæ cauernæ ac specus patent? GERON, Nusquam, nisi ad narium foramina. quippe per totam eorum superficiem osse obsepiuntur. MATHETES, Quare ad nares sunt peruiæ? GERON, Vt aërem & reddant, & accipiant. MATHETES, Nihilne amplius os hoc interna caluariæ parte, quà crassius est, obtinet? GERON, Sinum quendam vtrinque, in quo glandula, & singuli meatus pituitam à superioribus excipientes, cùm viuit homo, consistunt. MATHETES, At quid tandem extrinsecus os istud representat? GERON, Quatuor processus, vtrinque binos ad caluariæ basim, alarum modo prominentes, vnde etiam Græcis πτερυγοειδεῖς appellantur: quorum in medio cauitas conspicitur, vnde muscu-

Os septimum cuneatum.

Os palati Galeno

Os basilare.

Os cuneatum multiforme.

lus enascitur, qui maxillam sursum trahat. MATHETES, Quodnam octauum caluariæ os numeras? GERON, Quod mediæ frontis ossis basi subiacet, & in cuneatum os desinit, nariumque septum producit, & ima huius parte à malis distinguitur: essentia tenuissimum, prædurum, Græcis ἠθμοειδὴς, & σπογγοειδὴς vocatur, eò quòd cribri, vel spongiæ instar foraminibus, non quidem è directo sibi inuicem respondentibus, neque omnino rectis, sed partim obliquis & flexuosis peruium sit: non modò vt sensus odoris per illa, sed etiam pituitosa cerebri excrementa, si quando copiosiora infestant, expurgentur. quare cùm foramina illa, pituita spiritus grauitate detenta, replentur, grauedine humorum & destillatione laborare solent, & interdum odorandi facultatem amittere. Barbari colatorium nominant. MATHETES, Nullóne processu constat? GERON, Oblongo, qui in spaciosam caluariæ capacitatem protenditur, & sedes odoratus instrumentis dicatas, septi instar intersecat: ac in viuentibus crassiori cerebri membranæ firmissimè adhærescit, quæ dextram cerebri partem à sinistra separat. MATHETES, Audiui iam caluariæ ossa: reliqua capitis nunc enumeres. GERON, In vtraque sanè faciei parte, singula extant, quæ à genis tendentia, ab inferioribus sustinentur, & iugalia appellari possunt, ab eadem similitudine, qua Græcis ζυγώδη, vel ζυγώματα dicuntur. non autem sunt hæc ossa propria, ac peculiaria, sed aliorum partes. nam ex duobus, nempe temporum, & malarum processibus constant, ex quibus hic extremæ superciliorum regioni inhæret, ille ex petrosis ossibus pendet, auriumque foramina constituit. MATHETES, Qualem ossa hæc essentiam obtinent? GERON, Solidam duramque, adeò vt vix affici queant, medullæ expertem. quia verò extrinsecus gibba, intus caua existunt, operimenti modo musculos temporum, de quibus postea, tuentur. atque hæc ex aliis ossibus prodeunt, reliqua faciei sunt, quæ per se ipsa consistunt, & propriis terminis circumscribuntur. Malæ varia diuersaque obtinent: duo maxima iuxta iugalia sita, vtrinque singula, portionem quandam temporum, superciliorum, sedisque oculorum, hoc est, totum exteriorem angulum comprehendunt: alia duo minora, squamæ instar extenuata, in vtroque magno oculi angulo singula consistuunt, in iisque foramina habentur, per quæ neruus in faciem porrigitur, & pituitosum excrementum in narium meatus defert. Rursus alia omnium minima, iuxta vtrunque magnum oculi angulum, singula similiter tenuia, & squamæ instar pellucida, cernuntur. His iam sex in oculorum cauitate sitis, alia duo insigni magnitudine subiacent, quæ malas vtrinque, dentiumque omnium alueolos insculptos sibi continent, & latera, imamque

Octauum os caluariæ odoratui seruiens.

Odoris & excrementorum cerebri foramina.

Colatorium.

Processus octaui ossis longus.

Ossa faciei.

Iugalium ossium essentia qualis.

Malarum ossa.

Malarum ossa duodecim.

imamq; narium ſedem conſtituunt: iuxta quæ etiam inſigniter caua, minimeq; ſolida, ſed cereis imaginibus intus vacuis perſimilia exiſtunt. Adhæc ſingula vtroq; narium latere oſſa conſiſtunt, exigua, dura, ſolida, lata, tenuia, oblonga, & quadrangulo potius, quàm triangulo ſimilia, vt quæ ſuperiùs ſint obtuſiora, inferiùs autem aſpera, inęqualiaq;, & in cartilaginem deorſum progredientem, finiunt: eò autem molliorem, quò longiùs ipſa ad narium apicem defertur. atque oſſa iam dicta validiſsimè committuntur, quà narium foramina ad palatum tendunt. Poſtremo alia duo oſſa vtrinq; ſingula ad palati extremum extant, bonamq; illius & narium cauitatis portionem occupant, tenuia quidem, verùm ſolida, & lata. poſteriori verò ſede partim oſsi, quod cuneum figura refert, connectuntur: partim ab eo libera ſunt. MATHETES, Duodecim, ſi benè memini, malarum oſſa recenſuiſti, omnésne anatomici, & res ipſa in hoc numero conſentiunt? GERON, Minimè, ſed alij quindecim ſtatuunt, nempe qui Galenum ſecuti, peculiaria duo oſſa vtrinq; ſingula inciſorijs dentibus, & os ſphenoides ſiue cuneatū malis attribuunt. Alij octo duntaxat eſſe affirmant, vnum ſcilicet, quod in extrema malarum parte habetur, alterum quod in narium foraminibus ſitum eſt. adhæc duo narium peculiaria: item duo maxima, in quibus malæ, dentesq; illarum ferè omnes ſedem habent. poſtremum eſt os ſphenoides, coniugij expers. quidam addunt os quoddam, ad extremam faucium radicem, non admodum firma baſi, vt reliqua, conſiſtens, quod linguæ veluti fundamentum ſubijcitur, Græcorum literæ Y figuram repręſentans, vnde etiam ὑοειδὲς ab illis dicitur, aliâs ὑψιλοειδές, Theophilus λαμβδοειδὲς, à litera Λ, quæ eſt Y inuerſum. Cæterùm os hoc non ſimplex eſt, ſed ex varijs, & pluribus alijs, non pari ſemper numero, ſed magna ex parte vndecim conſtructum: interdum, præſertim in mulieribus, ex paucioribus conſtat: ac in homine longè aliam, quàm in quadrupedibus figuram obtinet. Maxilla verò vno oſſe conſtat: breuis in ſummoq; mento lata & dura, vt varios in mandendo motus ſuſtinere poſsit. in brutis plęriſq; ex duobus inuicem oſsibus connectitur, longaq; eſt, & in acutum deſinit. Cęterùm vt tutiùs moueatur, ſinus & cauitates inſignes, medullaq; infarctos, ad menti regionem & latera, vt in alijs animantibus, in poſtica ipſius ſede obtinet. Extremę ipſius maxillæ partes, quaſi bicornes ſunt: harum alter proceſſus infrà latior vertice ipſo tenuatur, longiusq; procedens, ſub oſſe iugali ſubit, & ſuper id temporum muſculus illigatur, totus ab illius tendine compręhenſus. alter, nempe poſterior, breuior & rotundior eſt, vt qui in tuberculum oblongum finiat, & in eo ſinu,

Anatomicorum diſſentio in malarum oßibus.

Maxilla.

Tuberculum maxillæ.

qui iuxta foramina auris est, cardinis modo fit inseriturque, vt facilius huc illuc inclinans, maxillę facultatem motus pręstet. *Maxillæ tuberculum cur cartilagine munitum.* MATHE. At caput hoc maxillæ, siue tuberculum, continuóne motu, in sinu illo mutuo affrictu interdum abrumpitur? GERON, Ne hoc fiat natura prospexit, & vtrique tum sinui, tum capitulo cartilaginem, sicut aliis omnibus articulis, crustę modo obduxit: nec non aliam quandam inter sinum & tuberculum reposuit cartilaginem læuem, tenuem, mollem, essentiaque veluti cartilagineam. MATHETES, Secunda hæc cartilago ossibúsne adnascitur? GERON, Nequaquam, sed ligamentis tantùm articulos in orbem continentibus. MATHETES, Qua de causa? GERON, Vt ea durorum ossium impetus, validosque motus obtundat exoluatque. MATHETES, Quibus aliis hæc maxilla constat? *Foramina maxillæ.* GERON, Duobus vtrinque foraminibus: vno quidem interiùs sito, non procul à processibus iam dictis: altero exteriùs ad latera. internum sanè amplius est, inæquale ac asperum, per maxillæ longitudinem porrectum, quod viam neruo ex tertio pari, ad dentium radices, venæque, & carotidibus internis propagatis præbet. externum verò eiusdem nerui sobolem, ad inferius labrum procurrentem transmittit. imò continuum iter ab vno foramine, in alterum, veluti canalis depręhenditur, si maxillam dirimas, confringasque, aut si in integra adhuc setam interno foramini indideris. MATHETES, Habétne alia adhuc præter hæc foramina? *Dentium alueoli.* GERON, Externa sanè parte nulla, præter alueolos, quibus dentes infiguntur. at sinuosa intus magis est, tuberculisque exasperatur, vt musculi commodiùs inserantur, cohæreantque validiùs. MATHETES, Quid autem de natura dentium, discrimine, & numero adfers? *Dentes quot, & vnde.* GERON, Ex ossea quidem constant essentia, sed non paulò aliis ossibus duriore, vt cibo, sicut molaris lapis frumento conterendo pares esse queant, gingiuis mollibus, & labiis contecti, sensusque facultatis præter aliorum ossium naturam compotes. MATHETES, Cur tales natura condidit? *Dentes sentiunt.* GERON, Vt ea quæ illos secant, franguntque, aut rodunt, aut calefaciunt, aut refrigerant, aut quauis de causa immutant, statim depręhendant, ne ex improuiso vitientur. MATHETES, Primarióne sensiles, an accessoriè? GERON, Ex tertio neruorum coniugio, ramuli quidam ad radices, & alueolos eorum pertingentes, sentiendi facultatem ministrant. At dentes non modò sentiunt, verumetiam quouis propemodum vitæ tempore, præsertim autem ad quadragesimum quintum annum vsque, crescunt & nutriuntur, *Dentes crescunt, & nutriuntur ad annum quadragesimum.* mutarique intra septimum annum solent: ad loquendum etiam necessarii. Nam infantes nō anteà fari incipiunt, quàm dentes habuerint, & senes his amissis adeò balbutiunt, vix vt intelligi possint.

posſint. MATHETES, Quotnam in vniuerſum dentes homo obtinet? GERON, Vt plurimùm triginta duos: in malis ſedecim, & totidem in maxilla.

Inciſores octo.

ex his priores quatuor: quia cibum oblatum ſecant, diuiduntq́;, Græcis τομικοὶ nominantur: ſicut etiam διχαςῆρες ab incidendo: & quòd inter ridendum conſpectui pateant, γελάσινοι. quibuſdam ſinguli tantùm in malis & maxilla habentur, tam lati, vt quaternorum locum & vſum ſuſtineant. quibuſdam ſex, vel octo, vel etiam plures, nullo ſæpe ordine collocantur, ſed partim recti, partim forâs exerti, partim intra os erumpunt, vt pronunciationem impediant. Nuper viſus eſt, qui primores dentes, non inciſorios, ſed veluti molares haberet. Hi deinde quatuor, alijs dentibus omni ex parte cinguntur, in vtroq; maxillæ latere binis, quos Græci κυνόδοντας, Latini caninos appellant, quòd canes huiuſmodi inſignes habeant. ſunt autem hi inferiore parte gingiuis proxima, lati, ſuperiore acuti, vt ſi quid inciſorij dentes ob duritiem diſſecare nequeant, ipſi perfringant: quanquam munus eorum ſit cibos diuidere, & inuicem dirimere & ſeparare. MATHET. Validiores ergo ſunt inciſorijs? GERON, Simplicibus quidem,

Canini dentes quatenus inciſorijs validiores.

vt illi, radicibus infixi ſunt: verùm ſuperiores, malarum oſsi inſerti, longioribus, vt ad oculorum orbem ferè pertingant, & neruis qui labri ſuperioris motores ab oculorum regione, per foramen ſuperiùs commemoratum emergunt, admodum vicini ſunt: vnde fit, vt altero ex his dentibus auulſo, periculum nonnunquam immineat, ne oculi parte aliqua offendantur. quare etiam vulgo

Dentes oculares cur dicti.

dentes hoſce oculares nuncupant. Hi dum infantibus naſcuntur, magnum accerſunt dolorem: et ſi quando humorum, à cerebro in eam gingiuarum partem defluxio procumbat, in qua hærent, totis malis oculiſq; cruciatum pulſatilem, nō ſine febre etiam in natu grandioribus, conciliant. MATHETES, Quinam poſt hos ſequuntur? GERON, Maxillares, vtrinq; ferè quini ſunt, aſperi, duri, ampli, & magni, vt veluti molæ, cibos iam inciſos & præfractos, in læuorem redigant, vnde etiam molares dicuntur, Græcis autem μύλαι, & μυλίται, vel γομφιοὶ.

Maxillares dentes.

interdum tres tantùm in adoleſcentibus, in adultis quatuor emergunt: interdum quatuor à ſiniſtro latere, quinq; à dextro: vel contrà, quinq; à ſiniſtro, quatuor à dextro. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia nonnulli ex his, omnium vltimi & nouiſsimi poſt pubertatem, & veneris vſum, ab anno decimo octauo, ad vigeſimum ſextum: nonnullis octuageſimo anno, nunc abſq; dolore, nunc maximo cum cruciatu naſci ſolent: vnde etiam Latinis genuini, Græcis ὀψόγονοι, κραντῆρες, & σωφρονιςῆρες, quaſi ſerotini, ætatis & ſapientiæ indices appellantur, reconditiſsimi, & gingiuis propemodum operti.

Genuini dentes.

Dentes molares quot radicibus insigantur.

MATHETES, Quot molares hi dentes radicibus insiguntur? GERON, Variare solent. nam qui inferius maxillæ inhærent, binis radicibus: qui superiori, ternis plęrunq;: verùm hi quoq; inter se differunt. qui namq; superius sunt, quaternis, qui inferiùs, ternis aliquando radicibus nituntur, præsertim duo intimo denti proximi: duo autem superiores, qui caninis succedunt, duabus tantùm radicibus, tres autem reliqui ternis insiguntur. duo inferiores caninis proximi, tres reliqui duabus radicibus constant. ac pars illorum extra gingiuas conspicua, radici appendicis modo committitur. Quare si casu dens aliquis in his effractus fuerit, reliqua eius portio erui non debet, sed appendix: quia radice seruata, rursus sponte succrescunt. atq; hæc sunt capitis totius ossa: nunc ad reliqua digrediendum est. MATHETES, Quibus modis caluariæ ossa inuicem committuntur? GERON, Diuersis. quædam enim veluti per suturas, mutuò sibi connexa sunt, vocaturq; ea compositionis ratio Græcis ῥαφή. hanc autem explicare volentes, nonnulli serratam compositionem esse: alij compagem in vnguem factam definiunt. illi quidem à figura serrarum, contrario se occursu mutuò ingredientium, cùm scilicet vnius partes, in alterius crenas inseruntur. hi verò ab ijs rebus, quarum gibbæ partes ad vnguium figuram structæ, sinus sibi idoneos subeunt. Prętereà quędam simplici linea, citra omnem tuberis asperitatisq;, & sinus mutuum ingressum coaptantur, concinnanturq;, vnde connexus eorum Græcis ἁρμονία appellatur. quædam claui modo sinibus insiguntur, qui modus Græcis dicitur γόμφωσις. Postremò sunt quæ cardinis modo in sinu cohærent, ac γιγγλισμὸς ab illis nominatur.

Caluariæ ossium commissuræ.

MATHETES, Quot igitur sunt in vniuersum caluariæ suturæ? GERON, Octo: sed inter has tres legitimæ ac veræ: quinque verò spuriæ ac falsæ. MATHETES, Quænam veræ dicuntur? GERON, Quæ scilicet dentatis pectinatim compagibus coëunt. primæ quidem duæ transuersæ, vna in sincipite, ossa ipsius à frontis osse dirimit, ossa sincipitis temporumq;, ab occipitis osse seiungens, quæ à corona, quam ea parte homines gestare solent, στεφανιαῖα Gręcis appellatur: altera in occipitio, quæ à Græcorum litera Λ λαμβδοειδὴς, vel ab Y, ὑψιλοειδὴς illis dicitur, in cuneum coiens. Tertia verò à medio posterioris suturæ, per capitis longitudinem, ad mediam vsq; priorem extenditur: interdum per mediam frontem, vsque ad summas nares descendit, sed rariùs, idq; tam in viris, quàm in mulieribus: Græci ipsam, quòd sagittæ, aut virgæ modo recta sit, ὀβελαῖαν, & ῥαβδοειδῆ nominant. Harum trium suturarum figura, Græcorum literę H similis existit.

Caluariæ suturæ quot & quæ sint.

Suturæ veræ tres.

Suturæ spuriæ.

MATHETES, Quæ spuriæ capitis suturæ habentur? GERON, Singulæ super au-

per aures, quæ à tertia æquè diſtantes, & per capitis longitudinem exporrectę, tempora à ſuperiore capitis parte diſcernunt, ob quod etiam nonnullis Græcorum ῥαφαὶ κροτάφιαι, quod eſt, ſuturę temporum dicuntur. MATHETES, Quare has non veras propriasq; ſuturas vocas? GERON, Quia lineæ ſeu ſquamæ duæ mutuò ſibi incumbentes potius, quàm ſuturæ videntur, vnde etiam Gręcis λεπιδοειδῆ προσκολλήματα, quaſi ſquamoſa agglutinamenta dicuntur. nam os ſincipitis deſcendens, vtrinq; totis oris paulatim ſquamorum modo extenuatur: atq; id quod ab auribus aſcendit, ſimiliter tenue, ſubit. Itaq; inferiora temporum oſſa, ſuperioribus occipitij leniter inſidunt: ab infima autem occipitij ſuturæ regione incipientes, rectà quodammodo ſurſum aſcendunt, inſtarq; ſemicirculi, ad coronariæ ſuturæ finem tendunt. MATHETES, Quæ tertia eſt illegitima ſutura? GERON, Quæ à ſecundæ legitimæ extremo prodiens, per media oſſa fertur, quę lapidoſa dicuntur, ac ad capitis baſim tendit, vbi caput cum prima vertebra iungitur. inde autem incipiens, ad fines coronalis ſuturæ reuertitur. hinc rurſus deorſum ad extremos dentes, & palatum deſcendit: atq; hîc capiti ac malis communis eſt, totumq; os cuneatum in ſe continet. MATHETES, Quæ tandem quarta & quinta exiſtunt? GERON, Quarta os capitis octauum, ab oſſe frontis diſtinguit. quinta à cauis temporum incipit, & per medias minoris anguli oculorum regiones fertur, ac ad nares ſummas tranſuerſim tendens, malas à fronte ſeparat: intra caluariam iuxta baſim, os cunei inſtar formatum, ab oſſe frontis dirimit. MATHETES, Numerus hic ſuturarum & locus, idémne omnibus apparet? GERON, In ijs ſanè qui bonam corporis ſtructuram nacti ſunt, idem ferè deprehenditur: in alijs variare ſolet. Hoc autem notandum, in quibusdam ſuturis ampliores, et laxiores, in quibuſdã & exiles, & compactas magis exiſtere. MATHET. Quę igitur figuræ capitis ſunt à naturali alienæ? GERON, Prima eſt, in qua cùm prior capitis eminentia deſideratur, ſutura quoq; ſincipitis aboletur: ea quæ in occipitio eſt, ſeruata, vnà cum recta, quæ ad medium vſq; ſupercilium porrigitur. Altera, in qua cùm poſterior eminentia deeſt, occipitij etiam ſutura perit, ſic vt coronaria remaneat, & rectà per medium occipitium, vſq; ad caluariæ baſim pertingat. quare in vtraq; capitis figura vitioſa, ſiue fronti, ſiue occipitio innitatur, remanentium ſuturarum effigies, literam T repręſentat. Tertia eſt, in qua cùm vtraq; eminentia perit, duæ ſuturæ ſolæ, reliquæ bifariàm ſe mutuò interſecantes, literæ X imaginem referunt. Nam altera quidem tranſuerſa, ab vtrolibet auditorio meatu, ad alterum per medium caput diducitur. Altera verò à foramine occi-

Figuræ capitis à naturali alienæ quæ ſint.

pitij ſpinalis medullæ cauſa facta, per capitis longitudinem, ad ſummum vſq; naſum pertingit, rectæ ſuturæ, quæ ſagittaria dicitur, modo. hæc enim ſemper ſeruatur: reliquæ autem duæ, cum totius capitis figura variantes, intercidunt. Quarta, in qua ſuturę omnino contra naturam tranſuerſæ, tum ſincipitis, cum occipitij, per capitis longitudinem extenduntur: recta verò tranſuerſim ducitur, vt in capitibus quibuſdam quadratis, hodie non vno in loco cernere licet. in hac poſtrema figura, cerebrum quoq; vitioſum, & rationis expers eſſe, conſtat. reliquę à naturali variantes, in nonnullis ſummo ingenio & prudentia præditis, cernuntur. At figurarum huiuſmodi vitia, in noſtris caluarijs non ita crebrò apparent. in caluarijs autem ad oblongi globi modum conſtructis, quæ ſolæ naturales ſunt, ſuturæ variare ſolent. Nam quæ à coronis geſtandis appellationem ſortita eſt, extremis ſuis finibus nunc in illam, quæ cuneato & temporum oſsi communis eſt, incidit: nunc verſus priorem partem, aut poſteriorem: & ſumma ſua ſede, modò fronti eſt, modò vertici propinquior. Recta verò quę ad frontem procedere ſolet, nunc ſub imo capillo deſinit: nunc frontem ipſam ſecans, inter ſupercilia ad nares finitur. Iam occipitij ſutura duplex quoq; interdũ apparet, trium digitorum interuallo diſsita, & vtraq; alijs duabus æquè diſtantibus, coniuncta. In eiuſmodi caluaria pars poſterior viſa eſt Lutetiæ Pariſiorum ampliſsima, & longius vltra ſpinalis medullæ foramen, exporrecta. MATHETES, Quem amabô vſum, ſuturæ hactenus abs te enumeratæ, capiti exhibent? GERON, Multiplicem profectò.

Suturarum capitis vſus & vtilitas.

primùm ne ſi vehemens aliquis ictus capiti inferatur, protinus os eius frangatur, & in longiores rimas diſsiliat. deinde, vt vapores qui ad cerebrum continuè aſcendere ſolent, & fuliginoſa recrementa per eas expurgentur: vnde quò rariores ſunt, minusq; arctè cohærent, hòc caput ab internis iniurijs, quas illorum copia excitat, tutius reddunt. quanquam externis, vt æſtui frigoriq;, & alijs caſibus faciliùs exponant. quantò autem denſiùs & firmiùs compactæ, vt ſenſum quandoq; effugiant, tantò ſecurius ab externis: interioribus autem obnoxium magis reddunt. tertio, vt craſſa cerebri membrana caluariæ per eas alligetur, vaſaq; alia intrò, alia extrà permeent. poſtremò vt durioris membranę ligacula, ſimul cum vaſorum quorundam finibus extrorſum emergentia, mutuò ſibi occurrant, & coaleſcentia communem ex ſe membranam, quæ quòd caluariam extrinſecus ambiat, Græcis περικράνιος dicitur, progenerent. MATHETES, Quomodo faciei oſſa inter ſe coniunguntur? GERON, Partim ſuturis falſis, partim harmonica ratione. primam ſanè maximam habet, quæ à temporibus

Faciei oſſa quomodo inter ſe coniungantur.

poribus vtrinq; incipiens, per medios oculos, naresq; transuersa, ad alterum tempus penetrat. à qua breues duæ, ab interioribus angulis deorsum spectant: & malæ quoq; in summa parte singulas transuersas suturas habent, à medijsq; naribus, aut superiorum dentium gingiuis, per medium palatum, aliaq; transuersa idem palatum secat. quæ duæ, harmonica potius compage, quàm suturis iunguntur. MATHETES, Quid de malarum iunctura dicis? GERON, Hæc cum osse quod ad aurem situm est, cardinis modo connectitur, vocantq; Græci eam, vt suprà admonui, γιγγλισμὸν. atq; hæc de capitis ossibus medicinæ candidato satis esse puto. MATHETES, Nihilne in his amplius mentione dignum, reliquum esse censes? GERON, Nihil nisi quædam foramina, quæ neruis vasisq; transmittendis inseruiunt. MATHETES, Ea igitur ne prętermittas obsecro, vt tota capitis ossium narratio absoluatur. GERON, Primum fronti peculiare ad medium supercilium patet: non semper autem in vtroq; latere perfectum, globosumq; existit, sed crebrò veluti sinus instar semicirculi exculptus apparet. Alterum in quarto malarum osse, veluti oblongus meatus habetur, eiusq; ductus in priore illarum sede, penitiùs delitescit: per oculi verò regionem tenui & squamæ simillimo osse tegitur. Tertium amplius ex magno internoq; oculi angulo, in narium sinus rectà deorsum pertingit, secundo quartoq; malarum ossi commune: per hoc præter nerui sobolem, etiam pituitæ nonnihil, ex cerebro ad nares transmittitur. Quartum, omnium quæ in oculi regione habentur, maximum obliquumq; est, sphenoidi, & malarum ossi commune. per hoc & nerui portio, & temporum musculus exoritur, pituitęq; nonnihil ad grandius foramen in narium sinus defluit. latitat autem altiùs, vt vix cerni queat. Quintum in sphenoide osse duplex iuxta oculi vtriusq; sinus radicem consistit, foris prorsus rotundum: neruum ab eo quòd videndi facultatem illi defert, gręcè ὀπτικὸν dictum, ex primo coniugio excipit, cui magnitudine etiam respõdet: interiùs exiguum est, & angulosum. Sextum & ipsum in sphenoide osse cernitur, ima parte ferè rotundum, summa acutum, longumq; & angustum, neruo visorio maius est, secundi coniugij neruis motus ciendi gratia, venæq; & arteriæ alimenti oculis suppeditandi caussa, nec non pituitæ ex cerebro in oculi regionem, & hinc in nares promananti, dicatum. Septimum etiam in sphenoide osse rotundum apparet, neruulum excipiens. At foramina quædam exigua, iuxta octauum capitis os spectantur, odoribus & aëri ad cerebrum attrahendis accommoda, eaq; cribri, & spongiarum foraminibus similia existunt. inter reliqua verò vnum vtrinq; tum rectum, tum grande

Malarum iunctura qualis.

Foramina ossium capitis.

Foramina odoribus & aëri attrahendo accommoda.

ſatis exiſtit, quod primum quodammodo eſt, priori frontis oſsi proximum, venamq́ ex narium amplitudine exporrectam, ad duram cerebri membranam tranſmittit. MATHETES, Hæcné ſuperiorum oſsium, quæ hactenus ordine recenſuiſti, numero aſſcribenda putas? GERON, Nequaquam. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia priora illa in vtroq́ latere vnica ac ſingula: hęc autem exigua & multiplicia exiſtunt. MATHET. Ad quid autem hæc conducunt? GERON, Vt pituita, ſi cerebrum ea vehementer repletum ſit, hiſce excoletur, vnde ſæpe fit, vt ipſa, vel modica illius copia etiam obturentur, & alia grauedinis accidentia ſuperueniant. MATHET. Omniáne quę de foraminibus iſtis adfers, de penitiore capitis parte intelligenda, an de externa putas? GERON, De ea quæ ab oſſe ſphenoide, ad palatum introrſum tendit. MATHETES, Quęnam alia ſunt foramina? GERON, Cauernoſa inter duas frontis laminas ampliſsima, quę & corpus medullę propemodum ſimile membranula obductum complectitur, & ad ſuperciliorum ſedem, imò ſuperiorem oculi regionem iuxta frontem: nec non reconditis quibusdam foraminibus in narium ſinus pertinet. MATHETES, Quem in vſum? GERON, Vt aër qui in ea conclusus eſt, naribus odoratus gratia hinc tranſmittatur. MATHET. Quomodo aërem illic contineri credam, cùm oſſa iſta in cadauere tantùm mihi explices? GERON, In his quibus prior frontis oſſis ſquama perfringitur, aut morbi Neapolitani vitio eroditur, tanto ſæpe impetu auram illinc expirare cernimus, vt lumen candelæ exhibitum extinguatur. In hac parte foramen rimæ inſtar pateſcit, per quod aër in cerebrum diſtribuitur, duraq́ illius membrana caluarię alligatur, idq́ fibris & vinculis. quanquam non ſolùm his, ſed aliis etiam locis adfirmetur. Porrò in oſſe ſphenoide, permulta quidem foramina ſunt exigua, vnum verò in horum medio magnum. MATHETES, Ad quid tam multa natura condidit? GERON, Vt cerebri pituita ex glandula, quæ oſsi ſphenoidi ima parte adhæret, in ſinus duos inſignes ſubiectos, per ea excernatur: hinc per meatus alios ſenſui partim occultos, partim manifeſtos in palatum & nares manet. Quia verò pituita hæc in rimam illam ad oculos pertinentem prius decidit, non abſurdum videtur, hinc viam lachrymis effundendis patêre. nam fluidus ille humor in oculos emanans, hinc excernitur: deinde ab illis poſtea in genas delabitur. Sunt qui os hoc ſphenoides, præſertim media ipſius regione, inſigniter craſſum, minusq́ peruium eſſe affirment. quanquam reuera eo in loco cribri & ſpongiæ modo foraminulentum exiſtat: quà autem cum occipitij oſſe committitur, ad poſteriorum ſinuum partem ſolidum & percraſſum. Cęterùm duos

Oßium in ſphenoide foraminum vſus.

Lachrymarum via.

duos etiam canales habet, qui arteriam carotidem, pręcipuè intra caluariam ad plexum reticularem, de quo poſtea agetur, indidem efformatam emittant: non autem pituitæ ex glandula effundendę ſunt deſtinati. Iam aliud occurrit foramen, temporum oſsis & occipitij commune, per quod pituita ori potiſsimùm & palato influit, & aër quoq; inter ſpirandum caluariam petit. atq; id ſi voles, octauum numerare licet. Ad latus autem in oſſe ſphenoide, foramen apparet nonum, lęue, non adeo rotundum, ſed modicè in longitudinem vtrinq; compreſſum. Decimum huic in eodem oſſe ſphenoide extrinſecus adiacet, ſed multò minus, & ad amuſſim rotundum, venæ iugularis ſoboli dicatum. MATHETES, Súntne alia adhuc foramina? GERON, Multò plura quam hactenus audieris. MATHETES, Quæ obſecrò? GERON, Exiguum in oſſe ſphenoide, intus nonnunquam videtur, neruo & venæ inſeruiens. rarò hoc in vno latere, rariùs in vtroq; apparet: id vndecimum numero eſſe poteſt. Duodecimum in caluariæ baſi extrinſecus, temporum oſsi inſculptum eſt, obliquè foràs procedens, in auditorium inſtrumentum deſinit, quod tum neruo, tum venę, tum etiam aëri in temporum oſsis cauerna, auditus inſtrumento peculiari ſubſeruit. Decimum tertium in priore temporum regione foramen inſigne habetur: non rectà autem caluariam permeat, ſed longi meatus ex poſterioribus in priora obliquè vergentis inſtar, carotidis arterię ramum, caluariam ſubeuntem excipiens. At os hoc foramine peruium, quò ad fauces ſpectat, aſperum, inęqualeq; pumicis modo cernitur. Ea verò de cauſa carotis arteria, longiùs obliquiuſq; ducitur, vt vitalis ſpiritus anfractuoſo hoc itinere, accuratiùs cerebro præparetur. Decimumquartum è regione ſuperioris, aliud ſphenoidi oſsi peculiare incipit, ac rectà prorſum in narium ſinus, longi meatus inſtar protenditur, arteriæq; carotidis ramo exiliori. nam maior caluariam ingreditur, qui in naribus vnà cum alijs illius ſurculis, eò directis, pulſum edit ſenſibilem. Quintumdecimum meatus eſt auditorius, quinto neruorum pari addictus: intus quidem in caluaria incipit, exteriùs autem ab aure excipitur. at quanquam verò intus admodum amplus, cauuſq; exiſtat: flexuoſus tamen, & varius adeò procedit, vt nihil ferè rectà ad caluariam impulſum admittat, idq; duplici de cauſa, tum quòd iter eius anfractuoſum, tum quòd proceſſu fiat anguſtius, quàm in medio fuerit. Sextum decimum foramen in medio auditus ſinu exoritur, illumq; ad poſteriora flexuoſum pertingit. ac inde quòd nihil etiam, ſicut ſuperius, rectà introrſum recipiat, Græcis anatomicis τυφλὸν, hoc eſt, cæcum appellatur. Non longè ab hoc ſeptimumdecimum occur-

rit foramen, temporum & occipitis oſsibus commune, amplum, non ita rotundum, ſed in duas partes exporrectum: quarum interior ſexto neruorum pari, ex caluaria in anteriora elabenti, exterior maiori internè iugularis ramo, minori autem arteriæ carotidis ſoboli, caluariam verſus, poſteriora ingredientibus inſeruit. Decimumoctauum in occipitio foramen rotundum, ſed proceſſu oblongum, obliquiusque apparet. nam ex poſteriore, internaque caluariæ parte decliue fertur, quò citiùs ſeptimi paris neruus ſexto committatur, vnaque ambo ſimul hærentes, deorſum tutò deſcendant. in eodem oſſe etiam aliud omnium longè maximum habetur, numero decimumnonum, per quod ſpinalis medulla ex cerebro deſcendit. Vigeſimum ex poſteriore occipitis regione, qua primæ ceruicis vertebræ committuntur, non inſigniter amplum incipit, longo autem ductu, ad interiorem caluariam fertur, ac in ſuperiorem partem foraminis, ſexti neruorum paris deſinit. In nonnullis caluarijs foramen hoc, nunc in altero latere, nunc in vtroque deficit: verùm tunc eius vices aliud ſuſtinet. Vigeſimum primum in temporum oſſe, iuxta ſuturæ literam Græcorum Λ referentis latus deliteſcit, quà mamillares proceſſus habentur, tranſuerſim caluariam ingrediens. hoc quoque foramen aliâs in altero, aliâs in vtroque deſideratur. Vigeſimum ſecundum in naribus amplum, ſepto quodam diſtinctum, in faucium ſinus tendit. Vigeſimum tertium iuxta dentes inciſorios poſteriores, vtroque in latere ex palato in narium ſpacium deſinit, quarto malarum oſſi commune. Vigeſimum quartum ad palati finem, quo ſextum malarum os habetur, duplex cernitur. atque hæc de foraminibus ſufficere videntur. MATHETES, Omniáne iam quæ in caluaria ſunt, expoſuiſti? GERON, Potiora quidem, & quæ alicuius ſunt momēti: minora venis tantùm tranſmittendis, membranarumque nexibus dicata, prætermittere cogito, ſi vnum adhuc adiecero, quod cartilaginis magis naturam, quàm oſsis refert, Græci à litera ipſorum Y, vocant ὑοειδὴς, vel ὑψιλοειδὴς: nonnulli à litera Λ λαμβδοειδὴς appellant. Os eſt latiuſculum, foris gibbum extuberansque, intus autem cauum: non ſimplex et ſolidum, ſed ex varijs compoſitum eſt. MATHET. Quem vſum præſtat? GERON, Linguæ veluti fundamentum ſubijcitur: imò complures illius & laryngis muſculi, de quibus aliâs, ex hoc enaſcuntur. MATHETES, In cadauere hoc viderine poteſt? GERON, Non, vt quod facilè ſicut alia cartilaginea oſſa rumpatur. MATHETES, Quæ capitis oſſa ſequuntur? GERON, Caput ſpina excipit, quæ varijs nominibus apud Græcos appellatur, nunc ῥάχις, nunc νωτὸς, nunc ἀκάνθη. eſt autem corpori humano veluti carina quædam, ex varijs oſsibus compa-

Os yoides, vel lambdoides.

Spina.

compacta, & fundamentum. nam eius beneficio erecti consistimus, rectè ambulamus, prorsum & retrorsum inclinamur, & circumagimur. MATHETES, Ergò non vno osse solido perpetuoq; nimirum constare potest? GERON, Minimè, sed ex pluribus exiguis, atq; articulatim diuisis & duris, quæ omni corporis motui peragendo, & stabilitati conuenit. MATHETES, Quæ spinę sunt partes? GERON, Ceruix, thorax, lumbi, os sacrum & coccyx. MATHETES, Quibus, & quot numero ossibus tota spina constat? GERON, Triginta quatuor: atq; ex his, viginti quatuor vertebrę nobis, Græcis σπόνδυλοι vocantur, intus cauæ: extrinsecus varijs donatæ processibus. MATHETES, Cur hoc nominis sortitæ sunt? GERON, Quia corpus nostrum munere ipsarum in varias partes vertitur, omniaq; opera necessaria peraguntur. MATHETES, Quot sunt numero? GERON, Septem quidem in ceruice vsq; ad scapulas: in thorace duodecim ad extremam vsq; costam numerantur: in quibus interdum natura ludit, vt nunc duæ tantùm, nunc tres ita sibi continuè, nullaq; sutura, aut commissura iunctæ videantur, quasi arte diuidi possint: quanquam id rariùs accidat: lumborum autem, qui ab extrema costa incipiunt, quinq; habētur: sex in osse sacro, & quatuor in coccyge apparent. ac viginti quatuor ex his propriæ existunt, reliquæ impropriæ. quia non eodem funguntur officio. MATHETES, Cur sic constructæ sunt? GERON, Primùm, quia medullam venamq; cauam & arteriam magnam tuentur. MATHETES, Omnésne inuicem sibi respondent? GERON, Quædam habent inter se communia, quædam verò singularia. Nam omnes sanè in medio peruiæ sunt, processusq; habent, & sinus, nec non foramina, per quæ nerui prodeunt, sed non omnia æqualia: imò nec ipsæ similem inter se magnitudinem obtinent. Hunc nanq; ordinem natura seruat, vt quod gestatur, minus sit eo quod gestat. qua de causa omnium spinæ ossium infimum, quod Græci πλατὺ, vel ἱερὸν, hoc est, latum, vel sacrum vocant, maximum existit, viginti quatuor vertebris tanquam basis, & fundamentum subiectum. Si à sacro osse ascendas, vertebra, quæ illi committitur post primam, numero vigesima quarta, in lumbis quinta, alias mole superat. reliquæ ascendentes, quantò magis situ ab infima recedunt, tantò minores apparent: prærerquam cùm vertebra proximis partibus, grandi aliquo commodo interuenit. Nam prima reliquis ceruicis vertebris latior est, & secunda validior grandiorq; quàm tertia. MATHET. Quare foramen superiorum vertebrarum latius est, quàm inferiorum? GERON, Quia medulla spinæ, quæ per vertebras medias fertur, non eandem vbiq; seruat crassitiem: sed in descensu ad

Cur spina ex pluribus ossibus constet.

Spinæ ossa

Vertebræ.

Os sacrum.

Vertebrarum connexio.

Spina ſtabilimentum corporis.

Vertebrarum proceſſus.

Vertebrarum ceruicis ſtructura.

neruorum generationem paulatim conſtringitur, & extenuatur. MATHETES, Quomodo cohærent inuicem vertebræ? GERON, Proceſſuum, ſinuumq; pręſidio. quia verò natura ſpinam corpori veluti ſtabilimentum motui accommodum eſſe voluit, vertebras omnes, duabus prioribus exceptis, priore quidem parte amplis corporibus colligat, de quibus poſtea agemus: poſteriore autem duobus articulis connectit: vnde prorſum valdè inclinari poſſumus, retrorſum nequaquam. quare etiam vertebræ poſterius laxius committuntur. MATHETES, Quot ſunt vertebrarum proceſſus? GERON, Earum quæ priores duas ſequuntur, vndecim numerantur: nempe duo in ſuperiore parte, vtrinq; ſinguli ad latus ſinus, cui incumbentis vertebræ caput obliquum inſidet: item duo aſcendẽtes, qui incumbentem ſubeunt vertebram: duo rurſus deſcendentes, quibus ſubditæ vertebræ proceſſus excipiuntur. deinde quatuor tranſuerſi, vtrinq; ſinguli quidem, ſed bifidi. vltimus eſt poſterior, ſpinæ modo acutus, eoq; Græci priuatim illum, ſicut etiam totam vertebrarum compagem ἄκανθαν nominant. MATHETES, Quare hanc partem adeò acutam natura formauit? GERON, Vt medullæ ſpinæ potiſsimùm, veluti vallum quoddam, & propugnaculum eſſet, ne ab externis offenderetur. MATHET. Verùm huiuſmodi proceſſuum magnitudo, in omnibúſne vertebris æqualis cernitur? GERON, *Minimè.* MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia vbi pars quædam princeps & nobilis ſub ipſa medulla deliteſcit, longiore opus eſt ſpinę munimento: vbi verò ſola tantùm medulla habetur, longis ſpinis opus non eſt. quare meritò in thorace, quo cor & magna arteria, & in lumbis, ſub quibus eadem arteria, & vena caua continetur, longiſsimæ vertebrarum ſpinæ, *in alijs omnibus* partibus, vt ſacro oſſe, & ceruice, breuiſsimæ habentur. Quò autem vertebræ hæ ſpinatæ tutiùs ſubiecta tueantur, natura plurimis earum cartilaginem circundidit, quæ rumpi nequeat. MATHETES, Vt ordine omnia intelligam, ab ijs quæ ceruicem efficiunt, vertebris incipias. GERON, Prima vertebra in lateribus quidem omnium ſolidiſsima, denſiſsimaq;, per longitudinem autem tenuiſsima exiſtit, ab alijs non parum varians. Foramen enim omnium habet maximum, per quod ſpinę medulla tranſit: eò quòd & illa hoc loco ſit craſsiſsima. deinde quòd duos ſuperiore parte ſinus vtrinque contineat, quibus duo occipitis capitula excipit, quibusq; hæc flectuntur extenduntúrq;, ſiue prorſum, ſiue retrorſum caput agatur. adhæc quòd in poſteriore horum ſede, rurſus vtrinq; ſingulos habeat, qui iuxta occipitij tuberculum impreſsis reſpondent, primo medullæ ſpinę neruorum coniugio viam prębentes.

Tertium

Tertium his insigniorem interna ipsius regione obtinet, qui cartilagine obductus, protuberans secundæ vertebræ caput, siue dentem excipit. ne autem tot sinubus extenuata, plus æquo imbecillis euaderet, processu quodam exiguo prius donata est, cuius adminiculo crassescit, inualescitque. MATHETES, Habétne alios etiam processus? GERON, Iuxta exteriores sinuum, quibus occipitis capitula insinuantur, fines, transuersos exigit processus, vtrinque singulos, proceriores quàm in alijs vertebris, & latiores. At posteriorem processum, quam spinam appellauimus, hæc sola vertebra ex omnibus non habet, sed aspera tantùm est, & veluti acuta linea extuberat. MATHETES, Secunda vertebra ceruicis qualis est? GERON, Angustior quidem prima, sed validior, vti omnes deinde reliquæ. MATHETES, Quomodo primæ connectitur? GERON, Singulis in vtroque latere superiori processibus, minimùm euidentibus, qui sinibus illis parum cauis respondent. deinde etiam alio quodam capite in horum medio sito, elatiori admodum duro & solido, quem Græci à dentis figura ὀδοντοειδῆ vocant: aliâs à nuce pinea κωνοειδῆ: aliâs à cuspide πύρηνον & πυρηνοειδῆ. Huius prior pars, leui & lubrico tubere prominet: posterior magis protuberat, crassiorque est, quàm vbi origo ipsius incipit. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia sinus in vtroque latere singulos, posteriore sede tertium obtinet: illos quidem inter ipsius radicem & tuberculum vertebræ neruis transmittendis idoneos, hunc ligamento excipiendo, quod medullam spinalem constringit, accommodatum. MATHETES, Quare superior dentis pars in mucronem extenuatur? GERON, Vt elatiùs extra primam vertebram prominens, validum teresque ligamentum ex se producat. MATHETES, Súntne alia adhuc vertebræ huic peculiaria? GERON, Nulla propemodum. nam ipsa quoque vt reliquæ ceruicis vertebræ, posteriores processus, duplici mucrone bipartitos obtinet, breues & simplices vtrinque, & inter processus ascendentes descendentesque, vtroque latere sinus, suprà et infrà commune cum prima vertebra foramen efficit. MATHETES, Subsequentes hanc vertebræ, similésne habent processus? GERON, Tertia, quarta, & quinta, duplici processus posterioris mucrone, secundæ respondent. Sexta autem & septima, hunc ampliorem quidem, sed obtusiorem, non duplici quidem mucrone bifidum, sed appendice quadam auctum. Quantum autem ad transuersos processus ceruicis attinet, tertia, quarta, quinta & sexta, amplos & bifidos, non spinæ ipsarum modo asperos, & inæquales repræsentant. Septima latos quidem exerit, sed obscurè bipartitos. id autem notari debet, hos ipsos in omnibus esse, præter-

quam in septima peruios, & internam ipsorum partem semper latiorem esse, atq; elatiùs, quàm posteriorem efferri. At posteriores spinę processus, in omnibus quasi vertebris variant: quemadmodum transuersi inter se conueniunt. MATHETES, Quare posteriores, & transuersi processus bifidi existunt? GERON, Musculorum ortus, insertionisq; gratia. MATHETES, Cur foramina in transuersis esse dixisti? GERON, Vt venam arteriamq; sursum ducant, quæ spinæ medullæ, ipsiq; tandem cerebro sanguinem & spiritum transmittant. in reliquis autem vertebris à secunda, eadem serie, ad sacrum os vsq; foramina consistunt. atq; hæc de ceruicis vertebris dicta sunto. Infra ceruicem superius duodecim esse docui. quanquam numerus earum quandoq; variet, vt nunc vna redundet, nunc desideretur, licet rariùs. MATHETES, Quales sunt? ijs né quæ in ceruice enumerasti, similes, an potius ab illis differunt? GERON, Partim conueniunt, partim discrepant, nec non inter se quædam habent communia, quædam diuersa. MATHETES, Ea quæso explices. GERON, Primùm grandiores sunt hæ, quàm ceruicis, eæq; potissimùm, quæ longius ab illa distant. quantò autem cuiusq; vertebræ corpus grandius, tantò etiam minus solidum apparet: vtpote fungosum, & multis inæqualibus, varijsq; foraminibus incerta serie peruium, in quæ venæ arteriæq; alimenti illis distribuendi gratia, subeunt. nisi enim vasorum propagines, ossibus crassis insinuentur, nō vtiq; nutrimentum illis per alta sitis, suppeditari potest. Sunt autem foramina illa, vt postea audies, in posteriore vertebrarum thoracis parte insigniora, quàm alibi. MATHET. Quotnam hæ vertebræ processus habent? GERON, Septem: nempe vnum posteriorem, duos transuersos: duos ascendentes, duos item descendentes. MATHE. Qualem autem posteriorem? GERON, Nouem quidem superiores longissimum, simplicem, minimeq; bicornem, nec admodum amplum. quanquam autem à proceriore incipiat radice: tamen in mucronem sensim desinit. in decima non ita longus, vt in superioribus apparet, mucroq; eius amplus & obtusus est, non vt in alijs acutus. in vndecima minus adhuc quàm in decima exporrigitur, eiusq; mucro obtusior est, & spissus. Præterea in nouem prioribus, hic idē processus insigniter decliuis, vt in ceruicis sexta & septima cernitur, spectatq; deorsum: in decima verò minus deorsum, sed magis rectà retrorsum vergit. in duodecima rectissimè. Ita verò intelligas, nullam adeò rectè ferri, quin ipsius mucro semper magis deorsum quàm sursum feratur. quanquam nullius vertebræ processum sursum magis, quàm deorsum, nemo verè asseuerarę vt in quadrupedibus, queat. MATHETES, Quomodo

Vertebræ ad costas.

modo habent tranſuerſi thoracis vertebrarum proceſſus? GERON, Perquàm magni ſunt, validi & craſsi, ac in nouem ſuperioribus nulla magnitudinis differentia cernitur. In decima autem minus quàm in ſuperioribus proceſſus extuberant. In vndecima adhuc minores, breuioresq́ exiſtunt. In duodecima, minimi omnium. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia in nouem ſuperiorum vertebrarum proceſſuum apicibus ſinus cartilagine obducti habentur: quibus coſtæ primis partibus leuiter capitulatæ inhærent. In decimæ autem proceſſu, aut obſcurus, aut nullus ſinus deprehenditur: in duabus infimis nulli prorſus occurrunt. Hoc autem notandum, omnes quidem iſtorum proceſſuum ſinus, priore parte haberi. verùm alij ſuperiorem, alij inferiorem, alij mediam regionem occupant. MATHETES, Quorſum autem tranſuerſi hi proceſſus ſpectant? GERON, Omnes, qui in ſuperioribus quàm decima exiſtunt, prima excepta, deorſum reſpiciunt: qui inferiùs, ſurſum. MATHETES, Foramina, per quæ neruos ex ſpinę medulla in ſuperioribus vertebris prodire docuiſti, reſpondéntne ijs quæ in ceruice habentur? GERON, Quæ huic viciniores ſunt vertebræ, ſimilia habent foramina: quæ lumbis, horum ſimilia. MATHETES, Qui ſunt aſcendentes illarum, & deſcendentes proceſſus? GERON, Duo ſuprà infraq́ adeo exigui, vt vix à plana ſuperficie differant. MATHETES, Ad quid conferunt? GERON, Illi, vt incumbentis vertebræ ſinus ſubeant: hi, vt ſubiectæ inſinuentur. quæ autem inter hos proceſſus aſperitates & tubercula inæqualia conſpiciuntur, valida producunt ligamenta, quæ thoracis vertebras firmiter connectent. Sciendum autem eſt, duodecimam illius ab alijs euariare: quòd vtraq́ ex parte excipiatur, nullam ipſa excipiat. Nam vndecimæ vertebræ proceſſus deſcendentes aliquantum ſinuoſos, ipſa ſuis aſcendentibus ſubit. ſic aſcendentes primæ lumborum vertebræ proceſſus, ſuis aſcendentibus ingreditur. MATHETES, Quales lumborum ſunt vertebræ, quas ſuperiùs quinq́ numero eſſe dixiſti? GERON, Omnium maximæ, & craſsiſsimæ. MATHETES, Ergo etiam foramen illud, per quòd ſpinæ medulla tranſit, amplius quàm in alijs exiſtit? GERON, Nequaquam: ſed quantò hæc in neruis obiter generandis conſumitur, graciliorq́ euadit, tantò illud quoq́ anguſtius redditur. alia verò complura foramina habent, minimè peruia, incerto ordine & numero. MATHET. Qua in regione ſita? GERON, Interna, qua ipſæ venam cauam & arteriam intus attingunt. hinc enim propagines vaſorum recipiunt, quibus ipſa nutriuntur. MATHETES, Quid de illo foramine ais, per quod in ſuperioribus vertebris, neruũ vtroq́ latere ex ſpina medulla ori-

Foramina per quæ nerui prodeunt.

Vertebræ lumborum.

ri indicaſti? GERON, Contraria prorſus eſt ratio in lumbis, quàm in ceruice & thorace. MATHETES, Quidita? GERON, Superior vertebra ſummam foraminis partem, latamq; efficit: inferior autem imam, & quaſi tertiam duntaxat abſoluit. quippe ſinus inter corpus ipſum & deſcendentem proceſſum extans, longè maior eſt eo, qui in ſuperiore vertebræ parte, inter corpus ipſius, & deſcendentem proceſſum delitescit. MATHETES, Quot hæ vertebræ proceſſus obtinent? GERON, Septem. vnum poſteriorem, duos tranſuerſos, duos aſcendentes, & totidem deſcendentes. MATHETES, Qualis eſt poſterior in ſpina? GERON, Validus & craſſus, non autem pro ipſorum mole procerus, aut longus: ad latera tenuis, ſuprà infraq; latus. mucro eius appendice, veluti etiam thoracis vertebræ conſtat, obtuſus eſt, & quodammodo triangularis. MATHETES, Tranſuerſi vertebrarum in lumbis extantium proceſſus, ijsné qui in thorace ſunt, reſpondent? GERON, Multò ſunt tenuiores: prima autem & quinta, breuiores quàm aliæ obtinent. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Primùm ne illi obliquum thoracis motum, hoc loco maximè impediant: deinde, ne ab ilium oſſe impediantur. mediæ horum longiores exiſtunt, & graciliores, quàm ad lumborum vertebras pertineat. MATHET. Viginti quatuor iam ſpinæ oſſa abſoluiſti, quænam reliqua decem exiſtunt, de quibus ſuprà meminiſti? GERON, Vertebras, ſequitur os quoddam magnum & latum, quod Græci ideo nunc πλατὺ, nunc μεγάλον, ſiue ἱερὸν appellant. eius pars poſterior gibba eſt, & curua, vt tutiùs ea, quibus tutandis conſecrata eſt, ab iniuria vindicet. prior autem leuis non aſpera, ſed ima ac ſinuoſa, quo vicina oſſa aptiùs complectatur. MATHETES, Continuúmne eſt, an ex multis compoſitum? GERON, Oſsibus quibuſdam veluti vertebris conſtat: quanquam minus conſpicuis, quàm in lumbis, nec ſolutu facilibus, vt in coctione maximè apparet. MATHETES, Quot oſsibus, & qualibus compactum eſt? GERON, Quinq;, aut vt plurimùm ſex, ſæpe tribus, ſicut etiam in ſimijs & canibus. nonnunquam duobus tantùm, vt Lutetiæ Pariſiorũ etiam olim in aſſicato quodam cadauere vidimus. adeò magna in hoc oſſe varietas deprehenditur. At præter has ſacri oſsis partitiones, aliud quoddam os cartilagineum, in mucronem acutum deſinens, adhæret, de quo ſtatim tractabimus. MATHETHS, Si ergò tot partibus os illud conſtat, quomodo coagmentantur, coaleſcúntque? GERON, In prima quidem ætate cartilaginis interuentu: in adultis cõmiſſura adeò coaleſcunt, vt non niſi coctione multa, aut vetuſtate, præſertim in iunioribus ſeparentur: idq; nunc in medio tantùm, non in lateribus: nunc vbiq;. imò vnum duntaxat os eſſe vide-

Oſſis ſacri conſtructio.

videtur, nisi fortè, quà primum os cum secundo coalescit. MATHE. Separata ea ossicula, quę sacrũ os constituunt, quam compositionem ac figuram repręsentant? GERON, Lumborum vertebrarum ferè imaginem indicant. nam superior sacri ossis pars, superiori vertebrarum regioni: inferior, inferiori magna ex parte respondet. MATHETES, Dic hoc quæso luculentiùs. GERON, Quia superna sacri ossis regio tam ampla est, auctaq; appendice, quàm ima vertebræ lumborum pars existit, quæ sacri ossi committitur, vt lumborum vertebræ in se coarctentur. MATHETES, Habet ergò simile foramen medullæ spinæ dicatum? GERON, Non: sed multò angustius, sicut etiam medullam graciliorem. MATHETES, Quot sunt in sacro osse processus, & quales? GERON, Spinas duas, tres, quatuor, exiguas quidem, sed tantò latiores, quantò os ipsum vnde prodeunt, grandius, lumborum spinatis processibus ferè similes, quasiq; rectas: nonnunquam, vt in simijs sursum vergentes. MATHETES, Apparéntne in hoc osse processus transuersi? GERON, Obscuri, qui in extrema magis parte, sinus leuiter cauos, inęquales, asperos, continuosq; ilium ossibus, quæ foràs vergunt, excipiendis aptos habent. quanquam interdum os ilium, de quo postea agetur, sinu suo tubercula sacri ossis, cardinis modo excipiat. MATHETES, Sinus hi & tubercula, aliorúmne modo, quorum anteà meministi, cartilagine obducuntur? GERON, Non. imò nihil præter cartilaginea producunt ligamenta, quę os sacrum, ilium ossi validissimè connectunt. MATHET. Quos habet alios processus? GERON, Ascendentes, & descendentes, vt in lumborum vertebris. nam horum postremæ tubercula illis excipiuntur. descendentes autem subitò ossi insinuantur, lumborum vertebrarum modo globosæ. MATHETES, Si os sacrum eadem ferè quę lumbi, obtinet, quot foramina in illo habentur? GERON, Quatuor, aut quinq;, in priore ossis parte qua ipsæ compinguntur, vtrinq; latent, & totidem in posteriore. MATHETES, Quem vsum hæc præstant? GERON, Quinq;, aut sex neruorum paribus viam præbent. nam primum par, inter vltimam lumborum vertebram, & primum os, quemadmodum reliqui nerui, ex lumborum & thoracis vertebrarum lateribus, egrediuntur. Alterum par inter primam & secundam particulam emergit, & alia deinceps, eadem similiter serie, ut, quod par elabitur, subitò ossi perpetuò ascribatur. MATHETES, Súntne alia adhuc foramina? GERON, In posteriore parte alia quædam inter spinas ossium apparent, ad viam spinæ medullæ peculiarem spectantia. MATHETES, Quid per ea transit? GERON, Nihil, sed ipsa ligamentis, vt spacia & foramina inter spinas reliquarum vertebrarum conspicua, opplen-

Sacri ossis processus.

Sacri ossis foramina.

tur: quanquam interdum continua, nullisq; foraminibus peruia, vt in canibus ferè exiſtant. MATHETES, Quid ex ſacro oſſe reſtat? GERON, Vltima eius pars, quam Græci à cuculi auis roſtro introrſum curuato κόκκυγα, barbari ſiue recentiores caudam, vel os caudæ appellant. nam os ſacrum paulatim graciliſcit, extenuaturq;, donec in tres cartilagines acutiſsimas, aut ſi mauis in oſſeas cartilagines, vel in oſſa cartilaginoſa, fungoſaq;, & extremum os coccygis deſinit, & in iunioribus rubeſcit. MATHET. Quot in totũ eius ſunt particulæ? GERON, Quatuor plerunq; in homine, & obliquo introrſum ductu, in acumen ceſſant: in tenera adhuc ętate laxari ſeparariq; poſſunt, neq; tunc multùm à reliquis vertebris differunt. MATHETES, Quale primum coccygis oſsiculum exiſtit? GERON, Cæteris latius eſt, ac maius, ſinuoſumq; ſuperiùs. MATHETES, In quem vſum? GERON, Vt imam poſterioris oſsis ſacri partem, cartilaginis interuentu excipiat. atq; hac ratione vertebrarum inter ſe compagem imitatur, fortè motus alicuius gratia. MATHET. Quando potiſsimùm? GERON, Cùm mulieres fœtum ędere conantur, in quo os iſtud à ſacro laxari, ac verſus poſteriora flecti, rationi eſt conſentaneum, idq; non ſine magno cruciatu. Huic primo oſsiculo etiam quatuor adſunt proceſſus: duo laterales, & totidem poſteriores, acuti & ſuperiora ſpectantes. MATHETES, Qualia ſunt tria coccygis oſſa reliqua? GERON, Rotunda quodammodo, & paulatim in acutum tendentia: adeò verò arctè inter ſe compacta ſunt, vt vnicum os eſſe videantur: aliâs fungoſa, vt pectoris oſſa exiſtunt. MATHETES, Oſsicula iſta coccygis, in aſsicatis cadaueribus humanis, ſempérne inueniuntur? GERON, Plærunq;. quia verò cartilaginoſa & mollia exiſtunt, niſi colligentur coagmenturq;, rarò omnia, præſertim extrema eius particula apparent. in ſimijs & canibus tria tantùm oſsicula cernuntur. MATHETES, Plus ergo cartilaginis habent coccygis particulæ, quàm os ſacrum? GERON, Vtiq;. nam hoc ſumma tantùm parte, quà infimæ lumborum vertebræ committitur, cartilaginem obtinet. quà verò cum ilium oſſe vnitur, & plurimis ligamentis firmiſsimè colligatur, nulla obducitur, niſi in quibuſdam, & non vbiq;. Coccyx autem cùm alibi, tum in extremo cartilaginoſus eſt: non minus autem cartilaginis, aut potius cartilaginei ligamenti hiſce particulis, quàm inter lumborum vertebras intercedit: cùm inter ſacri oſsis partes nihil cartilaginis cernatur, præſertim in ætate prouectioribus. MATHETES, Quomodo hęc oſsicula inuicem committuntur? GERON, Vt partes in oſſe ſacro. quanquam tertium huius, vti oſsis ſacri primum, ſæpe articulo connectatur. MATHETES, Quomodo hoc illi inſeritur? GERON,

Coccyx.

Primum os coccygis.

Coccygis oſsis laxatio in partu.

Liga-

Ligamenti admodum cartilaginei interuentu, vertebrarum instar, nulla intercedente articuli specie: idq; cùm os sacrum sex constet particulis. MATHETES, Quid si quinq; tantùm? GERON, Tunc primum hoc coccygis os, foraminis cuiusdam in posteriore parte constituendi, neruiq; sexti paris in sacrum os deducendi, ac defendendi gratia, acutos duos processus exiguos obtinet, qui sursum spectantes, quintę sacri ossis partis processibus, validè coalescit. Quando autem sex sunt sacri ossis partes, quod frequentissimè accidit, nullos eiusmodi processus inuenias. verùm id ad latera sinus, qui sextę ossis sacri parti coaptatur, superiori quidem sede transuersim latescit: inferiore autem sensim extenuatur, ac rursus secundo ossi committitur. Huic deinde tertium quartúmque succedunt, eodemq; modo inuicem committuntur, tantò minora, quantò singula humiliorem locum possident. MATHETES, Habétne coccyx foramina? GERON, Nullum quidem, vt thoracis & lumborum vertebræ, per quod spinę medulla permeat, aut ex quo vlli nerui prodeant. quia in sexta ossis sacri parte, spinę medulla terminatur, extremumq; ipsius, nō in coccygis os descendit. Nam priore, posterioreq; regione, foramina intus quidem ampliora, foris autem angustiora, quàm in sacro osse existunt: per quæ tria neruorum paria, vt in illo deducuntur: quamuis in secundi ossis cum tertio commissione, scissura sæpe foraminis loco deprehendatur. In simijs & canibus coccyx ex lateribus ab ilium osse non occupatis neruos, sicut lumborum vertebræ emittunt. atq; hoc bruta cum hominibus habent commune, cùm reliqua spinæ medullæ portio simplex sit, nulliq; coniungatur, nisi quòd in homine frequenter, veluti in tres ramos diuidatur. MATHET. Quibus coccygis pars vltima committi solet? GERON, Membraneis corporibus cuti mistis illigatur, sedisq; finem gignit. quanquam extra strictorium ani musculum emineat, eidemq; musculo posteriore parte subijciatur, vt priore alterius musculi interuentu, peni annectatur. MATHET. Satis superq; de coccyge & alijs spinæ partibus, iam egisse videris, reliqua corporis ossa nunc persequaris. GERON, THORAX triplicibus constat ossibus, in posteriore quidem parte vertebris, quas nuper enumeraui: priore verò, pectore, quod Gręcis στέρνον, interdum στῆθος dicitur: in lateribus autem, costis: quibus quicquid præcipuè interceptum, circumscriptumq; est, veteres medici thoracem vocarunt, cordi nimirum & pulmoni tot & tam validis munimentis tuendo, consecratum. Quæ verò regio ipso osse simul cum cartilaginibus costarum definita est, propriè pectus dicitur. MATHET. Quia costas vertebris, si benè memini, inhærere dixisti, quot ipsæ numero

Coccygis foramina.

Thoracis structura.

Pectus.

Costæ.

ſint, expedias. GERON, Duodecim ſemper tum in viris, tum in mulieribus, vtraq; in parte, quot etiam vertebræ exiſtunt: rarò vndecim, rariùs tredecim. puto autem numerum illarum vel maiorem, vel minorem aliquando eſſe, quòd materia vel nimis copioſa, vel iuſto paucior exiſtat. Atq; ex his ſeptem ſuperiores, quę

Costæ.

pectoris oſsi & vertebris inſeruntur, πλευραὶ γνήσιαι, hoc eſt, coſtæ germanæ & veræ: quinq; autem inferiores, quæ quòd ſolis vertebris annectantur, non autem ad pectoris os, ſed ad thoracis latera pertingant, νόθαι Græcis, nobis ſpuriæ, falſæ, mendaces, & il-

Costarum figuræ

legitimæ vocantur. MATHETES, Quanam figura præditæ, & quomodo hæ ab illis differunt? GERON, Primis partibus rotundę, & quaſi capitulatę anguſtioresq; ſunt, quà vertebrarum tranſuerſis proceſsibus inhęreſcunt. inde pateſcentes, ſenſim in exteriorem partem recuruantur: ac vbi latiſsimę euaſerint, paulatim rurſus anguſtiores, in priora leuiter flexæ, cum oſſe pectoris committuntur. quanquam inferiores latiſsima nonnunquam cartilagine donentur. MATHETES, Superiores nullámne habent cartilaginem? GERON, Imò omnes cartilaginoſæ, non ſolùm quà cum pectore connectuntur, ſed etiam bona ipſarum parte exiſtunt, & præcipuè quà incuruari incipiunt: vbi etiam ſunt molliores, ſicut ad radicem duriores. quia cartilagines etiam ibi durę magis ſunt, vbi cum duriore partis alicuius eſſentia, vt oſſe pectoris iunguntur: vbi verò cum molliore, ibi etiam ipſę molliores exiſtunt. at in ſenio confectis, in oſſeam naturam tranſeunt. MATHETES, Qua-

Costarum figuræ vſus & ratio.

re coſtæ talem habent figuram, & quo dixiſti modo conformatæ ſunt? GERON, Vt leui momento contrahi, ac rurſus dilatari, commodeq; pulmonibus, cordiq; ſedem dare poſsint. MATHET. Læuésne ſunt, an aſperæ? GERON, Vbi ligamenta & muſculos thoracis ſpinæq; vel excipiunt, vel emittunt, nonnihil exaſperatæ ſunt: cæterę læues. MATHET. Habéntne etiam ſinus? GERON,

Costarum ſinus.

Octo mediæ coſtæ, inter ſecundam & decimam, interna regione ima inſinuatæ ſunt, vbi primùm à vertebris ad thoracis latera abſcedunt. MATHET. Quid huiuſmodi ſinibus excipiunt? GERON, Venam coniugis expertem, quam Gręci ἄζυγον vocant, arteriam, & neruum è ſpinę medulla prouenientem. Tres autem humiliores coſtę, quamuis ſinibus careant, vtpote tenues, & intus depreſſæ, magna tamen vaſa citra illos exporrecta, repræſentant. MA-

Costarum cum vertebris connexus.

THETES, Quomodo coſtæ vertebris committuntur? GERON, Articulari connexu, quem Græci συναρθρῶσιν appellant: ita tamen, vt capitula eorum intrò magis, quàm extrà vergant. non autem omnes ſimplici, vt decima, vndecima, & duodecima, ſed nouem ſuperiores, nonnunquam & decima, ſed rariſsimè duplici articu-

lo ver-

lo vertebris inseruntur. MATHETES, Si ergò bifariàm ita iunguntur, duo nimirum etiam capitula habebunt? GERON, Maximè. vnum quidem quo vertebrarum finibus inhærescunt: alterum, quò transuersorum processuum fastigijs internis firmantur. atque hæc tubercula finibus vertebrarum respondent. MATHETES, Quid de primis tribus costis adfers? GERON, Prima sic circa humeros sita est, rotundoque capitulo, primæ thoracis vertebræ insinuatur: deinde transuersum illius processum, tantisper ascendit, quousque eiusdem summo apici, altero tuberculo coarctetur. Secunda autem, & reliquæ septem sequentes, non æquè rotundo, sed obtusiore tuberculo, communi, semper duarum vertebrarum sinui inhærescunt. At illa transuersis secundæ thoracis vertebræ processibus, perinde vt prima, articulari modo insinuatur. *Quomodo costæ insinuentur.* MATHET. Omnésne costæ eodem loco vertebris insidunt? GERON, Nequaquam. quia hæ illas diuersis locis excipiunt: superiores quidem in ima transuersorum processuum parte interna: inferiores in superna: mediæ, in media ipsorum regione. at tres inferiores costæ, non admodum capitulatæ, finibus quoque vertebrarum parum cauis connectuntur. MATHET. Quale tertium thoracis os est, & quomodo costæ huic committitur? GERON, Pectorale *Os pectoris.* os à faucibus incipit, ab vtroque latere lunatum, & à præcordijs iam ipsum quoque cartilagine mollitum, terminatur, vbi gladij figuram repręsentat: natura fungosum & molle: priore parte magis, continua squama, quàm posteriore obducitur. nam hac parte multis inæqualibusque foraminibus, sed non peruijs donatur, quę vasis nutritioni illius accommodis, viam ministrant. MATHETES, Simpléxne hoc est? GERON, Non, sed ex pluribus constat: numerus autem eorum non idem in omnibus manifestò apparet. nunc enim duo tantùm, nunc tria, aliâs quatuor, aliâs quinque, vel sex conspicua existunt. rariùs autem septem in homine: in brutis ferè semper cernuntur. interdum duo, aut tria illius ossa inferiora, per medium sunt omnino diuisa: interdum nonnulla ipsorum, medium habent foramen, calami scriptorij, aut parui digiti instar crassum, vasis indubiè transmittendis accommodatum. Est cùm quartum, quintum, & sextum os, in duo inæqualia diuidantur. MATHETES, Ossa illa inter se ne respondent? GERON, In adultis tria ferè tantùm conspiciuntur, prorsus inter se varia. primum enim latum quidem & crassum, sed breue, quà priores costæ illi committuntur. præterea interiùs cauum, exteriùs gibbum, in medio longè crasśius quàm in lateribus. In his autem vtrisque singulos sinus habet, qui posteriora versus tendunt, cartilagine incrustati, quibus clauiculæ caput insidit. In his [illegible]quam, finibus

Os iugale.

mediis iuxta interna ipsius latera prominula, os superiùs lunatum cernitur, foueamq; repræsentat, quam Græci σφαγὴν, Latini iugulum, barbari furculam superiorem appellant. MATHETES, Qualis inferior huius ossis pars est? GERON, Leuiter aspera, & secundo ossi cartilaginei ligamenti interuentu, adeò laxè committitur, vt nonnunquam ossium horum connexus, imò etiam motus in magnis respirationibus percipiatur. MATHET. Quale os pectoris secundum existit? GERON, Latum etiam suprà crassumq; est, sed paulatim quà primo glutinatur, angustius, tenuius, & multò longius: in vtroq; autem duorum istorum ossium connexus latere, sinus ambobus communis, & cartilagine obductus apparet, cui secundæ costę cartilago, obtusioris trianguli, verticis instar protuberans insidet. MATHETES, Habétne etiam os hoc secundum, alios præter hunc sinus? GERON, Complures vtrinq;, obtusioris trianguli modo excauatos. non autem pari interuallo inuicem dissitos. Nam primum in altero latere huic ossi peculiaris, tertiæq; costæ cartilagini excipiendæ addictus, ab illo qui secundam costam excipit, longiùs recedit, quàm alter sinus quartæ costæ accommodatus. Sic inter secundum & tertium sinum, plus interualli, quàm inter tertium & quartum existit: adeò vt sinus in hoc osse sextæ & septimæ costæ peculiares, mutuò se propè contingant, non tam alti, vt superiores. Quippe secundum hoc os cartilagines costarum, tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ, & septimæ, quemadmodum secundæ protuberantes excipit. MATHETES, Quid de tertio pectoris osse habes? GERON, Exiguum est, ac tenue, & secundo ima parte interna sic conglutinatur, vt primum secundæ. MATHETES, Vbinam secundo committitur? GERON, Vbi septimæ costæ cartilagini, ima secundi ossis regione connectitur. MATHETES, Quomodo terminatur? GERON, In mucronatam cartilaginem. quidam os illud non habent, sed mucronatam tantùm cartilaginem, quam Græci ξιφοειδῆ, barbari malum granatum vocant. MATETETETES, Quare extremam huius ossis partem sic vocant? GERON, Quia totum pectoris os cum cartilagine gladium repræsentat. nam illud manubrio, cartilago ensi plerunq; similis est. MATHETES, Quare dicis plærunq;? GERON, Quia hæc non semper est simplex, & acuminata, verùm sæpe lata, sæpe etiam bifida, vnde vulgo furcella dicitur. aliàs tota est latissima, & planè ossea, præsertim priore parte. nam posteriùs diutius cartilaginosa est, & semper intima. MATHETES, Habétne os pectorale communionem aliquam cum cartilagine? GERON, Indubiè. nam omnia pectoris ossa ex cartilagine proueniunt, vt quę siccando paulatim durescat, quod in

Pectoris os secundum.

Cartilago mucronata.

pueris

pueris & adoleſcentibus eſt manifeſtum. Nam pectus infantis recens nati, vt magna pars oſsium, omnesq́ appendices, aliud nihil ſunt, quàm cartilago. deinde anno iam ſecundo inter medios coſtarum articulos paulatim ſicceſsit, vt inter primas & ſecundas coſtas oſsiculum aurei floreni inſtar: inter ſecundas & tertias, interq́ tertias & quartas, lupini modo: inter quartas & quintas lentis amplitudine concreuerit. vbiq́ tamen vnumquodq́ rotundiſsimum eſt. quicquid reliquum ſingula oſſa hæc ambit, cartilago adhuc eſt, coſtarum cartilagini tam ſimile, vt idem videri poſſit. Quantùm verò cartilaginis os illud ſummum & ampliſsimum iuxta primarum coſtarum & iuguli articulum tegit, poſtea in os duratur: ita tamen, vt inter illam & os commiſſuræ nota in pueris manifeſtiſsima, in adultis plæriſq́ non obſcura appareat. MATHETES, Quem vſum præſtat mucronata illa cartilago? GERON,

Cartilaginis mucronatæ vſus.

Vt ſubditas partes, præcipuè autem ſeptum tranſuerſum inſtar munimenti tueatur. nam eo loco hoc maximè eſt neruoſum, ſiue tendinis naturam ſortitũ, cuius offenſio cordi ipſi penè ſubiecto communicari poteſt. membrana enim cor ambiens ſepto tranſuerſo annexa eſt. MATHET. Quę poſt thoracem oſſa habes? GERON,

Scapulæ.

A ceruice duo lata vtrinq́ ad ſcapulas tendentia, Grę̨ci ὠμοπλάτας, noſtri ſcoptula operta, barbari ſpatulas nominant: ad verbũ autem ſonat humerus latus. nam ea in ſummis verticibus ſinuata, ab his triangula ex diuerſis lateribus, paulatimq́ lateſcẽtia ad ſpinam tendunt, & qua latiora parte ſunt, hac hebetiora, obtuſioraq́. In imo duæ illis adnaſcuntur appendices, vna inferiùs grandior, craſsior, & longior, altera paulò ſuperior habetur. MATHETES, Quot habent ſcapulæ proceſſus? GERON,

Scapularum proceſſus.

Tres. primum ſanè in ſummo eius vertice, qui ἀκρώμιον, quaſi ſummus humerus appellatur, quà cum iugulo connectitur: alter breuis eius ceruix eſt, cui lę̨uiter inſinuatę humerus inſidit: tertius interiore parte exiguus, & acutus modicè intumeſcit, ac grę̨cè κορονὴ κοροειδὴς, vel ἀγκυροειδὴς appellatur: à veterum autem Græcorum litera Σ ſimilitudine, ſigmoïdes nominati poteſt. MATHETES, Quid præterea in ſcapulis cernitur? GERON, A baſi ipſarum ſpina quædam incipit humilis, paulatimq́ plenior efficitur, donec ad ſummum verticem aſcenderit, ibiq́, vt dixi, cum iuguli articulo iungatur. MATHETES, Quibus lata ſcapularum oſſa poſteriore parte connectuntur? GERON, Nulli oſsi, niſi in ſummo occipitio, ceruici, thoracisq́ vertebris, & oſsi hyoïdi validis muſculis inhæreſcunt. MATHETES, Cùm ſcapulas iugulo coarctari dixeris, exponas quę̨ſo, qualénam illud exiſtat. GERON,

Iugulum.

IVGVLVM, quod ſummo pectoris oſsi & ſuperiori ſcapularum proceſſui coarctatur, Celſ[illegible] iugulum, alij

greca dictio ne κλεῖδα, latini clauiculam nominant, quòd scapulas, & per has humeros cum pectore confirmet, stabiliatq;. MATHETES, Qualis huius ossis essentia est, & figura? GERON, Inæqualis. nam iuxta scapulas & pectus fistulosa intus, magisq; rara est, quàm reliqua eius portio, eò quòd etiam latiuscula existat. Mediæ eius partes solidissimæ, tenuissimæ, & propemodum rotundæ. in imo autem veluti in lineam protuberant, quæ à capite eius incipiens, paulò vltra medium pertingit. adhæc extrinsecus gibba est, interiùs caua: quia hàc asperam arteriam, stomachum, sexti coniugij neruorum cerebri, medullęq; spinæ insignes ramos alam petentes, ferri oportet: adhæc quòd alibi aspera sit ad musculos, ligamentaq; producenda, alibi lęuis, alibi sinuosa, & foramina duo, aut tria, præsertim in posteriore parte obtineat. MATHETES, Quid de capite iuguli dicis? GERON, Multa cartilagine incrustatur, leue est: si illa detrahatur, tenuissima appendice asperum, & inæquale apparet. MATHETES, Quod os illud est, quod scapulis inseri dixisti? GERON, HVMERVS, vt Celsus vocat. vt autem alij, brachium, à græca dictione βραχίων deriuatum. latinobarbari adiutorium brachij vocant. quanquam Galenus id, partem mediam inter cubiti & humeri articulum esse definiat. Hippocrates manum id totum appellat, quod à scapulis ad extremos vsque digitos porrigitur. In summa, humerus illud os erit, quod parte superiore cum scapulis: inferiore, cum radio cubitoq; coniungitur. MATHET. Quot humerus habet partes? GERON, Tres potissimùm. summa inter eas grandiuscula est, rotunda, paruæ cuidam ceruici coagmentata adnataq;. MATHETES, Simpléxne hęc est, & integra? GERON, Non: sed in duo tubercula diuiditur, externum & internum, sinu fissuræ particulæ simili, intersecante, qui viam neruis in humerum discurrentibus præbet: internum quidem verticulatis scapularum ossibus inseritur, leue, æquale, & cartilagine incrustatum, neruis ex transitu maiori parte deligatur: externum nulli articulo inhęrescit, sed collis modo prominet, asperum & inæquale, in quod multa validaq; ligamenta inseruntur, humerum scapulis connectentia. Verùm hoc idem externum tuberculum, rursus in duo capitula diuiditur, nempe prius & posterius, quod illo multò grandius existit. MATHETES, Quónam sinu ita distinguitur? GERON, Admodum alto, longo, & secundum cauitatem ad amussim rotundo, priore parte externa latitante. MATHETES, Qualis media humeri pars est? GERON, Rotunda, non recta, nec ex toto sibi similis, sed ante quidem & foris gibba, securitatis gratia: posteriùs autem, & intùs sima, quo corporum inc[illegible]atorum comprehensioni sit magis accommodata.

Duo capitula externi.

Media humeri pars.

data, nec non vt vasis ad manum discurrentibus locum præbeat. MATHETES, Qualis autem pars ima humeri existit? GERON, Duos habet processus inæquales. horum superior radij, de quo postea, caput excipit: inferior nulli ossi prorsus connectitur. MATHETES, Habétne etiam sinus? GERON, Inter commemoratos processus aliquid cauis trochlearum orbitis simile habetur, quo cubiti extremum inditum facilè mouetur. Ad huius autem orbitę extrema, duo etiam sinus apparent, qui cubiti processus acutos excipiant: prior quidem & minor priorem, cubito introrsum flexo: posterior autem & maior, posteriorem complectitur. MATHETES, Qualénam summum ac superius humeri caput existit, quod extrà prominet? GERON, Semicirculari sinu ad vtraque humeri latera protenso constat, in quem validissima ligamenta laxè, & liberè inseruntur, quæ ab extremis scapulis sibi vicinis, prodeunt. *Summum humeri caput.* MATHETES, Nullúsne alius sinus extat? GERON, Indubiè, qui externum hoc caput, de quo agimus, in duo tubercula per longitudinem diuidit, vt tendini à musculis humeri prodeunti, viam præbeat recipiatque, ne facilè dissiliat. MATHETES, Inueniuntúrne etiam in hoc osse foramina, vt in alijs anteà indicasti? GERON, In externis illis duobus tuberculis, non pauci meatus insunt, per quos venulæ complures, & arteriæ ossis ipsius nutriendi causa, ingrediuntur: nam circa mediam humeri partem interiorem ad costas, foramen extat apertissimum, deorsum vergens, & in os ipsum penetrans. MATHETES, Quo nomine illam partem quæ ab humero incipiens ad manum pertingit, appellas? GERON, BRACHIVM Celso dicitur, quemadmodum alijs cubitum, sicut etiam Doribus κύβιτον. *Cubitus, vel brachium.* MATHETES, Quot ossibus brachium constat? GERON, Duobus. vno sanè quod à rotis paruis radios imitantibus, Græci κερκίδα, nos radium nuncupamus, barbari autem Focile minus: altero, quod græcè ab vlna πῆχυς, latinioribus cubitus vocatur. *Ossa duo brachij.* *Radius.* quanquam sic etiam plerique totum id, quod inter humerum & manum intercedit, appellitent. *Cubitus, siue vlna.* MATHETES, Quomodo hæc ossa inter se differunt? GERON, Radius superior quidem est, sed minor breuiorque, & ceruice tenuiore oblongaque constat, capite autem rotundo & leuiter cauo, externum humeri tuberculum recipit, & cum eo neruis & cartilagine colligatur: huiusque articuli beneficio totũ brachium, nunc in pronum, nunc in supinum adducitur. Cubitus interior longiorque & primo plenior, in summo capite duobus quasi verticibus extantibus, quas Gręci κορώνας vocant, in sinum humeri, quem inter duos processus eius esse docui, se inserit. MATHETES, Vertices illi súntne inter se pares? GERON, Prior, minor, posterior, grandior est, qui poste-

riorem etiam humeri ſinum, iuxta elatiorem orbitę regionem ingreditur, hunc Attici ὠλέκρανον, Hippocrates ἀγκῶνα vocat. in eo etiam appendix quædam cernitur, intus quidem modicè caua, foris gibba, exiguum quoddam ſcutum repræſentans: in quibuſdam tamen paulò maior interdum deprehenditur, in quam tendines à ſuperioribus muſculis profecti, iuxta cubiti nodum inſeruntur. MATHETES, Sinúsne aliquis inter hos vertices ſiue proceſſus deliteſcit? GERON, Literæ noſtræ C, vel Græcorum Σ conſimilis, vnde etiam σιγμοειδὴς ab illis vocatur, lęuis, & cartilagine obductus, cui orbita humeri trochleæ ſimilis, inter duos eius nodos ſita inſidit, eiuſq́ʒ articuli beneficio, totum brachium citra luxationis periculum flectitur, extenditurq́ʒ. MATHETES, Hic ſolúſne ſinus id præſtat? GERON, Alius quoqʒ vtroqʒ latere exiguus, paulò inferiùs, quàm vbi ille, qui C figuram refert, apparet, cui ſuperius radij caput rotundum ita inſidit, vt liberè quidem circumagi, ſed non facilè diſsilire queat. MATHETES, Quare ſinus iſti commemorati hanc ſecuritatem brachio præſtare poſſunt? GERON, Quia validiſsima ligamenta articulum conſtringunt, quæ vt commodiùs orirentur, natura externam proceſſuum regionem, ſinusq́ʒ modò commemorati, ambitum aſperum fecit, & inæqualem. MATHETES, Vtraqʒ hæc oſſa, quorum hactenus mentionem facis, eandémne figuram per reliquam ipſorum

Cubiti figura. longitudinem, obtinent? GERON, Cubitus à ceruice ſua, ad trium digitorum ſpatium quadratus apparet: hinc pari interuallo ab imo, triangularis: ad inferiorem ceruicis partem rotundus.

Radij figura. Radius autem quatuor veluti confuſis angulis conſtat: media eius pars triangularis propemodū, ſed obtuſiore angulo magis, quàm acuto exiſtit: latus eius ſurſum vergens, rotundius eſt, atqʒ gracilius, quàm ea quæ deorſum ſpectant. ſummum enim circiter duos digitos prorſus rotundum eſt. MATHETES, De radij cubitiq́ʒ cum humero connexu & figura, audiui: nunc, quomodo illa inter ſe ſuprà & infra committuntur, edoceas. GERON, Suprà quidem cubitus radium, infrà autem radius cubitum excipit. nam in externo cubiti prioris proceſſu, ſinus quidem tranſuerſus, lęuis & cartilagine obductus cernitur, interno radij capitulo, cui humerus inſeritur, excipiendo appoſitus. Infrà autem radius craſſior eſt, habetq́ʒ appendicem, cui ſuperior cubiti appendicis pars, tuberculi modo protuberans, inſinuatur, eoqʒ radius vtriuſqʒ articuli beneficio, in pronum ſupinumq́ʒ tantummodo agitur, reliqua ab humero parte non omnino rotundus & læuis exiſtit, ſed aſper, & inæqualis: necnon aliquot in locis ſinuoſus, ligamentorum muſculorumq́ʒ producendorum gratia. Hæc ipſa autem oſſa

vtrinqʒ

vtrinq; validiſsimis ligamentis iuxta humerum iuncta, paulatim dirimuntur, rurſus ad manum coëunt, modo amplitudinis mutato. Siquidem ibi radius plenior, cubitus autem tenuis eſt: deinde radius in caput cartilaginoſum conſurgens, in verticem eius ſinuatur. cubitus rotundus in extremo, parte altera veluti appendice paulùm procedit. MATHETES, Qua regione magis hæc oſſa inuicem diſtant? GERON, In media. nam radius ibi potiſsimum: deinde per reliquam longitudinem arcus modo ita obliquatur, vt à cubito admodum recedat. MATHETES, Quamobrem? GERON, Partim vt radius cubito ſuffultus, obliquo ductu in pronum ſupinumq; promptè agatur: partim vt muſculi inde ad externam internamq; cubiti regionem enaſcantur, conſiſtántque: partim vt res ampliores commodiùs apprehendi poſsint. MATHETES, Hócne interuallo ac ſpatio, oſſa illa prorſus ſunt libera & diſiuncta? GERON, Minimè, ſed membranoſo ligamento connectuntur: quod angulis ipſorum internis adhæret, obliquis filamentis contextum. MATHETES, Quomodo cum manu inferiùs cohęreſcunt? GERON, Duplici appendice primam manus partem, quę καρπὸς græcè dicitur, excipiunt, flectunt, & extendunt: radius quidem maximum digitum, cubitus autem minimum reſpiciens. MATHETES, Cur, oro, id accidit? GERON, Quia etſi foris illa gibba, tamen intus in radio quidem inſigniter, in cubitu autem leuiter caua exiſtit. MATHETES, Aliúdne quippiam oſſa hæc brachij obtinent? GERON, Nihil, niſi quod cubitus adhuc proceſſum quendam, quem Græci à ſtyli figura στυλοειδῆ vocant, obtineat, qui aliquos primæ manus partis motus dirigit firmatq;. MATHETES, Prima palmæ pars quam καρπὸν Græcè nominaſti, quótnam, & qualibus oſsibus conſtat? GERON, In ætate grandioribus octo minutis duris, intusq; modicè fungoſis, ac medulloſis, non prorſus ſolidis, figura, magnitudine & ſitu variantibus. Singula enim peculiare quippiam reprę ſentant, quo inuicem diſcernuntur: externa quidem ſuperficie leuiter gibba: interiore caua, partim recta, partim rotunda, partim oblonga, partim triangula cernuntur, duplici diſtincta ordine: quorum ſuperior cubito, radio ſtylariq; proceſſui: inferior alteri palmæ parti, quæ μετακάρπιον Græcè dicitur, & primo pollicis oſsi articulari nexu, committitur. MATHETES, Summus ille ordo, quot oſsibus conſtat? GERON, Tribus: primò quod internum illius latus conſtituit: ſecundò quod huic ſuccedit, magisq; ab interno recedit: tertiò quòd per externum latus ſecundo proximum eſt. Pręter hæc, aliud os paruulum externum omnino latus occupat, minimum digitum reſpiciens, quod etiam exiguo leuiq; ſinu commemora-

Prima palmæ pars, brachiale vulgò.

Brachialis partes octo.

Palmæ oſſa varia.

Oſſa tria ſummi ordinis.

tum modò processum recipit, cum manus in latus decliuis ad inferna porrigitur, eaq; ratione quatuor in totum ossa, primus ordo complectitur. MATHETES, Quot habet inferior? GERON, Similiter quatuor, alteri palmæ parti contermina, nempe quintum, sextum, septimum, & octauum. MATHETES, Qualia sunt hæc osicula, quæ cubito, & secundæ palmæ parti committuntur? GERON, Læuia, & cartilagine obducta. MATHETES, Qualia autem cernuntur, vbi se inuicem contingunt? GERON, Non vndiq;, aspera & inæqualia, ligamentisq; obsita, sed leuiter sinuosa, & cartilagine quasi munita. MATHETES, Quomodo inuicem cohærent? GERON, Neruis, ligamentisq; nerueis articulari nexu adeò aptè constringuntur, vt nisi illa cum membranis, quibus obducuntur, detraxeris, vnum os latum, oblongumq; caput esse putes. Sic autem coagmentata in radij cubitiq; sinum inseruntur, manus extremæ flectendæ extendendæq;, & obliquorum eius à stylari processu motuum promouendorum gratia. MATHETES, Singula quæso ordine percenseas, qualia sint, & quomodo inter se connectantur. GERON, Primum sanè tum radio, tum secundæ palmæ partis insigni vtrinq; tuberculo coarctatur. secundum primo osi, & septimo committitur. tertio leuiter cauo inseritur: hoc autem ipsum amplo tuberculo octauo osi insinuatur. quartum cubitum non attingit, sed ligamentum, quòd à *stylari eius* processu enascitur, aliqua ex parte duntaxat *recipit*. id os huius ordinis omnium est minimum, nullo insigni capite, aut sinu donatum, & nisi longius quàm crasius esset, rotundum propemodum. Quintum superiùs sinuatum primi osis capitulum excipit: nec non externo latere os sextum, & primum pollicis admittit. sextum alterius palmæ partis, quę μετακάρπιον dicta est, osi connectitur, quod indici digito præponitur: item ei, quanquam obscurè, quod medio subijcitur: tribus autem primę palmę partis committitur. Nam primum quidem os sinu suo excipit, in quinti verò sinum tuberculum suum inserit: deinde non admodum extanti capitulo, sed plana potius superficie septimo coarctatur: in secundo ordine id minimum, vt septimum maximum, & quintum octauumq; mediæ existunt. MATHETES, Quid de septimo censes? GERON, Hoc in communem primi & secundi sinum rotundo capite, & prominulo ingreditur: interno latere sexto osi: externo autem octauo, amplo capitulo coarctatur, sed capite depresso, & sinu superficiario vniuersim os septimum quatuor primæ manus partis osibus, nempe primo, secundo, sexto, & octauo, nec non ei quod in altera manus parte medium digitum sustinet, committitur. MATHETES, Restat adhuc octauum. GERON, Id

Ossa interioris ordinis.

cunei modo ſeptimum & tertium ſubit, illiſq; committitur: nec non ſecundæ palmæ partis oſsibus duobus, quæ annulari, & paruo digito ſubijciuntur. MATHETES, Præter hæc octo oſsicula, nullúmne aliud adijcitur? GERON, Exiguum, quod à ſeſami fi- *Os ſeſamoïdes.* gura σησαμοειδὲς dicitur: ad externum ſecundę palmæ partis latus ſitum, articulum hunc confirmat, atq; id, quod paruum digitum ſuſtinet, nonnihil ſuffulcit. MATHETES, Quid præterea de his oſsibus notatu dignum habes? GERON, Nihil, niſi quòd quintum & octauum inſignem proceſſum obtineant: hoc ſanè foris intrò vergentem: illud ab interno foràs tendentem. quò autem vtriuſq; oſsis proceſſus porrigitur, ibi quoq; ſinus eſt, tendinum ligamentorumq; gratia. MATHETES, Quæ oſſa his enumeratis in manu ſuccedunt? GERON, Quæ ſecundam palmæ partem explent, quam vt ſuprà monui, Græci medici μετακάρπιον, alij κτένα, & ἀνδρῶνα appellant, ad digitos tendentia, à quibus ipſimet oriuntur. MATHETES, Quo nomine hæc vocantur? GERON, Eò quòd par- *Oſſa ſeſamina.* ua admodum ſint, & ſeſami leguminis ſemini figura reſpondeant, veteres Gręci σησαμοειδῆ, Latini ſeſamina oſsicula appellant. MATHETES, Quis eorum eſt numerus? GERON, Incertus: in quibuſdam enim viginti, in quibuſdam quindecim, in quibuſdam decem, in alijs plura, aut pauciora. MATHETES, Vbi ſunt ſita? GERON, Sub infimis non ſolùm manus, ſed etiam pedis articulis, inter vtriuſq; internodia. MATHETES, In quem vſum? GERON, Non ſolùm vt vacuam illam regionem, quæ ijſdem articulis reliqua eſt, impleant, ſed etiam vt articulos, ſicut in genu patellam tueantur, & muniant, rebuſq; apprehendendis firmitatem non exiguam, & in pede humi æqualiter aptando, maximum adferant ſubſidium: adhæc ne articuli in ipſa flexione in acutum angulum dirigantur. MATHETES, Quomodo inuicem colligantur? GERON, Cartilagineis ligamentis: quanquam in medio, & iuxta ſecundæ palmæ partis longitudinem, inſigni ſpatio inuicem dirimantur, quo muſculi digitis mouendis idonei continentur. MATHETES, Eandémne figuram vbiq; retinent? GERON, Minimè: ſed communiter quidem depreſſam & oblongam habent: quod autem indici digito ſubijcitur, longius, craſsius, & validius apparet: reliqua ſenſim breuiora fiunt, extenuanturq;, vt quod minimo digito annectitur, omnium ſit breuiſsimum tenuiſsimumq;. Gemina verò illa, quæ ſub interiore primæ plantæ oſsis parte reperiuntur, maiora ſunt, & cartilagine quadam incruſtata: quæ licet ſolidiora exiſtant, tamen intus fungoſa ſunt, ac meatibus plena, in quibus ſuccus quidam medulloſus nutrimenti gratia conſeruatur. MATHETES, Cùm digitorum men-

Digiti. tionem feceris, quot numero naturaliter esse solent, & quo nomine singuli nuncupantur? GERON, Quinque: quorum primus & maximus græcè ἀντίχειρ, Hippocrati μέγαλος, nobis pollex dicitur: quòd scilicet tantùm polleat, quantùm alij omnes quatuor, vel tota manus. secundus illis λίχανος, nostris index vocatur. tertius Græcis μέσος, quòd medium locum inter omnes obtineat. quartus παραμέσος, quòd medio vicinus sit, vel ἰατρικὸς, hoc est, medicus appellatur, Latinis annularis, quòd veteres in eo annulos gestarint. quintus à paruitate, Græcis quidem μικρὸς, nobis autem minimus, & auricularis vocatur. MATHETES, Quot ossibus singuli digiti constant? GERON, Tribus, quæ Græci φαλάγγας, κονδύλους, & σκυταλίδας, nos acies, internodia, & articulos nuncupamus. *Digitorum ossa.* In vniuersum igitur omnia digitorum ossa quindecim numerantur, aut quatuordecim, si primum pollicis articulum à secunda manus parte, quam μετακάρπιον appellant, disiungamus. MATHET. Qualia tandem sunt? GERON, Dura ac densa, non tamen prorsus solida, vt quæ singula sinum oblongum, ac insignem cauitatem medullæ conseruandæ gratia comparatam, non minus quàm secundæ manus partis ossa, habeant. MATHETES, Cur DEVS non plures, aut pauciores digitos condidit? GERON, Vt omni figuræ comprehendendæ essent idonei: imò digitos ideo etiam extrinsecus omnino gibbos fecit, vt ab iniurijs essent tutiores: intus autem, et in lateribus depressos, sinuososque, vt facilius terere, subigere, & apprehendere possint. pollicis autem os hinc excipias, quod vt primæ manus partis ossa, intus gibbum acutumque existit. MATHETES, Quare digitorum ossa suprà infraque crassiora & spissiora, quàm longiora existunt? GERON, Vt pondera molesque firmiùs comprehendant. MATHET. Cur digiti magnitudine inter se non sunt æquales? GERON, Vt ipsorum extrema inflexione ad æqualitatem commodiùs perueniant, vel tum maximè, cùm magnam aliquam molem comprehendimus. ideo etiam articuli primi, secundis sunt minores, & hi tertijs, qui omnium sunt minimi. MATHETES, Simplicémne ossa hæc formam repræsentant? GERON, Nequaquam, sed duplicem: quia in vna, articuli omnes conueniunt, in altera discrepant: vltimi verò communem habent. qua verò parte illa secundæ palmæ parti annectuntur, caua sunt: quà autem internodia existunt, articulari connexu mutuò coëunt. Superior duorum ordinum pars rotunda, interior nec plana, nec incuruata, sed media existit. Externa ossa in quibus vngues incipiunt, rotunda cernuntur, præterquàm internodia: in nonnullis paulò depressiora, & leuiter plana. Interiora imaque cuiusque digiti ossa in verticem sinuantur, excipiuntque exteriorum exigua tubercula,

Cur digitorum ossa crassiora, & spissiora, quàm longiora.

Digiti inter se inæquales.

Ordines digitorum.

cula, & neruis ea continent, à quibus orti vngues indureſcunt. MATHETES, Quo in loco oſſa illa minuta ſeſamina conſiſtunt? GERON, Primum in ſecundo pollicis articulo interiore: duo, quà primum os ſecundo committitur, vtcunq; rotunda & ſolida, primoq; illius oſsi incumbunt: pars eorum depreſſa, leuiter ſinuata, & cartilagine obducta eſt. Totidem in primis reliquorum digitorum internodijs deprehendimus, tantò pollicis articulo minora, quantò propiùs ad paruum digitum acceſſerint. Illius enim primo articulo minima, & quodammodo cartilaginea connectuntur. præter hæc vnicum quandoque in ſenibus, tertio pollicis articulo interiori adhęret, nonnunquam adeò exiguum in ſingulis digitorum ſecundis & tertijs internodijs os deliteſcit, vt vix deprehendi queat. atq; ita ſuperiores cadaueris oſſei partes ordinatæ ſunt. MATHETES, Quare te obſecro, vt inferiores quoq; eadem breuitate & ratione interpretari digneris. GERON, Ima ſpina, quæ os ſacrum continet, in grande aliud, tranſuerſum, longè valentiſsimum vtrinq; deſinit, cui toti nullum nomen inditum eſt, eoq; Oribaſius ἀνώνυμον appellat: à membrorum autem ad quæ pertinet, vicinia appellationem ſortitur. Nam quà latum eſt, nempe ſuprà, & poſteriùs, vbi ſacro oſsi committitur, Græcis λαγόνων ὀστοῦν, nobis ILIVM OS dicitur: ab exteriore parte gibbum ad ſpinam reſupinatum. quà autem femora excipit, coxa, Græcis ἰσχίον. priore parte, qua vtriuſq; lateris os tenue, ampliterq; perforatum cartilagine committitur, pecten vocatur: vbi ſuper inteſtina tranſuerſum ventrem format: rectius quidem in viris: recuruatum magis verſus priorem regionem in fœminis, ne partum prohibeat. MATHETES, Continuúmne amplum hoc os eſſe ſolet? GERON, Plęrunq;: ſed in tenera adhuc ætate tres eius partes certis limitibus omnino ſunt circunſcriptæ. nam omnes ſimul in coxarum ſinu cartilagine connectuntnr. vbi verò hęc indureſcit, tria illa oſſa difficiliùs diſcerni: imò nulla ratione prærerquàm putredine, coctura, aut vi dirimi poſſunt. MATHET. Quámnam figuram ſitus ratione obtinet, ſiue continua, ſiue tripartita exiſtat? GERON, Ilium os ampliſsimum eſt, intrinſecus peluis cuiuſdam modo cauum, quo commodiùs vulua, præſertim dum fœtum geſtat, veſica & inteſtina recumbant: item aſperum, inæquale, & inſigniter craſſum, ſicut etiam alia oſſa quibus connectitur: adhæc longius, quàm ſacri oſsis proceſſus tranſuerſi, latiuſq; exporrigitur, vt varijs muſculis ſedem præbeat. MATHETES, Quomodo cum oſſe ſacro cohæret? GERON, Tubera Ilium oſſis ſuperficiarijs duorum, aut nonnunquam trium tranſuerſorum ſacri oſsis proceſſuum ſinibus excipiuntur: quemadmodum ho-

Oſſa ſeſamina quo in loco conſiſtant.

Ilium os propriè dictum quod ſit, & quale.

Coxa.

Pecten.

Ilium oſſis figura & vſus.

rum rursus tubercula illius sinibus respondent, sicut etiam oblongus transuersorum sacri ossis processuum sinus, longum Ilium ossis tuber apposite excipit. Contrà, prior transuersorum processuum sinus, pars admodum protuberans, amplos quoq; Ilium ossis sinus priore sede ingreditur. MATHETES, Ilium os eandémne semper crassitiem vbiq; retinet? GERON, In ima sinuum iam dictorum parte, gladij modo acutum apparet, vt transuerso ossis sacri vertebræ processui superficie respondeat: in posteriore autem regione versus dorsum, oblongam sacri ossis veluti spinam in processuum sinibus, non breui etiam sinu ad amussim recipit. at duobus processuum sinibus, ad posteriorem spinæ ipsius partem sitis, & tuberculo in medio illorum prominenti, non item. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia non adeò ampliter protuberat, vt processuum illorum sinus altè penetrant. MATHETES, Ilium os sacróne admodum arctè connectitur? GERON, Non adeò, sed copiosa cartilago ligamenti naturam referens intercedit, totum interuallum, quo ossa inuicem dehiscunt, adimplens. MATHETES, Quid præterea amplum hoc Ilium os eximium habet? GERON, In ambitu semicirculi modo rotundum est, & in media eius amplitudine quodammodo gibbum: necnon appendicem ibi asperam inæqualemq; repræsentat, quam veteres spinam illius appellarunt. hæc autem in vtroq; latere interno & externo comprimitur, partim vt præcipua obliqui abdominis musculi pars illinc oriatur. MATHETES, Quid de COXA ais, quam Ilium ossi continuam esse dixisti? GERON, Os hoc crassius validiusq; est, vt vniuersum corpus vni innitens cruri, fortiùs sustineatur. MATHETES, Ergò etiam sinum habet? GERON, Adeò altum, vt nullum os aliud, quem Græci κοτύλην, nos acetabulum vocamus. verùm is priore parte altior quàm in reliquo eius ambitu, asperq; & cæcis quibusdam foraminibus plenus existit: idq; nulla alia de causa, quàm vt ligamentum procreet, quod intus in femoris capitis ceruicem inseritur. MATHETES, Supercilia eius sinus eadem vbiq; apparent? GERON, Tam antè, quàm posteriùs extant, eò quòd sedentibus femur magis angustum flecti, quàm stantibus, aut aliud quid agentibus extendi, aut retrorsum agi oporteat: inferiùs autem non continuè rotunda, sed per interualla intermittunt, vt exili venæ in asperum hunc, nullaq; cartilagine obductum sinum, via pateat, quę articulo alimentum suppeditet, vnde viscosus humor ibi copiosus colligitur, cuius beneficio ille facilè mouetur, agilisq; euadit. MATHETES, Cùm acetabuli supercilia, non vndiquaq; sibi respondeant, quomodo articulus ei insertus, à luxatione tutus esse poterit? GERON, Validum cartilagineumq; liga-

Coxarum ossis figura.

Acetabulum.

Quid acetabulũ luxurari prohibet.

ligamentum in orbem ſupercilijs circundatum eſt, quod magis quàm illa ſinum adhuc adauget. MATHETES, Aliúsne etiam ſinus in hoc oſſe cernitur? GERON, Vtiq;:inter priorem Ilium oſſis, vbi hoc ſacro committitur, & poſteriorem coxæ regionem. MATHETES, In quem vſum? GERON, Vt neruo inter eos qui crus adeunt, quarto, ex pluribusq; compoſito, & maximo viam præbeat. MATHETES, Quid præterea in coxarum oſſe notatu dignum habetur? GERON, Proceſſus acutus, qui ligamentum ad os ſacrum pertinens, educit: item ſinus in poſteriore eius internaq; regione ſubiectus: præterea appendix inferiùs, cui ſedentes innitimur, ampla craſſaq; tum roboris, tum muſculorum ibi oriuntium gratia. MATHETES, Video hæc ita, vt dicis habere, reſtátne aliud quippiam? GERON, Sinus in elatiore coxæ parte cernitur, ex quo ligamentum enaſcitur, quod os illud leue reddit & lubricum, femoris muſculorum gratia. in vtroq; autem ſinus huius latere tuberculum extat, externò quidem amplum, ne muſculi hâc deſcendentes, ab illo declinent, prohibens: interno autem quod coxæ articulum confirmet. MATHETES, Quid de oſſe pectinis amplius habes? GERON, In priore parte, dextra & ſiniſtra cartilaginis interuentu commiſſum eſt: quanquam in prouectioribus ætate, cartilago in os degeneret. in fœminis ſingula hæc vtrinq; oſſa, non tam longa linea, vt in viris coniunguntur: ſed inferiùs adeò diſtant, vt quæ regio inter extremum ſacrum os, quod coccyx dicitur, & interiores coxas vacua exiſtit, multò amplior in illis, quàm in his occurrat: ſicut etiam infernè vtriuſq; coxæ partes, nempe dextra & ſiniſtra longè magis dirimuntur: vnde conſtat, pectinis non vt coccygis oſſa in partu diſiungi, dehiſciq;. MATHETES, Qualis eſſentia horum oſsium exiſtit? GERON, Suprà infraq; cæteris ſunt tenuiora: quò autem magis ad medium accedunt, eò magis attenuantur, vſq; dum in ampliſsimum foramen deſinant. ſuperiùs committuntur ſic, vt ad dextrum cum ſiniſtro amplæ cartilaginis interuentu coaleſcat. Inferius autem foraminis latus teres eſt, tum roboris augendi, tum muſculorum ei familiarium gratia. MATHETES, Qualis ſuperior pectinis regio? GERON, Aſpera, vt recti abdominis muſculi inde oriantur. adhæc prior quoq; aſpera eſt, vt ſecundi muſculi tibiam mouentis, caput neruoſum hinc enaſcatur. In hac etiam eminentia quædam ab interiore coxa, ad pectinis commiſſuram vſq;, octauũ femoris muſculum producit. poſterior pars acuta eſt, qua decimus femoris muſculus prodit. MATHETES, Quod os poſt iſtud ſequitur? GERON, FEMVR, quod coxæ acetabulo inſidit, ad crus vſq; pertinens, omnium corporis humani oſsium, ſimul & longiſsimum,

Sinus alterius acetabuli vſus.

Proceſſus coxarum.

Sinus coxarum.

Appendix.

Sinus in elatiore parte coxæ.

Oſſa pectinis in partu non laxantur ſicut coccygis.

Femur.

latiſsimum, & craſsiſsimum, Græci μηρὸν vocant. MATHETES, Putabam nullum os eo quod Ilia comprehendit, eſſe latius: cur femur dicis latiſsimum? GERON, Idem adhuc affirmo. etſi Ilium oſſa, caluariæ & ſcapularum, femore ſint latiora, & os ſacrum multis illius partibus, tum latius, tum craſsius, nullum tamen æquè longum vt femoris exiſtit. MATHETES, Quæ alia eius figura eſt? GERON, Priore exterioreq́ parte gibba, poſteriore internaq́, ſima. quantùm verò ad eſſentiam attinet, dura eſt, & medulloſa. MATHETES, Quid in ſuperiore parte habet peculiare? GERON,

Femoris caput.

Caput rotundiſsimum, leue, & cartilagine obductum, quo in ſinum coxæ conijcitur, eiusq́ appendicem prælongæ ceruici ad interiora vergenti adnatam. idem hoc caput paulò inferiùs quàm vertex ipſius eſt, ſinum arctum altumq́ & inæqualem repræſentat, cui ligamentum rotundum à coxæ acetabulo ortum validiſſimè inſeritur. MATHET. Habétne proceſſus? GERON, Duos exiguos.

Proceſſus τροχάντηρ magnus & minor.

horum exteriorem qui maior eſt, Galenus à rotatione τροχαντῆρα μέγαλον, alij à natibus γλουτὸν appellant: interiorem τροχαντῆρα μικρὸν, quaſi dicas rotatorem minorẽ. MATHE. Quid hi proceſſus præſtant? GERON, Muſculos alios excipiunt, alios ipſi edunt. MATHET. Quale inferiùs apparet? GERON, Multò craſsius validiusq́ quàm ſuprà, ſicut columnæ etiã baſes ac ſpiræ craſsiores quàm ſcapi, & capitula. Quare in maximos duos proceſſus, quæ capita appellare poſsis, Græci vocant κονδύλους, diſtinguitur: prorſum magis, quàm poſteriùs tendentes, quo faciliùs ſuperiora membra ſuſtineant. inter hos autem ingens altaq́ cauitas vacua inſidet. Adhæc inferiora iſta femoris capita media ſinuantur, quò faciliùs à cruribus excipi poſsint.

Patella.

At femoris & cruris commiſſura, oſſe paruo, rotundo, molli, cartilaginoſo, intus cauernoſo, & pumicis modo raro tegitur, PATELLAM ac molam Latini, ἐπιγονατίδα Græci vocant, quod etiam ad omnes crurum flexus iuncturam tuetur, & veluti tubercula ſubiectorum amplis ſinibus comprehendit, paululúmq́ intumeſcens, cauitatem, femur, & crus intercedentem complet: etſi nulli oſsi inhæreat, ſed carne et neruis deligetur, paulò magis ad femoris os exporrectum. MATHETES, In poſteriore femoris parte, quomodo capita hæc inter ſe habent? GERON, Plurimùm inuicem diſtant, in eorúmq́ ſpatio interpoſito ſinus amplus, altusq́ exiſtit, modicè aſper, nulla cartilagine obductus, qui aſperum & inæquale cruris tuber excipit, maximoq́ totius corporis neruo, ſimul & venæ arteriæq́ in crus deducendis idoneus. MATHETES, Quid in lateribus capitum horum cruris, mentione dignum apparet? GERON, Multa foramina cœca, vnde validiſſima tria, & rotunda ligamenta articulum continentia pronaſcuntur:

ſcuntur: vnum toti articulo exteriori: alterum interiori: tertium mediæ regioni exporrectum. MATHETES, Quémnam articulum colligant? GERON, Quo femur cum crure coarctatur, quem etiam genu iuncturam appellant. MATHETES, Quot oſsibus crus conſtat? GERON, Duobus, nempe tibia, quæ Græcis κνήμη, barbaris focyle maius dicitur: & ſura, quæ Græcis περόνη, vulgò focyle minus, aut fibula vocatur. TIBIA magnitudine humerum ſuperat, qui aliâs Galeno omnium, excepto femore, maximus eſſe putatur. Cæterum duo hæc, ſuræ & tibiæ oſſa inuicem colligantur: in medio autem dehiſcunt, membranoſo tantùm ligamento connexa. Prior tibiæ pars Græcis προκνήμιον, & ἀντικνήμιον, aliquando κρέα: poſterior γαστροκνημία dicitur. quanquam hæc corpori cartilaginoſo potius quàm oſsibus conueniat. ambo autem vbiq; propemodum triangula, præſertim per mediam ipſorum longitudinem apparent: atq; in tibia priore angulus valde eſt acutus, eoq; à nonnullis ſpina illius dicitur. In ſumma tres lineæ per hæc oſſa exporrectæ, tres angulos conſtituunt. MATHETES, Quomodo duo illa oſſa inter ſe differunt? GERON, Tibia grandior craſsiorq;: ſura autem ſuperiùs longè minor breuiorq;: inferiùs paulò tenuior, & multò longior exiſtit. MATHETES, Quid his oſsibus adnaſcitur? GERON, Vtriſq; duæ appendices, nempe ſuprà infraq; ſingulæ. MATHETES, Qualis ſuperior tibiæ apparet? GERON, Craſſa admodum lataq;, ac in priore parte magis quàm poſteriore deorſum portendit. MATHETES, Habétne appendix iſta ſinus? GERON, Duos oblongos cartilagine obductos, qui inferiora femoris capita excipiunt, aſpero inæqualiq; inuicem tuberculo diſtincti, quod validiſsimum emittit ligamentum, genu iuncturæ conſtringendæ accommodatum. MATHETES, At ſuræ quam ad femur non aſcendere dixiſti, appendix ſuperior, qualémnam ſinum obtinet? GERON, Interno quidem latere non adeò cauum & amplum, cui externus tibiæ appendicis proceſſus, leuiſsimè protuberans, committitur. MATHETES, Quales inferiores tibiæ & ſuræ appendices exiſtunt? GERON, Superioribus ferè ſimiles. nam in tibiæ appendice ampliſsimus ſinus, & quodammodo geminus conſpicitur, vt qui medius tubere leuiter prominente, diſtinguatur, altiusq; ad latera illius penetret. MATHETES, Quid inferioris tibiæ ſuræq; appendices, peculiare habent? GERON, Singulæ proceſſum extuberantem, foris gibbum excarnemq;, intus ſimum, quem Græci σφυρὸν, nos malleolum vocamus. Tibiæ verò appendix internum, ſuræ externum efficit, quem nonnulli perperam talum nominarunt, cùm hîc ſub illo vtrinq; contineatur. atq; ſic vndiquaq; contegatur, vix vt attingi

Crus. *Tibia.* *Sura.* *Differentia tibiæ & ſuræ.* *Appendices quæ tibiæ & ſuræ.* *Talus.*

posit. MATHETES, Quę ossa tibiam suramque sequuntur? GERON, Pedis, vt TALVS, qui ἀστράγαλος græcè dicitur: calx, quæ πτέρνη vocatur. scaphoïdes os, cubicum, & quæ primam illius partem, quæ ταρσὸς vocatur, efficiunt, planta, & digiti. MATHETES, Quale os talus est? GERON, Durum, medullæ expers, ad posteriora magis spectans, tessarę lusoriæ figura simile: in aliis autem animantibus teres propemodum, vnde etiam totus gręcè πετλαρὸς dicitur, quod lateribus quatuor, dextro, sinistro priore & posteriore constet. Nam pars eius superior, quam nonnulli solam sic appellant, in medio caua, vtrinque superciliosa, trochleæ modo rotundiuscula: inferior admodum inæqualis est, vtpote ter extuberans, ac gibba, bis caua, cartilagine vbique obducta, posterior eius regio læuis & modicè rotunda, processum longum calci incumbentem sæpe exigit. adeò autem est accliuis, vt sursum potius quàm deorsum spectare videatur. MATHET. Quibus ossibus potissimùm committitur? GERON, Priore quidem parte rotundo capite longa ceruice adnato, cum osse scaphoïde: vtroque autem latere eminentiis exiguis, & subrotundis, in duos superficiarios tibiæ, suræque sinus recipitur, ligamentisque connectitur, intus læuis. MATHETES, Qualis CALX est, quam talo subiici dixisti? GERON, Omnium pedis ossium maximum, essentia talo simili præditum, quod partim processus duos ex talo recipit, partim tuber amplum illi immittit. inferius autem qua ingredimur, leuiter rotundum est, ac latiusculum, vt firmiùs incedamus: posterius quoque similiter rotundum, & tibiæ rectitudinem excedit. è regione maximi digiti, Tali capitulo subiacet. quà autem minimo digito respondet, cum osse Cubico coarctatur, nulli alteri connexum. MATHET. Habétne etiam calx sinum aliquem? GERON, Amplum, interiore parte sub pede fixum, per quem tendo transuersus, tutò ad infimum digitum commeat. MATHETES, Quodnam cubicum os appellas? GERON, Calci vicinum, gibbumque foris, intus autem simum, iuxta id, os scaphoides sitũ: sed ita vt hęc duo mutuò se non attingant. Quippe inter talum, os scaphoides, cubicum & calcem, magnus intercedit sinus, quem musculorum extrema replent. Idem hoc cubicum os interna parte, qua paruum digitum respicit, gibbum habet processum, in eoque sinum conspicuum, cui tendo maximus iuxta sesamina pollicis ossicula inseritur. MATHET. Quale est os SCAPHOIDES? GERON, Quà cum talo committitur, cimbæ modo sinuatum est: quà verò cum tribus primæ pedis partis ossibus connectitur, gibbum. MATHETES, Quot, & quæ illam constituunt? GERON, Tria ossa paruula, & cubicum hoc inferiori scaphoidis parti, articulari modo connexa sunt. Ex his au-

Pedis ossa.

Calx.

Os cubicum.

Os scaphoides.

his autem primum alijs duplo maius apparet: secundum longè primo & tertio tenuius: tertium primò minus, secundo maius. cubicum primo adhuc grandius existit. MATHETES, Quænam alia pedis ossa restant? GERON, PLANTAE, quam Græci πεδίον, eò quòd hac ingrediamur, appellant, quinque cernuntur. nam primũ pollicis os simul comprehendit, quod in manu non fit. MATHETES, Súntne hæc quinque ossa, vt in palma, ad digitos vsque inuicem dissita? GERON, Non modò figura, sed etiam structura, & articulari cum prima parte pedis & digitis connexu illis respondent. quanquam capita superiùs magis gibba, crassiora, & longiora paulò habeant. MATHETES, At quomodo plantę ossa, cùm quinque sint numero, quatuor ijs connectuntur, quæ primam pedis partem, quam τάρσον Græci vocant, efficiunt? GERON, Tria plantæ cum huius tribus coarctantur: reliqua duo cubico ossi connectuntur. Sicut autem palmæ & primæ manus parti articulo exteriori, ita quoque plantæ, vbi quintum illud os cubico iungitur, aliud quoddam ossiculum apponitur. MATHETES, Quomodo hæc rursus digitis cohærent? GERON, Ad eorum quæ in manu sunt, similitudinem, nempe ex appendice in rotundum caput desinunt, eoque primi digitorum ossis sinum ingrediuntur. In summa plantæ palmis, digiti digitis respondent, excepto pollice, qui duplici tantùm osse constare videtur: quanquam etiam ossa sesamina iuxta primum & secundum internodia, eundem vsum, vt in manu, obtineant. In reliquorum digitorum primis articulis, obscura admodum: si prouectiorum ætate corpora fuerint, manifestiora: in secundis & tertijs rarissima existunt. MATHETES, Nulla alia re pollex pedis ab eo qui in manu est, differt? GERON, Nulla, nisi quòd in pede os pollici proximum, omnium sit longissimum, in manu verò, id quod medium est. Atque hæc de ossibus succinctè & breuiter à me deliniata medicinę candidatis sufficere videntur: de alijs autem ossiculis, vt in corde, naso, larynge & similibus, aliâs tractabimus: nunc ad ea digredi conuenit, quibus ossa inuicem colligantur, constringunturque. MATHETES, Ossium historiam satis iam intelligere videor: vnum te adhuc oro, vt cùm antea sæpe cartilaginis mentionem feceris, accuratiùs paulò explices, cuiusnam illa sit naturæ. nam mihi os propemodum referre videtur. GERON, Pars quædam est corporis similaris ac simplex, media inter ossa & ligamenta. Nam osse tantò mollior, quantò ligamentis durior est, Græcis χόνδρος appellatur. Cæterùm illorum modo alba est, lęuis, molliter flexibilis, sensus & medullæ expers, nullis foraminibus, aut sinibus ossium instar intus peruia. MATHETES, Quos vsus corpori præstat? GERON, Pri-

Plantæ oßicula quinq.

Plantæ palmis, digiti digitis respondent.

Pollex pedis quid ab eo qui in manu est, differat.

CARTILAGO

Cartilaginis vsus

mùm vt veluti os, partes subiectas suffulciat, vel illius vicem interdum subeat: deinde vt articulis incrustata impediat, ne illi continuis, assiduisꝗ motibus attriti, vitientur: tertiò, vt in ossium commissuris, non ad motum constitutis, glutinis vice, sicut in pectinis connexu, intercedat. In alijs partibus, vt operimenta, & propugnacula obducitur, cùm neꝗ frangi, neꝗ rumpi, veluti dura possit, neꝗ incidi, & contundi, quemadmodum mollia & carnosa: idꝗ vt singulæ partes, quibus adhæret, requirunt. MATHETES, Variæ ergò cartilaginis sunt differentiæ? GERON, Sunt vtiꝗ, sicut etiam diuersa cognomina pro instrumentorum ratione. Aurium itaꝗ cartilago, quam Cicero durum & corneolum introitum vocat, mediocriter mollis est, complicata, ac prominens, ne cerebrum iuxta situm, ab illis offendatur, quæ extrinsecus ei possunt incidere. Non dico, quòd excipiendis continendisꝗ sonis accommodata, faciliùs eos intromittat. Quę cartilagines oculorum palpebris subiacēt, Gręcis τάρσοι vocantur, eò quod pilos serie quadam ipsis infixos, erectosꝗ semper contineant, quos Græci βλεφαρίδας, nos cilia vocamus. Cùm autem binę vtrinque, suprà & infrà habeantur, superiores homini quidem maiores sunt, eisꝗ animantibus, quibus palpebræ superiùs extantes, mouentur, inferioribus immotis: quibus verò secus habent, vt auibus ferè vniuersis, ijs inferiores superioribus maiores existunt.

Cartilagines aurium.

At in naribus tres cartilagines cernuntur, duæ quidem in priorem partem deorsum exporriguntur, inuicemꝗ coniunctæ, sensim molliores euadunt, ac iuxta extrema narium in ligamentum cartilagineum degenerant. Tertia verò ab osseo narium septo foramine distinguente enascitur, mollis quoꝗ ac ligamenti naturæ compos, quæ internæ reliquarum sedi per longitudinem adhærescit. His tribus cartilaginibus aliæ duæ, vtrinꝗ singulæ accedunt, quæ magis adhuc quàm aliæ ligamentorum naturam imitantur, & singula narium foramina orbiculatim constituunt. hæ, inquam, internis suis lateribus inuicem colliguntur, & alarum extrema integunt, solæꝗ motu pollent voluntario, qui per musculos extrorsum, non introrsum illa trahentes, vt dilatentur, perficitur, Græci eiusmodi alas πτερύγια vocant, inspirationi expirationiꝗ insigniter conferentes. MATHETES, Quales sunt aliarum corporis partium cartilagines? GERON, Vbi maxilla ossibus quę ob duritiem à petra nomen apud Græcos inuenerunt, inseritur, præter cartilaginem, omnium ossium extremis communem, aliud quoddam corpus cartilaginosum occurrit, medio articulo interiectum, crassum, tenerum, & mucosa quadam, viscosaꝗ essentia refertum. Adhæc iuxta ossis, quod à græca litera Υ, ὑοειδὲς appellaui-

Cartilagines narium.

Corpus cartilaginosum articulis interiectum.

Cartilago hyoïdes.

pellauimus extrema, vtrinq; ſingulæ habentur cartilagines, ſtylos figura imitantes, quæ ſummæ aſperæ arteriæ muſculorum tendines, confirment. MATHETES, Quid vocas ſummam aſperam arteriam? GERON, Caput arteriæ, quod GVTTVR Latini, λαρύγγα Græci dicunt. MATHETES, Quot arteria & caput eius conſtat cartilaginibus? GERON, Tribus magnis. ſi verò diligentiùs conſideres, non ex cartilaginibus ſimpliciter, ſed oſſeis cartilaginibus, aut oſsiculis potius quibuſdam, præſertim in ætate firmiore conflatum eſſe dixeris. Prima reliquas magnitudine ſuperat, priore parte ſita, foris gibba, intus caua, prælongo ſcuto non rotundo, vndiq; ſimilis, vnde Græcis θυρεοειδὴς dicitur, vulgò ſcutalis, quod veluti clipeus aduerſus externas iniurias obiecta ſit: aliâs parum ad vocis modulationem vtilis. In brutis autem, maximè bobus & porcis, ſuperius arctior, inferius latior exiſtit. Secunda, minor quidem prima: tertia verò maior, & magna ex parte in poſteriore gutturis ſede conſiſtit, quà ſtomachus deorſum à faucibus deſcendit. hęc perfecti magis circuli figuram, quàm prima abſoluit, idq; ima eius parte potiſsimùm, nominis expers eſt, eoq; græcè ἀνώνυμος appellatur. Tertia ad gutturis amplitudinem infernam conuerſa eſt, & ab olearij vaſis ſimilitudine ἀρυταινοειδὴς dicitur. atq; eiuſmodi oſſea corpuſcula, quæ ſummam aſperæ arteriæ partem conſtituunt, Græci βρόγχια, vt arteriam ipſam βρόγχον appellant. Locus autem aſperæ arteriæ meatus circulis cartilaginoſis conſtat, non integris & abſolutis, ſed literam Latinorum C imitantibus, Græci à figura literæ Σ, σιγμοειδῆ appellant, ligamentis membranoſis contentos. Adhęc arteriæ aſperæ incumbit particula quædam cartilaginea, non oſſea, quæ illam eleganter operit, ne quid cibi, aut potus in ipſam defluat, Gręci ideo ἐπιγλωττίδα, Latini ligulam vocant. eadem hæc quà palatum reſpicit, gibba eſt, ac mollior: quà verò gutturi immittitur, caua, ſimaq;, ac multò quàm ſuperiore parte durior: in extremo autem ipſius, quà ſtomachum ſpectat, mollis admodum eſt, ac pingui obducta membrana, ligamenti naturam quodammodo referens. non autem eſt illa præcipuum, & peculiare vocis inſtrumentum, vt plærıq; falſò opinantur. At aſperæ arteriæ ductus ſub iugulo deſinit, vbi in duos ramos ſcinditur, & hi rurſus in alios, atq; ij etiam in alios. deniq; omnes in pulmonum eſſentiam diſperguntur, aëris inſpirationi & expirationi inſeruientes. MATHETES, Qualis cartilago coſtis adhæreſcit, de qua ſuperiùs nonnihil egiſti? GERON, Thoracis quidem coſtæ, quà pectori connectuntur, in rotundam ac flexibilem quandam cartilaginem degenerant, vt liberiùs moueri poſsint. ſpuriæ autem in copioſam quoq; cartilaginem

Arteria aſpera.

Ligula.

Thoracis cartilago.

terminantur, quò minus iniuriis sint opportunæ. MATHETES, In genu quoque articulo, cartilaginis cuiusdam meministi: quid præterea de illa habes? GERON, Paulò pòst audies. hoc vnum adhuc te scire volo, nullam articulorum iuncturam existere, in cuius extremo non sit adnata cartilago, vt in spina, humeris, brachiis, scapulis, cubitis, manibus, coxis, femoribus, cruribus, & pedibus videmus. MATHET. De cartilaginibus & ossibus nihil amplius desidero, quàm vt deinceps edisseras, quæ vincula illa colligent, confirmentque, ne in tam variis motibus disiungantur. GERON, Corpora simplicia ex semine concreta, ab ossibus prodeuntia, alba, exanguia, solida, nullo ferè sensu prędita, Græci *συνδέσμους*, Latini ligamenta nominant. non prorsus dura adeò, vt validè quidem ligent, motum autem impediant, sed mollia, vt facilè obsequantur, sic tamen, vt non rumpantur. Cæterùm partim ab osse ad os, vt in articulis, partim in musculos transeunt, ex quibus si nerui admisceantur, tendines proueniunt. at quæ propriè ligamenta vocantur, ab osse ad os pertinent, quæ iuncturas articulorum, & internodia tantùm ligant confirmantque: tenuia autem & neruosa, paruorum ossium articulis seruiunt. Quæ porrò neruis mixta in musculos inseruntur, hos præcipuè contexunt. nam caro ossa ambiens vinculis fibrarum modo tenuibus adhæreſcit. MATHETES, Variant igitur inter se, quantum ex verbis tuis intelligo. GERON, Maximè, & primum ortu vt paulò antè admonui. nam alia ex solis ossibus in genu, humero, cubito, & reliquis articulis trahunt originem: alia ex solis cartilaginibus, vt in summa aspera arteria. Deinde essentia differunt. nam alia molliori magisque membranosa constant, vt omnia quæ in orbem articulos ambiunt: alia verò dura sunt, & mediam inter ligamenta articulorum & cartilaginis naturam, reprȩsentant, quæ Græci *νευροχονδρώδεις συνδέσμους*, quasi è neruis cartilaginosa ligamenta vocant, vt sunt generatim omnia, quæ inter ossa latent. Tertiò situ discrepant: quȩdam enim extrinsecus ossibus obducuntur, vt quȩ molliora existunt: quædam inter ipsa, vbi se mutuò contingunt, vt cartilaginea propemodum vniuersa. Quartò figura differunt: hȩc namque prorsus lata, membranosa, & tenuia, vt quod inter cubitum & radium, secundum longitudinem exporrigitur, nonnullaque alia. illa verò crassa sunt, & ex his quædam rotunda, vt quod ex secundæ vertebræ dente, in occipitis os procedit: quædam ampla sunt, & lata, vt tendinum in humeri articulo, quædam continua, & non perforata cernuntur. quædam foraminibus patent, vt instar annulorum aliquid transmittant. Postremò etiam partium quas connectunt, ratione variant. nonnulla enim

LIGAMENTA.

Ligamenta vera in quas partes terminentur.

Ligamenta inter se variant.

solas

ſolas cartilagines, vt in larynge & naribus, colligant: nonnulla tantùm oſſa, vt omnium ferè articulorum. ſunt quę cartilaginem oſsi connectant, vt in coſtis & pectore cernimus. alia aliam partē quampiam oſsi, aut cartilagini committunt, vt omnes ferè corporis membranæ. Atque hæc duabus ſemper partibus ſunt communia: alia vni tantùm oſsi peculiaria cenſentur, vt exteriora cubiti ligamenta, ex quibus quinque tranſuerſim ducuntur, vnum cubito radioque commune, non ad vnum tantùm os refertur. MATHETES, Nihilne habent inter ſe commune ligamenta? GERON, Vtique, nempe quòd nullo, aut certè obſcuro ſenſu prædita ſint, ne propter crebrum motum, & continuum affectum indoleſcant. Ideo etiam ligamenta articulorum, cùm ſicca natura ſint, mucoſo quodam lentoque humore, ſicut etiam cartilagines articulorum, imbuuntur, ne celeriùs exiccentur. quę autem cum neruis muſculos ingrediuntur, ea ex illis nonnihil ſenſus accipiunt. MATHETES, Quem præſtant vſum ligamenta? GERON, Cùm non vnius omnia ſint eſſentiæ, varijs quoque modis corpori inſeruiunt: primùm, vt oſſa inuicem colligent, contineantque: deinde, vt partes ſubiectas muniant tueanturque, vt in primæ palmæ partis tendinibus videmus: tertiò, vt ventriculi indumenta, his ipſis tendinibus extrinſecus in orbem quodammodo circundentur: quartò, vt muſculos interſtitij loco intercedant, durumque oſsis modo renixum præbeant: quinto, vt muſculis non exiguam portionem ſuppeditent. In ſumma, craſſa & rotunda ligamenta, quæ interna regione ab oſsium capitibus medijs acetabulis inſeruntur, in hoc præcipuè conſtructa ſunt, vt articulos vndiquaque tueantur, colligent, ac conſtringant, ne in validis multiſque actionibus laxentur. membranoſa autem, ac longa, vt illos in minus violentis actionibus, laxiores ſeruent, conueſtiantque. At quæ ab aliqua oſsis particula prodeunt, extrinſecus, tendines potius, quàm oſſa iuuant, ſicut id quod ex tibiæ extremo in calcem deſinens, ſimul & tendines ſubiectos conſtringit, & ipſa oſſa ligat. quæ autem ab oſſe orta in os non deſinunt, neruis commixta per varias corporis partes oberrant, muſculis ſubiectis communia. poſtremò, quod à pectine ad naturalia pertinet, ſolum ex omnibus cauum exiſtit. MATHETES, Quid vocas tendines? GERON, Exiles neruorum & ligamentorum fibras, in vnum confluentes, ſicut in muſculorum extremis videre licet. Græci τένοντας, vel ἀπονευρώσεις, quaſi dicas neruoſas exilitates, vocant, de quibus poſtea, ſicut etiam de ligamentis & neruis vberiùs tractabitur: nunc iſta tibi medicinæ nuper initiato ſufficient. MATHETES, Cùm neruorum memineris, dic amabò quidnam illi ſunt, & quot illorum ſpecies. GE-

Ligamentorum communia.

Vſus ligamentorum.

Ligamenta craſſa quid præſtent.

Membranoſa ligamenta.

Ab oſſe prodeuntia.

TENDINES.

NERVI.


Neruorum differentiæ.

Senſum hi, motũ illi adferunt.

Motorij.

RON, Partes ſimilares, quæ ſenſum motumq́ corpori tribuunt, à cerebro & ſpinali medulla, vt in proceſſu audies, exoriuntes. Duę autem eorum ſpecies habentur. alij namq; ſenſorij, vt ita dicam, alij motores appellantur. ſenſorij, quòd ſenſum partibus ſuppeditent, non autem eas moueant: atq; hi alijs nobiliores è cerebro, partim ad oculos, aures, nares, & linguam perueniunt, eſſentia molles: partim ad viſcera, nempe ventrem, iecur, inteſtina: partim ad dentes, & cutem propagantur. hi verò illis, etſi exiliores, tamen minus ſunt molles. Motores vocantur, qui partibus corporis mouendis præcipuè deſtinati ſunt. Cæterùm tactus etiam ſenſum illis miniſtrant, eſſentia duri: quia longiùs ab origine ſua recedunt. MATHETES, Vnde hi prodeunt? GERON, A cerebro & ſpinali medulla, & in ſingulos artus per vertebrarum foramina diſtribuuntur. At neruorum, ſicut etiam venarum & arteriarum natura & officium, commodè ſatis percipi non poteſt, niſi partes vnde oriuntur, & quibus communicentur, prius ſint cognitæ & perſpectæ. MATHETES, Quare te obſecro, vt reliquam corporis humani hiſtoriam partitionemq́ quo cœpiſti ordine, indicare aggrediaris. GERON, Id cras ſi DEO viſum fuerit, in gratiam tuam facturus. nunc me ad cœnam conferam.

Ioannis



Ioannis Guintherij Andernaci Medici Clarissimi

DE MEDICINA VETERI ET NOVA COGNOSCENDA, COMMENTARII PRIMI

DIALOGVS QVINTVS.

MATHETES, Gaudeo te, humanissime præceptor, adesse, vt reliquas corporis partes mihi ostendas. GERON, Quanquam alij quidam, post ossa statim exteriores corporis, musculos, ligamenta, neruos, venas, & arterias: postremò viscera, adipem, & glandulas indicare soleant: ego tamen post illa interiores potius inspiciundas esse censeo. MATHET. Quamobrem? GERON, Primùm, quia hæ tanquam dignitate & origine priores, nutrimentum, vitam, & sensum externis præbent: deinde, quia si vno in cadauere exteriores primùm aggrediaris, interiores à putredine & grauitate odoris, tandiu conseruari nequeunt, donec illæ absolutè perdiscantur. sin autem corporum suppetat copia, & interanea omnia fuerint cognita, modò à musculis & ligamentis incisionem, modò à venis & arterijs, modò à neruis auspicari licet. MATHETES, Tu pro tuo iudicio & voluntate structuram corporis humani pergas explicare. GERON, Corpus integrum trifariàm, nempe in superiora, media, & inferiora receptacula, vt caput, thoracem, & ventrem partiri soleo: sed ita, vt quæ extrinsecus illud ambiant, partes nonnihil etiam attingam. his enim adhuc integris interanea conspici nequeunt. MATHETES, Non dubito, quin rectè omnia sis administraturus, quę ad quaslibet partes cognoscendas pertinent: verùm hoc te oro, vt dum illarum sedem, positum, ordinem, figuram interpretaris, etiam incidendi modũ ostendas, quo instructus, meo quoqꝫ marte & industria, interdum corpora aperire possim. GERON, Faciam id libenter, sed paucis, & quantùm possum apertè, ne rem per se difficilem & obscuram, nondum exercitatis adhuc, reddam obscuriorem.

Internarum partium corporis humani Anatome.

Incisionis ordo.

Corporis humani partitio.

Commune igitur omnium corporis partium tegumentum, inprimis hac parte inspiciendum est, quod græcè δέρμα, eò quòd excoriari possit, nobis Cutis, in alijs animantibus corium, appellatur: temperamento, duritia, & mollitie media. quamuis non planè exanguis, vt neruus, nec sanguine prædita, vt caro: sanguinis tamen, spiritus vitalis, & sensus compos est, eò quòd vena-

CVTIS.

rum,arteriarum, & neruorum tenuiſsimorum, à ſubiectis partibus ad ipſam excurrentium, ſit particeps. MATHETES, Eſtné ſimilis in omnibus partibus? GERON, Nequaquam. nam quæ internam manum veſtit, ſola inter vniuerſas mediocritatem temperamenti, duritiæ, & mollitiei obtinet, niſi labore calloſior euaſerit, & plurimæ neruorum fibræ in eam propagentur, ſicut in verticis cutem paucißimæ. Porrò ipſa in plantis pedum, & capitis vertice durior, in facie mollior & tenuior exiſtit: non autem æquali in omnibus modo. MATHETES, Continuámne & perpetuam texturam cuticula vndiꝗ habet? GERON, Vtiꝗ: niſi quòd in palpebris, naribus, auribus, ore, ano, pudendis, & circa vngues perforata ſit: nec non vbi naturales meatus, fuliginoſis recrementis expellendis, pilisꝗ educendis dicati extant: vnde etiam alibi piloſa apparet, vt in capite, alis, naturalibus, & mento, ſi vir eſt: alibi glabra, vt in manu interiore, & planta pedis. MATHETES, Similitérne etiam vbiꝗ ſubiectis adhæret? GERON, In vertice, fronte, & tota propemodum facie counita eſt: in manu autem, & pede, ſpinaꝗ, connata: in labris & ano, commixta: in reliquis corporis partibus, appenſa, vt membratim ſingula in proceſſu condiſces. MATHETES, At cutis de qua agitur, conſpectui ne eſt obuia? GERON, Nequaquam: ſed externa illius ſuperficies, & veluti efflorecentia, quę Græcis ἐπιδερμὶς, Celſo pellicula ſumma, nonnullis cuticula vocatur: ea interdum per ignem & aquam ardentem aduſta, in ſcabie, aliáue de cauſa à cute interna recedit, prompteꝗ contra illius modum & naturam, renaſcitur. MATHETES, Quænam cuti proximè ſubiacent? GERON, Primùm ſanè pinguedo, ſeu adeps, prę ſertim in corporibus natura frigidis: deinde membrana admodum valida, & craſſa, pertinaciſsimè in omnibus illi committitur: poſtremò abdomen, quod Græci ἐπιγάστριον appellant, octo muſculis comprehenſum, de quibus ordine dicetur. MATHETES, Quomodo muſculi membranæ, & hæc pinguedini (ſi adeſt) cutiꝗ adhæret? GERON, Fibris quibuſdam raris, ac aranearum modo ſubtilibus. nam plurimæ quidem venæ, paucißimæ autem, tenuißimæꝗ arteriæ ad cutem nutriendam, & neruorum propagines ad ſenſum communicandum, membranam permeant. MATHETES, At membrana hęc, in omnibúsne partibus ſibi reſpondet? GERON, In ceruice tota, fronte, & capite ipſo, carnoſis auctior fibris, craſsiorꝗ apparet: imò adeò carnoſa, vt muſculi naturam reprę ſentet. quanquam in externa etiam ventris regione, hanc Arabes membranam carnoſam, barbari panniculum carnoſum, pro carnoſa pellicula appellent, quæ in emaciatis tantùm, aut gracilibus corporibus conſpicitur?

Marginal notes: Cutis continua. Cutis perforata. — Cutis piloſa vbi. Glabra. — Counita. Connata. Commixta. — Pellicula ſumma — ADEPS. MEMBRANA ABDOMEN. — Pellicula carnoſa.

citur: in obæsis autem & crassis, adeò confusa est adipi, vt nulla prorsus appareat. MATHETES, Quare adeps inter cutem, & membranam generatur? GERON, Quia plurimum sanguinis ob vasorum transitus, illuc resudat, qui ob frigidam membranæ naturam, & caloris inopiam concrescit gelascitq;: ac ideo frigidioribus natura copiosior, calidioribus pauca, aut nulla nascitur. nullis autem aliarum partium membranis obducitur, vtpote inutilis ac noxia, præterquàm quòd manui pediq; summo, extrinsecus modica admodum, natibus autem copiosissima, puluini instar subsit.

Adeps inter cutem & membranam.

MATHETES, Quomodo in cute incisionem ordiar, vt quæ sub ea latent, in conspectum veniant? GERON, Vbi tres ventris regiones, summam, mediam, & imam, nec non vtraq; illius latera consideraueris, quæ nostris præcordia dextra, & læua, Græcis autem, quòd sub costarum cartilaginibus incipiant, ὑποχόνδρια nominantur, lineam orbicularem, in vmbilici ambitu, acutiore scalpello duces, sed non latiùs, quàm vt cutem penetret: mox à pectoris osse alteram, quæ ad vmbilicum rectà pertingat: deinde tertiam, quæ ab imo vmbilico ad mediam pubem, vbi naturalia inchoantur, excurrat: in fœminis autem pectinem, inter vuluę ceruicis colliculos, nonnihil excedat: postea transuersam lineam duces ab vtroq; vmbilici latere, quæ ad lumbos vsq; procedat, cura semper adhibita, ne interiùs quàm cutis est, scalpellum adigas, quod sanè in obęsioribus facilius, quàm in emaciatis & tenuibus, obseruari potest. Porrò lineis in hunc modum ductis, cutem hamulo, aut vnguibus attolles, acutissimoq; scalpello ab adipe secernes, inferiorē illius partem ad coxas, superiorem versus deorsum reijciens.

Incisio quomodo in cute ordienda.

Cutis ab adipe quomodo secernenda.

MATHETES, Quid obseruandum putas, vbi cutis ab adipe fuerit liberata? GERON, Neruulos, venas, arteriasq; exiles, qui super membranam in adipe prorepentes, cutem adeunt. MATHETES, Qua ratione adeps à membrana seiungi debet? GERON, Qua cutis ab adipe, cauens, ne membranā cum illa simul, per imprudentiam auferas, eorum more, qui membranam in homine reperiri negant.

Adeps à membrana qua ratione seiungenda.

MATHETES, Adipe ablata, quomodo membranam à subiectis musculis separare conuenit? GERON, Vbi scalpello membranam, leuiter ad musculos vsq; diuiseris, & digitis hinc inde per incisionem abegeris, statim illa à subiectis liberatur, sicuti bobus, vitulis, ouibus, leporibus, & hœdis cutem, imò membranam cum cute auferri cernis, quam auulsionem, nos excoriationem, Græci δάρσιν nominant. MATHETES, Quinam, & quales sunt abdominis musculi? GERON,

Membrana à musculis quomodo separanda.

ABDOMINIS MVSCVLI.

Priusquam eos aggrediar, considerandum existimo, naturam triplicia in corpore instrumenta condidisse: quædam prima

ratione ad alimentum concipiendum elaborandumq́;, & in totum corpus deferendum: quædam ſecunda, quę excrementorum ſunt receptacula: quædam tertia, quæ horum excretionibus ſeruiunt, cuiuſmodi ſunt, cùm alij, tum abdominis muſculi: quatuor ſanè obliqui, duo recti, & totidem tranſuerſi. Primi duo in vtroq; latere obliqui: vnus à coſtis exoriens, verſus Ilium oſſa tendit: alter ab Ilijs procedens, ad coſtas emergit: ac ambo ſibi inuicem incumbentes, fibras quoq; contrarias, ad ſimilitudinem literę Gręcorum X, ſe mutuò interſecantes extant, ac vulgò deſcendentes ideo vocantur, quod è ſuperioribus partibus oriuntes, ad inferiores deſinant: obliqui verò ideo, quòd talibus ſint fibris præditi: aliâs lati admodum, ſitiq; ad latera.

Muſculi recti.

MATHETES, Quinam muſculi recti exiſtunt? GERON, Qui vtroq; latere fibras ſecundum corporis longitudinem obtinent.

Tranſuerſi.

MATHETES, Qui tranſuerſi? GERON, Qui vtrinq; fibras ſecundum corporis latitudinem expanſas reprę ſentant, nullo autem obliquo ductu feruntur.

Obliqui.

MATHET. Qui muſculi inter omnes hos commemoratos, primi occurrunt? GERON, Qui à coſtis inferiùs deſcendunt, hoc eſt, obliqui ſuperiores, alijs omnibus incumbentes.

Obliquorum muſculorum ſuperiorum origo & fines.

MATHETES, Vnde hi ſuam habent originem? GERON, Ex ſexta, ſeptima, octaua, & nona coſta, manus plærunq; inſtar amplam, carnoſamq́;, ſed tenuem, elatiori thoracis muſculo, & ei qui brachium admouet, cohærentes: paulatim autem in latam, neruoſam, membranoſamq́; degenerant, quę reliquę Ilium oſsis appendici, & pectini annectitur. MATHETES, Vbi muſculi iſti finiunt? GERON, In medio abdomine, à mucronata ſcilicet cartilagine, vſq; ad os pectinis rectà vergentes, vbi candida cernitur linea, iuxta quam tendines muſculorũ, vnà cum obliquis aſcendentibus, & tranſuerſis committuntur.

Muſculorum obliquorum inferiorum ortus, & finis.

MATHETES, Vnde inferiores obliqui muſculi oriuntur? GERON, Ex oſsis Ilium, ſacri, & lumborum vertebrarum ſpinis, membranoſi, in proceſſu carnoſis paulatim augentur fibris, nutriunturq́;. atq; hic qui ſurſum carnoſi aſcendunt, illos qui deſcendunt vtrinque integunt, & quatuor inferiorum coſtarum finibus inſeruntur, neruoſo exiliq; tendine præditi, qui inter rectos muſculos ei ſubiectos, et membraneum ſuperioris obliqui muſculi tendinem, mediam regionem intercedit, pectiniq; & mucronatæ pectoris cartilagini, inſeruntur: ambo autem ſingulis vtrinq; tendinibus, ſic priore loco vniuntur, vt toti propemodum abdomini tegumentum præſtent. adeò verò validè ſuperiores, inferioresq́; muſculi, ſuper abdomen adnati videntur, vt quatuor ipſorum tendines, in vnum coaleſcere putes, niſi accurata ſectio, & fibrarum diuiſio, duos vtrinq; haberi, indicarent. Aſcendens porrò vtrinq;

tendo,

tendo, vbi rectis musculis occurrit, in duos scinditur: quorum alter supra illos, alter sub ipsis incedit, mirabili naturæ industria. Tandem autem tendines isti rursus vniuntur, vbi linea candida apparet, & neruosis quibusdam partibus rectorum musculorum adhærescunt, finiuntque eo modo, quo ascendentes.

Musculorum obliquorum vsus.

MATHETES, Quis vsus obliquorum est musculorum, tum descendentium, tum ascendentium? GERON, Vt intestina constringant, & costas deorsum trahant, quò thorax dilatetur.

Musculorum rectorum ortus & finis.

MATHETES, Vbi recti musculi reconduntur, & vnde procedunt? GERON, Sub obliquorum tendinibus, singuli ex medio pectine duplicem trahunt originem: vnam quidem superiorem interioremque carnosam: alteram inferiorem, & exteriorem neruosam. Interdum dextrum sinistro pectinis ossi, sinistrum dextro inseri aduertimus. Hinc rectà sursum contigui ad vmbilicum vsque porriguntur. Ibi autem nonnihil inuicem distantes, amplioresque paulò ad pectus vsque feruntur, eique ad latera paululùm, supra mucronatam cartilaginem lati & carnosi inseruntur, tendinis expertes: imò per longitudinem tales existunt, sicut etiam in primo ipsorum exordio.

Musculorum fibræ.

MATHETES, Quales fibras per longitudinem ipsorum obtinent? GERON, Non quidem simplices, sed varias singuli descriptiones, transuersas & incuruas repræsentant, quæ alba linea exprimuntur, quasi diuersi in ipsis musculi contineantur, atque obliqui illis adhæreant.

Musculorum rectorum vsus.

MATHETES, Quem vsum recti musculi prestant? GERON, Priora abdominis constringunt, magis autem thoracem deorsum trahunt, vt suprà dilatari posit.

Musculorũ transuersorum origo.

MATHETES, Vnde transuersi musculi emergunt? GERON, Ex transuersis lumborum vertebrarum processibus, tenues membraneique: in processu autem fibris adaucti, carnosiores multò superioribus, Iliis, & mendacium costarum finibus annascuntur. Quemadmodum verò musculi hi fibrarum accesione carnosi facti sunt, ita rursus in priore parte ipsis destituti, in latos tendines membranæ, quam Græci περιτοναῖον vocant, contumaciter adhærentes, desinunt: non autem æquè, vt obliquorum, latos. nam illi sub rectis, præsertim iuxta pectus nonnihil carnosi existunt.

Musculorũ transuersorum vsus.

MATHETES, Quis horum etiam vsus est? GERON, Vt abdomen comprimant, & præcordia astringant. Hic autem notandum est, musculos tum obliquos vtrosque, tum transuersos perforatos esse, primùm iuxta vmbilici regionem, deinde propè os pectinis. ac per ea foramina descendunt vasa, semini testibus præparando dicata: ascenduntque ea quę semen deferunt, & in glandulas parastatas tandem inseruntur: atque per eadem foramina ramices siue herniæ fiunt. solent ipsa in fœminis quoque inueniri. MATHETES, Nunc musculorum horum

Muſculorum incidendorum ratio

incidendorum rationem edoceas. GERON, Vbi membranam muſculis ſingulis peculiarem, lęuemq; et fibroſam, vnguibus hinc inde auulſeris, linea candida notari debet, quæ à mucronata cartilagine per medium vmbilicum, ad pubem vſq; procedens, rectos muſculos diſtinguit. ideo autem illis quæ eam ambiunt, candidior apparet, quòd nulla ei caro ſubiecta ſit. MATHETES, Quare hanc intuendam præcipis? GERON, Quia iuxta huius candorem, membranoſi obliquorum muſculorum tendines coëunt, rectis incumbentes. MATHETES, Hincne inciſionem ordiri placet? GERON, Quidni? cura autem adhibenda eſt, ne dum cutem iuxta lineam hanc diuidis, ea quæ ſubiecta ſunt, conuulneres: non altiùs ſcalpellum adigas, quàm vt obliquorum tendines rectis inſidentes, illicq; coëuntes penetret: deinde ſuperioris obliquè deſcendẽtis muſculi tendinem hamulo attolles, ac à ſubiecto ad dorſi ſpinam vſq; liberabis. Poſt hunc, inferioris obliquè aſcendentis muſculi tendinem, à recto ſeparabis, ab alba quoq; linea exorſus: ac videbis hîc, quomodo ille tranſuerſis recti muſculi inſcriptionibus annaſcatur, ac cum neruoſo, tenuiq; tranſuerſi muſculi tendine, iuxta externum muſculi recti latus, coaleſcat. MATHET. Quomodo tu obliquos incidere conſueuiſti? GERON, Primùm ſuperiorem abdominis muſculum dextrum, obliquè deſcendentem, à coſtis vnde incipit, exiguo ſcalpello ad medium vſq; pectinem, cui inſeritur, ita liberaui, vt nihil eorum quæ ſubſunt offenderem: paulatim autem illum ab inferiore, qui obliquè aſcendit, ad medium abdomen vſq; ſeparaui, curam adhibens, ne exilem muſculum, qui ad decimam vndecimamq; thoracis coſtam, cum obliquo committitur, & tunicam ſeminaria vaſa integentem, violarem. quanquam adeò cautè ac prudenter fieri nequit, vt iuxta lineam, de qua iam dixi, coëuntes amborum vtrinq; muſculorum tendines integros ſeruare potuerim. MATHETES, Quid ergo deinceps agendum erit? GERON, Primùm ſuperiorem muſculum obliquum, à media recti amplitudine reflectes, ſuſpenſumq; tenebis: deinde inferiorem aggredieris. MATHETES, Quomodo? GERON, A pectine, Ilium oſſe, lumborumq; vertebris, & quatuor inferiorum coſtarum finibus, leui ſectione dirimes: ab illo, qui decimæ, & vndecimæ coſtæ, potiſsimùm reſpirationis gratia inſeritur, abſtineas. Poſtea muſculi huius obliqui principia hamulo, aut vnguibus attolles, & in priora procedens, à tranſuerſo, cui inſidet, imò pertinaciſsimè cohęret, liberabis: maximè autem vbi recti muſculi ſupra vmbilicum inuicem ſeparantur, & ad externum eorum latus. MATHETES, Cùm iam ſuperficiarium dextri lateris obliqu[illegible] muſculi tendinem, deinde interiorem ſub ipſo, à

Linea candida rectos muſculos diſtinguens.

Muſculorum obliquorum abdominis adminiſtratio.

rectis

rectis musculis, & transuersis separaueris, ac vtrunque vtrique connexum ostenderis, rectorum musculorum incisionem aggredere. Sic enim totum opus clarum euadet, & nihil confundetur, musculis simul cum neruosis, tenuibusque ipsorum tendinibus distinctis. Nam si tendo à carne fuerit auulsus, vix ipsum postea separare poteris, vt ijs, qui rectos primùm incidere solent, vsu venit. MATHETES, Si recti obliquis subiacent, exponas nunc, quo pacto ipsos incidere conueniat.

Musculorum rectorum abdominis administratio

GERON, Ex rectis musculis vtrum velis, dextrum, aut sinistrum, vel ambos simul hamulo eleuabis, dextræque manus digitis externo latere, ad abdominis longitudinem, subter huc illuc iniectis, à transuersorum tendinibus liberabis: deinde eos à thorace separatos, ad pubem vsque detrahes, ibique initia ipsorum diligenter examinabis. MATHETES, Quid in musculis hisce rectis ita ex abdomine auulsis, inspiciendum censes? GERON, Primùm circumscriptiones illas ex diuersis fibris conflatas: deinde venas, & arterias: quæ partim ex vasis ad crura tendentibus, in musculos hosce interiùs propagatæ sursum: partim à glandio ortæ, per thoracem ad præcordia deorsum, feruntur, mutuisque inuicem extremis coëunt: per quæ potissimùm mamillis cum vtero est communio, vt suo loco dicetur. Postremò neruuli quidam eodem in loco obseruari debent, illorum soboles, qui mendacium costarum interuallis inseruntur, & à lumborum vertebris in ipsos rectos musculos, variè dispensantur. MATHET. Quomodo transuersi musculi tractandi sunt?

Transuersorum musculorum incisio.

GERON, Iuxta albę lineę longitudinem, scalpellum non altiùs adiges, quàm vt neruosum, tenuemque illius tendinem penetret, arteria quæ subest, illæsa. Nam musculi hi, membranosis tenuibusque tendinibus adeò peritonęo obhęrescunt, vt pars eius videri possint, nisi fibræ ipsos percurrentes, distinguerent. Alij à pectine exorsi, per Ilia transuersos lumborum vertebrarum processus, aut potius per musculos spinam huc mouentes exteriùs, vsque ad mendacium costarum terminos incisionem moliuntur, quæ etiam subiectam ipsius membranam penetret. MATHETES, Quæ corporis pars post musculos iam commemoratos occurrit?

GERON, Membrana cuius nuper memini, subtilis insigniter, latis, & continuis aranearum telis simillima, ex numero simplicium & similarium partium: Gręcis ea περιτοναῖον, vel περιτοναῖος ὑμὴν, vel περιτοναῖος χιτὼν, vel περιτοναῖον σκέπασμα dicitur: Latinis etiam PERITONAEON vocatur: Arabibus & barbaris Ziphac, quòd ventriculo intestinis, omento, mesenterio, iecori, lieni, renibus, vesicæ, vtero, & vasis omnibus, quæ inter septum transuersum, & crura habentur, veluti inuolucrum obtendatur: vnde etiam duæ

PERITONAEVM.

tunicę, vtero & vesicæ attribuuntur, quibus vna tantùm est propria: ventriculo autem & intestinis tres: quibus duæ solùm peculiares existunt. *Peritonæi regiones.* Ac sedes ipsius peritonęi in corpore supino, quod incidendum suscepisti, aliæ sublimes, vt supra vmbilicum, musculosq; indidem, & præcordia habentur: aliæ humiles & demissæ in imo iuxta spinam, & prope os sacrum vsq; ad coxas, pubémque consistunt. *Peritonæum vnde sumat originem.* MATHETES, Vnde peritonęum trahit originem? GERON, Ex ligamentis, quæ tum lumborum vertebras, tum os sacrum & Ilia inuicem connectunt. hinc enim procedens, omnibus supradictis partibus circumtenditur, & lumborum musculis incumbit. *Peritonæum quibus connectatur.* MATHETES, Quibúsnam partibus connectitur, aut adhęrescit? GERON, Superior ipsius finis, inferiori septi transuersi parti obnascitur: hinc ad sinistram, primùm ventriculi initio (quod os ipsius dicitur) adnectitur: deinde toti ipsius corpori, adeò intereà crassescens, vt vix inde auelli queat. prope vmbilicum autem, tenui transuersorum musculorum tendini, coniunctum est: imò omnibus ferè abdominis musculis, licet non æqualiter, adiungitur. *Peritonæum quale.* MATHETES, In omnibúsne quibus obtenditur, æquè crassum apparet? GERON, Iuxta originem quidem suam, crassissimum cernitur: priore verò parte mucronatę cartilaginis, vsq; ad pubem, tenue & inualidius, quàm ad latera & lumbos existit. nam omnibus quæ ei subsunt partibus, tunicam exhibet, qualem singula requirunt, crassam putâ, vel tenuem: iecori sanè tenuissimam: lieni autem minus tenuem: renibus, ventriculo, intestinis, vesicæ, & vuluæ crassiorem: septo autem transuerso, omnium crassissimam solidissimamq;, præsertim iuxta inferiorem eius partem, quam vndiq; comprehendit. MATHETES, Quare crassius hisce interaneis obducitur? GERON, Ne dum illa in tumorem attolluntur (id quod sæpe accidit) offensionem aliquam experiatur. Crassities enim magis, quàm tenuitas extensionem sustinere potest: vnde etiam fit, vt iuxta extuberantiorem ventriculi partem, quà spinam attingit, duplex ex implexu habeatur: *Peritonæum duplex.* vbi vena magna cum arteria ipsi toti sublimius insidet, & numerosa quædam tenuium vasorum series, ex magnis illis in eandem propagatur, alia post aliam consequenter, vnaq; linea & ordine. MATHETES, Simpléxne peritonæum existit? GERON, Non, sed quod extrinsecus omnibus obducitur, magnum appellatur: quod autem partes aliquas seorsùm integit, exiguum: *Peritonæum vbi peruium.* quos processus laxos grandioris ideo nominare licet. Est autem id iuxta elatas ipsius partes, ad vtraq; inguina foramine peruium, per quod seminaria vasa ad testes perueniunt. Cæterùm si à medio abdomine sursumuersus peritonæum spectes, simplicem esse mem-

branam

branam iudicabis: ſi ab vmbilico deorſum cernas, duplicem eſſe dices. MATHETES, Quare ſic eam natura fabricata eſt? GERON, Vt arteriæ vmbilico familiares, vas quod Græcis ὀυραχὸς dicitur, venæ, arteriæq; ſub rectis abdominis muſculis aſcendentes, nec non veſica, & inteſtina validiùs tutiúſq; inter eam contineantur. MATHETES, Qualis ipſius eſt eſſentia? GERON, Intus læuis, extrinſecus aſpera, idq; vt muſculis prędictis, atq; eorum tendinibus fortiùs adhæreat.

Peritonæi eſſentia qualis.

MATHETES, Qua figura eſt præditum? GERON, Si ipſum priuatim abſq; omnibus quæ contegit, inſpicias, circulum quendam, aut orbem propemodum repręſentat, idq; non multò poſt vmbilici regionem, vbi primùm à tranſuerſis muſculis ſecernitur, & ſolum relinquitur: in vmbilico autem, tendinibus eorum connexum eſt.

Peritonæum qua figura ſit præditum:

MATHETES, Repetas, obſecro, quotnam peritonæi membranæ ſint vſus? GERON, Quinq;, ſi benè memini. primus, vt partes vniuerſas intra corpus ſitas, ventrem, inteſtina, viſceraq; infra ſeptum tranſuerſum, de quo poſteriùs, contegat. alter, vt hæc ipſa à muſculis extrinſecus incumbentibus interſtinguat, ne quando inteſtinorum aliqua, in media inter ipſos ſpatia incidant, & ne dum premunt, aut premuntur, arctant, aut arctantur, inflant, aut inflantur, motus illorum impediat, ipſaq; recrementa difficillimè deorſum tranſmittat. tertius, vt ſicci alimenti ſuperflua tranſuerſi ſepti auxilio propellat. nam cùm ipſum eôdem perueniat, quò ſeptum, expulſorio ventris & inteſtinorum motui nonnihil ſuccurrit.

Peritonæi membranæ vſus quinque.

MATHETES, Quando hoc accidit? GERON, Cùm octo abdominis muſculi, & ſeptum tranſuerſum tanquam manus ſuprà quidem vnitæ, infrà verò diremptæ, ea quæ in medio ventre excrementa cibi continentur, deorſum premere ac propellere conantur, tunc eis peritonęum opitulatur. MATHETES, Quis autem quartus peritonæi vſus eſt? GERON, Vt, cùm veluti inuolucrum accuratè circundatum ſit, omnia quę in ventre ſunt, ſtringat, ne ille ex facili flatibus infeſtetur: id quod fieri ſolet, cùm ipſe eſt imbecillior. MATHETES, Intelligo hæc: quis autem quintus tandem vſus illius eſt? GERON, Vt omnia quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt, comprehendat, & veluti pellis quædam ſeorſim tegat. MATHETES, Quid, ſi quando tenuitas eius violetur? GERON, Magnum ſequitur periculum, præſertim, ſi quod interaneorum vnà ſit vulneratum. ſin autem ſolum ipſum circa ſeminalium vaſorum (de quibus poſtea) tranſitum, ruptum, aut extenſum fuerit, inteſtina in ſcrotum deuoluuntur, ac affectus hic Græcis ἐντεροκήλη, nobis ramex ac hernia inteſtinorum dicitur, ex ictu, ſaltu, clamore, vociferationeq;, aut alia partium imbecillitate proueniens. ſi verò diſrumpatur, aut lædatur ſic, vt in-

Peritonæi ruptura.

Hernia inteſtinorum.

Hernia inguinũ. *Hernia omenti.* *Hernia aquosa.* *Hernia varicosa & flatuosa.*

testinum aliquod non ad scrotum, sed ad inguina abscedat, græcè βουβωνοκήλη, latinè inguinum hernia vocatur. si omentum, de quo mox audies, descendat, illis ἐπιπλοκήλη, quasi omenti hernia. si aqua, ὑδροκήλη illis, hoc est, hernia aquosa latinis vocatur: quanquam aqua in morbo hydropico inter hanc membranam, & intestina colligi soleat. Quòd si crassus ac melancholicus sanguis, in vasorum anfractibus coaceruetur, κιρσοκήλη: si spiritus, πνευματοκήλη, id est varicosa, & flatuosa hernia appellatur. sed de his aliâs: nunc reliqua inspicito. MATHETES, Quid post peritonæum occurrit? GERON,

OMENTVM.

Omenti essentia cum peritonæi eadem. *Omenti figura.* *Situs & magnitudo omenti.*

Hoc per rectam lineam secto, & vmbilici vasis in aliud tempus reseruatis, corpus quoddam apparet, quod veteres Græci ἐπίπλοον, & ἐπίπλουν, nos omentum appellamus. MATHETES, Qualis illius est essentia? GERON, Non alia quàm peritonæi. imò est peritonæum ipsum duplicatum, hoc est, duabus tunicis densis, subtilibus, mutuò sibi incumbentibus, necnon venis, arterijs, neruo ex sexto pari, sensus gratia, & pinguedine siue adipe copiosa contextum. MATHETES, Quam habet figuram? GERON, Marsupij, sacculi, aut peræ: id quod deprehendere licet, si ipsum integrum & continuum à spinæ partibus, & ventriculi fundo abscissum, nullaque parte vel perforatum, vel diuulsum materia vel liquida, vel solida implere cupias. MATHETES, Idémne situs eius, & magnitudo in omnibus existit? GERON, In quibusdam non multò infra vmbilicum, in quibusdam ad pubis ossa descendit: interdum ad alterum latus sursum reuulsum apparet. Homines id maximum habent, vnde nonnulli etiam Græcis ἐπιπλοοκομίσται, quasi omenti gestatores dicuntur: inter bruta, simiæ grandius obtinent.

Omenti origo.

MATHETES, Vbi oritur? GERON, Ad spinam, vbi magna vena arteriaque exporrigitur. recipit enim multas propagines, capillorum modo tenues ex vena, quas portas dicunt: id quod clarè patet, si illud ad pubem vnguibus laceres, & superiorem ipsius tunicam thoraci expandas, inferiorem intestinis porrectam ideo relinquens, vt spatium membranas intercedens ad præcordia cernas.

Omentum quibus connectatur partibus.

MATHETES, Quibus connectitur? GERON, Non paucis ventris partibus, de quibus postea tractabo, mesenterio, carnique glandulosæ (quæ πάγκρεας græcè vocatur) tenuis intestini initio ἔκφυσιν dictæ, colo, ventriculo: adhæc lieni, vasorum quorundam interuentu, iecoris quoque fibræ: aliâs alij, sed rariùs, & spuriæ cuidam costæ: neque huic vni perpetuò, sed vt euenit. MATHETES, Cur tam multis partibus connectitur? GERON, Ne ipsum frequenter circa se inuoluatur, implicetur, & multa operimenti indiga relinquat.

Omenti vsus.

MATHETES, Quis tandem præcipuus omenti

vsus

vſus eſt? GERON, Vt ventrem, cuius fundo inſidet, foueat, innatumq́ calorem per inediam tueatur. quibus enim per vulnera id excidit, vt præſcindi ſit neceſſarium, ij ventrem habent frigidum, minus concoquunt, & operimentis plurimis indigent. MATHETES, Quæ poſt omentum aperiunda ſunt?

INTESTINA.

GERON, Inteſtina, ſed prius illud ab his, quibus perrara & tenuia ligamenta cohęret, liberato: deinde ipſa iam nonnihil commota, in locum ſuum quantùm licet, reponito: poſtea vt ſitum eorum condiſcas, vel ab exortu eorum, vel ab extremo incipito. Sunt autem eorum numero ſex, antiquorum ſententia: quia verò inuicem ſunt cõtinua, in vnum duntaxat redigi poſſunt: quod hîc tenue, illic craſſum exiſtit. MATHETES, Quæ ſunt omnium nomina, ſi ſex numeres? GERON, Si ab imo exordiaris, primum inteſtinum, longum & rectum: alterum, colon: tertium, cæcum: quartum, ilium: quintum, ieiunum: ſextum, duodenum appellatur. MATHETES, Quæ natura ipſorum exiſtit? GERON, Corpora ſunt neruoſa, oblonga, rotunda, caua, binis tunicis proprijs obducta, quibus etiam tertia communio accedit, quam à peritonæo mutuò accipiunt. At prior ipſorum membrana interior obliquis donata eſt fibris, nimirùm vt alimenta continere: ſecunda tranſuerſis, vt excrementa propellere poſsit: rectæ autem fibræ aut nullæ, aut paucæ in illis apparent. MATHETES, Quis ſingulorum ſitus eſt? *Inteſtinorum ſingulorum ſitus.* GERON, Rectum, ſpinæ è directo incumbit, ſpatioſum, & à ſummo oſſe ſacro, ad extremum vſq́ coccygem defertur, atq́ in ano terminatur, vnde etiam nomen ſuum eſſe ſortitum videtur, excrementi receptaculum. *Rectum inteſtinum.* Hoc ſequitur colon, inteſtinum oblongum ſatis, & craſsius reliquis ſequentibus, ac carnoſius, ſinibusq́ hîc illic refertum: ob quod ligamenta duo, veluti zonas, vnum ſuperiùs, alterum inferiùs annexa habet. *Colon.* Cæterum à ſiniſtro rene ad dextrum, ſuper ventriculi fundum fertur, donec ſæpenumero & lienem, & iecur attingat. cùm ad ſiniſtra tendit, duos gyros efficit, & in rectum tandem inteſtinum in ſummo oſſe ſacro terminatur. Tertium inteſtinum cæcum, latinis monoculum, & ſaccus barbaris appellatur, anfractuoſum, medio inteſtinorum, quod Græci μεσεντέριον vocant, modicè innitens. *Cæcum.* MATHETES, Quare hoc nomen ſortitum eſt? GERON, Quia vno tantùm donatum eſt foramine, quod coli ipſius pars eſſe videtur. adeſt etiam cæco huic ſua quædam appendix longiuſcula tenuisq́. Hactenus recitata, craſſa & ſunt & nuncupantur: reliqua verò tria tenuia, ilium ſcilicet, ieiunum, & duodenum. Ilium ob varias ſpiras ſic appellatur, quia longum ſatis exiſtit: morbus etiam Iliacus inde vocatur. *Ilium.* Ieiunum, quia in cadauerum inciſione, ſiue aper- *Ieiunum.*

tione vacuum ſemper reperitur. nam chylus, ſeu cremor, in ventriculo ex cibis confectus, huc procurrens, valde eſt fluidus, & à vaſis compluribus, illi intertextis, ſtatim exugitur, atque inde ad iecur defertur. Hæc duo iam dicta inteſtina in varios gyros implicantur, & elatiorem ventris inferni regionem, ad vmbilicum vſque occupant. MATHETES, Quomodo hæc duo gracilia inteſtina inter ſe differunt? GERON, Ilij principium, & ieiuni finis non facilè à quouis dignoſcuntur, vt quæ eandem eſſentiam & colorem repræſentent. hoc autem mihi diſcriminis ſatis eſſe videtur, quòd ilium nec vacuum reperiatur, nec venis tam frequentibus & magnis, quàm ieiunum ſcateat, idque parte caua. Nam cùm multi in eis ſint anfractuum gyri, neceſſariò pars ipſorum altera gibba, altera caua exiſtit: adhæc quòd ilij finis à coli principio excipiatur. MATHETES, Quod ſextum inteſtinum nominas? GERON, Huic contiguum, quod à ventriculo originem trahit, Græci ἔκφυσιν δωδεκαδάκτυλον, hoc eſt, proceſſum, ſiue exortum, qui ab initio ſuo ad finem vſque, duodecim digitos longitudine explet, vnde recentiores anatomici duodenum appellant: nonnunquam Græci etiam πυλωρὸν, quaſi ianitorem, ſiue oſtiarium vocant, quòd cibus ex ventriculo, per hoc veluti oſtium tranſire cogatur. Hoc, inquam, inteſtinum, poſt ſuum à ventriculo exortum, ſpinam verſus deſcendit, quò vbi peruenerit, aſſurgit, & in gyros anfractuſque circumuoluitur, ibique deſinit. Quòd ſi à ventriculo inciſionem moliri volueris, primum erit inteſtinum duodenum: ſecundum, ieiunum: tertium, ilium: quartum, cœcum: quintum, colon: ſextum & extremum, rectum. ſiue autem à ventriculo, an ab ano, inteſtinorum contemplationem auſpiceris, optimum erit illa ex toto corpore exempta, ſeorſim examinare. nam ad lucem ipſa pro tuo arbitrio poteris vertere, & varijs modis ad aliam atque aliam figuram transferre, exactamque particularum conſtructionem in ipſis tenere. MATHETES, Quomodo inteſtina eximere, citra anatomicæ adminiſtrationis confuſionem, potero? GERON, Reſeca duodenum à ventriculo, vel rectum inteſtinum ab ano, amplo ſatis ſpatio, ne quem ex ipſius muſculis vulneres: ſic autem, vt fines præcidendorum, nec non inſignem venæ portæ ramum, qui ad meſenterium, & ieiuni principium conſiſtit, liges: cauens, ne bilioſum meatum, qui ipſi inſeritur, violes: poſtremò meſenterij arterias, quarum vnam circa illos, qui in renes feruntur, ramos, alteram infrà renes, vel meſenterij medium, inuenies: de quibus omnibus paulò pòſt audies.

Inteſtini Ilei, & ieiuni differentia.

Duodenum.

MESENTERION.

Hac præparatione facta, inteſtina tota explices, expandáſque, ac ſtatim membrum quoddam, medium inter inte-

ſtina

ſtina ſitum, ipſisque vndique adhærescens apparet. eſt autem id nihil aliud, quàm peritonæum ipſum duplex, Græci à ſitu μεσεντέρον, & à propria eius eſſentia μεσεραῖον vocant. nonnulli illud in tres partes diuidunt, ſic vt vna ferè omenti portio exiſtat: altera, tenuia inteſtina: tertia, craſſa contineat. nonnulli duplex: nonnulli ſimplex eſſe pronunciant: quoſcunque autem ſequi malis, nihil refert. Extant in eo variæ venæ, arteriæ, nerui, & glanduloſa quędam corpora, quæ Græcis παγκρέας, vel καλλίκρεας, latini lactes vel affuſiones nuncupant. MATHETES, Cur in tenuioribus inteſtinis, multò frequentiores & ampliores venæ, in craſsis autem ſenſim rariores, minoresque exiſtunt? GERON, Quia per illas quicquid chyli inteſtinis ineſt, exugi, & ad iecur deferri oportet: per has autem nihil, eò quòd chylus in durum excrementum tranſijt. MATHETES, Ob quid gracilia inteſtina in tot gyros circumuoluta ſunt? GERON, Vt cibus diutius in eis commoretur, & ſi quid illius non ſatis adhuc concoctum, primum orbem ſiue anfractum tranſierit, in ſecundo tunicam ipſorum, ad quam vaſa oris hiant, contingat, elaboreturque: ſi hunc quoque permearit, in tertio, vel in quarto, vel in quinto, vel in alio deinceps conficiatur. MATHETES, Quare craſſa quoque inteſtina, in gyros circumuoluta, anfractuoſaque exiſtunt? GERON, Ne recrementa ſubitò ac vniuerſim prodeant. huc etiam facit coli amplitudo, & varia circumuolutio, ne illa continuè egerantur. MATHET. Quem vſum meſenterium totum præbet? GERON, Vt inteſtina contineat, ne temerè implicentur, vel deorſum delabantur. In ſumma, omnes venas ex iecore ad ipſum deſcendentes, vnà cum vicinis arterijs, & neruis, in orbem complectitur, ſicut inteſtina, ad quæ illæ excurrunt, vbi ceu radices in arboribus inſeruntur, ac deinde inuicem coëuntes, ad vnum omnes principium perueniunt. MATHETES, Quid numeroſæ illæ venæ in meſenterio agunt? GERON, Quæ verſus iecoris portas tendunt, chylo diſtribuendo ſunt accommodatæ, vnde etiam manus iecoris dicuntur, & primum quoque ſanguinem generant. propriæ verò, quę non ad iecur, ſed ad com plures illas glandulas deſinunt, à natura factæ ſunt, vt inteſtina nutriant. MATHET. Cur autem hę glandulę, tam numeroſæ meſenterio ſunt appoſitæ, præſertim ſub ventriculo? GERON, Non ſolùm ob vaſorum diuiſionem, ſed etiam ne ventriculus ſpinæ contactu lædatur. MATHETES, De arterijs & neruis nihil adhuc retuliſti, quid in his locis efficiant? GERON, Arteriæ ſanè non adeò multum cibi ad inteſtina rapiunt, ſed vitalem vim roburque illis ſuppeditant. Nerui tunicis inteſtinorum ex cerebro inſerti ſunt, vt tum ſenſui, tum excretioni ipſorum inſeruiant. MATHE-

Meſenterij vſus qui.

Venarum in meſenterio vſus & officium.

Glandularum in meſenterio vſus.

Arteriarum & neruorum in meſenterio officium

Tunicæ inteſtinorum cur duplices exiſtant.

TES, Oblitus ferè ſum, cauſam ex te quærere, ob quam duplices ſint inteſtinorum tunicæ? GERON, Partim, vt illa minus afficiantur (nam interior tunica, aliquando per dyſenterias, aliosq; longos affectus putreſcit, exteriore ſalua, eoq; ægri nonnunquam periculum euadunt): partim vt facultas illorum excretoria ſit valentior. MATHETES, Satis iam aſſequor, quæ hactenus commemoraſti: quæ inteſtinis exemptis, incidi examinariq; debent?

VENTRICVLVS.

Ventriculi figura, ortus, & ſitus.

Ventriculus cur iecore & liene obtegatur.

GERON, Ventriculus, qui figura cucurbitam oblongam, rotundamq; repræſentat, Græcis γάςηρ dicitur, à mucronata cartilagine ſub ſepto tranſuerſo exorſus, ad vmbilicum ferè deſcendit, medio quaſi corpore inter dextra & ſiniſtra præcordia: maior tamen eius portio, ſiniſtra occupat, eò quòd amplius ſpatium in hoc latere, quàm in dextro, propter iecoris magnitudinem, & lienis paruitatem relinquatur. nam hiſce viſceribus vtrobiq; obtegitur, vt ab eis concaleſcat. MATHETES, Quare eſt rotundus?

Ventriculus cur rotundus, & oblongus.

Orificia duo in ventriculo, eaq; cur craſſa ſint.

GERON, Quoniam hæc figura, & minimè iniuriæ oportuna, & maximè capax. MATHETES, Cur oblongus? GERON, Quia ſuperiùs ſtomacho committitur, inferiùs ad inteſtina procedit: atque ita duobus orificijs, ijsq; craſsioribus conſtat, ſuperiore potum cibumq; ſuſcipit: inferiore autem iter præbet cibo, quem ipſe confecit, & in chylum conuertit. MATHETES, Quare craſsioribus dixiſti? GERON, Ne cibus, vel nondum coctus elabatur, vel retrocedat: eaq; de cauſa fibris orbicularibus, quæ illum retineant, intertexta ſunt: natura verò iubente dilatantur, ſinuntq; cibum tum ingredi, tum egredi. Sunt qui inferiùs oſtium ſitum eſſe, glandulaq; obductum ſcripſerint, cùm tamen ſuperiora verſus ſpectet, illiusq; expers cernatur. MATHETES, Ex quibus tota eſſentia ventriculi conſtat? GERON, Tribus tunicis, ijsq; neruoſis: (quanquam ſecunda nonnihil carnoſa ſit: non tamen magis in fundo, quàm in ſuperiore parte). Duæ ex his propriæ ſunt ventriculi: tertia communis, quæ peritonæi ſoboles eſt, & inuolucri vices gerit, fibrarum expers. MATHETES, Habéntne reliquæ duæ fibras? GERON, Vtiq; prima obliquas, quæ cibum potumq; tandiu continent, donec concocti fuerint: ſecunda tranſuerſas, quæ iam concoctos extrà pellunt. MATHETES, Cur interna ventriculi, rectis fibris caret? GERON, Quia quæcunq; gula deuorat, ad ventriculum deducit: quod niſi faceret, certè etiam rectis fibris opus haberet. MATHETES, Quamuis igitur rectę fibrę in ventriculo deſiderentur, adſúntne tamen ei quatuor facultates, quæ aliis membris adeſſe conſueuêre, nempe attractrix, retentrix, concoctrix, atq; expultrix? GERON, Quid ni? gula enim attractricem hanc promo[illegible]t. MATHETES, Quod principale ventriculi offi-

Fibræ orificiorũ quales, & cur.

Galenus.

Ventriculi eſſentia, ex quibus conſtet.

Tunicæ ventriculi quot, & quales.

Quatuor ventriculi facultates.

Ventriculi officium.

tium est? GERON, Vt cibum potumq; in albam materiam, lacti similem, quam chylum vocauimus, immutet: vnde meritò culina officinaq; alimenti præparandi, quod corpus nostrum sustentet, dici potest: idcircò ille etiam duobus visceribus, nempe iecore & liene obtegitur, vt illius calorem natiuum adiuuent, quò faciliùs concoctio absoluatur. MATHETES, Vnde nutrimentum accipit, à chylone, quem ipse ex cibis conficit? GERON, Minimè, sed vt aliæ corporis partes à sanguine, quem venæ tam numerosæ à iecoris portis profectæ, ad eum deferunt. fit interdum, vt ventriculus sanguinem euomat, sed motu violento, & naturæ contrario: atq; tunc fibræ obliquæ simul, & transuersæ, ipsius magno conatu propellunt: rectæ autem gulæ contrario motu agunt, quàm natura postulet. cùm enim deorsum trahere debeant, sursum hoc nituntur. MATHETES, Quæ aliæ venæ ventriculo inseruntur? GERON, Vna quarti venæ portarum rami propago, quæ lieni inseritur, in quibusdam eximia, in quibusdam maior, in quibusdam multò amplior: interdum autem non adeò altè ascendit, sed primùm ad fundum excurrit: deinde os illius perreptat. MATHETES, Ad quid ventriculo confert? GERON, Vt humorem acidum, qui in liene alendo gignitur, ad illum transmittat, famis in nobis excitandæ gratia. nam sæpè fit, vt negotijs multis occupati, cibi captandi obliuiscamur. Porrò qui venam illam portarũ sobolem exiguam habent, hi faciliùs inediam ferre possunt: qui verò maiorem, minus. tales etiam si consuetum tempus edendi vel paululum differant, in animi defectionem incidunt. MATHETES, Quibus ventriculus connexus est? GERON, Antè quidem omento vasorum interuentu, retrò verò spinæ, musculorum filamentis, qua parte gibbus est, cohæret. MATHETES, Quæ membra corporis humani, post ventriculum examinari debent?

Ventriculus vnde nutrimentum sumat.

Vomitus sanguinis.

Venæ quæ ventriculo inseruntur.

Vena ex liene in ventriculum acidum humorem deferens.

Famem cur alii qui faciliùs, alii qui difficiliùs ferant.

Ventriculi connexus.

GERON, Iecur & lien, quæ ventriculo insidere dixi. Iecur autem primum membrum est, quod in corpore humano gignitur, id quod postea indicabitur. MATHETES, Qua in parte situm est? GERON, Quamuis magna eius portio dextram, non exigua tamen sinistram occupat, vbi ligamenti cuiusdam validi auxilio septo transuerso affigitur. MATHETES, Quam figuram ei ascribis? GERON, Non ad amussim rotundam, neq; in omnibus animantibus similem latitudine, longitudine, crassitie, altitudine, æqualitate, & fibris. Nam in hominibus integrum, non diuisum existit: nisi priore in parte, atq; extrema, vt venæ, quam vmbilicalem vulgò appellant, aditum præbeat. habet autem duas, & exiles eminentias, vbi vena portarum exit, ne ea à vertebris comprimatur, sed illæ fibræ dici non debent. MATHETES, Quare iecur hominis

IECVR.

Iecoris situs.

Iecur qua figura sit præditum.

Iecur hominis cur integrum, animantium verò diuisum existat.

integrum, alijs animantibus diuisum est? GERON, Quia cùm erecta à DEO figura donati simus, iecur vniuersam priorem ventriculi regionem obtinet, vt hunc, eiusque os sub mucronata cartilagine foueat, calfaciatque. MATHETES, Si igitur iecur membrum natura calidum, sub mucronata cartilagine os ventriculi contegit, medici non videntur mihi rectè agere, cùm vnguentis calidis huic illitis, frigidam ori ventriculi intemperiem, tollere conantur. nam sic iecoris aliâs calidi, cùm mucronatæ cartilagini subiectum sit, feruorem, huiusmodi medicamentis adaugent. GERON, Rectè sentis: sed de his alio tempore.

Iecoris essentia qualis.

MATHETES, Quæ iecoris est essentia? GERON, Nihil aliud quàm sanguis concretus,

Iecur venarum omnium situs, origo, & radix.

venis numerosis, nonnullisque arterijs intertextus, omnium venarum situs, origo, & radix, eoque nusquam, quàm in hoc sanguis gignitur: quamuis Aristoteles aliter sentiat.

Iecur sanguinis fons.

In summa excellens est viscus, & permagnum, in quo sanguinis efficiendi facultas, & vis appetitoria, quæ Græcis ἐπιθυμοειδής dicitur, consistit. Duas quoque habet partes, exteriorem, & interiorem. illa gibba & leuis est: hæc caua & aspera, rupium præcipitij modo, qua ventriculo insidet, tenuissimaque peritonei membrana circundatur: in quam ramulus sexti neruorum cerebri paris, inseritur: cuius gratia illud

Venæ principales in iecore quæ.

etiam extrinsecus sensus expers non est. Quòd autem spiritus naturales in eo gignantur, adhuc sub iudice lis est. MATHETES, Cùm venarum fontem illud esse dixeris, quæ sunt in eo principales? GERON, Vna in caua eius parte oritur, quæ à trunco Græcis στελεχιαῖα, Latinis vena portæ, dicitur, illi quæ ab vmbilico ὀμφαλιαῖα Græcè vocatur, continua.

Venæ portarum distributio.

MATHETES, Quomodo vena illa portæ in corporis partes dispargitur? GERON, Radices eius satis crassæ in cauam iecoris partem, præcipuè tunicam variè disseminantur, & in vnam tandem coëunt, crassumque truncum constituunt:

Venæ portarum septem rami.

postea in multos ramos sub ventriculo diuiditur. Primus ad superiorem ventriculum tendit, cuius pars vna longitudinem illius perreptat: altera os ipsius superius instar coronæ amplexatur, vnde etiam coronalis dicta est. Secundus portarum ramus inferiorem ventriculum adit, ibique per longitudinem eius dispargitur. MATHETES, Cur venarum rami huc mittuntur?

Venarum rami cur in ventriculum spargantur.

GERON, Vt ventriculus illarum sanguine alatur, cùm chylo nutriri nequeat, eò quòd crassus nimis sit, & omne excrementorum genus in se contineat, quibus nulla pars corporis, præter lienem, nutriri posit. Tertius ramus ad omentum alendum pergit, atque ibi varias propagines emittit. Quartus ad lienem, de quo statim agemus, non alia de causa tendit, quàm vt sanguinem melancholicum à iecore ad illum deferat, sub ventriculo serpens, satis insignis.

gnis. is autem ne à vertebris offendatur, natura plures ei glandulas ſubiecit: neue comprimatur, ſurſum attollitur, & lienis longitudinem interſecat, eiq́ inſeritur. Hinc alia orta ſoboles ad ventriculi os aſcendit, quemadmodum ſuperiùs expoſitum eſt. quintus portarum ramus colon inteſtinum accedit. ſextus omnium maximus, gracilibus inteſtinis communicatur. ſeptimus recto. Atq́ hi ſunt præcipui portarum rami. Tres horum, quos ad inteſtina deferri diximus, cùm ad meſenterium perueniunt, in ſoboles propè infinitas propagantur, inteſtinaq́ nõ modo amplectuntur, ſed etiam introrſum penetrant. Hîc autem notari debet, terminis vniuſcuiuſq́ illarum, membranam appoſitam eſſe, ne chylus, quem ipſæ ſuſceperunt, rurſus egrediatur. MATHETES, Nullus alius ramus venæ portarum reſtat? GERON, Vnus adhuc, qui inter venæ illius ramos etiam annumeratur. at ſoboles eius lieni dicata eſt, & ad regionem ſiniſtram per meſenterium deſcendit, tandemq́ rectum inteſtinum petit, & venas ani, quas Græci αἱμοῤῥοΐδας vocant, gignit, per quas ſanguis melancholicus expurgatur. MATHETES, Multiplex venæ portarum, eiúſq́ propaginum vſus eſſe videtur. GERON, Eſt ſanè: ſed hic præcipuus, vt chylum, ſicut diximus, ad cauam iecoris partem deferat, & per ipſum diſpergat, à quo ille concoquatur, ac in rubrum ſanguinem conuertatur. MATHETES, Nihil aliud præter ſanguinem generat? GERON, Dum chylus in eo concoquitur, duo ſanguinis excrementa parit, vnum tenue, alterum craſſum, nempe bilem flauam & atram, ſiue ſuccum melancholicum. Illam, veſicula quædam oblonga & membranea, in caua iecoris parte ſita, quam etiam fellis receptaculum appellant, ſuſcipit: hanc, quartus portarum ramus lieni nutriendo tranſmittit: ſicut aliæ ipſius propagines eandem, meſenterio, ventriculo, & inteſtinis alendis diſtribuunt. quanquam ipſæ nullam ſanguinis efficiendi facultatem habeant. Ex veſicula illa, de qua iam diximus, etiam bilis per meatum quendam, quem Græci πόρον χοληδόχον vocant, ad inteſtina non procul à pyloro tendentem, excrementorum expellendorũ gratia tranſmittitur: quamuis alij fundo ventriculi inſeri pronuncient. Porrò meatus à iecore ad bilis veſiculam defertur, qui ab ipſo illam huic inducit. Sunt autem complures inter venæ cauæ & portarum iecoris ramos, ſurculi, qui licet per totum iecur diſpergantur, omnes tamen in meatum iam dictum deſinunt: qui vbi bilem ſuſceperit, hanc ad veſiculam ei peculiarem deducit. MATHE. Quæ altera iocinoris vena inſignis exiſtit? GERON, Ex gibba ipſius regione procedit, omnium quæ in toto corpore habentur, maxima: ob quod Græcis κοίλη, hoc eſt, caua dicitur: ex varijs, craſ-

Venæ portarum vſus multiplex.

Venæ cauæ origo, eſſentia, & proceſſus.

sis & amplis radicibus ipsi insertis, conflata. Coëunt autem cauæ iecoris partis venæ cum iis, quæ gibbam perreptant, non manifesto, sed osculis obscuris, & latentibus. Cæterùm vena illa magna, per totam animalis longitudinem excurrit: sursum quidem ad cor & caput: infrà autem ad pedes ramis suis propagatur, sanguinis deferendi gratia: à quo vniuersi corporis nostri membra aluntur: vnde Hippocrates illam alimenti vehiculum nominauit. Vbi iam ipsa supra iecur ascenderit, septum transuersum penetrat: & à vertebris nonnihil ibi distat, duosq; ramos edit, qui in propagines scissi, per ipsum septum distribuuntur: deinde statim cor accedit, vt posteriùs audies, vbi de illo agendum erit. MATHETES, Quibus partibus corporis iecur est connexum? GERON, Ventri quidem, & omnibus intestinis, idq; venarum & tunicæ, quæ à peritonæo ducit originem, ea colligantis commercio. septo autem alio ligaculo, quod etiam peritonæo respondet, ex membrana, quæ ipsum contegit, orto: quamuis robustiore, firmioreq;, ne illud in vehementiore motu rumpatur. quia cùm erecti stamus, iecur à septo suspendi est necesse. Cordi autem per venam cauam alligatum est, quę dextri illius ventriculi ostium, foris vndiq; complectitur, ne dicam propaginis cuiusdam arteriæ magnæ insertione, vt nerui in id processu, cerebro, & vasis venosi communicatione, lieni. MATHETES, Qua in regione corporis LIEN consistit?

Iecur quibus corporis partibus sit annexum.

LIEN, eiusq; situs, figura, essentia, & color.

GERON, In sinistris præcordiis sub costis, septo transuerso adhæret. MATHETES, Quæ eius figura? GERON, Oblonga: exteriùs aliquantùm gibba: interiùs caua. atq; hac parte versus iecur & ventriculum tendit: ibidem lineam quandam obtinet, cui tum venæ, tum arteriæ insignes ac conspicuæ inseruntur, eòque illis est eminentior. in gibba parte nullis donatus est vasis, sed paucis fibrosis ligaminibus, aliâs aliis vicinis partibus committitur. MATHETES, Qualis ipsius essentia & color est? GERON, Illa quidem spongię instar rara & laxa, vt melancholicum, crassum, terreumq; humorem faciliùs ex iecore tum alliciat, tum suscipiat: lęuiorq; est quàm iecoris, non tamen rubicundior, aut flauior. In animantibus fortibus & calidis, nigra admodum: in humidioribus & frigidioribus, magis albicans apparet. MATHETES, Vnde vasa lienis oriuntur? GERON, Venæ à iecoris portis, quarum sunt propagines: arteriæ à magna arteria, aorta dicta, de qua inferiùs agetur. MATHETES, Quid prosunt lieni tot vasa intertexta? GERON, Vt venis crassius, arteriis subtilius alimentum attrahat. quanquam hę potissimùm huc conducant, primùm, vt humores ex iecore suscepti, conficiant elaborentq;: deinde vt carnem lienis raram

Lienis vasa vnde oriantur, & eorum vsus.

raram tueantur: necnon genuinum lienis calorem conſeruent: eleuatione refrigerantes, ſummiſsione fuliginoſa recrementa expellentes. quæ cùm copioſa, ob humorum in eo ſubſiſtentium prauitatem, & craſsitiem, exiſtant, meritò illæ tum multæ, tum grandes ſunt procreatæ. Si quid tamen ſanguinis craſsi, elaborationem in liene effugiat, nec poſsit in tenuis probiq́ ſpeciem conuerti, in acidum humorem tranſit. hic ab alijs ſegregatur, & per venæ portarum ramum, cuius anteà memini, ad ventriculum defertur, cibi cupiditatis excitandæ gratia. MATHETES, Quibus igitur membris coniunctus eſt lien? GERON, Caua ipſius parte, per venarum commercium, iecori, earumq́ propaginum conſortio ventriculo, & omento: arteriarum, cordi: neruuli autem, qui ex ſexto pari tunicæ ipſius, à tenui peritonæi membrana profectæ, inſeritur, ratione, cerebro. MATHETES, Quis præcipuus lienis vſus eſt? GERON, Vt ſanguinem melancholicum à iecore attrahat, præſertim, quia eo alitur. MATHETES, Quomodo ad reliquas partes inſpiciundas aptè accedam?

Lien quibus membris coniunctus.

Lienis vſus.

GERON, Rectum inteſtinum, duodeni exortum, aut ſi ventriculum ſimul aufferre voles, ſuperius eius orificium funiculo excipies: deinde vaſa, quæ in iecoris cauo ſunt: nec non arterias, quę in partes nuper recitatas diffunduntur, & illam, quæ in meſenterium ſub renibus pertinet. His ſic diuiſis, omnia ad manum conſequentur, ſi meſenterium duntaxat fortiùs à ſpina diuulſeris: ac mihi videntur partes inferiores, præſertim vrinæ dicatę, nunc rectè inſpici poſſe. Itaq́ dextra iecoris pars, manu eleuari debet, quò venæ cauæ diuiſio, in conſpectum veniat: quæ vt ſuperiùs recenſui, quàm primùm iecur egreſſa fuerit, vbi ſepto annectitur, partim ſurſum, partim deorſum, magnę arteriæ incumbens, contorquetur. Priuſquam verò ad lumbos deſcenderit, non exigui rami duo, ſinguli in ſingulos renes propagantur: ſiniſter elatiùs, dexter inferiùs: ambo non modò ſeroſum humorem à ſanguine ſecretum ad renes, ſed etiam boni ſanguinis portionem aliquam, ad ipſos alendos deferunt, & iecur exugunt: vulgò emulgentes venas appellant. MATHETES, Vbi ergo renes potiſsimùm ſiti ſunt?

VENTRIS inferioris administratio.

GERON, Prope cauam venam, paululum ſub iocinore & liene, tum dorſo, tum mendacibus coſtis annexi. verùm ren ſiniſter, altiorem quàm dexter locum, obtinet. in brutis contrario modo habet. MATHETES, Quare, obſecrô, homines alium ſitum renum, quàm cæteræ animantes habent? GERON, Quia in nobis iecur eſt peramplum, & lien paruus: fit, vt dexter ren cogatur eſſe inferior, & cedere iocinori. MATHETES, Qua figura ſunt

RENES.

Renum ſitus.

præditi? GERON, Phaſeoli vulgaris: ad ſpinam verò gibbi: quà

Renum figura & color.

viſcera ſpectant, caui: carne denſa, ſolidaq́ꝫ, cordis inſtar, & colore ſubrubro donati. Teguntur autem non ſolùm peritonæo craſſo ſatis, ſed etiam tunica peculiari: ad quam neruulus ex ſexto pari deſcendit. MATHETES, Quid habent officij renes? GERON, Vt

Renum officium.

ſeroſum ſanguinem attrahant, eumq́ꝫ à iecore expurgent. quanquam etiam bonum, quo ipſi aluntur, alliciant, vt ſuperiùs admonui: nec non bilioſum excrementum, tenue, quod vrinas reddit flauas. Vbi verò lotium in renibus, à ſanguine ſegregatum fuerit, ad alium quendam ſinum tranſmittitur. Ex hoc meatus vtrin-

Meatus vrinarij quales.

que ſinguli naſcuntur, qui Græcis οὐρητῆρες dicuntur, quòd vrinam ad veſicam deferant. MATHETES, Quales iſti ſunt meatus? GERON, Alba, craſſaq́ꝫ, & arteriarum modo admodum neruoſa vaſa, in veſicam pertinentia. nam ſub peritonæo lumbis adhærentia, tandem veſicæ, verſus ipſius ceruicem, inſeruntur. MATHET.

Membranæ duæ in meſeraicarum finibus, & earum vſus.

Habéntne renes aliud quippiam notatu dignum, præter iſta iam commemorata? GERON, Membranas duas, iuxta vaſorum illorum ſinus appoſitas, illis ſimiles, quæ in follibus cerni ſolent, apparéntque in meſeraicarum terminis. MATHETES, In quem vſum? GERON, vt poſtquam veſica vrinam influentem ſuſceperit, claudantur, ne quando hæc retrocedens, elabatur, quod magno valetudinis detrimento fieri ſolet. Nam lotium, *vbi ſanguis* per corpus fuerit diſtributus, inutile *ei exiſtit*. MATHETES, Ergo membranarum illarum præſidio, vrina ab huius meatibus in veſica recipitur, ne ſurſùm reuertatur? GERON, Maximè. ingenioſa enim natura, quàm primùm cauæ venæ rami, ſanguinis ſero educendo addicti, renes ingrediuntur, membranas iſtas his adiungit, ne ſanguis nimiùm præceps fluat, excidatq́ꝫ: ſicut in renibus malè affectis ſæpe accidit. Ideo etiam hi ipſi, prominentiores colliculorum modo efformati ſunt, vt ſanguini cum ſero ſuo erumpenti, obijciantur reſiſtantq́ꝫ, ne ille ad membranas deferatur, vnde vrinarij meatus prodeunt. Cùm itaq́ꝫ ſic elabi prohibeatur, prius in renes ipſos per ramos deſtribuitur. MATHETES, Vbi VESICA ad quam meatus vrinarius tendit, ſita eſt?

VESICA.

GERON, Sub abdomine: priore quidem parte pubis oſſibus: poſteriore autem inteſtino recto, & ſacro oſſi veluti tutis

Veſicæ ſitus.

munimentis adhæreſcit: quò autem illa magis in conſpectum veniat, neceſſe eſt, vt iam dicta pubis oſſa, grandiore ſcalpello dirimas: deinde vtrunq́ꝫ os Ileum in exteriora detorqueas. MATHET.

Veſicæ figura, & eſſentia.

Quænam veſicæ figura, ſtructuraq́ꝫ exiſtit? GERON, Rotunda quidem, ſed oblongiuſcula, intus caua, ac in ceruicem, & iter vrinæ deſinit: cæterum neruoſa, benè craſſa, & tribus fibrarum ge-

neribus

neribus prædita, nempe rectis, transuersis & obliquis, nimirum vt attrahat, contineat, & expellat. Duabus constat tunicis: vna peculiari, quæ extenditur, contrahiturq́: altera à peritonæo orta, eaq́ integitur. MATHETES, Qualis eius ceruix est, & quibus partibus annexa? GERON, Dimidij digiti instar oblonga, angusta, plena, & ferè carnosa. aßistunt ei etiam glandulæ quædam crassæ, & albæ, græcis παραστάται dictæ, quæ per vasa varicum modo anfractuosa, vnde græcis κιρσοειδῆ vocantur, semen excipiunt: id deinde in meatum huic & lotio communem, ad extremum vsq; genitale tendentem, in coitu defertur, & ab eo tandem forâs iactatur. Præterea pars quædam eminentior, & oblonga, inter glandulas istas, ceruici vesicæ âstantes, apparet. MATHETES, Per quod foramen, glandulæ illæ semen susceptum excernunt? GERON, Per nullum quidem euidens & conspicuum, sed per exigua complura, veluti in spongijs existunt, eoq́ primo intuitu non cernuntur, sed quàm primùm illas comprimis, tum demum apparent, eò quòd tunc semen erumpat, quod in eis delitescebat. In fœminis huiusmodi glandulæ parastatæ dictæ non inueniuntur. at musculus transuersis fibris donatus, ceruicem ipsam vesicæ ambit, ne vrina nobis inuitis, & aliud agentibus, exeat. Quin etiã venæ, arteriæ, & nerui duplices, putâ ex sexto pari, & ex medulla spinali orti ipsam ingrediuntur: illę quidem, vt alimentum ei adferant: hæ verò, vt vitam suppeditent: nerui, vt tum sensum, tum motum largiantur. MATHETES, Quem autem peculiarem vsum vesica per se præstat? GERON, Cùm ex earum partium numero existat, quæ recrementorum sunt receptacula, instar lagenæ vrinam per meatus vrinarios obliquo itinere ei insertos, primò recipit: deinde aliquandiu retinet: & postremò expellit. in fœminis, vtero adhæret. Hæc tibi de membris nutritioni dicatis, satis esse poterunt: nunc ad ea, quæ liberis procreandis inseruiunt, digrediar. MATHETES, Id mihi placet: sed iube prius, vt Monachi & alij celebes, qui non cupiunt fieri mariti, hinc discedant. GERON, Ne sis sollicitus. nisi enim abierint sua sponte, curabo, vt semen in os illorum erumpat, quod olim Lutetiæ Parisiorum accidit, cum cadaueris fœminæ incisioni publicè in scholis, Andrea Vesalio tunc mihi operam dante, præessem.

Vesicæ tunicæ.
Vesicæ ceruix.
Glandulæ parastatæ.
Semen quomodo excernatur.
Foramẽ per quod glandulæ semen excernunt.
Glandulæ parastatæ in fœminis non inueniuntur
Musculus ceruicem vesicæ ambiens.
Venæ, arteriæ, & nerui, cur vesicam ingrediantur.
Vesicæ vsus peculiaris.

Nonnullæ igitur ex partibus genitalibus, vtriq; sexui sunt communes, vt vasa seminaria, & testiculi: nonnullæ vero peculiares: in masculis coles: in fœminis, vulua, siue vterus. Porrò seminaria vasa partim superiora, partim inferiora existunt: illa vulgares anatomici pręparatoria vocant, vt quę materiam ex qua semẽ elaboratur, ad testiculos deferant: hæc deferentia nuncupant, vt

VASA SEMInaria, testes, & eorum membrana.

Vaſa ſeminaria præparatoria quatuor.

quæ iſtud iam in teſticulis elaboratum, ab eis ſuſcipiant, & ad penis radicem deferant. MATHETES, Quot ſunt vaſa præparando ſemini accommodata? GERON, Quatuor: duæ putâ venæ, & totidem arteriæ: cuiuſq; generis vtraq; parte ſingulæ, tum in maſculis, tum in fœminis: quanquam in his breuiores, in illis longiores exiſtant, magnæ venæ, magnæq; arteriæ propagines. MATHET.

Vaſa ſeminaria deferentia duo.

Quot vaſa, ſemini deferendo ad naturalia, dicata ſunt? GERON, Duo in vtroq; ſexu cernuntur. MATHETES, Venæ illæ ſuperiores ortûne ſuo inuicem conueniunt? GERON, Nequaquam, ſed variant. nam dextra ab ipſius cauo non latere, ſed medio ferè originem trahit, idq; ſub ea vena, quæ emulgens anatomicis recentioribus vocatur, ad renes eius lateris tendens. ſiniſtra ab eiuſdem partis emulgente dicta, oritur, & hinc obliquè ſub peritonæum deſcendit: mox ſupra os pubis fertur: deinde in teſticulum deſinit: idq; in viris tantùm, non in mulieribus. quamuis enim eandem habeat originem & finem: tamen non adeò eſt longa: neq; ſummum os ſacrum præterit, & in abdomine ceſſat. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia nulla vena ſub dextra ſeminaria, ſurſum ad quartam vſq; lumborum vertebram, ſed deorſum tantùm mittitur. Nam vena caua, à iecore ad hunc vſq; locum inter vertebras, vbi nerui exeunt, propagines ædit: quæ tum *ſpinæ* medullam, tum vertebrarum corpora nutriunt. MATHETES, Cur hæc ſeminaria vena ſiniſtra, ex illa emulgente, non autem ex caua ipſa, ſicuti dextra prodijt? GERON, Quia, cùm ei ſuper arteriam tranſeundum eſſet, per magnas huius dilatationes, ac motus perennes, facilè diſrumperetur, vtpote exilis admodum, & parua. *Alij falsò comminiſcuntur, ideo hinc trahere originem, vt ſeroſum humorem, ad ſiniſtrum teſticulum deferat, quò maior in coitu voluptas ſentiatur: cùm tamen ij, quibus ille exectus eſt, non minus quàm anteà, in coitu oblectentur.* MATHETES, Vnde arteriæ ſeminales prodeunt?

Venæ ſeminales vnde oriantur. *Vena emulgens.*

ARTERIÆ ſeminariæ.

GERON, Ex magno arteriæ trunco, ſub emulgentibus appellatis. Vt autem faciliùs illas inuenias, dum anatomen adminiſtras, cauam venam ab arteria magna, quæ illi ad ſiniſtram ſubiacet, digitis tuis, aut vnguibus diuelles, adipeq; liberabis: deinde vtraſq; ſeminarias arterias inferiùs paulò, quàm vbi dextram venam oriri diximus, ex media ipſius magnæ arteriæ regione, ſcaturire cernes, ex aduerſo ſibi oppoſitas, ac propemodum contrarias: quæ adipe cum membranis detracta, ad venas communi velamine, ſuper pubis oſſa per peritonæum deferri, conſpiciuntur. Ac primò quidem dum deſcendunt, aliquantulum diſtant: poſtea verò ſic implicantur, vt vena arteriam, arteria venam ingrediatur,

tur,

tur, fiatq; mutua illa adapertio, quæ Græcis ἀναστόμωσις dicitur, ſicut in aliĳs quoq; partibus, præcipuè in brachĳs & cruribus: vnde accidit, vt vena quandoq; vulnerata, non ſolùm naturalis ſanguis vniuerſus, ſed etiam vitalis ſimul effluat, & ægri intereant. MATHETES, Quò tandem arteriæ, & venæ ſeminariæ tendunt? GERON, Ad vtrunq; teſticulum, non autem recto itinere, ſed multifariàm prius inuolutę, vitium capreolorum ac hederæ modo, et priuſquam illos ingrediantur, exiguas ex ſe propagines tunicæ ipſorum, quæ ἐπιδιδυμὶς vocatur, tranſmittunt. In his multis anfractibus vena arteriæ ſuperiacet, flexusq; multos & æquales numero, ambæ retium inſtar efficiunt. MATHETES, Cur tam varius ſeminariorum vaſorum plexus, à natura conditus eſt? GERON, Vt materia ſeminis, quæ prius in ipſis rubra eſt, ſenſim alteretur, conficiatur, & albeſcat. Nam ſanguis in illis, antequam ad teſticulos perueniat, modicè albidus conſpicitur: vbi verò eadem vaſa teſticulos attegerint, ſemen ipſum, quamuis paucum, & roris modo ſanguini permixtum, ſicut in teſticulis, merum & elaboratum clarè apparet, præſertim ſi arteriam & venam ſpecillo prius iniecto, ad teſtes vſque recta linea, diuidas. MATHETES, Quantùm igitur intelligo vaſorum iſtorum complexus, & adapertio, quam græcè ἀναστόμωσιν appellaſti, ſemen præparare & conficere incipiunt? GERON, Probè intelligis. niſi enim ipſa ſeminis quaſi rudimentum pararent, teſtes illud totum perficere, & abſoluere cogerentur. ideo etiam vaſa iſta deorſum ad teſtes deſcendunt, & tunica eorum perforata, ad ipſoſmet penetrant. MATHETES, Quid aliud cognitu dignum, de his duobus vaſis ſeminarĳs habes? GERON, Nihil, niſi quòd ex eis oriatur vas, ſemini deferendo idoneum, craſſum, anfractuoſum, & vario modo tortuoſum, vnde κιρσοειδὴς Græcis dicitur, ſuperq; teſtem inuertatur: deinde ſenſim eodem itinere aſſurgat, quo deorſum flectitur, ſic vt vaſa ſuperiùs dicta eò reuertantur, vnde exierint. MATHETES, Per quod foramen ingreditur? GERON, Per id, quod in tendinibus muſculorum abdominis deſcendentium, aſcendentiumq;, & obliquorum, ſupra os pubis ſitum eſt: vbi hoc cauitatem ſuperficiariam habet, quà illis rotundis cedat. Poſtquam autem ad abdominis ſpatium peruenerit, deorſum prope pubem fertur, & ſub veſica, vbi magis ac magis amplificatur, & iuxta fines ipſius multùm implicatur, contorqueturq;, donec glandulis aſſeſſorĳs παραστάτας appellaui, tandem inſeratur. MATHETES, Quid tot gyri, circumuolutiones, implexus, & glandulæ proſunt? GERON, Vt ſemen contineant, ſoboli procreandæ accommodatum: nonnunquam autem tam copioſum ineſt, præſertim in fœcundioribus, vt tri-

Venarum, & arteriarum complexus.

Arteriæ & venæ ſeminariæ quouſq; progrediantur.

Seminariorum vaſorum plexus varius.

Vas ſemen deferens idoneum.

Glandularum, implexuum, & gyrorum vtilitas

bus, quatuorq; fœtibus generandis, citra ſeminalem teſtium materiam, ſufficiant. MATHETES, In mulieribúsne eadem hæc vaſa, generationi dicata, exiſtunt? GERON, Nequaquam. nam in illis neq; abdomen prætereunt, neq; in glandulas paraſtatas deſinunt, quibus fœminæ carent, neq; ad veſicam perueniunt, ſed ad vteri ſinum duntaxat, in quem ſemen transfundunt. MATHETES, Cur fœminæ paraſtatis deſtituuntur? GERON, Quia ceruix veſicæ in illis tum breuior, tum latior, quàm in maribus exiſtit. MATHETES, Quid tandem de teſticulis adfers?

TESTICVLI.

Teſticulorum ſitus & figura.

GERON, Hi Græcis nominantur δίδυμοι, quòd duo exiſtant: ſiti autem ſunt in ſcroto, quod græcè ὄσχεον dicitur: figura rotundi, etſi non in totum, ſed ouorum modo oblongi, corpore raro, laxo, albo, molliq; in viris præditi: in mulieribus autem intus in abdomine occluduntur, & non adeò craſsi, neq; rotundi, molleſq; vt in illis apparent. MATHETES, Quare teſtes in vtroq; ſexu creati ſunt? GERON, Nimirum ſeminis elaborandi gratia. nam citra horum facultatem, neq; ſemen gigni, neq; procreatio fieri poſsit. MATHETES, Quot membranis obducuntur? GERON, In viris quidem pluribus, ijsq; partim communibus, partim peculiaribus. Dum enim ſcrotum incidis, primùm occurrit cuticula: deinde cutis ſubtiliſsima, rugoſaq;: poſtea carnoſa: inter quam & cutem, nulla pinguetudo habetur, vt faciliùs extendi & contrahi, prolongariq; & corrugari poſsit. MATHETES, Quot teſtium membranæ ſunt propriæ? GERON, Tres exteriores: quarum prima ex neruea muſculorum obliquorum deſcendentium exilitate oritur, Græcis ἐρυθροειδὴς appellatur, carnoſis intertexta fibris, quę teſticuli vtraq; parte muſculum conficiunt. ſecunda nuncupatur Græcis δαρτὸς, ac nihil aliud eſt, quàm peritonæi ipſius portio alba, & vaſis adhæreſcens. Hiſce duabus membranis, partim proprijs, partim communibus, tum vaſa ſeminaria, tum teſticuli conteguntur. tertia ipſum teſticulum peculiariter integit, alba, & craſſa, græci ἐπιδίδυμον vocant: quanquam plæriq; anatomici, aliter de his ſentiant. nonnulli enim plexum illum vaſorum, qui ſupra teſticulum cernitur ἐπιδίδυμον appellant. MATHETES, Quot in fœminarum teſtibus ſunt membranæ? GERON, Vna tantummodo, quæ etiam à peritonæo circundatur, ἐπιδίδυμις græcorum voce dicta. MATHETES, Cur tam paucis membranis mulieres indigent? GERON, Quia illæ in occulto, ſecuroq; loco, tanquam in naturę penitralibus continentur. Teſtes autem mulierum in alto ſiti ſunt, eò quòd ipſæ natura viris frigidiores exiſtant. MATHET. Cur viris extrinſecus prominent? GERON, Ne aſsidua coëundi cupiditate afficiantur, quòd tum vitam reddit breuiorem, tum homi-

Teſtes in vtroq; ſexu cur creati.

Teſtium membranæ quot & quales.

Membranæ teſtium quibus nominibus appellētur.

Fœminæ cur tam paucis teſtium membranis indigeant.

Teſtium mulierum ſitus.

Cur viris teſtes promineant.

homines ad negotia peragenda minus habiles efficit. MATHET. Per quod membrum semen in testibus elaboratum emittitur?

GERON, Per meatum quendam tum illi, tum lotio communem, qui partim à ceruice vesicæ, partim à vesica ipsa originem ducit, & per totum genitale in viris penetrat. MATHETES, Quo modo hoc ipsum genitale vocatur? ex quibus constat, & vnde originem suam ducit? GERON, In viris latinè COLES, & penis, grecè καυλὸς appellatur, ex spongiosa, rara, fungosaque essentia conflatus. Originem autem ab inferiore parte ossis sub pube ducit: vtrinque singula habet ligamenta dura, quæ ipsum suffulciant, firmentque, sic vt dextrum cum sinistro, iuxta longitudinem illius vniatur. Adhęc natura duas arterias in eundem, à radice ipsius, vsque ad extremam partem, quæ glans dicitur, tendentes, diffundit, numerosasque, & capillares istarum propagines, huc illuc dispergit. MATHETES, Quare obsecrô ligamenta coli apposuit? GERON, Primùm vt eum corroborent: deinde ne spiritus nimis citò absumpti euanescant. MATHETES, Quid commodant coli arteriæ? GERON, Vt magnam spirituum vim ad illum deferant, & per hanc essentia ipsius paulò antè rugosa, & flauescens attollatur, arrigatur, indurescat, & rigeat: adhæc vt alimentum suppeditent, cùm nulla in cole vena, nullusque neruus adsit, quod etiam Realdus obseruauit, reliqui neglexerunt. MATHETES, Nihil aliud ad fabricam colis desideratur? GERON, Supersunt adhuc quatuor musculi, & tegumenta. primi ab eo, qui aluum constringit (σφύγκτης Grecis dicitur) oriuntur: longiusculi, subter incedentes, & media quasi ipsius parte in vrinarium meatum, semini quoque communem, inserti, hunc comprehendunt, subtilesque sunt. MATHETES, Quid habent officij? GERON, Vt cùm lotium, vel semen emittendum est, meatum hunc dilatent. Reliqui duo à coxendicis appendice, sub colis ipsius origine prodeunt, breues quidem, sed prædictis crassiores, in eundemmet desinentes. hoc autem habēt officij, vt magnam in reddendo lotio opem, maiorem verò in concubendo, membro genitali adferant. nam hoc sustentant, erectumque detinent, donec actio venerea absoluatur. MATHETES, Quidnam meatus ille, tum lotio, tum semini excernendo communis prodest? GERON, Nihil aliud, quàm vesicæ essentia, ad colis fines exporrecta. MATHETES, Quibus autem ista integuntur? GERON, Cuticula, cute, membrana carnosa, citra vllam pinguetudinem, quæ hîc propter motum abesse putatur, & ne coles in nimiam molem excrescat, & vtero fiat inutilis. MATHETES, Quid de extrema parte colis sentis? GERON, Pellis est, qua glans integitur, præputium nuncupatur. hęc cum in concubitu nunc sursum,

COLES.

Colis, siue penis origo, et essentia.

Coles cur ligamentis, & arterijs sit donatus.

Realdi inuentum.

Colis musculi, eorumque officiũ.

Meatus vrinarius quid.

Colis integumenta.

Præputium.

nunc deorſum fertur, magna voluptate mulieres afficere creditur, eoq́ Iudæas quòd maritis eorum præputium ademptum ſit, minus voluptatis ſentire. MATHETES, Qualia ſunt naturalia muliebria?

NATVRALia muliebria.

GERON, Genitale mulieris ſinus eſt, inter pubis oſſa ſitus: extremæ ipſius partes vtrinq́ colliculi ſunt, & cuticulares carunculæ prominentes: quæ cum mulier venerem appetit, quod maximè antè, & poſt menſes accidit, extuberant, alæ dicuntur latinis.

Quando mulieres concubitum appetant.

Poſt hunc ſequitur vterus, qui latinioribus vulua, vulgo autem matrix, græcis μήτρα ſiue ὑστέρα vocatur.

Vteri ſitus, & figura.

Situs eſt ſub abdomine veſicam & rectũ inteſtinum: munitus verò vndiq́ tanquam inter validiſsimis munimentis: priore parte oſſe, quod pubi ſubeſt: poſteriore, oſſe ſacro: ad latera oſsibus Ilium, ex quibus ſacro, & pubis oſsi ſubiecto connectitur. In ſinu ſuo craſſus eſt, carnoſa neruoſaq́ eſſentia mixtus, vt dum fœtum continet, facilius extendi, dilatariq́ poſsit.

Vteri figura.

Fibris conſtat rectis, obliquis & tranſuerſis, vt ſemen ad fœtus procreationem attrahat, retineat, & ſtato tempore expellat. MATHETES, Eſtne æqualis in omnibus? GERON, In virginibus quidem admodum exigua eſt, in mulieribus verò, niſi vbi grauidæ ſunt, non multò maior, quàm vt manu comprehendi queat. in illis enim & fœcundis amplior eſſe ſolet. *rurſus* minor illius quę venerem nondũ experta eſt, *quàm eius* quę iam coiuit. poſtremò puellarum quæ adhuc creſcunt, veſicæ ampliores, quàm vuluę exiſtunt: in adultis vulua maior eſt, quàm veſica.

Vtero vnus tantùm ſinus.

MATHE. Vnóne donata eſt ſinu, an pluribus? GERON, Vno duntaxat: in quo licet exiguo, tamen gemini fœtus, vel tres, vel etiam plures, pro ſeminis iniecti copia, formari poſſunt, id quod in plęriſq́ Europæ regionibus ſępius accidit. Nugantur quidam vtero ſeptem ineſſe cellas, in quibus plures fœtus efformentur, cùm tamen illi, ſuis ſingulis membranis, in vno ſinu inuicem diſtinguantur.

Vteri ſinus qualis intus appareat.

MATHET., Qualis ſinus vteri intus apparet? GERON, Læuis, niſi acetabula in eum deſcendentia, quæ venarum & arteriarum capita ſunt, nonnihil ipſum exaſperent. quia cauæ ſunt partes, quibus ſemen adhæret, atq́ tunc arteriæ arterias, venæ venas gignunt.

Vteri figura.

MATHETES, Figura eius qualis exiſtit? GERON, Rotunda propemodum, & arcto ſatis foramine peruia, quod orificium ipſius appellatur, extrinſecus catuli recens nati os repræſentans. MATHETES, Quò tendit foramen illius? GERON, In ceruicem eiuſdem.

Vteri foramen, eiusq́ officium.

MATHETES, Quid habet officij? GERON, Vt ſemen viri, per ceruicem immiſſum, recipiat. nam cùm vterus venere oblectatur, illud dilateſcit: aperitur autem, quando mulier ſemen emittit. MATHETES, Qualis vterus eſt extrinſecus? GE-

RON,

RON, Membranosus, admodum pinguis, musculorum expers: ob quod etiam motu voluntario destituitur. MATHETES, Quam partem vocas propriè ceruicem vteri? GERON, Illam, cui tanquam vaginæ genitale viri immittitur, vndecim ferè digitorum longa, membranosa, & rugis circularibus prædita, vt genitale viri in coitione amplexetur, atq; exugat: deinde quia hisce ipsa affricatur, venerem ineuntes, multum voluptatis percipiant. MATHE. Cur ceruix tam longa est? GERON, Vt pariendi tempore dilatari possit, & infans faciliùs in lucem prodire. MATHETES, Quid prę-terea ceruici inest? GERON, In finibus ipsius versus vuluam, carunculæ quædam prominent, ex quibus voluptas in concubitu augetur. Infra has, latæ duæ membranæ ad latera extant, quas Græci νύμφας appellant, in hoc creatæ, vt vuluam à puluere, frigore, & aëre vindicent. Sub his alia membrana, græcè ὑμὴν dicta, in quibusdam virginibus nonnunquam apparet: hæc cum adest, impedit ne genitale viri in vterum mittatur. crassa enim est valdè, & superiùs vesicam versus, foramen habet, per quod menstrua effluunt. MATHETES, Quibus membranis vterus contegitur? GERON, Præterquàm peritonæò, etiam propria ac peculiari. Hoc non prætereundum est, vesicæ ceruicem, ad vuluæ ceruicis extremum desinere. MATHETES, Qualia fœminis insunt vasa seminaria? GERON, Qualia in maribus cernuntur, sed breuiora. MATHETES, Habéntne illæ etiam testiculos? GERON, Vtiq;: sed multò minores, quàm masculi: item oblongiores, minusq; rotundos, & superiore in parte aliquantum depressos, atq; crassiores. MATHETES, Qua in vuluæ parte siti sunt? GERON, In illius lateribus, paulò autem elatiùs, quàm superior fundi regio consistit, idq; in ijs mulieribus, quæ non sunt grauidæ: in illis autem, quæ vterum gerunt, quò hic magis extenditur, eò inferiùs, quàm cum liberę sunt. MATHETES, Quid testiculi fœminarum in se continent? GERON, Anfractuosos venarum, arteriarumq; plexus, & sinus quosdam non semper sibi similes, tenui, aquosoq; humore plenos. sicut autem is humor, veluti crassiusculum lactis serum, in sanis mulieribus albus est, ita quoq; luteus admodum, croceusq;, & paulò crassior aliquando in virginibus, & mulieribus strangulatu vteri oppressis, apparet, qui grauem odorem, & venenosum quippiam prę se fert. Porrò iuxta testiculos, particulæ duæ membranosæ, & latæ hærent, fibris quibusdam carnosis praeditę. In summa harum regione, vasa semen deferentia à testibus, hoc est, prępărantia ipsum, proficiscuntur, ęquè anfractuosa, vt in maribus, & in vuluæ sinum desinunt. Prope hæc, processus quidam mamillares vtrinq; singuli prominent, quos Herophi-

Vteri ceruix quis propriè dicatur.

Vteri ceruix cur longa.

Membranæ in ceruice vteri.

Hymen.

Vterus quibus tegatur membranis.

Vasa seminaria in fœminis qualia.

Testiculi fœminarum.

Testiculi fœminarum quid contineant in se.

Humor testicularis fœminarum inclusus.

Vasa semen deferentia in fœminis.

Processus mamillares.

lus cornua vteri appellauit: quanquam in mulieribus non tam vere, quàm in brutis, eam figuram repræsentent. nam vterus humanus, longè ab his distat. *Vterus quibus sit appensus.* MATHETES, Quibúsnam vterus appensus est? GERON, Vasorum seminariorum, membranæq; illius subsidio, sacro ossi, in extremo simul cum eius ceruice, ossi quod sub pube est, & coxendici connectitur. *Ligamenta vteri.* Cæterùm duo quoq; ligamenta neruosa, et caua lateribus vteri adhærent: non autem ad summum os, quod pubi subest, perueniunt, sed per ea foramina transeunt, quæ in neruosis musculorum obliquorum, tum descendentium, tum ascendentium, & transuersorum tendinibus sita sunt, sicut in viris vasa seminaria per eadem transeunt. nam hi tendines in fœminis perforati cernũtur. Ligamenta itaq; prope vteri orificium exorta, extra abdomen procedunt, supraq; os quod pubi subiectum est, ascendunt: in excelsam autem quandam particulam, in vteri apice circumuolutam, desinunt, idq; supra foramen, ex quo lotium emanat. MATHETES, De illa particula nihil vnquam audiui. GERON, Credo equidem. fuit enim omnibus anatomicis hactenus incognita, præterquam Realdo Columbo, qui mulieres ex ea, si confricetur, magnam voluptatem capescere, adeò vt statim semen emittant, memoriæ prodidit: & si attingatur, duriusculam, & oblongam deprehendi, vt propemodum genitale viri repræsentet. sed ista obscœniora sunt, quàm vt piæ iuuentuti conueniant: relinquamus ergo ista impudicis, & venereis amatoribus. *Vterum alimento indigere.* MATHETES, Indigetne etiam vterus & fœtus, si quem conceperit, vt reliquæ omnes corporis partes, alimento? GERON, Indubiè: atq; hoc, nempe probum sanguinem, tum venæ, tum arteriæ, & vasorum seminalium propagines, ad vterum tendentes, ei suppeditant. Nam ipsa vasa seminaria in fœminis, non in testiculorum capite, sed deorsum vteri ipsius alendi gratia effunduntur. Ne putes autem, vt communis est opinio, me hîc de illis venis agere, per quas menstruus sanguis expurgatur. nam hę ex cauæ venæ ramis exortæ, in vteri ceruicis principium inseruntur. MATHETES, Quæ pars adhuc, post illas iam indicatas, est reliqua?

VMBILICVS. GERON, Nulla, nisi vmbilicus, per quem, dum in vtero latitamus, nutrimur, & excrementa reddimus. MATHETES, Vnde constat vmbilicus? GERON, Ex quatuor vasis, primùm vena, quę ab vtero exoriens, per ipsum, partem quandam diuisam iocinoris, sursum ingreditur, desinitq; in portas: deinde duabus arterijs, etiam nomina ab illo sortitis, quæ deorsum per fœtus abdomen penetrantes, in duplicatione peritonæi, iuxta vesicam deferuntur, desinuntq;, vbi magna arteria diuiditur: postremò vase,

quod

quod græcè οὔραχον appellatur, quia à fundo vesicæ prodiens, vrinam ex fœtu attrahit, & reseruatur inter membranas duas, Græci ἀμνίον & ἀλλαντοειδῆ nuncupant. Sed hæc quatuor vasa prædicta, cùm fœtus in lucem prodit, quasi in funiculum quendam degenerant. MATHETES, Membra fœtui generando idonea, iam ferè absoluisse videris, oro te, vt deinceps mihi exponas, quomodo ille in vtero formari soleat.

Vas vrinam ex fœtu attrahens.

DE FORMANdo fœtu, eiúsque situ in vtero.

GERON, Ad fœtum concipiendum non solùm marem, sed etiam fœminam semen emittere in concubitu oportet: aliâs angustum vteri os non aperitur. Debet autem aperiri, vt semen maris ad sinum illius effundatur, penetretque. Quòd si tum mas, tum fœmina benè valeant, & semen vtriusque probè concoctum in vtero commisceatur, aduniaturque, fit conceptio.

Conceptio quando fiat.

MATHETES, Quo potissimum tempore? GERON, Menstruis aut incipientibus, aut desinentibus. MATHET. Qua ratione mascula, aut fœmina proles generatur? GERON, Quando maior virilis seminis copia, efficaciaque existit, mascula gignitur: quando fœmineum semen abundantius est, & valentius, fœmella. adhæc, cùm omnes natura liberos nostri similes procreare, desideremus, fieri solet, vt cùm maris semen excellit, masculus, cùm fœminæ, femella generetur.

Mares aut fœminæ quando gignantur.

MATHETES, Quid si fœmina marem gignere appetat, vt plærunque accidit? GERON, Ea voluntatis non naturæ affectio est. si verò natura dominetur, voluntas rem appetitam non mutat. Cùm itaque vterus benè affectus, semen viri concoctum attrahit, in sinumque suum recipit, tunc statim os vteri naturæ prouidentia coarctatur, ne illud rursus excidat. non enim semper retinetur, quamuis ad vteri fundum penetrarit, sed iterum elabitur: idque duas ob causas: vel quia minus concoctum sit: vel quia muliebres loci, vt in scortis, & alijs mulieribus parum pudicis, nimium humidi & lubrici existant.

Semen viri cur non semper in vtero contineatur.

MATHETES, Quid primùm ex semine iam concepto, retentoque nascitur? GERON, Membrana quædam insignis & magna, quæ vniuersum fœtum, antè, retrò, infrà, supraque tanquam exterum inuolucrum ambit: in brutis, vt boue, & aliis farciminis modo constructa, vnde Græcis ἀλλαντοειδὴς appellatur, & vuluæ sinui adhæret.

Semine concepto quid primùm nascatur.

MATHETES, Quid post hanc gignitur? GERON, Venæ quædam seminalium vteri propagines, quæ vbi inuicem coierint, aliam venam, recentiores anatomici, vmbilicalem vocant, progignunt. hæc superiùs dictam membranam, siue tunicam tenuem, mollemque adhuc, vtpote recens natam, permeat. Dum itaque ipsa, semen ἀλλαντοειδῆ inuolutum, ad medium vsque penetrat, iecur efficit, eò quòd per vmbilicũ ingrediatur, & illud ascendat. Mox portæ iecoris procreantur, quæ huic venæ vmbi-

Venæ.

Vena vmbilicalis

Iecur.

Arteriæ.

licali sunt continuæ. MATHETES, Quæ post has, vena oritur? GERON, Caua, eaque seminis alendi gratia. MATHETES, Generantúrne etiam tunc arteriæ? GERON, Ab arterijs seminalium ramis, aliæ gignuntur, quæ in duas vmbilicales dictas degenerant, non autem ascendunt, vt vena vmbilicalis: sed versus os, quod sub pube est, potius descendunt, & supra Ilia distribuuntur: postea magna arteria nascitur, & statim cor, arteriæque ascendentes,

Cor.

adeò vt priusquam cor ipsum generetur, arteriæ nascantur. MATHETES, In quem vsum amabò? GERON, Vt spiritu vitali foueant. prima enim nostra origine, plantarum: postea brutorum animalium, vitam in vtero agimus.

Cerebrum.

Postremò cerebrum nascitur, vt nerui ab eo profecti, sensum per initia, deinde motum ad fœtum vniuersum deferant.

Cor primum gigni, & sanguinis, sensuumque fontem existere, falsum est.

MATHETES, Ergo cor non erit originis nostræ principium, et fons sanguinis, omniumque sensuum, vt olim ex meis præceptoribus, & Aristotele, didici. GERON, Nequaquam. nam fœtus primùm in vtero venarum, & iecoris beneficio crescit: deinde ex cordis facultate viuit, postea ex cerebri, & neruorum auxilio mouetur & sentit: denique ex eiusdem ope intellectum & rationem consequitur. MATHETES, Si viscera ab origine ipsorum iudicari debent, iecur esset corde, & cor cerebro nobilius.

Cerebro cor nobilius.

GERON, Rectè colligis, sed cerebrum non ideo reliqua dignitate superat, sed quòd ipsum ex semine, non ex vtero, vt cor progeneretur. quanquàm in animalibus, quæ oua pariunt, cor primùm oriatur, sicut in homine iecur, & inter ossa illius, vertebræ, seu spina.

Spina dorsi primum inter ossa nascitur.

MATHETES, Quæ post genitam membranam allantoiden, natura creare solet? GERON, Affusionem quandam placentæ modo orbicularem, hoc est, materiam quandam excrementorum instar crassam, vt venas, arteriasque plurimas, per vmbilicum tendentes, suffulciat, vnitasque detineat: Galenus χώριον vocat, quasi secundas, quæ non in mulierculis, sed in brutis potius inueniuntur.

Affusio orbicularis placentæ modo.

Affusio ista, inquam, licet allantoïdi membranæ superposita sit, tamen fœtum minimè ambit, vtero pertinaciter adhærescens. non itaque mirum est, quòd magna in partu fiat sanguinis profusio, cùm venæ & arteriæ disrumpantur.

Sanguinis profusio in partu.

MATHETES, Qua in parte affusio eadem sita est? GERON, In priore, vt fœtum ab externis iniurijs, propugnaculi instar tueatur.

Affusio qua in parte sita sit.

MATHETES, Quæ reliqua sunt in fœtus formatione? GERON, Tertia membrana tum nobis, tum brutis communis. hoc autem differt, quòd in his crassa, in humanis fœtibus tenuissima sit, Græcis dicitur ἄμνιος, totus fœtus hac inuoluitur, & in ea protinus situm suum habet, vapor[...]usque sudor ab illo defluens, ceu excrementum, continetur.

Membrana ἄμνιος qualis, & eius vsus in humano fœtu.

Sudor quid fœtui commodet.

MAT[...]TES, Quid sudor fœtui commodat? GERON,

Dum

Dum in eo innatat, sic suffulcitur, vt matri minus sit molestus. MATHETES, Quæ alia excrementa, præter vrinam & sudorem, à fœtu proueniunt? GERON, Nulla, eò quòd ille ex solo sanguine probo, non menstruo, & vitioso, vt vulgares opinantur, alatur. MATHETES, In qua membrana vrina reseruatur? GERON, Inter amnion, & allantoida, idq; ob hanc causam, ne illa fœtum attingat, & cùm salsa & acris sit, ipsum adhuc tenerum exedat. Ideo etiam natura meatum, quem Græci οὐραχὸν vocant, in vesicæ fundo procreauit, qui inde sursum, versus vmbilicum fertur: ea verò parte prodit, per quam vena arteriaq; vmbilicalis ingreditur, ipsisq; adhæręscit. meatus ille vrinæ excipiendæ addictus, amnion tunicam penetrans, illam ad allantoida perducit. MATHETES, Quî fit, vt tanta excrementorum copia citra putredinem retineatur? GERON, Id caloris natiui ratione accidit, vt fœtus, dum in vtero alitur, faciliùs ob recrementa detenta gestetur. vbi pariendi tempus accesserit, illa mēbranas amnion & allantoida disrumpūt, exeúntque, & fœtus simul cum ipsis in lucem prodit. MATHETES, Quomodo obstetrices hæc excrementa vocant? GERON, Aquam, quam cùm vident effluentem, statim fœtum in lucem proditurum nunciant, & bonam spem facilis, & fortunati partus faciunt. dum enim loci muliebres, excrementorum humoribus irrigui, et lubrici fiunt, fœtus promptiùs erumpit. sin autem illa remorentur, & loci maneant sicciores, difficiliorem, & grauem fore præsagiunt. MATHETES, Cur mulieres nunc faciliùs, nunc grauiùs parturiunt? GERON, Quia aliæ os vteri nimis angustum habent, quod tunc adeò dilatari oportet, vt partui amplitudine respondeat, per quam exire debet: aliæ durius, neruosiusq;: aliæ latius, molliusq;. vnde fit, vt aliæ statim, & exiguo cum dolore, aut quasi nullo, pariant: aliæ tardiùs, & maximis cruciatibus ante partum afficiantur, præcipuè autem circa eam ossis sacri partem, quam Græci κόκκυγα appellant: ideoq; mulieres de hac regione magis, quàm de aliis conqueri solent. MATHETES, Qua parte infans in vtero alimentum accipit? GERON, Per vmbilicum, idq; venæ quæ ab eo vmbilicalis dicitur, auxilio, non autem per os, quod Hippocrates voluit: idq; ex laudato sanguine, qui per vasa seminaria defertur, quæ materiam cum illo continuè deorsum ferunt: vt si quando ille deficiat, infans habeat, quo sustineatur. MATHETES, Cur non menstruo nutritur? GERON, Quia excrementitius est, & nutritioni ineptus. MATHETES, Si ergo hic non alit infantem, cur in grauidis toto gestationis tempore non effluit? GERON, Quia non gignitur, tanquam naturæ inutilis, & ab vtero eiiciendus, sed vniuersus ipsi fœtui nutrie[...] distribuitur:

Excrementa fœtus.

Vrina fœtus in qua membrana contineatur.

Meatus οὐραχὸς vbi & ad quid procreatus à natura.

Excrementa fœtus detenta, cur non putrescant.

Partus facilis & fortunati signū.

Parturientium dolores tam graues vnde.

In partu cur aliæ magis, aliæ minus doleant.

Os coccygis in partu patitur.

Infans siue fœtus vnde nutriatur in vtero.

Fœtus laudabili sanguine nutritur, nō menstruo.

Sanguis menstruus cur in grauidis non effluat, in quibusdam verò etiam fluere non desinat.

quanquam ſint mulieres, quibus grauidis menſes ſtato tempore profluant. MATHET. Ob quid hoc euenire ſolet? GERON, Quia copioſo illę ſanguine abundant. quę enim minus ſanguineę ſunt, ĳs dum vterũ gerunt, nullę menſtruę purgationes adſunt. MATH.

Sanguis menſtruus quid propriè ſit.

Quid ergo ſanguinem menſtruum propriè eſſe putas? GERON, Excrementitium, ac ſuperfluum, quem nonnulli auctores adeò venenoſum exiſtimãt, vt herbas, atq; arbores, ſi ipſo inquinentur, cogat areſcere. non enim illud, quod in fœtus inteſtinis continetur, cibi, ſed ſanguinis excrementum eſt, eoq; non malè olet, ſicut eorum, qui iam nati ſunt. quòd ſi cibi excrementa eſſent, etiam vrinę modo immutarentur.

Infans in vtero nullius membri officio indiget.

MATHET. Nullo igitur membro ad officium aliquod peragendum, infans indiget? GERON, Nullo: ne corde quidem. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia ſpiritus vitalis, ſiue ſanguis ſpiritualis, per vmbilicales vteri arterias, ad fœtum defertur: quarum interuentu & auxilio, fœtus reſpirat (ſi hoc reſpirare dicendum eſt).

Infans per arterias in vtero ſpirat.

MATHETES, Nihil igitur fœtus in vtero elaborare cogitur? GERON, Nihil, neq; ad ſanguinem, neq; ad ſpiritus vitales generandos: quia omnia iam elaborata à matre, ad omnes fœtus partes deferuntur.

Fœtus in vtero nihil elaborat.

MATHETES, Quid tandem ex arterĳs hiſce & vena, quæ vmbilicum conſtituunt, efficitur? GERON, Ab vtero ad vmbilicum vſq;, peritonæo ſatis craſſo, longo itinere inuoluuntur: poſtea contorquentur, & nodos quoſdam generant, qui non æquales numero in omnibus parientibus apparent: quanquam obſtetrices nonnullæ, tot fœtus ab vtero prodituros, quot ipſi ſint nodi, falſò prædicent. totidem enim omnino in extremo fœtu, quot in puerpera conſpiciuntur.

Arteriæ & venæ vmbilicales quid præſtent.

MATHETES, In quem vſum vaſa hæc procreata ſunt? GERON, Vt ſanguinem ad fœtum paulatim deferant, ſic vt is in ipſo itinere quaſi remoretur, & ita pedetentim eò perueniat. MATHETES, Quò vaſa hæc tendunt? GERON, A membranis rectà ad ceruicem, ibiq; deorſum tendentes, flectuntur, atq; vmbilico inſeruntur: deinde connexa, per ſiniſtras ſcapulas aſcendunt, & per dextras deſcendunt, ita vt cùm fœtus prodit, membranas ſecum extrahat. obſtetrices ſtolidę, nexum iſtum vaſorum, laqueum appellant, quo infantes obductos, ſuſpendio perituros augurantur, cùm magna pars eorum, qui huiuſmodi laqueo implicati prodeunt, non eo ſupplicĳ genere intereant.

Vaſorum nexus in vmbilico.

Laqueus infantibus obductus.

MATHETES, Cùm ſuperiùs plures fœtus in vtero concipi poſſe dixeris, quomodo monſtra infantium, ſeſe attingentium fieri ſolent? GERON, Niſi fœtus, cum ſemine copioſo in vuluam iniecto, delineentur, proprĳsq; ſinguli membranis diſtincti, ſimul cohæreant, in eiuſmodi deformitatem incid[illegible]. MATHET. Quot, & qui partuum in vtero habitus,

Monſtra infantium quomodo fiant.

Situs siue habitus infantis quot & qui.

bitus, existunt? GERON, Tres. nam aut in caput conuersi sunt: qui habitus est omnium frequentissimus: aut in pedes: qui rarior habetur: aut in transuersum iacent: qui secundo rarior existit. MATHETES, Quomodo in vnoquoque habitu, in lucem prodeunt? GERON, In priore, infantes præeunte capite forâs tendunt: in secundo, pedibus, vnde ipsi Agrippæ dicuntur: in tertio, natibus. facie omnes versus matris coccygem respiciunt. MATHET. Quam formam infantes repræsentant in vtero? GERON, Quocunque in habitu positi sint, rotundam, & globi instar orbicularem: quæ tamen in longum tendat. MATHETES, Quem singula membra positum habent? GERON, Dextrum brachium flexum est: manus extrema cum digitis extensa: digiti sub aure dextra, superque ceruicem siti sunt: sinistrum brachium ferè extensum est, supraque mammam sinistram, & faciem: caput ita flexum est, vt mentum ad thoracem perueniat. Sinistrum itaque brachium, medio cubito dextro fulcitur, digitis parum tensis, pollice deorsum vergente: cruribus sursum, & quasi in arcum incuruatis. femur, tibia, & pes extremus dexter, adeò sunt flexa, vt abdomen, femur, vmbilicus genu attingat. tibia deorsum flexa est, & calx nates sinistras attingit: pes extremus eleuatur, & naturalia occultantur. sinistrum crus semiflexum est: femur imum ventrem attingit: tibia supra abdomen, thoracemque, & sub extremum brachium vertitur: pes extremus sursum voluitur, sic vt dextrum cubiti processum, ὠλέκρανον Græci vocant, & sinistri brachij palmam attingat. dorsum hinc in anteriora versum est: quæ omnia rotundam oblongamque infantis figuram efficiunt, qualis semper in vtero deprehenditur. Atque hæc ad naturales partes cognoscendas satis esse possunt. reliquum nunc est, vt ad spirationis, & vitæ officinas exponendas, digrediar. MATHETES, Placet mihi, optime præceptor. nam tuo vbique consilio, iudicioque acquiescere, & stare decreui.

Infantes quomodo in vnoquoque habitu in lucem prodeant.

Infans in vtero quam formam repræsentet, & quem singula membra positum habeant.

DE THORACE, eiúsque partibus tum externis, tum internis.

GERON, Inspecto igitur toto ventre inferiore abiectoque, (nam citò putrescit) thoracis, qui secundus quasi venter est, structuram persequar, vsumque singularum ipsius partium adiungam. MATHETES, Quid propriè thoracem appellas? GERON, Extrinsecus id vniuersum, quod à costis comprehenditur, sicut in ossium historia didicisti: intus pars est, in qua respirandi, & vitæ instrumenta consistunt. MATHETES, Qui fines thoracem circunscribunt? GERON, Elatior eius pars, clauiculæ existunt: inferior, septum transuersum: media eius regio, pectus. imo huius ossi cartilago triangula annata est, quæ Græcis ξιφοειδὴς, quasi mucronata dicitur. Extrinsecus ei complures musculi incumbunt, sicut mam

Thorax quid propriè dicatur.

Cartilago mucronata.

mæ vtraque parte singulæ, cordi caloris officinæ. MATHETES, Quales sunt mammæ?

MAMMÆ.

Mammarum substantia qualis.

Mammarum vasa, eorumque vsus.

GERON, Glandulosæ, venis, & arterijs intertextæ, penicillis similes, vt videre licet, si linea recta per medium diuiseris. MATHETES, Cur vasis donatæ sunt? GERON, Primùm, vt alimentum, præsertim in mulieribus, nempe sanguinem à vasis eò pertinentibus elaboratum, & longo itineris anfractu in lac conuersum infanti præbeant: deinde, vt cor ipsum, veluti propugnacula quædam, contegant, & ab eo calefactæ, faciliùs sanguinem allatum immutent. MATHETES, Quænam vasa ad mammas perueniunt? GERON, Ad singulas singulæ venæ, & arteriæ insignes, quæ non statim, sed prope iugulum ex magna tum vena, tum arteria prodeunt. verùm harum commoda magis fœminarum, quàm virorum mammis communicari solent. MATHETES, Cum quibus corporis partibus mammæ habent consortium? GERON, In fœminis cum vtero. nam propagines venarum, quæ mammis ex pectore distribuuntur, deorsum sub rectis excurrentes musculis, cum ijs, quæ ab inferioribus sursum feruntur, oris coëunt: nimirum ea de causa, vt quando fœtus in vtero formatur, augeturque, venæ communes alimentum ex vtrisque suppeditatum, soli illi ministrent: vbi verò infans in lucem prodierit, vt totum id sursum mamillis influat. nam tunc fieri nequit, vt & menstrua probè fluant, & mulier lactet: quia altera pars semper *siccesit*, dum sanguis in alteram defertur. MATHETES, In omnibúsne mulieribus superiores venæ vtriusque mamillæ, singulæ cum inferioribus vniuntur, coëuntque? GERON, In quibusdam vnius tantùm, aut ambarum ramulo perexiguo committuntur. est cùm in quibusdam nulla harum venarum vnio inueniatur. MATHETES, Vnde inferiores istæ venæ, quæ cum superioribus coëunt, proficiscuntur? GERON, Non ab vtero, sed eius ceruicis ramis, per quos menstrua expurgantur. Sed de his aliâs audiuisti: nunc musculos thoracis aggrediar. vt autem illos facilè inuenias, adipem totius thoracis, & mammas scalpello tollere oportet.

Vasa ad mammas peruenientia.

Mammæ cum quibus corporis partibus habeant consortium.

Venarum in mammis vnio, & origo.

MVSCVLI thoracis.

Thorax cur tot musculis indigeat.

Thoracis motus duplex. Naturalis.

MATHET. Quot, & qui sunt thoracis musculi? GERON, Vnus & octaginta proprij: octo autem communes, in abdomine siti, qui licet huic dicati sint, tamen etiam thoraci inseruiunt. MATHETES, Cur tot musculis thorax indiget? GERON, Quia hic tum voluntate, tum natura mouetur. MATHETES, Quando naturaliter? GERON, Cùm dormimus: ideo etiam corporis nostri opifex, inter costas & pectus cartilagines constituit, quæ pulmonis motui facilè cederent. Hic nanque siue vigilemus, siue dormiamus, mouetur, præterquam cùm loquimur, aut vociferamur. tunc enim paulò am-

lò amplius mouetur, eò quòd tunc illum magis dilatant. MATHETES, Vnde fit motus voluntarius? GERON, A musculis. MATHETES, Vnde naturalis? GERON, Ex pulmonis dilatatione, ac constrictione. Hoc autem obseruatione dignum, cùm inspiramus, inferiores thoracis partes dilatari, superioresq; comprimi: cùm autem expiramus, inferiores constringi, superiores dilatari. MATHETES, Qui primi sunt musculi? GERON, Vtrinq; singuli, ab inferiore iugulo prodeuntes, initioq; & fine oblongo præditi, in superiorem primæ costæ partem, quam dilatant, inseruntur. MATHETES, Quis hunc sequitur? GERON, Magnus, latus, carnosusq; totus, qui à scapularum basi exoritur, interq; illam & costas incedit, & octo, interdum nouem costis ordine inseritur. Fines eius prope eam partem, qua in cartilaginem desinunt, digitorum modo extenduntur. MATHETES, Quid hic habet officij? GERON, Vt octo costas dilatet. MATHETES, Qualis est tertius? GERON, Exilis, & paruus, à spinis trium ceruicis vertebrarum, & à prima thoracis exoriens. principium habet latum & membranosum: in primas thoracis costas, & nonnunquam in posteriorem quartæ regionem desinit: in hoc à natura conditus, vt hasce costas dilatet. MATHETES, Qualem dicis esse quartum? GERON, Exilem, & quadrangularem, qui à spinis duarum extremarum thoracis vertebrarum, interdum à prima lumborum prodit. initium ipsius latum, neruosum, & membranosum est: deinde carnosum euadit, atq; in tres infimas costas terminatur, digitorum instar, illasq; dilatat. MATHETES, Nunc quintum recenseas. GERON, Is carnosus, à posteriore, superioreq; sacri ossis regione, & interno Iliorum osse procedit, adeoq; pertinaciter secundo dorsi musculo adhæret, vt meritò portio eius esse videatur: quanquam à dorsi musculo sit diuersus, cùm primùm ad costas peruenerit. quò magis ascendit, eò tenuior efficitur: tandem omnibus costis posteriore in parte, prope transuersos vertebrarum processus, vbi costæ asperiores eminent, neruosorum musculorum adminiculo, inseritur: posteriores thoracis partes constringit. MATHETES, Vbi sextus est situs? GERON, In sinu thoracis interno iuxta pectus, & septem legitimarum costarum cartilagines. Est autem oblongus, totusq; carnosus, sed exilis, in hoc genitus, vt priora thoracis coarctet. MATHETES, Qui post hos iam enumeratos musculos, sequuntur? GERON, Intercostales: inde hoc nomen sortiti, quòd costarum interualla occupent. sunt autem vtrinq; triginta quatuor. MATHETES, Quot sunt costarum interualla? GERON, Vndecim: legitimarum quidem sex, quinq; verò spuriarum, atq; in harum singulis interuallis d[…] sunt musculi,

Voluntarius.

Primi thoracis musculi.

Secundus, eiusq; officium.

Tertius, & eius vsus.

Quartus thoracis musculus.

Quintus thoracis musculus.

Sextus thoracis musculus.

Musculi intercostales.

Costarum interualla vndecim.

Musculorum intercostalium triginta quatuor.

ijsq; decem numero existunt: in illorum spatijs quatuor: qui in totum efficiunt viginti quatuor: & sic vniuersi coniuncti, triginta quatuor euadunt. MATHETES, Cur legitimæ & spuriæ in his differunt? GERON, Quia cartilagines versus pectus vertuntur. MATHETES, Quo habitu musculi isti apparent? GERON, Exteriores, interioresq; fibris obliquis constant, ijsq; contrarijs, adeò vt exteriores cum interioribus literam X repræsentent. MATHET. Vnde exteriores oriuntur? GERON, Ab inferiore parte costarum, ac in superiorem subsequentium desinunt, cùm versus dorsum incipiant: tandem pectoris ossi inseruntur. MATHETES, Vnde interiores originem sumunt? GERON, A superiore costarum regione, & in formam supra positæ terminantur. MATHETES, Vnde incipiunt, & quò tendunt tum exteriorum, tum interiorum musculorum fibræ? GERON, Illorum quidem, à dorso ortæ, obliquè versus pectus ita vergunt, vt à supernis ad inferna descendere videantur: horum, contrario modo se habent, sic vt literæ Græcorum X instar coniungantur. Sunt autem hi musculi subtiles, & longi, nec altiori loco siti: quia quod spatium costis intercedit, breuissimum est. MATHETES, Quis horum musculorum intercostalium vsus est? GERON, Cùm interiores, vel exteriores soli per se operantur, thoracem dilatant: cùm verò omnes simul mouent thoracem, validè constringunt. exteriores *enim* sursum trahunt: interiores deorsum. atq; ita simul costas trahunt, & validè constringunt, idq; non citra rationem: nam validam constringendi vim in thorace esse oportet, eò quòd forâs expiremus, & vociferemur. MATHETES, Qua de causa nonnulli anatomici, musculos istos constringere tantùm putant? GERON, Quia primam costam in hoc motu immobilem permanere opinantur. si verò scirent, illam à primo thoracis musculo, qui à iugulo exoritur, erigi, sententiam mutarent. nam hæc cùm attollitur, costas etiam ordine trahit, quibus musculi sui intercostales auxiliantur: atq; ita sursum versus extenduntur, sic tamen, vt exteriores eis succurrant: deorsum verò inferiorum adiumento. Nam postrema costa, à musculo abdominis obliquè ascendente, deorsum trahitur: atq; hac ratione dilatantur. vbi verò vtriq; simul functionem suam obeunt, tunc vniuersus thorax constringitur, vt anteà exposui. MATHETES, Súntne alij adhuc musculi intercostales, præter eos, quos hactenus recensuisti?

Musculorum intercostalium exteriorum, & interiorum habitus atq; origo.

Musculorum intercostalium vsus.

SEPTI transuersi musculi.

GERON, Restat vnus non vilissimus, quem Græci διάφραγμα, Latini septum transuersum appellant, eò quòd membra nutritioni dicata, à vitæ officinis distinguat. differt ab alijs omnibus situ, figura, & excellentia. nam in vltimo thorace consistit, & corpori

Septi transuersi situs, figura, ex-

nostro

nostro transuersus manet. figura est rotundus, in medio neruosum tendinem, acri sensu præditum obtinet: quanquam carnosis partibus circundetur, sic vt fibræ à capite ipsius, ad ambientem regionem tendant. Ideo autem cæteros musculos excellit, quòd in eo veteres quasi mentem consistere putarint, vnde Plato ipsum φρένας appellauit. hoc enim oblęso, vitam sępe amittimus. Adhęc venę arteriæque insignes, septo huic adsunt: nec non ampliores nerui, qui à spinali medulla prodeuntes, inter costarum spatia, ad illud festinant. Ex illis autem duo, inter quartam & quintã ceruicis vertebram incedentes, inferius supra cordis inuolucrũ inseruntur: vbi carnosa pars septi in tendinem degenerat. Galenus hunc, nunc à spuriarum costarum cartilagine, nunc à spina exoriri, tanquam rei dubius, recenset. MATHETES, Quid septum hoc transuersum thoraci confert? GERON, Expirationi & inspirationi seruit. Cùm enim suo munere fungitur, retrahit se ad vertebras, & ascendens thoracis extrema ad se trahit, inferioremque regionem vniuersam constringit, idque in expiratione. cùm autem inspiramus, illud laxatur, & descendendo inferiora thoracis dilatari permittit. Notandum autem quoduis animal solo hoc septo, si eo prępditum est, in paruis respirationibus vti: vbi verò magna respiratione opus est, corpore aut ob exercitium, aut febrem, aut vehementem aëris calorem, aut alium quendam affectum, digesto, intercostales illi suppetias ferre oportet. sin adhuc maior respiratio requiratur, tunc elatiores quoque musculi opitulantur. MATHETES, Vnde musculus ille trahit originem? GERON, A vertebris, vel potius à duabus illis partibus longiusculis, siue ligamentis, quæ ex ipsius duodecimæ thoracis vertebræ latere prodeunt, & ex superiore lumborum regione: atque hinc postea neruosa musculi istius pars, sumit initium, cartilaginique mucronatæ coniungitur, quæ in hoc est creata, vt septum potius, quàm os ventriculi, vt vulgò putant, tueatur. MATHETES, Manétne vndique neruosum? GERON, Non, vtrinque fit carnosum, & tandem in cartilagines costarum mendacium inseritur, sic vt vltimam costam amplectatur. MATHETES, Cùm itaque totum thoracem intersepiat, continuúmne per omnia existit? GERON, Nequaquam, sed duo habet foramina: hoc in sinistris: illud in dextris. MATHETES, In quem vsum? GERON, Vt caua vena, quæ in thoracem progreditur, per dextrum ascendat: gula verò per sinistrum descendat, quæ in ventriculum desinit, sic vt cum illa nerui duo incedant, quos sextum par cerebri effundit. Sunt qui tertium etiam foramen statuant, per quod arteria ἀορτὴ transeat: sed aliter res habet. nam illa sic permeat, vt vertebris ipsis adhæreſcat. Itaque septum

cellentia, & differentia ab alijs.

Septi transuersi vtilitas.

Septum transuersum vnde oriatur.

Cartilago mucronata septum tuetur.

Septi transuersi foramina duo.

dum vertebras amplectitur, arteriam quoque citra foramen comprehendit. Nonnulli arteriæ magnæ, & gulæ iter commune esse produnt, sed id à vero alienum esse constat. MATHETES, Súntne vtraque foramina iam dicta inter se consimilia? GERON, Non admodum, sed superius grande, infernum exile. hoc autem non planè rotundum, sed triangulo potius simile existit: cui vertex sit sublimior, basis autem spinæ innixa. MATHETES, Externis iam thoracis partibus, vtcunque intellectis, quomodo interiores examinari debent?

INTERNÆ thoracis partes.

GERON, Prius thoracis os, quod latinè pectus appellauimus, medium cultro excisorio dissecandum est, ijs quæ illi incumbunt, anteà ablatis, totumque ad mucronatam vsque cartilaginem, in duas partes dirimendum, eoque in exteriora deduci, leuiter reflectendo debent. aut costæ legitimæ à cartilaginibus suis scalpello separentur, & iugulum à pectoris osse seiungatur. quo facto diuortio, pectus soluitur, idque ad mucronatam ipsius cartilaginem modicè eleuatur, vt membranæ ei annexæ, thoracem intersepientes, de quibus postea audies, considerentur: deinde vasa iuxta glandium ex grandioribus orta, quæ os pectoris intus perreptant, superioremque thoracis regionem alunt, examines.

MEMBRANA costas succingens.

Post hæc, membranam costis intra thoracem obductam, quæ Græcis ὑπεζωκὼς dicitur, quòd illas succingat, aranei modo pertenuis, sibique ex toto similis, peritonæi instar, inspicias. MATHETES, Súntne aliæ etiam in thorace?

MEMBRANÆ intersepientes.

GERON, Ex hac succingente aliæ duæ, vtraque parte singulæ nascuntur, quæ totum thoracem intersepiunt, recta linea ad pectoris longitudinem mutuò sibi adhærentes, nisi quantùm ea in parte abscedunt desinuntque, quà cordis apex est. hoc enim medium, proprio crassioreque inuolucro, Græci περικάρδιον appellant, intercipientes, ad mucronatam vsque cartilaginem porriguntur: nonnunquam tamen, in superiore etiam regione, ad pectoris latitudinem inuicem distant, vbi pulmoni circumhæreseunt, cuius sunt operimentum. MATHETES, Vbi ipsæ terminantur? GERON, Posteriore parte vertebris spinalibus tutò inseruntur: priore per medium pectoris os ad iugulum vsque ascendunt. Basis ipsarum supernis septi partibus obiecta est, ita vt circulum ipsius interiorem contegat. Hoc etiam obseruandum, quòd nerui duo septi transuersi, suprà commemorati, per has excurrant. MATHETES,

Membranarum intersepientium vsus.

Qualis membranarum istarum vsus? GERON, Duplex: primus & summus, vt duos thoracis sinus efficiant: vt si quando vulnere magno in alteram eius partem recepto, respirationis opus perierit, quod per illam fiebat, alter sinus incolumis actionem saltem dimidiam

midiam tueatur: ſecundus, quo arterias indidem, venas, gulam, pulmonémque totum thoraci colligent, omniaq́ ea contegant. MATHETES, Quæ pars poſt membranas iſtas cognoſcenda eſt?

COR.

Cordis ſitus.

GERON, Cor, omnium arteriarum fons & origo, ſitum in thoracis ſinu obliquum, non rectum, vt in brutis, ſupra ſeptum tranſuerſum habet, ſic vt hoc attingat, in illis autem non parum diſtat. Baſis eius in dextro propemodum latere: vertex in ſiniſtro conſiſtit. MATHETES, Qui igitur illud in medio thoracis poſitum eſſe dicunt, errant? GERON, Indubiè, ſicut etiam ij, qui in medio corporis collocant. MATHETES, Quale eius inuolucrum eſt? GERON, Craſſa membrana, quæ quantò oſſe mollior, tantò pulmone durior exiſtit: atq́ illi ceu vallum, & munimentum tutum circundatur, vt quæ cor contineat, colligetq́, ne decidat, néue os pectoris, & coſtas attingat: ob quod etiam cordi non cohæret, ſed parua quædam regio intermedia eſt, motui ipſius, quo attollitur, & ſummittitur, accommodata: in quam aquoſus quidam humor colligitur, quo illud humectetur: aliâs ob crebros, et quaſi perpetuos ipſius motus, exiccaretur. cùm autem nimis copioſus ille exiſtit, cordis palpitationem, quam Grę̨ci παλμὸν vocant, excitat. MATHETES, Vnde trahit originem? GERON, Non ex corde ipſo, ſed ex vaſis inde procedentibus, nempe magna tum arteria, tum vena, & in homine ſepti tranſuerſi tendini valde cohæret. MATHETES, Inſpecto iam pericardij ortu, annexuq́, & natura, quid deinceps agendum erit? GERON, Specillum in mucronem eius inijcies, ac ad vaſorum quæ in cordis baſi ſunt, ortum vſq́ ſecabis, exilesq́ venas cauæ propagines, conſiderabis: deinde acutiore ſcalpello à vaſis liberabis, & adipem intermediam tuiſmet digitis auelles, cura adhibita, ne neruulum lædas, qui à ſiniſtro recurrente ortus, ad membranam cor inuoluentem peruenit. MATHETES, Quid præterea de corde habes? GERON, Quòd præter iſtud pericardium, propriam habeat tunicam, quæ ipſum ſuo interuentu contingit, & quòd non exigua pinguetudo, inter cor & pericardium manifeſtè contineatur, illicq́ adhę̨reſcat. MATHETES, Cur cordi pinguetudo eſt neceſſaria? GERON, Ne ob motus continuos exiccetur: cuius gratia etiam aliæ complures corporis noſtri partes, vt oculi, & muſculi temporum illam obtinent. MATHETES, Qua figura cor in homine prædi-tum eſt? GERON, Non in totum pyramidis inſtar, vt in brutis, ſed depreſſum potius apparet. MATHETES, Qualis eſt cordis caro? GERON, Cùm ſit omnium arteriarum, animæq́ iraſcibilis, & caloris natiui, quo animal gubernatur, nec non ſpiritus vitalis officina, & domicilium, duplici motu continuò agitatur, dum ſe

Cordis inuolucrum quale.

Pericardium.

Cordis tunica.

Cordis pinguetudo quid commodet.

Cordis figura.

Cordis caro qualis.

nunc attollit, nunc summittit (Græci hunc συςολὴν, illum διαςολὴν nuncupant) dura, densa, minusq; iniurijs, quàm aliorum viscerũ, opportuna est, ex triplici fibrarum genere conflata, nempe rectis, vt trahat: transuersis, vt contineat: & obliquis, vt expellat. Hoc adhuc notari debet, duplicem etiam quietem cordis esse: nempe vnam postquàm eleuatum: secundam, vbi summissum est. MATHETES, Ad quid attollitur? GERON, Vt aërem ex pulmone, qui illud comprehendit, per arteriam, refrigerandi caloris, nutriendiq; gratia recipiat, & sanguinem ex vena caua attrahat, pulmoni tantùm, non sibi alimentum præparans. MATHETES, Quid præstat cordis summissio? GERON, Vt fuliginosa recrementa expellantur, & sanguis elaboratus pulmoni nutriendo suppeditetur. MATHETES, Quare duplex, inter duos illos motus, quies intercedit? GERON, Vt aëre, ex pulmone attracto, interea fruatur. verùm primam facilè tactu in omnibus pulsibus percipimus: alteram verò non nisi in maximis, & vehementissimis pulsibus experimur. MATHETES, Quid cordi præterea extrinsecus annexum est? GERON, Venæ cauæ soboles, superficiem eius coronæ modo cingit, quæ inde Græcis στεφανιαῖα dicitur, nimirum alimentum illi suppeditans: necnon arteria, huic socia, similiter illud ambit, vt scilicet spiritus vitalis eius facultate refocilletur: interdum binæ inueniuntur. Adhęc neruulus ab eo deriuans (qui à sinistro recurrente ortus, ad cordis caput obscurè admodum pertinet) inuolucri ipsius basim penetrat, sensum eorum quæ offendunt, communicans. Assistunt etiam cordi iuxta ipsius basim vtrinq;, duæ quædam particulæ, brutorum animantium auriculis similes, membranosæ, cutis modo tenues, anfractuosæq;, in hoc procreatæ, vt venam cauam, arteriamq; venosam tueantur, ne dum cor mouetur, ipsę disrumpantur, vt quæ nonnunquam sanguine scateant. Atq; hęc de exterioribus partibus cordis exposui: si voles, nunc interiores persequar. MATHETES, Placet vtiq;, si tibi molestum non erit. GERON, Cor duos intus habet sinus, siue ventriculos, in vtroq; latere singulos, medio quodam discretos septo carnoso & crasso: dexter à capite seu basi cordis, ad apicem vsq; deorsum, semicirculi caui instar, descendit: sinister autem multò licet dextro maior existat, ampla tamen basi incipiens, in angustum mucronem desinit. MATHETES, Quid vterq; sinus continet? GERON, Dexter sanguinem naturalem, sinister vitalem: sic vt illum tenuior cordis caro, hunc crassa ambiat: idq; tum æquilibri momenti ac ponderis gratia, tum ne tenuissimus vitæ sanguis extrorsum resudet. MATHETES, Quotnam, & quæ vasa his insunt ventriculis? GERON, Quatuor nimirum: in vtroq; bina, cir-

Cordis fibræ.

Cordis eleuatio quid præstet.

Cordis summissio quid commodet.

Cordis neruulus.

Cordis auriculæ, earumq; vsus.

Ventriculi cordis duo. Dexter. Sinister.

Sinus cordis quid contineant.

Vena caua.

na, circa cordis basim. dextro sanè vena caua, quæ ex iecore, non ex corde, vt quidam opinantur, prognata est. cùm autem ibi diuisa sit, & lata, dextri sinus ori tantùm adhæreſcit: & vena satis ampla, arteriosa dicta, quòd tunicam arteriæ similem nanciscatur, nempe crassam, duram, & duplicem, quæ & ipsa ex iecore exoritur: quatenus autem arteriosa, ex corde, ad pulmonem accedit, vt sanguinem ei nutriendo conferat, eumq; pro corde contemperet. diuiditur autem in duos caudices, tum ad dextrum, tum ad sinistrum pulmonem: deinde in varios ramos dispergitur.

Cordis vasa.

Sinistro sinu, qui caloris & spiritus officina est, arteria magna, quæ Græcis ἀορτὴ dicitur, omnium aliarum per totum corpus excurrentium origo, magna, crassa, alba continetur. MATHETES, Cur crassa? GERON, Ne sanguis spirituosus facilè euanescat, néue illa crebris motibus disrumpatur, eò quòd ipsa non propter se, sed ob spiritus continuò moueatur, ac sursum ascendat.

Arteria magna ἀορτὴ dicta, omnium arteriarum est mater.

Adhæc arteria venosa, admodum insignis, apposita est, quæ, vt vena arteriosa, in pulmones diuiditur. vocatur quidem arteria, quòd spiritibus, et sanguini arterioso inseruiat: vena autem appellatur, quòd tunicam simplicem, rarám, & tenuem, venæ similem obtineat? MATHETES, Quod huius est officium? GERON, Vt sanguinem cum aëre à pulmonibus mixtum, ad sinistrum sinum deferat: non vt aërem immutatum ad pulmones ferat, qui ventum cordi, instar flabelli faciat, illudq; refrigeret, quemadmodum alij quidam sentiunt: sed vt in illis prius extenuetur, deinde simul cum aëre per arteriam venosam, ad sinistrum cordis ventriculum deferat.

Arteria venosa quare dicatur.

MATHETES, Arteriæne & venę tunicis inuicem differunt? GERON, Maximè. nam hæ vna tantùm peculiari constant: quæ autem extrinsecus cernitur membrana, non est his propria, sed omnibus communis obhæreſcit, vbi colligari quibusdam, aut fulciri, contegiq; desiderat. Arteriæ verò duas habent tunicas peculiares, exteriorem sanè, qualis venarum est: interiorem verò multò crassiorem, durioremq;, in transuersas distinctam fibras: quanquam externam rectis fibris, vt venæ, & quibusdam mediocriter obliquis, transuersis autem nullis contextam.

Venarum, & arteriarum tunicæ quomodo differant.

MATHETES, Quot ora vasorum in vtroq; sinu cernuntur? GERON, Singula singulorum, vt vniuersa quatuor numero existant. duo sanè in sinistro, sed magnæ arteriæ, maius, cuius consortio, cor omnibus arterijs est continuatum: venosæ autem arteriæ, minus, cuius commercio, pulmonum arterijs cohæret. in dextro sinu etiam totidem habentur. quamuis autem superioribus iam recitatis minus excellentia, alijs tamen cordis partibus præstantiora existunt: venę quidem cauæ maius, venæ autem arteriosæ minus: vtroq; ab in-

Vasorum sinuum cordis ora.

ternis forâs tendunt, vt sanguinem emittant. aliorum duorum vasorum ora ab exteris introrsum feruntur, vt sanguinem inclusum contineant. Priora iam dicta, quæ ab interioribus forâs prodeunt, filamentis quibusdam huc illuc dispersis constant, quæ nonnulli falsò neruos esse putarunt. MATHETES, Qua ratione

Sinuum cordis administratio.

sinus isti cordis, intus examinari poterunt? GERON, Primùm sanè dextrum iuxta aurem, recta linea diuides, distendesq;, ac sanguinem nigrum inde profluentem, spongia ac penicillo elues, ne inspectionem impediat. Eodem modo sinistrum aperies, scalpellum iuxta arteriam venosam adigens, non ita ad latus, sed ex aduerso anguli inferioris, qui à dextro sinu, è cordis interstitio existit.

Membranæ trisulcæ in orificio cordis vasorum, earumq; vsus.

MATHETES, Ora illa vasorum quid habent adiunctum? GERON, Membranas ex ipsis ortas, veluti opercula quædam obducta. quæ videre poteris, si specillo eleuare coneris, in eum nimirum vsum, ne rursus materia tum sanguinis, tum spiritus ex corde effluat, aut in ipsum refluat. MATHETES, Quot sunt eiusmodi membranæ? GERON, Vndecim, quæ structura cuspidum telorum eminentijs, atq; angulis penitus respondent, vnde Græcis τριχλώχινες quasi trisulcę vocantur, à foris intrò pertinentes: crassitie, robore, magnitudine insignes: quæ impediunt, ne sanguis semel ingressus retrocedat: quanquam & attractionis sint instrumenta. Etenim vasorum tunicæ, dum per has membranas à corde tenduntur, promptiùs contrahuntur, pelluntúrq; faciliùs, corde materias trahente: cùm non sua sponte materia ingrediatur, tanquam in folium quoddam inanimatum, sed ipsum cor, fabrorum follium instar, attrahat: deinde cùm contrahitur, oras membranę claudat, ne quid attractum recurrat. Sunt autem ad cauam venam, ad arteriam ἀορτὴν, ad venam arteriosam, nouem, hoc est, ad singulas, tres: ad arteriam autem venosam duæ sitæ. MA-

Membranarum trisulcarum figura.

THETES, Quánam figura? GERON, Non eadem, sed quæ ad cauam, & arteriam venosam habentur, instar sagittarum formatæ: quæ ad magnam arteriam, & venam arteriosam collocatæ sunt, aliaquàm magna arteria, & vena arteriosa figura apparent, quæ latinam literam C repræsentant. MATHETES, Si ergo rectè intelligo, duo ex his vasa materiam intrô ad cor deferunt: duo autem alia forâs emittunt.

Vasorum in corde vsus.

GERON, Ita habet, sed illud accidit, quando cor dilatatur: hoc autem, quando constringitur. ideo cùm dilatatur, sanguinem à caua vena in dextrum ventriculum suscipit, & ab arteria venosa, non modò sanguinem elaboratum, sed etiam cum aëre in sinistrum admittit. hinc est, quòd membranæ vasorum summittantur, materiæq; ingredienti cedant. Nam dum cor constringitur, ora illorum membranis clauduntur,

ne id

ne id quod ſuſceperunt, per eaſdem vias retrocedat: nec non ora tum magnæ arteriæ, tum venæ arterioſæ, eodem tempore reſeruntur, ſanguiniqꝫ ſpirituoſo exeunti, qui vniuerſo corpori diſtribuitur, & naturali ad pulmones delato, aditum præbent. In ſumma, vbi cor dilatatur, ora vaſorum dictorum adaperiuntur, membranis elatis: reliquorum occluduntur, illis ſummiſsis.

Cor ſanguinis non principium.

Hac ratione ſanguis in dextrum ſinum cordis ingreſſus, neqꝫ in cauam venam regredi, neqꝫ cor ipſius principium dici poteſt, cùm à caua vena diſtribuatur. MATHETES, Nihil aliúdne obſeruatu dignum, in corde reſtat? GERON, Nihil, niſi voles radicem magnę arterię, verſus arterioſam venam ſpectare, quę adeò dura eſt, vt cartilago videri queat: non autẽ oſſeum quippiam refert, vt in brutis animalibus, pręſertim grandioribus, vt boue, ceruo, & ſimilibus: & quantò corpus eorum mole vaſtius fuerit, tantò magis radix illa oſſeam naturam, ſeu cartilagineam obtinet, vt in oſſe cordis ceruini oſtenditur, quo medici hodie ad virium corroborationem vtuntur.

Arteriæ magnæ radix.

MATHETES, Qua in parte os cordis ceruini inueniri poterit? GERON, Siniſtro detecto ſinu, maximæqꝫ arteriæ tota baſi aperta, radices illius & membranarum ſequere, ac facilè reperies. nam arteriæ aortæ, venæqꝫ arterioſæ, & membranarum earundem radix, ex oſſea iſta cartilagine cordis procedit.

Os cordis ceruini qua in parte inueniatur.

MATHETES, Quomodo arteriæ iſtæ omnes, in totum corpus diſtribuuntur? GERON, Id alio dicetur loco, vbi etiam de venis & neruis ſeorſum agam. Hoc adhuc de arteria aorta hîc adijciam, quòd cùm ipſa cor prętergreſſa fuerit, exiguam quandam propaginem, ei orbiculatim communicet, quæ inde Græcis στεφανιαῖα, nobis coronalis vocatur, quòd coronæ modo cor ambiat, ipſiqꝫ vim vitalem ſuppeditet. in quibuſdam coronalis arteria non vnica, ſed du plex apparet.

Arteria coronalis.

MATHETES, Quomodo arteria aorta, poſt hanc exilem editam propaginem, deinceps ſcinditur? GERON, Altiùs aſcendens in duos truncos non æquales, maior deſcendit, minor aſcendit. ille talis factus eſt, quòd grandiorem corporis partem, vitali facultate conſeruare debeat: hic aſcendens à ſiniſtris ramum emittit, quem alarem ſiniſtram appellant. MATHET. Quæ pars corporis poſt arterias & membranas, cordi vicinior eſt?

Arteriæ aortæ in duos truncos diuiſio.

PVLMO.

GERON, Pulmo, qui illud fibris quatuor, vngulæ bubulæ ſimilibus comprehendit, duabus in dextra, & totidem in ſiniſtra regione, iisqꝫ dum animal viuit, plenis & turgidis: poſt obitum autem ſemper collapſis & exanguibus: id quod thoracis intercapedo, tam amplior facta, quàm in vita erat, oſtendit. Ideo autem in tot fibras (quanquam Galeni ſententia in quinqꝫ etiam, ſed falſò) pulmo diuiditur, vt agiliùs moueri, & cor ipſum am-

plexari poſsit. in brutis quinq; fibræ inueniuntur, & poſtrema cauæ venæ ſubſternitur. MATHETES, Qualis eius eſt habitus?

Pulmonis habitus.

GERON, Cùm non ex ſe, verùm à thorace moueatur, leuis, rarus, fungoſus, aërius, ſpirituoſus, ac veluti ex ſpuma quadam ſanguinis concretus eſt: foris rotundus, intus cauus, vt tum cordi, tum eius inuolucro pericardio cedat: colore rubido præditus, qualem maſſam Græci παρέγχυμα, quaſi affuſionem appellant. MATHETES, Quem vſum præſtat?

Pulmonis vſus.

GERON, Primùm vt cor tueatur, ne exteriore quidem parte ad os thoracis, interiore autem ad ſpinam illidatur: deinde vt cordi, cùm perpetuo motu incaleſcat, refrigerium adferat: poſtea vt inſpirationi, expirationi, & voci inſeruiat: adhæc vt ſpiritus vitales cordi præparet, & quaſi generet, illud poſtmodum magis abſoluat. Nam aërem per nares & os inſpiratum, in omnes ſuos meatus, aſperæ arteriæ vehiculo, excipit, vnaq; cum ſanguine illo miſcet, qui à dextro cordis ventriculo profectus, per venam arterioſam defertur. hæc enim & ſanguinem pro alimento deducit, & adeò ampla eſt, vt alterius rei cauſa, eundem deferre poſsit. MATHETES, Qualis is ſanguis exiſtit? GERON, Quia aſsiduo pulmonum motu agitatur, tenuis euadit, & ſimul cum aëre miſcetur, qui ipſe quoq; ſic colliſus infractusq;, temperatur, vt ambo & ſanguis, & aër ſimul mixti, per arteriæ venoſæ ramos, ſuſcipiantur, tandemq; per ipſius caudicem, ad ſiniſtrum cordis ventriculum deferantur. adeò autem probè mixti, atq; attenuati cordi inſeruntur, vt id facili negotio elaborare, & conficere queat. Poſtremò verò, vitales hi ſpiritus ſic abſoluti, arteriæ aortæ ſubſidio, per omnes corporis partes diſtribuuntur.

Cordis & pulmonis mutua officia

Nam vt cor ſanguinem purum, vaporoſum, & tenuem, pulmoni in alimoniam conficit, ſuggeritq;, ita hic illi viciſsim gratificaturus, aërem per reſpirationem attrahit, & immutat, tandemq; ſic præparatum ipſi ſuppeditat.

Pulmo plurimis vaſis intertextus.

hinc etiam vaſis compluribus, retis modo intertextus eſt: ex dextro quidem cordis ſinu, vena arterioſa: ex ſiniſtro autem, arteria venoſa, ſeu læuis: ex faucibus, aſpera, quæ voci edendæ ſeruit. MATHETES, Quomodo hæc vaſa in pulmones ſparguntur? GERON, Omnia primùm ſimiliter in duos ramos diuaricantur: quorum hic dextram, ille ſiniſtram pulmonis regionem, perreptat: poſtea vterq; rurſus bifariàm ſcinditur, partim in ſuperiorem, partim in regionem inferiorem: tandem multiplices in quatuor fibras propagines, mittit. MATHET. Cur tot & talia vaſa inſeruntur? GERON, Vena ſanè, quam arterioſam vocauimus, pulmoni inſeritur maxima, vt quantò minus alimento, quod ſufficit, ſuggerendo, propter tunicæ craſsitiem reſpondet, tantum arteria venoſa, ſeu læuis, ſua amplitudine compenſet.

penset. nam sanguinem vaporosum vnà cum spiritu vitali, ex sinistro cordis ventriculo, illi communicat, & fuliginosa recrementa expellit.

ASPERA arteria.

Aspera arteria per colli longitudinem, sub larynge, in thoracem deducitur, & pluribus constructa circulis, magna quidem parte cartilagineis, quos Græci βρόγχους appellant, sed non perfectis, vt quos tenuis membrana, posteriore parte committat, quà spinam respicit, & stomacho cohæret, ne ille, dum cibum assumit, ob cartilaginis comprehensionem infestetur. MATHETES, Quales arteriæ huius circuli, siue annuli apparent, si membrana subtrahatur? GERON, Literæ nostræ C imaginem repræsentant, foris gibbi, intus caui. MATHETES, Qualis tunica his intus obtenditur? GERON, Ad amussim rotunda, omnia demulcens, densa, tenuis, moderatè sicca, rectis ad longitudinem fibris contexta, ei continua, quæ totum os, partemque stomachi, & ventriculi totius internam, sublinit. MATHETES, Qua de causa? GERON, Ne cartilago erosionem exulcerationemque sentiat, dum serum pituitæ, à capite in arteriam defluit: nec non dum potus aliquid & cibi, inter deuorandum illabitur. præterea cùm acris aëris qualitas, aut fumi, aut cineris, aut carbonum, aut alterius facultatis medicatæ particeps, eò pergit: aut cùm pus quandoque malignum, & rodens, aut alius quidam humor, siue flaua bilis, siue atra, siue pituita salsa intus putredinē experta, per hanc effertur. Nam cartilago curatu difficillima, tunica autem ipsius facillima existit: nisi portio eius aliqua ob magnam putredinem corrosa, nudam illam relinquat. MATHETES, Quare tunica illius subtilis est, & densa? GERON, Ne magnam totius arteriæ amplitudinem occupet, & humores eò confluentes arceat, vnde & modicè sicca est. quippe irrigata & madida, raucam vocem edit: moderatè autem sicca, melius sonat: immoderatè, deteriùs: id quod in febribus ardentissimis facilè depręhenditur. MATHETES, Vbi asperę arterię iter desinit? GERON, In iugulo: atque ibi in duos ramos scinditur: hi rursus in alios duos. tandem autem omnes in totum pulmonem disperguntur: per quos aër externus inspiratur: superfluum eius & cordis excrementa educuntur. atque illa inspiratio, hæc expiratio dicitur: ambæ verò respirationis nomine comprehēnduntur. MATHETES, Cur aspera arteria exanguis, & partim cartilaginosa, partim membranosa facta est? GERON, Ne aēris iter in voce edenda, & respiratione, aliquantum impediat: subsidere autem, distendique possit, Nam cùm pulmo & ipsa, cum illo à thorace dilatatur, aër per nares: si maior necessitas vrget, per os etiam, veluti per follem attrahitur, cuius alia portio per fauces in eandem asperam ar-

Aspera arteriæ circuli quales appareant.

Tunicæ asperæ arteriæ circulis obtensæ, quales existant.

Aspera arteria cur exanguis.

teriam subit, pulmonem totum impletura: cùm autem summittitur, aëris superfluum, & recrementa cordis, vt suprà docui, propellit.

Vena arteriosa sanguinem aëreum cordi adfert.

MATHETES, Ideóne arteriosa vena facta est, vt sanguinem, quo dixisti modo elaboratum, cordi ipsi introrsum adferat, non autem ab illo eliciat, extraq́; educat? GERON, Ita res habet, indicióque est, sanguinem è pulmonibus emanare, non solùm quòd cum tussi erumpat, sed etiam quòd floridus sit, tenuis, & pulcher.

Vena pulmonis cur arteriosa venosaq́; facta, & ad quid.

MATHETES, Cur vena pulmonis facta est arteriosa, quod tu interpretaris densa & crassa? GERON, Ne sanguinem crassum, illi natura leui & aërio, transmittat. MATHET. Cur item arteria venosa facta est? GERON, Vt cùm crassa sit, quantò minus sanguinis fœculenti emittit, tantò plus aërei, & vaporosi, ob texturæ raritatem admittat.

Vasa in pulmonibus, eorumq́; vsus.

MATHETES, Vasa hæc pulmonis, orisne etiam, vt in corde, patent? GERON, Nimirum. nam suo quæque, in membranam pulmones ambientem, desinunt, inter se proxima. verùm asperæ arteriæ, multò amplioribus quàm leuis & venosæ constant. vnde fit etiam, vt humorem intra thoracem collectum, pulmone dilatato, ora asperæ arteriæ hiantia, ad se recipiant, tussiq́; expellant.

Sanguis quomodo in asperam arteriam erumpat.

MATHETES, Nunquámne in asperam arteriam, quam exanguem esse dixisti, sanguis erumpit? GERON, Cùm vasa modò commemorata rupturam, vel adapertionem, vel erosionem experiuntur, tunc in illam quoq́; sanguinis aliquid effunditur, qui vias spiritus intercipiens, pulmonem afficit, tussimq́; excitat: ac deinde per fauces in os effertur.

Nerui pulmonis tunicam attingentes.

MATHETES, Neruíne etiam ad hanc tunicam perueniunt? GERON, Minimæ illorum propagines, qui ex sexto pari, iuxta stomachum deorsum versus, ad ventriculum feruntur, illam attingunt, nec tamen intrò penetrant. quamuis autem pulmo, ideo exigui sensus compos est, tamen plurimùm homini vtilis, & pernecessarius existit.

Tunica asperæ arteriæ.

Tunica ipsius, de qua dixi, cùm raræ sit texturæ, sanguinem in membranæ, costas cingentis, & pulmonum inflammatione suscipit. MATHETES, Quid extrinsecus, cartilagineis istis circulis arterię asperæ, obducitur? GERON, Alia membrana, à summis, ad extremas vsq́; pulmonis fibras, apparet. MATHE. Quomodo hæc aptè conspici poterunt? GERON, Pulmonum fibris inuicem separatis, venas, arterias, & neruos contiguos, stomachumq́; subditum, obtusiore cultello, ab aspera arteria secernes. vt autem caput ipsius, quod Græci λαρύγγα vocant, commodiùs intuearis, mentum medium diuidere oportet.

LARYNX asperæ arteriæ caput.

MATHETES, Quale illam esse instrumentum dicis? GERON, Spiritus admittendi, reddendiq́;, & vocis efformandę. MATHET. Ex quibus co[illegible]at? GERON, Ex ossiculis, cartilaginibus, ligamentis,

Larynx ex quibus cõstet, quotq́ illius sint oßicula.

mentis, musculis, membranis, venis, arterijs, & neruis. MATHETES, Quot sunt ipsius ossicula? GERON, Quinque. atque ex his duo magna, totam ferè ipsam constituunt: posteriore parte inuicem latè disiuncta: priore acutiùs vnita, scuti imaginem referunt, Græci θυρεοειδῆ vocant. tertium circulare est, stomachum versus latius, & spinæ modo fastigiatur, nullo insignitum nomine: recentiores cartilaginem innominatam nuncupant. quartum & quintum os, alij tertiam cartilaginem appellant. MATHETES, Habétne larynx alias coniunctas particulas? GERON, Habet: iuxta imam ossis, scutum referentis, regionem, rimam voci modulandæ idoneum, Græcis γλωττίς, Latinis ligula dicitur, sicut in fistulis & tibijs, ligulæ quædam imponi solent. Huc accedit alia particula, quæ ligulæ iam dictæ incumbit, veluti operculum: in hoc à natura facta, vt impediat, ne quid cibi, aut potus per laryngem, in asperam arteriam incidat: Græci ἐπιγλωττίδα nuncupant: eoque huius ore paulò amplior existit, vt ipsum vndiquaque claudat, non vt prorsus nihil contrarijs ostijs incidat, sed ne multùm, neque vniuersum. Nam ex potu momentum in arteriam, circa eius membranam, ceu aqua ad parietem, non per medium intus spatium illabens, irrorat, humectatque pulmonem, spiritum non impedit.

Epiglottis quid, eiusq́ officium.

MATHETES, Quali corpore prædita est ἐπιγλωττίς? GERON, Cartilagineo, non osseo, vt continuum motum sine noxa ferre posit, qui non solùm fit expirando, & inspirando, sed etiam diglutiendo, loquendoque, dum nunc attollitur, nunc deprimitur, nunc ad contraria, vt in vomitu, reuellitur. Quando enim respiramus, hoc operculum aperitur, rectumque consistit: quando deglutimus, inclinat, rursus subsidit, caditque supra laryngem. in vomitu inuertitur, ne materia in arteriam deferatur. MATHETES, Cùm ergo larynx tot agitari motionibus cogatur, indubiè etiam musculis donata erit, si ex alijs de hac quoque licet iudicare? GERON, Rectè colligis. habet enim in totum quatuordecim: horum autem nouem proprios, & quinque communes. alij vniuersos numerant viginti, hoc est, proprios duodecim, & communes octo. quia verò difficilis est eorum incisio, satius erit, eam in aliud tempus differre.

Epiglottis quali corpore prædita.

Laryngis musculi quatuordecim.

MATHETES, Quas igitur partes proximas asperæ arteriæ, inspiciendas censes? GERON, Non possum aliam inuenire commodiorem, quàm stomachum, qui arteriæ illi inferiùs adhęret. Nam cùm animal duo habeat itinera, seu meatus in ore, quorum alter spiritum, alter cibum & potionem recipit, ille exterior ad pulmonem, hic interior ad ventriculũ fertur. de primo iam diximus: restat, vt secundũ quoque exponam, quem Gręci οἰσοφάγον nominant.

MATHETES, Vbinam incipit, & quorsum [illegible]ndem fertur? STOMACHVS

GERON, Ab imis faucibus, iuxta mediam ceruicis sedem oritur: hinc inter vertebras, & asperam arteriam, versus cor procedit (vt autem huic cedat, ad dextram vergit): deinde prope transuersum septum, ad læuam iterum reuertitur. vbi verò illud penetrauerit, ori ventriculi committitur, sic vt huic non modò sit contiguus, sed etiam continuus, sicut ventriculus intestinis, & hęc aluo. MATHET. Habétne etiam duas, vt ille, tunicas? GERON, Duas quidem habet, sed diuersas. nam interior magis neruosa, dura, pauloque subtilior est, & rectis fibris ciborum attractioni proprijs donata, toti ori palatoque continua: exterior verò crassior, mollior, & propè carnosior existit, transuersis constans fibris, cibo ad ventriculum pellendo accommodatis. Nullus autem cibus, potusque in stomachum recipitur, nisi prius à lingua sit probatus. MATHET. Huius ergo naturam mihi nunc explices.

LINGVA. GERON, Vtile homini instrumentum lingua est, tum in cibo, potuque assumendo, tum in loquela exprimenda, & saporibus percipiendis. Figura linguæ oblonga est, lataque magis, & crassa iuxta radicem, securitatis gratia: ad finem autem tenuis apparet, nimirum, quia celeriùs vndique moueri debet. Tunica ori communi vestita, musculisque omni ex parte donata est, vti audies. In medio candidam lineam habet, quæ dextram partem à sinistra distinguit, sub qua ligamentum situm est, quod infantibus sæpe incidi oportet, eò quod loquelam impediat, præsertim cùm nimium crescit, augescitque. MATHETES, Qua carne constat? GERON, Molli, rara, & spongiosa: atque hac ratione musculis non videtur ascribenda. quia verò motu regitur voluntario, non aliena ab illis iudicari potest. MATHETES, Quot igitur sunt illius musculi? GERON, Primùm duo, à base ossis hyoidis dicti, emergunt, & in summam etiam linguam desinunt, omnis generis fibris adeò intertexti, vt aliæ ab alijs, sicut in reliquis musculis, distingui nequeant. Tertius & quartus musculus in medio mento exoriuntur: vbi duæ extant eminentiæ asperæ, quæ rectà ad linguæ radicem tendunt: nisi diligenter eos incideris, non facilè reperies. MATHETES, Quam musculi isti figuram & fibras obtinent? GERON, Rotundi sunt, & rectis fibris præditi, ideoque à natura conditi, vt linguam extra dentes & labia exerant. MATHETES, Vnde quintus, & sextus musculus enascuntur? GERON, A styloïde processu, gracilesque sunt, & in linguę radicem, iuxta ipsius latera desinunt. MATHETES, Quem habent vsum? GERON, Cùm vterque mouetur, linguam versus seipsos ducunt: cùm alter tantùm, sursum in latus trahunt. Septimus & octauus, quoque ex ossis hyoidis processibus [illegible]ntur, linguæque lateribus inseruntur, deorsum ipsam

Lingua qua natura sit prædita, eiusque figura & tunica.

Lingua musculis donata.

Caro linguæ qualis.

Linguæ musculi

ipſam trahentes. MATHETES, Vnde nonus & decimus prodeunt? GERON, Ex maxilla, & in eius latera finiunt. MATHETES, Quid officij præſtant? GERON, Maxillam nunc huc, nunc illuc cùm edimus, aut deglutimus, impellũt. Poſtremus etiam ab hyoide oſſe oritur, ad radicem linguæ ſitus, cibo aſſumendo accommodatus: videtur autem quaſi miſcella ex carne, pinguetudine, & glandulis conflatus. MATHETES, Quid præter muſculos linguę ineſſe dicis? GERON, Arterias duas, vtrinq; ſingulas: duas item venas, quas in affectibus quibuſdam incidere ſolemus: adhęc duo neruorum paria, alterum molle, alterum durum: illud ex tertio pari, exteriori ipſius tunicæ diſtribuitur, ſaporibus diſcernendis dicatum: hoc ex ſeptimo, voluntario motui conueniens. Poſtremò ligamenta quoq; duo valida, vtrinq; ſingula, in inferiore eius regione habentur, quæ ab oſſe hyoide profecta, ad muſculos eius motui dicatos, pertinent, iuxta laryngis cartilaginem, quæ ſcutum repræſentat. MATHETES, Quæ partes linguæ ſunt vicinæ?

Arteriæ linguæ.

Nerui in lingua.

Ligamenta duo in linguà.

GLANDVLÆ.

GERON, Glandulæ genere triplices. primæ ſanè vtrinque ſingulæ, ad laryngis radicem adhærent, magnæ & fungoſæ admodum, carniq; propemodum colore ſimiles, niſi quòd magis nigricent: venis bene conſpicuis obductæ. ſecundæ, laryngi apponuntur, vtrinq; etiam ſingulæ, non ita amplæ, ſed oblongæ, in medijs faucibus, ore admodum hiante, apparent: quæ communi oris tunica veſtitæ, ſurſum & deorſum, ſecundum longitudinem exporriguntur: eſſentia alijs glandulis perſimiles: niſi quòd magis ſint ſpongioſæ, vt ſcilicet humorem pituitoſum, liquidumq;, nempe ſaliuam procreent, quæ per obliquas inferioresq; partes deſcendens, aſperam arteriam, ſtomachum, ipſamq; linguam humectet. nam hæc deſiccata vix moueri poteſt: id quod in ijs apparet, qui vehementer ſitiunt, quibusq; per febres ardentes, totus oris humor, veluti arefactus, abſumitur. MATHETES, Quomodo glandulæ iſtæ vocantur? GERON, Gręcis παρίσθμια, tum quod anguſtijs hiſce oris contineantur, tum quòd veteres gurgulionem ἰσθμὸν quoq; nuncuparint. Quinetiam eædem hæ glandulæ Græcis ἀντιάδες vocantur, eò quòd ſibi inuicem ſint oppoſitæ: Latinis tonſillæ: vulgares ab amygdalarum ſimilitudine, amygdalinas nominant. Atq; hæc Gręcorum nomina, non ſolùm partibus, ſed etiam affectibus quibuſdam attribuuntur. nam illæ inflammationes glandularum, quę in faucium initio ſibi opponuntur, ἀντιάδες: earum verò quę in faucibus ipſis exiſtunt, παρίσθμια appellant, non adijcientes, quáſnam his ſignificari velint. Latini, Græcos imitantes, & partes, & morbos, tonſillarum nomine vocitant. MATHETES, Quæ tertiæ exiſtunt glandulæ? GERON,

Tonſillæ.

Glandularum inflammatio.

Antiades, & paristhmia quomodo differant.

Nullo peculiari nomine sunt donatę: ijs autem respondent, quę in inguinibus & alis habentur: item illis, quę numerosæ sub aurium radicibus, & vniuerso maxillæ spatio continentur, omnes cauitates accuratè implentes, vasisq; deferendis accommodatæ, præterquàm quòd partes suprà dictas etiam humectent. Has omnes glandularum species in ore sitas, sicut etiam gurgulionem, & palatum lues venerea infestare solet. MATHETES, Quænam oris pars gurgulio dicitur? GERON, Quæ in summa illius regione, carnosior suspensa apparet: in viuo autem, si quis toto ore latissimè adaperto, linguam deprimat. MATHETES, Quomodo Græcis vocatur? GERON, Veteribus γαργαρέων, & κίων: alijs autem recentioribus quia frequenter ex influxu humorum accidit, σταφυλὴ, quasi columella & vua nuncupatur: Latini & partem, & affectum eius, eodem vuæ vocabulo nominant. MATHETES, Quis eius vsus est? GERON, Vocis tanquam plectrum est, non parum ad magnitudinem, & elegantiam eius conferens: deinde aëris per os ingredietis vehementiam, & frigiditatem contemperat. Nam quibus columella ad radicem præsecta est, hi non vocis tantùm læsionem, sed etiam frigidiorem inspirationem experiuntur: vnde fit, vt thorace, & pulmonibus quandoq; refrigeratis, multi id hominum genus interierint. Cæterum illa madorem à cerebro recipit, quo superiores palati partes humectat. vbi plus iustò humoris admiserit, laxatur, ac fastigiata descendit: interim inflammationem experitur, impeditq;, ne potus, neq; cibus deuorari possit. Atq; hæ sunt partes propemodum omnes, quæ ad medium ventrem corporis pertinent: nunc tempus est, vt hinc discedamus, cras capitis structuram aggrediemur. MATHETES, Nihil aliud ex oris historia, ac confectione adhuc restat? GERON, Dentium, labrorum, & faciei structura. verùm quia partim superiùs exposita est, partim ad musculorum confectionem pertinet, cogitaui eam hoc loco prætermittere. MATHETES, Ne quid hodiernę inspectioni desit, adijcias oro, quæ sit labrorum, & faciei constructio. nondum enim de his aliquid tractasti.

Gurgulio quæ pars oris dicatur.

Columella, siue vua, eiusq; vsus.

LABRA.

GERON, Labra naturam singularem, eximiamq; obtinent, ex cute & musculis, illi commixtis, conflata: vnde eam aut musculum cuticularem, aut musculosam cutem rectè dixeris. quippe flectere ipsam licet, & à situ suo auertere, attrahere, distendere, stringere, & laxare, quocunq; edentium, vel bibentium, vel disserentium, vel aliam quandam functionem obeuntium, vsus vocauerit. MATHETES, Quot eorum sunt musculi? GERON, Quatuor. duo sanè lati & graciles, à spina ceruicis incipientes, in buccam cessant, v[illegible]r membranosum ligamentum procedens, ipsos consti-

Labrorum musculi.

constituit: duo item ab vltima maxillæ regione, oriuntur. MATHETES, Quot motus musculi prædicti perficiunt? GERON, Octo, nempe in vtroque labro binos, dum vnus illa ad dextram, alter ad leuam circumagit. adhæc dum alius labra (cùm plurimùm à sese distant) sursum ad nasum agat, alius deorsum ad mentum: præterea, cùm illa inter se committuntur, alius superior ipsa deorsum, alius inferior sursum trahat. MATH. Præter hos quatuor musculos, nulli alij extant? GERON, Extrinsecus vtrinque singuli, lati, & graciles illis subijciuntur, ad ceruicis spinam pertinentes, qui ad sermonem & mandendum, valde conferunt. Ad motus autem superiores peragendos, per genas, & maxillam, nerui tenuissimis foraminibus transmittuntur, quæ per summa vtrinque patent. Ad eundem modum etiam venæ, & arteriæ, à propinquis regionibus, eò pertinent. MATHETES, Quotnam sunt ori mouendo peculiares musculi? GERON, Tres. vnus sanè maximus vtrinque malis, & maxillæ acumini inseritur, qui statim à medio, non extremo, quemadmodum alij, in latum tendinem desinunt, in capitis ossibus abditus, vt quem alia excipiant, alia in orbem comprehendant adeò, vt exigua eius pars, ad finem frontis emineat: Græcis à temporibus, quibus potissimùm inhæret, κροταφίτης dicitur: hic tensus, maxillam veluti pendentem sursum attollit, ac sustinet: quod cùm fit, os clauditur. Vbi huiusmodi musculorum regio offenditur, conuulsiones, febres, cari, & deliria ideo oboriri solent, eò quòd magni sint, & neruorum principio proximi: qua de causa etiam os iugale eis obiectum est. MATHE. Vbi secundus oris habetur musculus? GERON, In ore delitescit, vtrinque ex cuneato osse prodiens. primæ ac vltimæ eius partes carnosæ sunt: mediæ verò neruosæ, id quod in alijs non inuenitur. MATHETES, In quam partem immittitur? GERON, In maxillam, statim post flexuram, iuxta mentum. MATHETES, Qualem obit motum? GERON, Tensus, os ipsum aperit. MATHETES, Nunc tertium musculum exponas. GERON, Hic amplo & valido principio, à malis exortus, deorsum tendit, ac maxillæ partim carnosus, partim neruosus amplissimè inseritur, à mandendo Græcis μασσητὴρ dicitur, triangularis figura, quod tres neruorum tendines repræsentet. is maxillam circumagit prorsum, retrorsum, & in latera, pro varia ipsius fibrarum natura. Omitto nunc, breuitatis gratia, musculos, qui narium alas mouent, & musculosam compaginem, cuti in facie subiectam: aliâs de ipsis priuatim dicturus. atque sic iam de vniuersis nutritorijs, & spiritalibus membris satis dictum esse videtur: proximum est, vt post illa, mentis ac rationis quoque sedem aggrediamur. MATHETES, Id mihi erit pergra[illegible]n, honorate præce-

Musculorum labrorum motus octo.

Musculi os mouentes.

Primus oris musculus.

Secundus oris musculus.

Tertius.

præceptor, edoceas itaq;, quomodo illius incisionem aggredi debeam.

CAPVT.

GERON, Primùm capilli in superiore parte capitis apparent, ex fuliginosis recrementis, sursum elatis, prouenientes: mox cutis densa, dura, sicca & crassa, cui illi radicitùs inhærent. in fronte & genis, non facilè à subiectis partibus separari potest. nam in illa musculosa compago est: in his fibrarum musculorum textura.

Pericranion.

Cute ablata, membrana occurrit, quę quòd caluariam extrinsecus ambiat, græcè περικρανιὸς dicitur. Sub ea pinguedo, & alia tenuis membrana consistit, cæteris quoq; ossibus corporis communis,

Periostion.

græcè περιόστιος nuncupatur. MATHETES, Quid his tandem abrasis apparet? GERON, Caluaria nuda, ex multis conflata ossibus,

Caluariæ administratio.

quæ suturis, vt anteà didicisti, committuntur. hanc autem linea orbiculari in cute scalpello facta, tenui serra ex duriore ferro, diuides, auferesq;, vt cerebrum omnium viscerum nobilissimum, & veluti principale accuratè possis intueri, & cognoscere. MATHETES, Cur cerebro tribuis principatum?

CEREBRVM.

GERON, Quia DEVS OPT. MAX. illud in excelsissimo loco, tanquam arce munitissima constituit, vt iniurijs minus sit

Cerebri excellentia.

opportunum: deinde quòd figuram ei omnium tutissimam indiderit: postea quòd extrinsecus capillos, cutem crassissimam, pinguedinem, membranam carnosam, περικράνιον, περιόστιον, & ossa tanto artificio effecta, circundederit: nouissimè quòd in eo mens, ratio, & animæ sedes consistat: item quòd ab ipso sensus & motus, visus, auditus, gustus, odoratus, & sermo procedat. falsum est quod nonnulli dicunt, cerebrum ideo creatum esse, vt feruidum cordis calorem attemperet, refrigeretq;. MATHETES, Quæ cerebri est

Cerebri natura.

natura? GERON, Medullosa, alba, & mollis, in gyros quasi circumuoluta, tenuium intestinorum instar, tum leuitatis gratia, tum vt faciliùs moueatur. caluariam totam implet vndiq;, vt nulla eius pars sit vacua. MATHETES, Explica igitur copiosiùs, quas summus ille noster Architectus, partes cerebro circundedit, per quas homini ea, quæ superiùs enumerasti, officia & munera præ-

Membranæ menynges.

stare potest. GERON, Primùm membranas duas, Græci μηνυγγὰς appellant: priorem παχεῖαν, quod est crassam, vulgò duram matrem: alteram λεπτὴν, vel λείαν, hoc est, tenuem, & leuem, barbarolatinis piam matrem. Priusquam verò eas examines, cerebrum in tres diuidi partes considerato, nempe dextram, sinistram, & vltimam, quę illis à tergo adiacet, vnde etiam Gręcis παρεγκεφαλὶς ap-

Cerebellum.

pendix cerebri, nobis cerebellum vocatur. MATHET. Qualisnam prior illa cerebri membrana, existit? GERON, Crassa, dura, & cuticularis: quia contra caluariæ occursus, propugnaculum cerebri magis,

magis quàm velamen existit, vt quæ illam succingat, eiq; citra vllius corporis interuentum, vndiq; est contigua, præterquam in cuneati ossis medio: vbi nonnihil ab illa recedit. basi autem caluariæ, acutisq; eius processibus, ac tuberculis, firmiùs quàm in lateribus, vertice, fronte, & occipitio affirmatur: suturis etiam, licet minus validè, connascitur: tenues autem fibras, per hasce extrorsum transmittit, & pericranion membranam progignit. Notari autem debet, duram istam cerebri membranam, non simplicem siue vnam, sed duplicem, siue duas existere. prima introrsum versus cerebrum spectat: altera extrorsum ad caluariam tendit. atq; hæc minus est sensilis, vt quam os durum attingere oporteat: prior siue interior, magis sentit. MATHETES, Qua in parte capitis, membranæ istæ sitæ sunt? GERON, In vertice, sub recta sutura duplicatę, descendunt, dextramq; cerebri regionem, à sinistra separant, ita tamen, vt ad dimidium eius tantùm, non ad imum pertingant, vbi pars callosa dicta consistit. MATHETES, Apparéntne membranæ iam dictæ, vbiq; sibi similes? GERON, Nequaquam, sed priore parte versus frontem minus latæ sunt, quàm posteriore. atq; hac etiam quadruplices cernuntur: quia cerebrum à cerebello seiungunt. MATHETES, Quid inter has membranas extat? GERON, Quatuor sinus repleti sanguine, ad quos interiores venę iugulares ingrediuntur, perguntq; ad extremum vsq;. quare sanguis in his extra sua vasa, esse nequit. MATHETES, Quo in loco primi sinus habentur? GERON, Ad basim, vbi interiores venæ iugulares accedunt, iuxta occipitium & suturę lambdoïdis apicem. atq; hîc dextra cum sinistra iungitur: vnde tertius fit sinus, qui iuxta vniuersi capitis longitudinem protenditur, definitq; in id foramen, quod in nasi summitate, inter frontem, & os ethmoïdes situm est. MATHETES, Qualis hic sinus est? GERON, Latera eius, trianguli imaginem referunt: pars superior, semicirculum imitatur: cui rotunditati, atq; eminentiæ, synciput cedit. nam sinus ille sub sutura recta conditus est. Ab hoc eodem sinu venæ complures, tum à lateribus, tum infrà propagantur, quę per tenuem membranam disperguntur. MATHETES, Ad quid tam innumeræ venæ gignuntur? GERON, Vt cerebrum vniuersum alant, sicut alię propagines supra hunc sinum exortæ ossa nutriant, per suturas transeuntes. MATHETES, Vbi quartus sinus collocatus est? GERON, Inter cerebrum, & cerebellum, quem locum Gręci λίνον, quasi torcular nominant, à quo venæ prodeunt, quæ per cerebrum ipsum, tenuemq; eius membranam, qua cerebellum inuoluitur, delatæ, reticulari plexui, de quo statim agetur, cons[illegible]iantur. MATHETES, Cerebróne etiam dura hæc membrana coniuncta est?

Membranæ cerebri quales existant.

Membranæ cerebri vbi sint sitæ.

Cerebri sinus quatuor.

Sinuum singulorum situs.

Venarum cerebri vsus.

GERON, Minimè, ſed plurimùm ab eo diſtat, vt pericardium à corde: vaſis tantùm, quæ ab inferioribus ſurſum diſtributa ſunt, cohærens. MATHETES, Quamobrem? GERON, Vt cerebrum liberè, ſicut cor, attolli & ſummitti queat.

Cerebrum attollitur, & ſubmittitur.

MATHETES, Eſtne illa vndiqȝ ab hoc ſeiuncta? GERON, In vertice, cerebrum iuxta longitudinem, non ad imam, ſed ad dimidiam eius ſedem vſqȝ ingreditur, in duas partes æquales ipſum diuidens, ſub recta potiſſimùm ſutura. à tergo ſimiliter cerebrum à cerebello diſtinguit, medio ſe ſpatio inſinuans.

Membrana cerebri ad dimidiam vſqȝ partem eius peruenit.

MATHETES, In omnibúsne cerebri locis, craſſa æquè apparet? GERON, Vbi cerebellum integit, triplo craſsior & durior, quàm alibi, euadit, omni adipe deſtituta.

Cerebri interna ſtructura qualis.

MATHETES, Quæ cerebri interioris eſt ſtructura? GERON, Vbi media propemodum portio eius ablata fuerit, duo ventriculi in dextra & ſiniſtra parte ſinguli, ampli ſatis, oblongi, anfractuoſi, à priore regione ad poſteriorem tendentes, & tenui membrana induti.

Ventriculi cerebri in totum quatuor, quidqȝ in ſingulis cõtineatur.

MATHET: Quid in huius ſuperioribus ventriculis continetur? GERON, Plexus choriformes, quos reticulares vocant, in hoc conſtructi, vt ſpiritus animales generent.

Plexus Choriformes.

MATHETES, Vbi potiſsimùm ventriculi iſti oriuntur, & quomodo ſpiritus illos procreant? GERON, Supra os σφηνοειδὲς, verſus id quod ἠθμοειδὲς vocaui, trahunt originem: cùm autem aër per nares attractus, in frontis cuneatiqȝ oſsis cauitate retinetur, immutatur: deinde ad illos per foramina oſsis ethmoidis aſcendit, atqȝ ibi ob continuum tum cerebri, tum reticularis plexus motum elaboratus, cum vitalibus ſpiritibus miſcetur. atqȝ ſic ſpiritus animales ex vitalibus, & aëre, vt dixi, præparato efficiuntur.

Cerebri ventriculi vbi oriantur, & quomodo ſpiritus procreent.

MATHETES, Quis ſpirituum animalium vſus eſt? GERON, Multiplex, vt qui ad omnes ſenſus pertineat. nam in ventriculis modò commemoratis, & cauitatibus geniti, ad baſim cerebri deſcendunt.

Spirituum animalium vſus.

MATHETES, Pluréſne ventriculos præter hos duos cerebrum obtinet? GERON, Duos adhuc, inter quos prior iuxta prædictam cerebri baſim extat, longiuſculus, rectuſqȝ à priore illius parte ad poſteriorem procedens, iuxta quem ferè nerui ſpinæ medullæ exoriuntur: cuius rei gratia, ſpiritus animales facilè neruos accedere, & penetrare poſſunt, aut certè per hos ad ſenſuum inſtrumenta deferri: atqȝ ſingulis, pro ſua cuiuſqȝ actione, opitulari: ſicut oculis videndi facultatem per neruos opticos: ita guſtum, auditum, & quamuis facultatem, quæ à cerebro proficiſcitur, ſubminiſtrant.

Reliqui duo ventriculi.

Prior.

MATHET. Vbi ſecundus tandem, in toto autem ordine quartus ventriculus, ſitum habet? GERON, Inter cerebellum, & ſpinæ medullam, quo loco exiguum adeſt foramen, à tertio ſinu ad quartum vſque pertingens, ideo à natura factum, vt ſpiritus animales per ipſum,

Secundus.

ex tertio

ex tertio ad quartum ventriculum transeant. MATHETES, Qualis est quartus ille cerebri ventriculus? GERON, Non admodum capax, tenui membrana obductus. in eo spinæ medulla, calami scriptorij instar, foramine patet, per quod spiritus contenti, ad illam facilè perueniunt. In summa, aër per inspirationem attractus, & spiritus vitalis à corde ad ipsos transmissus, in animalem, peculiari cerebri facultate mutatur: qui postea per neruos, ad sensus motusque instrumenta, distribuitur, vt eius beneficio oculi videant: nares odorentur: aures sonos percipiant: lingua sapores dinoscat: musculi moueantur: postremò vt omnis particula, cui neruus impartitur, tactiles qualitates dijudicet. MATHETES, Quæ partes hisce ventriculis omnibus sunt propinquæ? GERON, Super tertium cerebri ventriculum, particula quædam in medio illius consistit, callosa & candida: huic subest alia portio, fornix, & psalloides dicta, semicirculi imaginem referens, vel pontis potius, qui posteriore parte duobus cruribus, posteriore verò vnico duntaxat, innititur. MATHETES, In quem vsum? GERON, Vt tertium ventriculum integrum amplumque seruet, ne cerebri pars illam obruat, repleatque. MATHETES, Quid inter has cerebri partes, nempe callosum corpus, & cameratum continetur? GERON, Speculum, græcè dictum διαφανὲς, hoc est, perspicuum. nihil autem id aliud est, quàm tenuis cerebri membrana, hoc loco duplex, qua superiores ventriculi circundantur, & diuiduntur, qui hinc deorsum redeunt. MATHETES, Quæ aliæ partes post fornicem extant? GERON, In extremo cerebro, versus cerebellum, & in finibus proximæ tertij ventriculi regionis, partes quædam eminentes consistunt, quas veteres Græci διδύμους, quasi testes & gemellas appellarunt. Iuxta has alię duę partes paulò minores, duobus sibi commissis natibus simillimæ, vnde Græcis quoque multitudinis numero γλουτία, hoc est, clunes, siue nates dicuntur. Inter has foramen situm est, quòd à tertio ventriculo ad quartum progreditur, & ano simile videri potest. Insuper in priore testium loco, ad tertium ventriculum tendenti, alia pars cerebri occurrit, quæ fœminarum genitale eleganter repręsentat. Non longè hinc glandula duriuscula cernitur, colore modicè luteo, & tenui quadam membrana obducta, κωνάριον, & κωνοειδὴς græcè dicitur: torculari affigitur, & virorum genitale imitatur, ob vasorum diuisionem procreata. In priore tertij ventriculi regione, sinus profundior apparet, qui tandem supra ossis sphenoidis sedem emergit, peluis & infundibulum appellatur, huc confert, vt excrementa in ventriculis hisce collecta, excipiat, & glandulæ in sphenoide osse sitæ, transmittat. hæc autem glans crassa, extra duas membranas

Quartus ventriculus cerebri qualis.

Partes ventriculis cerebri propinquæ.

Callosa, candida.

Fornix.

Vsus.

Speculum tenuis cerebri membrana.

Gemelli cerebri.

Clunes, siue nates

Foramen ano simile.

Conarion.

Peluis, siue infundibulum.

R

ſita, cerebri excrementa excipit. atq; hoc loco tenuis membrana aſſurgit, quæ hos ventriculos inueſtiat, quod nonnulli non obſeruarunt. Sed iam de his ſatis. MATHETES, Noli tam citò ad alia diſcedere: nondum enim cerebellum, & alia ei proxima expoſuiſti. *Cerebelli ſitus.* GERON, Id in poſteriore caluaria ſitum, duris membranis, & tenui quoq; circundari, diximus: non autem ſic, vt cerebrum, gyris circumuolutum apparet, ſed peculiaribus deorſum in binos proceſſus deſinit, qui albis breuibusq; vermibus ijs reſpondent, *Vermicularis proceſſus.* qui in lignis carioſis ſæpe cernuntur: σκωληκοειδῆ ἔκφυσιν, Græci vocant, vt impediant, ne quartus ventriculus, cerebelli pondere preſſus, obſtruatur. Notandum autem illud, cerebro non eſſe durius, vt alij opinantur, nec vllum ex eo neruum ducere originem. MATHETES, Quæ cerebri pars poſteriùs adiacet?

SPINÆ MEdulla. GERON, Spinæ medulla, quæ nihil aliud eſt, quàm oblongum illud cerebrum, quod per vertebras, & os ſacrum deducitur, eandemq; cum illo naturam habet, nempe frigidam: quamuis Ariſtoteles calidam eſſe doceat. In brutis nonnihil variat. nam in his ad extremum vſq;, medullaris ea, in homine ad lumborum ini- *Cerebri & ſpinæ medullæ differentia.* tium vſq;, medullam refert. MATHETES, Quid autem in homine, medulláne iſta ſpinæ, & cerebrum inter ſe inuicem conueniunt? GERON, Non, ſed bifariàm differunt. hoc enim primùm veluti cor attollitur, & ſummittitur, quam motionem græcè διαστολὴν, & συστολὴν vocauimus: illa motu caret. deinde oſſa caluariæ, quæ cerebrum ipſum ambiunt, firma exiſtunt: medulla verò per ea, quæ moueri poſſunt, deducitur, eoq; duplex habet principium, nempe vnum maius, alterum minus: illud à cerebro: hoc à cerebello emanat. maius rurſus vnicum, minus bifidum exiſtit: atq; idcirco tum in dextrum, tum in ſiniſtrum demittitur. MATHET. *Medulla ſpinæ vnde oriatur.* Dic ergo ſummatim, vnde potiſsimùm medulla ſpinæ oriatur? GERON, A cerebri priore parte, non vbi vertebras ingreditur, vt quidam opinati ſunt. eaq; ratione tertium, quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, & octauum neruorum par, non ex cerebro, ſed medulla ſpinæ oritur: id quod tu quoq; ſic comperies, ſi rem diligenter examines. MATHETES, Seruátne eandem craſsitiem *Medulla ſpinæ an eandem craſsitiem in omnibus partibus ſeruet.* in omnibus partibus, per quas tranſit? GERON, Foramen occipitij elapſa, ingreſſaq; primum vertebrarum ſinum, deſcendendo ibi aliquantulùm craſsior, quàm in reliquo itinere apparet. Poſtquàm verò ad ſummum thoracem, & extremum os ſacrum vſq; peruenerit, æqualem craſsitiem retinet: in hoc autem duntaxat tenuior exiſtit. alij falſò (pace eorum dixerim) illam in neruis gignendis abſumi, prodidêre. MATHETES, Quomodo deinceps medulla ſpinæ procedit? GERON, Caluariam egrediens, vtraq; cerebri

Medulla spinæ neruosa euadit.

bri membrana, & molli, & dura inuoluitur, neruosq; ex ipsa prodeuntes circundat. cùm autem per mobilia transire cogatur, natura aliam membranam tenuem ei induit, ne ab osſis duritie offendatur. Est itaq; medulla spinæ vsq; ad thoracem extremum sui similis: in processu verò neruosa euadit, quasi dicas funiculorum instar, idq; propter ipsius diuisionem. Ea de causa, cùm materia per medullam descendit, magis inferiore parte, quàm superiore lædit: quoniam ibi medulla neruosa, in aliis locis sui similis existit. Non admodum propriè conuenit huic spinæ medullæ nomenclatura ipsius, cùm nihil simile cum ea medulla, qua ossa aluntur, habeat, sed cerebri potius naturam referre videatur. Qui etiam hanc spinæ medullam molliorem ea, quæ ossa nutrit, esse prędicant, in errore versantur. Natura enim talem ipsam creauit, ex qua nerui, tùm sensui, tum motui, reliquis partibus deferendo idonei, oriuntur: cerebrum autem omnem illam tum sentiendi, tum mouendi facultatem suppeditat? MATHET. Quæ reliqua in capite sunt obseruanda?

PLEXVS reticularis.

GERON, Plexus ille reticularis, nec non visus, odoratus, & auditus instrumenta. MATHET. Ex quot, & quibus partibus plexus iste constat? GERON, Ex quatuor: quarum duę sub spinæ medulla sursum attolluntur, & post multas earum propagines, in tenuem membranam dispersas, iuxta conarion in superiorum ventriculorum extremo, cerebrum ingrediuntur: deinde aliæ quoq; duæ arteriæ carotides in illud mittuntur: atq; sic omnes quatuor iunctæ, implexæ, & intertextæ cernuntur: quamuis Galenus admirabilem illum arteriarum plexum, super sphenoidem collocet, vbi glandula illa adest, omnis excrementi, quod in cerebro gignitur, receptaculum. sed natura nobiliorem plexum istum reticularem existimauit, quàm vt excrementis ipsum excipiendis dicarit. MATHETES, Quæ est oculorum fabricatio?

OCVLORVM fabricatio.

GERON, Siti sunt in loco edito, tanquam in specula, vt hinc actionem suam commodiùs obire queant: ne autem extrinsecus iniuriis afficiantur, palpebris, ciliis, & osſibus circundatis muniuntur, figuram orbicularem sortiti, qualem aliorum animalium oculi non habent, sed vel obliquam, vel depressam. MATHETES, Quæ sunt eorum partes? GERON, Quinq; musculi, membranæ sex, tres humores, nerui, venæ, arteriæ, glandulæ, & copiosa pinguetudo. MATHETES, Vnde musculi oriuntur, & quales existunt, quidq; singuli agunt? GERON, A sphenoidis commissura, duraq; cerebri membrana: figura autem oblongi sunt, fibrisq; rectis præditi: vnde tendinea membrana efficitur, quæ in corneam post iridem desinit. MATHETES, Quid musculi per se agunt?

Oculorum partes quæ.

Musculi oculorum vnde oriantur, quidq; illorum sit officium.

GERON, Oculos trahunt, vel ſurſum, vel deorſum, vel in latera. At ſi eodem tempore in actione coëant, tunc oculum ſiſtunt: vbi verò non ſimul eodemq́ tempore, ſed paulatim operantur, quatuor prædictis muſculis oculus in gyrum vertitur, vt etiam in quatuor muſculis iuncturæ, qua manus cum brachio committitur, videre licet. Hinc itaq́ fit, vt à muſculis motoribus, diuerſo modo agentibus, varij motus edantur. MATHETES, Quidnam quintus muſculus agit? GERON, Oculi dimidium, & amplius amplectitur ſitu tranſuerſo. hic, inquam, non modò oculum attollit, ſed etiam ſiſtit, & in gyrum conuertit, nec non in ſua ſede immotum continet, ne huc atq́ illuc temerè flectatur. MATHET. Qui nerui in hos muſculos diſtribuuntur? GERON, Secundum illorum coniugium ipſis inſeritur. hoc autem animaduertendum,

Nerui qui muſculis oculorum diſtribuuntur.

copioſam pinguetudinem, inter muſculos, oculum, & neruum viſorium, quem Grȩci ὀπτικὸν vocant, ſitam eſſe, ne oculus continuo motu exiccetur, tabeſcatq́. MATHETES, Quæ aliæ partes oculis adſunt?

Glandulæ oculorum, earumq́ vſus.

GERON, Duæ glandulæ, quarum vna ſuperiùs, altera inferiùs exiſtit, per quas lacrymæ erumpunt, dum vel miſericordia afficimur, vel dum alios ad illam commouere, muliercularum callidarum more, conamur. quanquam etiam in hoc factæ fuerint, vt humectent oculos. MATHETES, Quȩnam ſunt ſex oculorum membranæ?

Oculorum membranæ.

GERON, Prima exterior eſt, pluribus nominibus appellata, nempe alba, annata, coniuncta, & adhærens, nimirum ideò, quòd tunicis alijs extrinſecus annaſcatur, ligetq́ totum oculum oſsibus ambientibus: tenuis eſt, & candida, à pericranio trahens originem. deſinit autem in maiorem iridis circulum, qui varijs coloribus præditus eſt. MATHETES, Vnde iſta oculorum frigiditas?

Oculorum frigiditas vnde.

GERON, Ex membrana, à folliculo ῥαγοειδὴς dicta, non ab humoribus, vt Ariſtoteles aſſerit, proficiſcens. MATHETES, In omnibúsne hominibus idem huius membranæ color exiſtit? GERON, Minimè. ſed in hoc nigrior, in illo magis albus, in alio cæruleus, ac varius apparet. MATHETES, Vnde nomen iridis in oculo profectum eſt?

Iridis nomen.

GERON, A cœleſtis iridis ſimilitudine: quod autem in oculi centro, nigrum puncti inſtar cernitur, PVPILLA nominatur, cuius beneficio videmus.

Pupilla.

quamuis autem nigra admodum appareat: tamen neq́ ipſa, neq́ aliud, quod eidem ſubſit, nigrum eſt, ſed pellucidum, perſpicuumq́. MATHETES, Quomodo ſecunda oculi membrana vocatur? GERON, Nomine caret: à nerueis autem muſculorum oculi tendinibus generatur, & ſuper annatam membranam prope iridem deſinit. MATHETES, Quo nomine tertia membrana nuncupatur?

Membrana cornea, eiusq́ officiū

GERON, A cornu figura græcè κερατοειδὴς, latinobarbaris cornea duraq́ dicitur,

citur. Eſt enim dura craſſaq;, eò quòd à craſsiori cerebri inuolucro gignatur: priore autem eius parte perſpicua eſt, cornuq; inſtar lucida tenuisq;, vt in qua tres humores, & totidem etiam membranæ contineantur: ea in regione iris & pupilla quoq; ſita eſt. MATHETES, Quid iſta membrana præſtat? GERON, Oculum ſiſtit, & neruum viſorium oculumq; inueſtit. MATHETES, Quo nomine quarta membrana appellatur? GERON, Ab vuæ grano, cui capulus ademptus ſit, græcè ῥαγοϊδὴς, recentioribus vuea, ex molli cerebri membrana perueniens, vnde etiam græcis χοροειδὴς, quaſi ſecundæ, appellata eſt, neruum primùm viſorium integit: deinde ſub cornea dilatatur, & ad priorem oculi ſedem, vſq; porrigitur: verùm non totum illum ambit, veluti cornea. vbi verò ad pupillæ ſedem peruenerit, quam ῥαγοϊδὴς effingit, verſus poſteriora reflectitur, & ad iridis initium procedit, ibidemq; duplex perficitur. atq; hęc à cornea, quouſq; perſpicua eſt, abſcedit, quamuis illi in alijs partibus admodum connectatur. MATHETES, Cur in hac membrana varij colores, putâ niger, puniceus, cæruleus, ruber, & in boue etiam viridis, & cyaneus cernitur? GERON, Vt oculi defeſsi, ea varietate recreentur. atq; hac de cauſa oculum claudimus, quo ſpiritus viſorij, ad tam varios colores conuerſi, refocillentur. MATHETES, Quod nomen habet quinta membrana, & qualis eſt? GERON, Græcè ἀμφιβληστροϊδὴς, à retis ſimilitudine, vnde nonnullis retina, ſiue reticularis vocatur, ex ipſomet viſorio neruo prodiens: quanquam verè non ſit membrana, ſed res mollis, & alba: quam ſi colligas, coniunctamq; ſpectes, cerebrum eſſe iudicabis. hæc penitius, quàm ῥαγοϊδὴς ſita eſt, & paulò vlteriùs, ad dimidium vſq; oculum, progreditur. MATHET. Qualis eſt ſexta membrana? GERON, Telæ araneæ modo tenuis: vnde etiam græcis ἀραχνοειδὴς dicta. oritur autem & ipſa, ex molli cerebri tegumento, admodum ſubtilis, & ſplendida, illis pelliculis ſimilis, quę in cęparum interuallis, conſpiciuntur. MATHETES, Quis eius vſus eſt? GERON, Vt humorem vitreum, & cryſtallinum complectatur. atq; vnica, non duplex eſt, vt Galenus & alij opinantur. MATHETES, Quot ſunt humores in oculis? GERON, Tres. primus ob aquæ ſimilitudinem, Græcis ὑδατοειδὴς, quaſi aqueus: alijs etiam albugineus dicitur, priori in parte, inter membranam ragoïdem, & corneam ſitus, vbi duplex, & inuerſa redditur. Humor iſte modicus admodum eſt, in quo ſuffuſiones fiunt, quas cataractas recentiores vocant. eſt autem nihil aliud quàm excrementum, quod interdum prorſus ob vulnera effunditur, & ſpatio temporis iterum naſcitur, vt idem oculus, ex quo prodierit, cernere poſsit. Secundus græcè κρυσταλλοϊδὴς, quaſi cry-

Membrana vuea

Colores varij in membrana cornea.

Membrana reticularis.

Membrana Arachnoides, eiusq; vſus.

Humores in oculis quot exiſtant.

Aqueus, ſiue albugineus.

Cryſtalloidis.

stallo similis nuncupatur, eò quòd ita splendeat, vt lumine & perspicuitate crystallum referat. consistit priore oculi parte, in centro ipsius propemodum, eumq; humor vitreus posteriori parte amplectitur, nullaq; inter ipsos membrana intercedit: antea tamen à membrana arachnoidi obtegitur: rotundam planè figuram haberet, nisi priori parte, lentis modo depressior esset, qua humorem aqueum spectat: natura duriusculus. Quòd si eum è sede sua ademptum, scriptis characteribus admoueas, hi maiores esse videbuntur, faciliusq; conspicientur, vnde specilla inuenta esse putantur. MATHETES, Quis vsus humoris crystalloidis existit? GERON, Magnus, atq; insignis. nam princeps, fereq; summum visus instrumentum censetur: vnde etiam idolum, & simulacrum visus, meritò Galenus appellat. MATHETES, Qualis tertius oculi humor est? GERON, Vitro mediocriter fuso, solutoq; similis, vnde etiam græcis ὑαλοειδής, dicitur. situs eius est posteriori in parte oculi caua: sic tamen, vt etiam amplam prioris portionem occupet, hoc est, vt ex quatuor oculi partibus, tres obtineat. MATHET. Quare humor iste in medio cauus factus est? GERON, Quia ibi crystalloidi cedere cogitur, ipseq; splendidissimus, & visui iucundus existit. Is etiam simul cum crystalloide membrana, arachnoidi obtegitur, & reticularem vicinam habet, à qua ipse alitur, alitq; crystalloidem. Quare cùm vitreus humor, crystalloidis pręclari, alimentum protinus futurum sit, meritò etiam pellucet, & inter nutriendum aquosus humor nascitur, non tam copiosus, quàm vitreus. MATHETES. Quæ partes oculi, præter iam dictas, in illo reperiuntur? GERON, Complures venæ & arteriæ, per musculos pinguetudinemq;, & mẽbranas ceratoidem, & ragoidem dispersæ. MATHETES, Quo pacto me geram, vt omnia rectè in conspectum mihi veniant? GERON, Cutem superciliorum, à cilio vsque aufferto, & os ambiens, superiùs figura triangula excindito, neruumq; visorium, cum musculo ambiente præscindito, oculumq; caluaria eximito, tunicæ adnatæ reliquijs abstrahens, & oculi basim ministro tenendam dato: ipse autem, musculos separato, capitaq; eorum liberato, quibus neruo visorio, qua oculo innascitur, incumbunt. deinde leuiter secando, ad oculi iridem accedito, in quam illi rectè delati, neruosis tendinibus finiunt. erasis musculis, oculus vndiq; rotundus apparet, ceratoidi tunica vestitus, quam iuxta iridem, recta linea in longum scalpello acutiore, vnóque ictu secato: deinde humores effluentes, sinistra vola excipito: hac modicè inclinata, tenuis emanat: atq; hoc excreto crystalloides vitro i[illegible]natans, medius apparet. abiectis humoribus, tunicas ex quibus [illegible]ciderunt; super sinistrum pollicem inuertito, ac

Crystalloidis humoris vsus.

Vitreus siue hyaloides, in medio cauus.

Venæ & arteriæ oculorum complures.

Administratio sectionis.

statim

ſtatim reticularis, viſui ſe offert, mox ragoides, in qua pupillæ foramen exiſtit, ea eſt ceratoidi in iride orbiculatim, firmiter annexa. MATHETES, Quot, & vbi odoratus inſtrumenta conſiſtunt?

ODORATVS inſtrumenta.

GERON, Duo, eaq; circa prioris cerebri baſim inueniuntur, alijs proceſſus mamillares dicuntur, oblongi, tenui, mollíq; duntaxat membrana inuoluti. MATHETES, Per quam regionem feruntur? GERON, Per eam, quæ cerebrum, os ſphenoides, & frontis intercedit, ſupráq; ipſam membranam duram, ſita eſt. MATHETES, Quis odoratus inſtrumentorum vſus? GERON, Vt odores bonos à malis diſtinguamus. Deſinunt autem illa ad naſum, membrum nulli non cognitum, quod etiam odoratui inſeruit: ſiquidem eo aſtricto, per os inſpirantes, nullum odorem percipimus: adaperto autem, ſtatim de illo iudicamus. Extremæ naſi partes, latinis ſcriptoribus NARES, barbaris pinulæ, ſeu alæ dicuntur, ex paruis muſculis conflati. ſingulę habent vtrinq; foramen, quæ in medio ſeptum cartilagineum intercipit. Tunica nares intus ambit exanguis: membrana craſsior, ei continua, quæ os, linguam, pharyngem, laryngem, aſperam arteriam, & ſtomachum integit. MATHETES, Quid de auditus inſtrumento dicis?

Nares quæ partes dicantur.

AVDITVS inſtrumenta.

GERON, Nihil aliud, quàm quòd membranula quædam ſit, ad quam etiam quintum neruorum coniugium, per foramen, ex cerebro perueniat, vt nuper in oſsium hiſtoria expoſitum eſt. Vbi autem foramen illud forâs prodire incipit, vtrinq;, cartilaginoſum natura euadit, ac AVRES vocantur, in temporum extremis ſitæ, vt cerebrum eis vicinum, ab externis iniurijs tueantur: extrinſecus autem gibbæ & cauæ, ne quid in meatum incidat, neq; prompte afficiantur: ſinubus multis anfractuoſæ: eoq; cæca earum foramina dicuntur. ſub his, particula pinguis appenſa, inferior auricula ſiue fibra, ſuperior pinna vocatur. MATHETES, Quænam propria guſtus, & tactus inſtrumenta eſſe dicis?

Aures.

GVSTVS & TACTVS inſtrumenta.

GERON, Non tibi alia adferre poſſum, quàm neruos, ad ſaporem quidem percipiendum linguæ inſertos: ad tactus autem ſenſum præſtandum, omnes per totum corpus diſperſos, inſeruire. Habes nunc omnes ſingulares totius humanæ fabricæ partes explicatas. Superſunt quædam communes, quibus reliquæ propemodum vniuerſæ conſeruantur, reguntur, & actiones ſuas obeunt: quæ licet in ſingularibus enumeratis obiter etiam ſint attactæ: tamen ſi abſolutam ipſarum cognitionem habere cupis, cras eas tibi enumerabo, ſi recens cadauer conſequi poterimus. MATHETES, Ego dabo operam, vt conſequamur, nam magna hic ſuppetit copia.

GERON, Nerui ex cerebri baſi, prope tert[illegible]m ventriculum

NERVI

oriuntur,ſic vt dextri dextrorſum, ſiniſtri ſiniſtrorſum, & variè per totum corpus,ſicut riuuli per agros,deferantur,tenui & craſſa membrana induti,vt ſint tutiores: figura prædití oblonga, rotunda,& molli,rara,& ſpongioſa,vt animales ſpiritus ipſi inſinuari poſsint.nam per hos ſentiendi, mouendiq; facultatem toti corpori,diſtribuunt.Quotieſcunq; igitur partes,neruis carent,ſenſu quoq; deſtituuntur. MATHET. Quotnam ſunt in cerebro nerui? GERON, Omnes anatomici,ſeptem eorum paria ſiue coniugia, aut ſi malis dicere quatuordecim,hoc eſt, dextra & ſiniſtra parte, ſingulos ſeptenarios eſſe conſtituunt.

Neruorum ſeptem paria exiſtunt.

Primum par neruorum.

Primi duo craſsi & molles, ſpongioſiq; exiſtunt. Etſi verò nullus meatus euidens,in eis appareat:tamen tranſitus ſpiritibus, præſertim purioribus, in illis patet. nam videndi facultatem ad oculos transferunt, vnde Græcis ὀπτικοὶ dicuntur. MATHETES, Qua cerebri parte potiſsimùm oriuntur? GERON, Non procul à priore, & ſupra ſphenoidis ſinum ambo vniuntur, non crucis inſtar, vt in auibus. Vbi verò aliquandiu iuncti permanſerint, rurſus ſeparantur,& dexter ad dextrum,ſiniſter ad ſiniſtrum oculum defertur. vnde fit, vt altero clauſo oculo, totus ſpiritus per communem meatum ad alterum perueniat. ambo inquam, ab origine ſua, vſq; ad foramen in oculi orbita ſitum, per quod prætereunt, tenui tantùm membrana inuoluuntur. Inde ad oculum vſq;,ad quem deſinunt,retinamq; dictam membranam efficiunt, tum hac tum dura membrana,inueſtiuntur.

Nerui optici.

Secundum par neruorum.

Secundum par neruorum, primo proximum, ad quinque oculorum muſculos, & ad duos palpebrarum proprijs foraminibus, & per retinam orbitæ fertur. huius coniugij ramuli,in temporum muſculos, præterquàm in alios, inſeruntur. Magna eſt oculi temporaliſq; muſculi conſenſio, vt hoc læſo, ille quoq; offendatur,& contrà.

Tertium par neruorum.

Tertium par retrò, magis verſus latera, duplici principio oritur: ſed hoc maiore, illo minore, caluariamq; penetrat, deorſum deſcendens per foramen, quod cum quarto coniugio commune habet,& in varios ramos partitur: qui deinde in varias ſoboles propagantur.Primus inquam ramus, ad muſculũ temporum tendit: alter ad oculi orbitam, per ſupercilium ad frontem vergit:nec non ad muſculos: hunc qui palpebras conſtringit:illum qui naſum dilatat: deinde ad ipſum quoq; reptat, & innumeros propemodum ſurculos,procreat. Alius per eandem quidem orbitam, ſed inferiùs per tertium os malarum tranſit, perq; illud foramen, quod ad mediam regionem ſitum eſt, atq; ibi in complures neruulos partitur,qui per labrum ſuperius,& muſculum

lum

lum maſſetera,& eos qui buccę dicati ſunt, diſſeminantur: portio illorum naſi etiam ſinum ingreditur. Alius ad ſuperiorum dentium radicem: alius ad maxillam tendit. atq; huius ſurculi propago inferioribus quoq; dentibus diſtribuitur: reliqua pars, foramen illius elabens, prope mentum, labris in ea regione ſitis, & dentium radicibus ſenſus gratia communicatur.

Quartum neruorum coniugium.

Quartum par tertio minus eſt, & huic adeò propinquum, vt idem foramen ambo commune habeant, & illius origo huius portio eſſe videatur. deſcendit verſus os, & in quatuor ſurculos diuiditur, qui quintum malarum os tranſeuntes, per palati tunicam, verſus priorem regionem procedunt. adhæc duo alij ramuli iuxta tonſillas, quas Græci παρίσθμια appellant, & ſtyloidem proceſſum ad linguæ radicem deſcendunt, & per ſuperiorem ipſius tunicam diſtribuuntur. MATHETES, Quis huius quarti paris vſus eſt? GERON, Vt guſtandi facultatem linguæ præbeat. quamuis Galenus, & alij hoc muneris tertio coniugio tribuerint: fortè, quòd hoc, & quartum, nimis vicina inuicem exiſtant.

Vſus quarti paris

Quintum neruorum par.

Quintum coniugium etiam circa baſim cerebri, & latera ad mediam ferè eius regionem exoritur, meatumq; auditorium, & tertium foramen labyrinthumq;, in oſſe temporum ingreditur. cùm autem ad mediam labyrinthi, qui in aures ipſas deſinit, partem peruenerit, craſsius redditur, & ferè membranoſum. Ex hoc quinto duo neruuli partim in oſsiculum auris, femori ſimile, partim in labyrinthum diſperguntur.

Sextum.

Sextum par iuxta poſteriora baſis cerebri, & retrò magis apparet, varijs ſurculis, & radicibus donatum: per illud autem foramen deſcendit, quod occipitio, atq; oſsi temporum interiacet, nempe vbi iugularis vena interior ad caluariam aſcendit. Hoc coniugium omnibus viſceribus interaneiſq;, ſolius ſenſus gratia communicatur. vbi iam dexter neruus ſexti paris, ab eo loco quem dixi, egreſſus eſt, propagines quaſdam hyoidis, & laryngis muſculis diſpenſat: deinde inter venam iugularem, atque arteriam carotidem, prope aſperam arteriam, ad iugulum vſque deſcendit. qua in regione neruulus ſub alari arteria dextra mittitur, verſuſq; caput reflectitur, & aſperæ arteriæ adhæret, & in laryngis ſinum ſe inſerit, tandemq; ligulæ, ſeu paruæ rimæ, quam γλωττίδα vocaui, inſinuatur. Sub iuguli regione propaginem exilem, tum ad membranam coſtas cingentem, tum ad radices illarum diſtribuit: aliam rurſus pulmoni dextro tranſmittit, reliquū eius deſcendit, ita vt ſtomacho vſq; ad ſuperius ventriculi os, adhæreſcat. MATHETES, Quomodo ſiniſter neru[illegible] recurrens diuiditur? GERON, Cùm à prima ſua origine pro[illegible]it, ramulos eiſ-

Propagines ſexti coniugij.

Neruus recurrēs quomodo diuidatur.

dem musculis impartit, quibus dexter, eademq; via descendit, & in sinistri iuguli regione propagines costarum tunicæ, illarumq; radicibus, & pulmoni sinistro distribuit: postea descendit adhuc, donec ramum maiorem arteriæ ἀορτῆς propemodum attingat. Hoc loco neruum edit, qui sub hac arteria reflectitur, & rursus sursum, versus originem suam reuertitur, asperæ arteriæ adhærens: nec non inter os ἀνώνυμον, & ea quæ scutum referunt, sub inferiore laryngis regione procedit, & in glottidem ingreditur. MATHETES, Non satis intelligo, quare sexti huius paris nerui, recurrentes appellentur? GERON, Quia per ceruicem in pectus vsque descendentes, iterum per ceruicem eandem, ad gutturis cartilagines reuertuntur: ac præcipua sunt vocis instrumenta. Nam si illi incidantur, aut contundantur, aut laqueo distringantur, vox animalis prorsus aboletur. Quapropter si pectus, pulmo, aspera arteria, musculi, qui guttur tum aperiunt, tum claudunt, laryngis operculũ, glottis seu rima, & communis gutturis & stomachi membrana, spirationis & vocis sunt officinæ, certe nerui recurrentes, illorum præcipui sunt autores: id quod in viuorum animaliũ incisione manifestum redditur. nam si alterum neruum ex his præcidas, semiuocalia redduntur: si vtrunq;, prorsus obmutescere coguntur. MATHETES, Nulláne soboles ex sinistro neruo recurrente exoritur? GERON, Paruula, radices magnæ arteriæ sequitur, & per cordis tunicam dispergitur: quia verò admodum exilis est, minimè penetrat cor ipsum. atq; hac de causa sinister neruus recurrens, sub magna arteria, non alari reflectitur, ne scilicet, neruus iste adeò tenuis, atq; exiguus, in continuis cordis motibus, dum animal spirat, disrumpatur. MATHETES. Quò reliquiæ huius nerui recurrentis tendunt? GERON, Descendentes stomacho ad superius ventriculi os vsq; adhærescunt: quamprimùm autem tum dexter, tum sinister eò peruenerint, in multos surculos retis instar propagantur, & os illud amplexantur, cuius rei gratia tam acri sensu prȩditum est, vt in oris ventriculi doloribus, cor ipsum dolere videatur. Adhæc neruus ille dexter, hinc ad membranam iecur inuestientem pergit, atq; ei sobolem immittit: aliam quoq; bilis vesiculæ: aliam inferiùs sinistro reni: aliam superiori omenti parti: alias quoq; mesenterio impartit. similiter sinister recurrens, ramulum ad lienem sinistrum, & ad vesicam, in fœminis ad vterum transmittit.

Nerui sexti paris cur recurrentes appellentur.

Spirationis & vocis officinæ quæ.

Cur sinister neruus recurrẽs sub magna arteria reflectatur.

In oris ventriculi dolore, cur cor dolere dicatur.

Septimum neruorum coniugiũ.

Septimum par versus occiput ortum habet, eumq; à cerebro potiùs, quàm à cerebello, idq; varijs & exiguis radicibus: proprio foramine obliquo in occipitio donatum est. postquàm verò caluariam egressum est, primùm versus priorem partem tendit: deinde

deinde in complures ramulos, ad linguæ, hyoïdisq́ & laryngis muſculos procedentes, ſcinditur: quorum maximus ſub maxilla & lingua, vſq́ ad eius extremum propagatur, vt illud ſenſus omnino & motus participem efficiat, ſicut quartum par, vt dixi, guſtandi ſenſum, priuatim illi communicat. Quippe inter reliqua linguæ officia ſumma eſt ſaporum diſcretio. atq́ iam habes omnia ſeptem cerebri neruorum paria. Sunt autem, qui duo adhuc coniugia his addunt, nempe octauum & nonum. MATHETES, Vnde origo ipſorum procedit? GERON, A quinto coniugio diſtat. illud ſub baſi cerebri, verſus priorem partem incedere aiunt, & proprio foramine in ſphenoide ſito, ad temporum muſculum, latitantemq́ & manſorium, ſiue maſſetera tranſire: hoc exiliũ par neruorum, ex binis illis proceſsibus, quos nates appellaui, oriri, faciem accedere, tranſireq́ apud tertium & ſecundum coniugium, & tertio palpebræ muſculo inſeri: quanquam ſoboles huius ad quintum oculi muſculum deferatur. Alij hæc non vera neruorum paria, ſed priorum radices eſſe iudicant: quidquid autem ſint, negligi non debent. MATHETES, Differunt ne inuicem origine vtriq́ nerui, tum qui ſenſum, tum qui motum membris deferunt? GERON, Omnes motorij, duriq́ ſimiliter, vt ſecundum tertiumq́ coniugium, ex priore cerebri parte oriuntur: quanquam Galenus molles priore ex parte, duros ex poſteriore prodire affirmet. MATHETES, Quinam ſenſum propriè, qui verò motum deferunt? GERON, Viſorij, quos Græci ὀπτικοὺς appellant, ſenſum tantùm adferunt: reliqui omnes tum ſenſum, tum motum partibus inducunt. MATHETES, Ex qua parte medulla ſpinæ primum neruorum par emittit?

Nerui tum qui ſenſum, tum qui motum deferũt, quomodo inuicem differant.

NERVI MEDVLLÆ ſpinæ.

GERON, Ex poſteriore inter occipitium, primamq́ vertebram: quod vt commodiùs fiat, exiguus adeſt ſinus, cui illud tam occultè inſeritur, vt mirabile videatur naturalium rerum ſtudioſo, quo pacto exeat, ne in motibus capitis offendatur. MATHETES, Quomodo egreſſa caluariam, diſpargitur? GERON, In perexiguas propagines, quæ paruulis illis muſculis capiti inſeruientibus, communicantur.

Primum par medullæ ſpinæ.

Secundum.

Secundum neruorum medullæ coniugium, binis inſignitur principijs, cùm vertebrarum latera egredi nequeat. Ex quibus maius poſteriora verſus emanans, hinc atq́ illinc per ſecundæ vertebræ latera fertur: egreſſum iam, in complures ramulos ſcinditur, qui ſurſum reflexi, tum capitis cutem, tum aures, tum muſculos nonnullos accedunt. Minus ſiue alterum ipſius principium, per priora inter primam ſecundamq́ vertebram, à dentis ſuperiùs dicti lateribus egreditur. hoc autem ad [illegible]ntum muſcu-

lum, laryngi atq; ſtomacho communem, diſtribuitur.

Tertium. Tertium par per commune ſecundæ & tertiæ vertebræ forame, nex earum lateribus egreditur, & primùm quatuor ſoboles edit: mox alias plurimas, tum quibuſdam capitis muſculis, tum quadrangulo illi oblongo, qui ex carnoſa membrana profectus eſt, & labrum obliquè deorſum trahit, tum cuti ceruicis impartit communicatq;.

Quartum. Quartum coniugium inter tertiam quartamq; vertebram, per foramen vtriſq; commune exit: idq; de omnibus neruis intelligendum eſt, nempe quòd per foramen duabus vertebris commune, egrediantur. At vbi quartum illud par exierit, in multas propagines ſcinditur, quarum aliæ aſcendunt deſcenduntq;: aliȩ per poſteriorem regionem reflectuntur: aliæ exiles, muſculis ceruicis, & ei quem cucullarem vocant, tranſmittuntur. priore parte quædam ſoboles, muſculis ſtomacho ſubſtratis, inſeruntur: vna ex his valde exilis, quinti paris ramo conſociatur, & quintus ſexti. Ex his tribus principijs, ij nerui conflantur, qui ad ſeptum tranſuerſum tendunt, & ad membranam intermediam, vulgo mediaſtinum dictam, ſupraq; pericardium deſcendunt.

Quintum. Quintum coniugium inter quartam & quintam vertebram exit, ſecaturq; in multos ſurculos tum priores, tum poſteriores. prior magis quàm cæteri conſpicuus, quarti paris ramo coniungitur, & in quibuſdam propaginem à ſubſequentibus recipit: atq; ita ex tribus conflatus, iuxta ſtomachi latus per ceruicis vertebras priores, ad neruoſam vſq; ſepti tranſuerſi regionem deſcendit, ibiq; deſinit. in quibuſdam verò ex quarto coniugio trahit originem, ſed rariùs quàm à primo. ſtatim autem vbi ad thoracis ſinum peruenit, membranis ſuperiùs & infrà colligatur, ne ob aſſiduos pulmonum motus diſrumpatur, & pericardium ſuperat, habetq; venam comitem. Reliqua eius portio, varijs modis diſtribuitur, vt quæ ramum vena & arteria comitante, per medium illud foramen, quod in poſterioribus ſcapulis ſitum eſt, tranſmittat: atq; ibi muſculis è ſcapulis ortis, & humerarijs diſpergatur. Alius neruorum ramulus, per ceruicis latera ad ſuperiorem humerum, & muſculum cucullarem diſpenſatur: alij ad humeros: alij ad quadratum muſculum, qui labra obliquè deorſum trahit, & ad quartum hyoidi oſſi dicatum, pergunt: alij ſurculi ſcapularum ſinui immittuntur: vbi muſculo in hoc latitanti, & ſecundo thoracis, ſitoq; ad cutem, diſſeminantur. Sunt qui hoc quintum par, brachiorum proprijs muſculis ideo annumerant, quòd ijs qui humero ſeruiunt diſtribuatur. MATHETES, Quot, & quinam ſunt manus nerui peculiares?

GERON.

NERVI manus quot & qui existant.

GERON, Decem, hoc est, quinque eorum paria, nempe tria ad extremos digitos, duo ad summam vsque manum. MATHETES, Cur natura tot neruos manui exhibuit? GERON, Vt acriorem inde sensum acciperet. MATHETES, Vnde ducunt originem? GERON, Ex spinæ medulla, & prima thoracis vertebra, exeuntque per communia ceruicis vertebrarum subsequentium foramina. postquàm verò egressa fuerint, sic inuicem vniuntur, vt ea vel exercitatissimus in consectionibus, vix discernere possit: quamuis postea separentur. MATHETES, Quo itinere hæc quinque neruorum coniugia incedunt? GERON, Eodem sub iugulo internoque eius processu, vbi etiam vena iecoraria, vulgo basilica dicta, & arteria alaris, ipsis associatæ sunt, eoque vulnera hoc loco facta, periculosa existunt. MATHETES, Singulorum propagationem explices.

Primum coniugium neruorum manus.

GERON, Primum coniugium, quod inter quintam & sextam vertebram ferri dixi, postquàm ad alarum sinum venerit, propaginem quandam ad primum thoracis musculum, aliam ad secundum scapularum, aliam quoque ad cubiti primum, & secundum musculum, à quibus flectitur, transmittit: deinde communi venę, sub primo musculo bicipiti, post cubiti flexuram consociatur, & simul cum illa ad summam manum porrigitur: surculos varijs locis ad cutem ipsam dispergit.

Secundum neruorum manus coniugium.

Secundum per eandem viam, qua primum transit: tres soboles humeri musculis impertit: quarum vna per id scapularum foramen, quod sub alis latet, egreditur, & variè initio distribuitur: mox ad flexuram vsque rectà tendit, sic vt priore humeri parte inter cubitum, & radium transeat: in flexura autem, quarto, quinto, et sexto musculo surculos, à quibus omnes quinque digiti in totum flectuntur, communicat. Postquâm radij medium transierit, ramum insignem altiùs emittit: hic ligamento, quod inter cubitum radiumque situm est, adhærens, quadrato tandem musculo inseritur, qui manum in pronum ducit: quanquam alij aliter sentiant. Amplior huius nerui portio, vbi inferiùs descendit, sub interiore. quà manus cum brachio iungitur, ligamento transit, atque ibi propagines musculis pollicis mittit: alias ad quosdam, oblongos dictos, & à quinti tendinibus exorientes: alias prætereà illis largitur musculis, qui post iuncturam manus cum brachio enati, primos digitorum articulos flectunt: deinde quinque, interdum septem, vt plurimùm, neruulos, manus volę distribuit. Ex his quinque duo per latera pollicis, ad ipsius extremum vsque propagantur, sic vt interdum soboles ex illis ad cutem dissеminentur: alij duo ad indicem, vel ad eius terminum vsque potius excurrunt, cutique surculos per interualla submittunt. quintus per interiorem medij digiti regionem incedit. In omnibus autem vola

manus, ſeptem neruis prædita eſt, vt nonnunquam fieri ſolet, ſextus per externam medij digiti partem, ſeptimus per interiorem auricularis digiti procedit. MATHETES, Per quem locum fertur tertium manus neruorum coniugium? GERON, Per eundem iuxta interiorem humerum, cubitumq; inferiorem: deinde ſupra articulum inter cubiti flexum, interiúſque humeri tuberculum, vbi propagines edit, quæ per muſculum priorem, vnde fit tendo, diſpergitur: nec non ad ſecundum, & tertium iuncturæ manus cum brachio tendit: mox iuxta cubiti longitudinem interiorem procedit. poſtquàm huius dimidium amplius prætererit, in duos ramos impares diuiditur: quorum hic introrſum, alter extrorſum fertur. Interior ſub interiore manus cum brachio iunctæ ligamento incedit, ſobolesq; ad primum muſculum, qui latum tendinem dilatat, mittit: nec non ad ſextum, qui minimum digitum ab alijs deducit: nonnullas etiam alijs diſtribuit muſculis, qui digitos extendunt, & à tendinibus quinti muſculi, tertium digitorum articulum flectentis, oriuntur. præterea mittit alias propagines ad reliquos muſculos primum internodium flectentes, adhæreſcentesq; oſsibus palmę, Græci μετακάρπιον dicunt. poſt iſtas, in tres ſurculos, aliquando in quinq; diuiditur, qui in extremos digitos deſinunt, per latera auricularis & anularis delati. quamuis in nonnullis ad medij digiti mediam regionem conſiſtat. quin etiam ramulos cuti, & volæ ipſi impartit. vnde interior manus pars adeò acri, & accurato ſenſu eſt prædita. MATHETES, De maiore ramo dixiſti: qua via minor pergit? GERON, Per interiora illius, & ſupra iuncturam, quà manus brachio iuncta eſt, reflectitur, atq; in tres, vel quinq; interdum ſcinditur, idq; per ſuperiorem palmæ, & lateralem auricularis & anularis, medijq; digiti mediam regionem, ad quorum extrema terminantur, ſicut de interioribus dictum eſt. hoc autem intercedit diſcriminis, quòd interiores exterioribus multò ſint maiores: quia hi faciliùs ab illis offendi poſſent. MATHETES, Quid de quarto neruorum manus coniugio dicis? GERON, Omnium qui in manu cernuntur, maximum exiſtit, ſimiliq; via & itinere, vt alij, exit: vbi verò ad humeri dimidium peruenerit, ad exteriorem, ſuperioremq; illius ſedem reflectitur. atq; huius exiles ſurculi, ad duos cubitum flectentes muſculos, nec non ad alios exteriores, & ad humeri, cubitiq; cutim excurrunt. Adhæc quartum iſtud neruorum par, inter alios muſculos delitéſcit, & per cubitum, radiumq; tranſiens, ramulos illis quoq; muſculis tranſmittit, qui è medio cubito prognati, pollici inſeruiunt. Poſtquàm ad iuncturam manus & brachij peruenerit, ſtatim quaſi caudex in quinq; propagines ſcinditur: ſic vt

Tertium neruorum manus coniugium.

Interior manus pars, cur acri ſenſu prædita.

Quartum neruorum manus coniugium.

bini

bini ad pollicem, & totidem ad indicem relegentur: quintus autem ad medij digiti extremum, vt alij, faceſcit. At ex illis, qui pollicem accedunt, exigui ramuli ad muſculum, inter pollicem, & indicem ſitum, pullulant. Poſtremò plures ſoboles ad extremos cubiti muſculos, diſtribuuntur. MATHETES, Quale quintum eſt neruorum manus coniugium? GERON, Tenue admodum, vt quod ramulos ad humeri, cubitiq́ cutem mittat, ſenſilemq́ reddat: adhęc ſurculos ſub alam diſtribuit. reliqua eius portio comitatur venam, vulgò baſilicam dictam: cum qua ideo hîc idem neruus deducitur, qui varias propagines per cutem ipſam diſtribuit, & tandem in ſumma manu deſinit. MATHETES, Aliæné ex hoc quinto neruo ſoboles prodeunt? GERON, Ita. quædam enim ad ſeptimum capitis muſculum: quædam ad primum, & quartum hyoïdis: quædam ad primum, & ſecundum thoracis mittuntur: aliæ ad ſeptimum humeri: aliæ ad binos ceruicis muſculos, qui ad latus propagantur. atq́ hæc eſt regio, vnde ramuli ad carneam oculorum membranam, deinde ad ceruicis cutem deferuntur. At non in omnibus hominibus eadem eſt exilium neruorum manus propagatio: quanquam magni illorum trunci, & caudices rarò varient. MATHETES, Quomodo igitur diſſeminantur? GERON, In his per medium muſculum, in illis per latera: vnde in vulneratis alijs ſenſus quandoq́ amittitur, motus autem manet integer: in alijs rurſus motus aboletur, ſenſus autem remanet. Etenim nerui ad cutem deſinentes, ſenſum duntaxat adferunt, eò quòd illa motu careat: muſculis autē dicati, tum ſenſum, tum motum ſuppeditant. hinc cutis, ſi nerui violentur, aut materia acri infeſtentur, id tunc non ſentit. MATHETES, Cur obſecro? GERON, Quia dum cutis attingitur, ipſius tantùm ſenſus nobis occurrit. neq́ enim muſculi extant in ſuperficie. Sin autem horum nerui offendantur, ijs qui in cutem feruntur ſaluis, motus quidem aboletur, ſenſus autem remanet. Si verò vtriq́ lædantur, & ſenſus, & motus perit, ſic vt neruus prius offendatur, quàm muſculus in ea parte, quę retrahi contrahiq́ poſsit: ob quod vniri & coaleſcere prorſus nequeat. nam ſi neruus, vbi iam muſculum ingreſſus eſt, oblędatur, vniri poterit, & ſenſus motusq́ redibunt. MATHETES, Manus neruorum hiſtoriam diligenter, & compendioſè es perſecutus, dic nunc quales, & quot ſint thoracis, quomodoq́ propagentur.

Quintum neruorum manus coniugium.

Senſus cur quandoq́ amittatur, motus autem maneat: rurſus cur motus aboleatur, ſenſus verò remaneat.

Cutis ſi nerui violentur, cur non ſentiat.

GERON, Thoracis longę exiliores ſunt, quàm manus, ijq́ vndecim numero. quamuis autem vertebræ duodecim exiſtant, tamen foramina vndecim habent, totidemq́ coſtarum ſpatia. MATHETES, Vnde hi nerui oriuntur? GERON, Etiam ex me-

NERVI thoracis.

dulla ſpinæ: prodeunt autem è foraminibus vertebrarum, & thoracis communibus, ac poſt exitum diuiduntur bifariàm, ſed non æqualiter: ſiquidem vnus maior, alter minor exiſtit: nec non hic priora, ille poſteriora verſus reflectitur. MATHETES, Per quam regionem priores nerui procedunt? GERON, Per inferiorem coſtarum partem, vbi ſinus ille ad longitudinem ipſorum extenſus apparet, qui neruorum, venæq; ſolitariȩ, quæ Græcis ἄζυγος dicitur, & magnȩ arteriæ ſingulos ramos ſimul repentes, ſuſcipit. atq; hi tres per eandem ſedem tranſeunt, ſic vt à vertebris ad pectoris os vſq;, tanquam lineæ æquidiſtantes, ſub membrana ſuccingente, prope muſculos intercoſtales incedant, quibus tum externis, tum internis numero ſexaginta, propagines diſtribuunt. MATHETES, Quȩ aliȩ præter has, ſoboles illarum exiſtunt? GERON, Quȩ ſexto thoracis muſculo, in interiore eius regione poſito, prioremq; conſtringenti, ſenſum adferunt: adhæc, quæ à ſuperioribus, per primum humeri muſculum: item, quæ per ſecundum ſcapularum: nec non, quæ ad mamillas, earumq; papillas deferuntur, ex illis prognatæ, quæ ordine conſequuntur. deinde quædam deorſum magis, à ramis in media thoracis regione ſitis, prodeunt: quæ obliquis abdominis muſculis deſcendentibus, admodum copioſæ inſeruntur. A poſtremis autem thoracis neruis, *alij* ramuli, in carneam ſepti tranſuerſi partem, diſpenſantur: *reliquæ* priorum neruorum tum ad thoracis, tum ad *abdominis* cutem diſtribuuntur. præterea ſurculi muſculis ſtomacho ſubiectis, coſtarumq; radicibus mittuntur, & ſextum neruorum cerebri par, ſimul cum illis implicatur. MATHETES, Quorſum altera thoracis neruorum partitio tendit? GERON, Ad poſteriora ipſius reflectitur, & è ſuperioribus enati nerui, ſenſum primis, ſecundiſq; capitis muſculis: nec non ceruici dicatis, & quinto ſextoq; humerum circumagenti: item primo & quarto ſcapularum, tertio thoracis, ſcapularumq; cuti, deferunt. Iam alij ad dorſi muſculos, ad quartum thoracis, & cutem dorſi, diſperguntur. MATHETES, Hæcné ſuperficiaria cutis neruorum diſtributio, in omnibus eſt æqualis? GERON, Nequaquam. aliâs enim trunci neruorum in plures ramos: aliâs in pauciores: nunc elatiùs, nunc demiſsiùs explicantur. MATHET. Adde nunc reliquarũ partium vicinarum neruos.

NERVI lumborum.

GERON, Proxima thoraci lumborum eſt regio, cuius nerui maiores, quâm illius exiſtunt. MATHETES, Quot autem paria neruorum, in lumbis reperiuntur? GERON, Quinq;, licet quatuor tantùm foramina in vertebris deprehendantur. MATHET. Cur hoc accidit? nam meo iudicio quatuor duntaxat eſſe deberent. GERON, Quia primum coniugium inter extremas thoracis vertebras,

Neruorum in lumbis cur quinque exiſtant.

tebras,& primam lumborum incedit. cum autem ab vltima costa recedat, inter lumborum potiùs, quàm thoracis neruos annumerandum censeo. non dico quòd ventri inferiori magis, quàm thoraci inseruiant. MATHETES, Quo itinere, lumborum nerui procedunt? GERON, Primum coniugium per foramen illud commune, inter duodecimam thoracis vertebram,& lumborum primam situm, sub peritonæo egreditur, admodum tenue: deinde in ramos duos scinditur inæquales. maior enim ad priora tendit, sic vt propagines antea principijs septi transuersi distribuat: alios initijs quinti femoris musculi, de quo postea. minor autem ad posteriora declinans, in musculos dorsi desinit. Secundum coniugium, inter primam & secundam lumborum vertebram, sub peritoneo, quintoque femoris musculo incedit: in quem paris illius soboles perferuntur: deinde etiam sub peritonęo assurgit, & ramus à summo Ilium osse abscinditur, qui abdomen exiens, sensum motumque primis femoris musculis, & tibię sexto adfert: præterea alius ramus ad sextum femoris musculum, & tibiæ primum. MATHET. Quis præter istos neruos, ex secundo exoritur? GERON, Tenuissimus,& oblongus, qui vasa seminaria comitatur, & tandem in testiculum desinit. MATHETES, Qua via procedit tertium neruorum in lumbis coniugium? GERON, Inter secundam tertiamque vertebram, etiam sub peritonæo, & quinto femoris musculo defertur. MATHETES, Quomodo distribuitur? GERON, Prima ipsius soboles, sub os pubis transit, non longè ab Ilibus: atque hic in imas propagines scinditur. prima per superiora, cute tenui fertur, in genu desinens: altera comitatur venam tali, quæ vulgo saphena dicitur: reliqua huius nerui portio post dorsi musculos, cutemque reflectitur. MATHETES, Vnde quartum neruorum par in lumbis procedit? GERON, Ex tertia & quarta vertebra: estque inter cętera maximum. fertur autem sub quinto femoris musculo,& sub pubis osse: habetque comitem venam,& arteriam, in ipsum inguen desinens: vbi ramulos peni & scroto communicat superficiarios, non penitiùs descendentes. ibidem mox in septem propagines diuiditur: quæ omnibus musculis prioribus dispensantur,& partim tibię, partim femori inseruiunt. nonnullę ex his ad genu vsque descendunt. MATHETES, Vbi quintum coniugium egreditur? GERON, Iuxta vertebras quartam, ac quintam: deinde bifariàm, vt alia, diuiditur. maior autem portio sub peritonęo priora versus per foramen inter ossa coxarum, pubis & Iliorum situm transit. Hinc surculi neruorum ad nonum & decimum femoris musculum, qui illud in gyrum mouet, alij ad septimum & octauum femoris propagantur: alij a[illegible]olis musculos:

Primum neruorum coniugium in lumbis.

Secundum coniugium.

Tertium neruorum coniugium.

Quartum neruorum par in lumbis vnde procedat.

Quintum neruorum coniugium vbi egrediatur.

alij ad veſicam diſperguntur. In fœminis non ſolùm ad veſicam, ſed etiam ad vterum deferuntur: cui pariter ab hoc quinto lumborum regionis coniugio ſoboles accedunt, præter illas quæ ex ſexta cerebri neruorum pari obueniunt. MATHETES, Quorſum ſecunda pars coniugij tendit? GERON, Poſt dorſi muſculos reflectitur, & ad cutem vergit, quod etiam in quarto coniugio accidit. Hoc autem aduerti debet, primum coniugium cum ſecundo, hoc cum tertio, id rurſus cum quarto, & cum hoc quintum ſimiliter connecti, ſicut in brachij neruis etiam conſpicitur. MATHET. Inueniunturne in omnibus, hæc quinq; neruorum coniugia? GERON, Nequaquam, ſed interdum quatuor duntaxat, eò quòd quartum & quintum in quibuſdam coëant, ita vt vnum ex duobus efficiatur. MATHETES, Vnde nerui oſsis ſacri prodeunt?

NERVI oſsis ſacri, & pedis.

GERON, Inter vltimas lumborum vertebras, & illius ſummitatem: nec non ex primo, ſecundo, & tertio ipſius foramine. quamprimùm autem quatuor hæc neruorũ initia exilierint, conueniunt, maximumq; totius noſtri corporis neruum efficiunt. MATHET. Quorſum, & quo itinere tam inſignis neruus vertitur?

Neruus corporis maximus.

GERON, Ab interiore abdominis parte ſub peritonęo, ad exteriorẽ verſus clunes procedit, interq; coxã, & coccygem, ſupra quartum muſculum, quo femur circumagitur, permeat: deinde ramulos quoſdam ad tres muſculos è coxa ortos, qui tibiam flectunt, prope maiorem rotatorem dictum, emittit: alios ad octauum muſculum, liuidum vocatum, diſtribuit, qui etiam à maiori rotatore originem trahit, & rectà per femoris poſteriora, inter quartum quintumq; tibiæ muſculum, ad ipſam genu flexuram ferè tendit. hic autem in duos ramos inſignes ſcinditur inæquales: maior poſteriorem: minor priorem tibię partem occupat. idem rurſus propagines ſub genu flexura ad primos extremi pedis muſculos diſtribuit: ille verò ſurculum muſculo, ſub poplite latitanti, immittit: alium quoq; tertio muſculo ab exteriore femoris parte ortũ, communicat. Vbi verò maior ampli iſtius nerui portio, flexuram genu tranſierit, in alios ramos diuiditur: quorum vnus ſub primis duobus pedis muſculis protenditur, partemq; carnoſam prętergreſſus, ſub cutem fertur: in qua per poſteriorem tibiæ ſedem, ad ſummum vſq; pedem feſtinat. minor grandis iſtius muſculi portio, ſurculos ad quartum muſculum emittit: qui inter poſteriores tibiæ muſculos maior exiſtit: mox per tibiæ poſteriorem interioremq; regionem, ſub talo tranſiens, pediſq; plantam ſubiens, ramulos in cutem diſtribuit: initiò ad primum, ſecundum, & tertium pedis muſculum: deinde propagines omnibus illis muſculis exilibus, quæ in planta deliteſcunt, diſpergit: poſtea adhuc in

decem

decem soboles diuiditur: ex quibus duæ per singulos digitos ad extrema eorum deferuntur, sic vt surculos inferiores ad cutem ipsorum dispargant. MATHETES, Quorsum alter ramus penetrat? GERON, Altiùs, permeatq; inter tibiam & suram, ligamentoq; illi adhæreat, quod inter tibiam & suram est situm: quo posteriores musculi ab interioribus distinguuntur. adhæc surculos etiam ad quintum, sextum, & septimum pedis musculum transmittit. MATHETES, Quò maior truncus vergit? GERON, Sub appendice suræ prætergressus ad priorem partem fertur, ibiq; propagines edit, quæ musculis à tibia & sura profectis inseruntur: ipse verò caudex, deorsum per suræ ipsius priorem sedem descendit. Quòd si ibi ferramentum candens, quod Græci καυθήριον vocant, admouere libet, vide ne ad suram, sed ad tibiam duntaxat accedas: sic vt primum musculum non prætereas. nam si altiùs penetres, neruum istum, quem nuper dixi, offendes: vnde graues casus subsequi solent: vel certè regio, in qua candens ferrum adhibitum est, nunquam dolore aliquo vacabit. MATHET. Quò reliqua pars nerui huius tendit? GERON, Deorsum sub ligamento, prioreq; pedis sede, iuxta exteriorem talum, per extremi pedis superiora transit: atq; hinc neruorum soboles decimo octauo pedis musculo distribuuntur. reliqua portio in decem surculos diuisa, in extremos digitos inseritur, desinitq;. Ab eodem caudice alius ramulus in cutem dispersus, ad extremum vsq; pedem progreditur. MATHETES, Quot alia sacri ossis foramina, post tria ista existunt? GERON, Duo, nempe quartum, & in nonnullis quintum: non autem in omnibus idem est numerus. nam in alijs quinq;, in alijs sex ossibus constat, nunquam autem tribus. Vbi igitur quinq; ossa inueniuntur, quatuor sunt foramina: vbi sex, quinq;. sic ex duobus foraminibus duo alia neruorum coniugia egrediuntur, quæ deinde ipsa quoq; coniunguntur, neruumq; gignunt, qui reflectitur, musculisq; natium, & cuti illarum distribuitur. adhæc interiori abdominis regioni ramulos, ad recti intestini musculos transmittit. in quibusdam non ad hos solùm, sed etiam ad vesicæ musculos, nec non in fœminis nonnullis ad vterum, eiusq; ceruicem, & earum vesicæ musculos deducit. item alij quoq; surculi ad perinæum, & scrotum mittuntur. MATHETES, Qui nerui ex posteriori ossis sacri parte procedunt? GERON, Parui admodum breuesq; per ea foramina: atq; hi ad dorsi musculos natesq;, & ad posteriorem cutem perueniunt. MATHETES, Súntne omnes isti nerui, quos hactenus recẽsuisti, coniuges? an aliqui etiam reperiuntur coniugij expertes? GERON, Sunt qui vnum absq; pari esse dictitent, sed is in brutis potius, quàm in hominibus in-

Nerui omnibus musculis inseruntur.

uenitur. MATHETES, Cùm iam neruos omnes accuratè sis persecutus, vnum adhuc ex te audire cupio, an illi in omnes musculos perueniant? GERON, Nullus musculus tam paruus est, cui non sit neruus inditus: imò in quibusdam duo, in alijs tres, aut quatuor, in alijs quinq; apparent. Si enim musculi neruis carerent, neutiquam consisterent. quamuis nonnulli anatomici, musculos aliquos absq; neruis inueniri, falsò scripserint. MATHETES, Cùm ergo nerui sine musculis esse nequeant, cupio ex te nunc discere, quid potissimùm ipsi sint, & quomodo per totum corpus distribuantur.

DE MVSCVLIS.

Musculus quid sit, qualisq; eius essentia.

Musculorum formæ variæ.

GERON, Musculi voluntarij, siue arbitrarij motus sunt instrumenta, ex carne fibrosa, neruis, ligamentis, venis, arterijs, & membranis conflata. Sunt autem complures ipsorum formæ, nunc lata, nunc trilatera, nunc orbicularis: aliâs crassa, aliâs tenuis exilisq;: modò breuis, modò prolixa. Interdum vno fibrarum genere, interdum duplici, interdum triplici, interdum omnibus simul constant. Quinetiam fine inuicem differunt. alij siquidem in tendinem desinunt: alij non pauci eo carent: alijs tendo adest in sua origine, alijs in medio, sicut quartus, qui maxillam aperit, & alter quartus, à quo hyoides deorsum trahitur. Iam aliquibus musculis vnus tendo, aliquibus duo, trésue, aut quatuor, aliquibus complures insunt, vt longissimo dorsi & thoracis quinto. Sunt musculi, qui longum rotundumq; tendinem obtineant: sunt etiam, qui rotundum, sed breuem: nonnulli oblongum & latum: nonnulli latum & breuem. atq; ita multiplex & varia musculorum forma inuenitur.

Musculi vnde prodeant.

MATHETES, Vnde prodeunt musculi? GERON, Ab ossibus, in eaq; desinunt, sed non omnes. nam aliqui à cartilaginibus: alij à membranis exoriuntur, & in easdem quoq; finiunt: nonnulli post exortum descendunt: nonnulli ascendunt: quidam transuersim, quidam obliquè siti sunt.

Musculi variam originem habent.

Adhæc variam quoq; musculi originem habent. quidam enim oblongus: quidam breuis, alius crassus, alius pertenuis: hic carneus, ille tendineus: aliquis ex carne tendini mixta ortus apparet.

Musculorum tendines quales.

MATHETES, Quales sunt musculorum tendines? GERON, Alij perforati, alij non sunt: quidam vnico foramine, alij pluribus patent.

Tendo musculi quid potissimùm existat.

MATHET. Ecquid potissimùm tendo musculi existit? GERON, Pars alba, dura, densaq; & pellucida. differt autem à neruo, licet ipse quoq; sensu magno sit prædictus, quòd graues casus ipso offenso testantur.

Tendo, et neruus quomodo differant.

nam si tendinem incidas, solidum esse deprehendes: si neruum contrà, vt qui licet albescat, tamen neq; adeò durus, neq; rotundus, neq; pellucidus, vt tendo apparet: qui si secetur, multis funiculis intertextus, illisq; circundatus deprehenditur. MATHET.

Vnde

Motus voluntarij facultas vnde ad musculos perueniat.

Vnde motus voluntarij facultas ad musculos peruenit? GERON. A neruis, qui illam à cerebro consequuntur. ideo quoq; singuli nerui, vel plures interdum, cuiq; musculo, etiam minimo communicantur, hoc est, nerui per musculos ipsos disseminantur: quamuis quidam falsò affirment, complures musculos carere neruis, præcipuè illum quadratum, iuncturæ manus cum brachio vicinum, qui radium in pronum agit: cùm tamen adeò perspicuus neruus ei insit, vt quiuis alius: nec non qui latum tendinem efficit. sed faciliùs in singulis corporis membris neruorum historiam cognosces. MATHETES. Explica igitur, qui musculi in singulis partibus existant.

Musculi neruis non carent.

CAPITIS musculi.

GERON, Caput, vt ab hoc exordiar, cùm variè moueatur, nempe versus priora, posteriora, latera, & in orbem, necesse est etiam, vt musculos habeat diuersos, qui nunc primario, nunc secundario, hoc est, proprio, vel communi motui ipsius inseruiant. MATHE. Quem vocas primarium, seu proprium capitis motum? GERON, Quando illud cum prima secundaq; vertebra mouetur? MATHETES, Quem secundarium? GERON, Quando idem cum tota ceruice mouetur. MATHETES, Quot igitur musculi proprij ipsius motibus inseruire recensentur? GERON, Septem vtrinque: ac primi satis carnosi, à quinq; superiorum vertebrarum thoracis spinis oriuntur, sursumq; ad tertiam vsq; ascendentes, postea à ceruicis vertebris seiunguntur, versusq; occipitium obliquè incedunt: vbi tandem inter posteriorem eius regionem, & aures desinunt. fibræ eorum statim ab origine, donec diuidantur, rectæ: deinde sursum vergentes obliquæ sunt. MATHETES, Quæ functio illis commissa est? GERON, Vt caput ad posteriora tunc attrahant, cùm ambo simul operantur, cùm alter duntaxat, in latus orbiculatim illud vertat. Habent autem hi musculi tria latera, vnum ab initio vsq;, quo à coniuge diuiditur: alterum verò inde ad occiput vsq; : tertium ab hoc vsq; ad ipsius originem.

Capitis motus duplex.

Primarius.

Secundarius.

Musculi capitis motibus inseruientes.

Primi musculi caput mouentes.

MATHETES, Quales sunt musculi secundi caput mouentes? GERON, Admodum varij, vt qui & multas figuras, & diuersas impressiones habeant, multisq; partibus tendineis, & compluribus carnosis constent, ita vt plures quàm quinq; musculi esse videantur. quanquam vnum tantummodo par existat, nempe dextrum, & sinistrum: originem sumunt acutam, à transuerso quartæ, quintæq; thoracis vertebræ processu: sursum ascendentes, tandem in occipitio medio figuntur, rectis fibris præditi, caput in posteriora rectà attrahunt. MATHETES, Quales sunt tertij musculi? GERON, Graciles, qui à spina secundæ ceruicis vertebræ orti, tandem in occiput desinunt: sed aliquantulum dis[illegible]cti incedunt,

Secundi musculi mouentes caput.

Tertij musculi caput mouentes.

Quarti musculi caput mouentes.

aliâs fibris rectis constant, caputq; in posteriora rectà ducunt. MATHETES, Quales quarti existunt? GERON, Carnosi omnes, sicut tertij, sed breues sub his occultantur, à posteriore primæ vertebræ parte oriuntes, vbi eadem vertebra in spinam desinit, quæ cauit ne tertios musculos offendant. cæterùm in medio occipitio finiuntur, ipsiq; rectà caput retrahunt. MATHETES, Cur natura tot capiti retrahendo musculos designauit? GERON, Eò quòd prior ipsius pars grauis admodum esset, vt cui facies maxillaq; coniuncta sit.

Quinti caput mouentes musculi.

MATHETES, Quintum par musculorum capitis, qualem situm obtinet? GERON, Obliquum, atq; ipsi à spina secundæ vertebræ exorti, in transuersum primæ vertebræ processum terminantur, caput orbiculatim vnà cum prima vertebra trahentes: omnes egregiè carnosi, licet graciles existant.

Sexti caput mouentes musculi.

MATHETES, Quales sexti capitis motores sunt? GERON, Obliqui, sed inter se contrarij, triangulumq; efficiunt, ex primæ vertebræ processu emergunt, versusq; priora caput trahunt, in medium occipitium desinentes. MATHETES, Ergo duo hi iam dicti musculi, quintus & sextus, proprijne capitis sunt? GERON, Vtiq;, & illud orbiculatim mouent, sic tamen, vt à primis atq; extremis, de quibus posteà agemus, adiuuentur.

Quinti & sexti musculi caput propriè in orbem mouentes.

Septimi caput mouentes musculi.

MATHETES, Qui septimo loco musculi occurrunt? GERON, Longi, rotundi, & validi, qui vel in cadauere nondum excoriato, vel in viuentibus apparent situ obliqui, quorum fibræ à summo pectore atq; iugulo oriuntur. Duo autem habent initia, inter quę sinus inest. cæterum neruosi, & in origine lati sunt, carnosiq; fiunt, & mammillari processui insinuantur, quem etiam amplectuntur. MATHETES, Quid officij præstant? GERON, Cùm vterq; operatur, caput in priorem partem inclinant: vbi vnus tantùm, in latus agunt. admodum valentes idoneiq; sunt, vt caput in pronum flectant: coniuncti autem quarti hyoidis ossis musculo, magnam in ceruice crucem efficiunt. MATHETES, Intelligo nunc, per quos musculos caput primariò moueatur: eos autem qui secundarium motum efficiunt, deinceps scire desidero. GERON, Illi sanè ceruici inseruiunt, qua mota, caput etiam ipsum moueri solet, eò quòd hæc illi per articulum commissa sit, & annexa. MATHETES, Quot igitur musculi ceruicis sunt?

CERVICIS musculi octo.

Primi ceruicis musculi.

GERON, Octo, vtrinq; quatuor, qui caput versus priora, posteriora, & ad latera mouent. primi in priore ceruicis regione siti sunt recti, à quinta thoracis vertebra oriuntes, vbi ceruix cum costa connectitur, ascendensq; vniuersis vertebris adhæresçit, sed mediam regionem, qua gula incedit, detectam relinquit.

Musculi sub œsophago latitantes.

At[illegible] hi musculi, quos sub illa latitantes appellant, in prio-

priorem primæ vertebræ processum, tendine acuto desinunt: ea de causa orti, vt ceruicem versus priorem partem flectant. Quinetiam musculi isti occipitio quandoq;, sed rarò annectuntur, vbi foramen habetur, per quod spinalis medulla descendit. MATHET. Quales secundi ceruicis sunt musculi? GERON, Carnosi ampliq; à prima costa nascuntur, ascendentes ita attenuantur, vt ferè triangulum repræsentent: à transuersis autem vertebrarum ceruicis processibus, à priore parte stabiliuntur. MATHETES, Vnde tertij ceruicis musculi oriuntur? GERON, Ex radice transuersi sextæ vertebræ thoracis processus, sursumq; ascendentes à cæteris quoq; transuersis vertebrarum thoracis, & tandem à singulis vertebrarum ceruicis processibus, posteriore in regione connectuntur. hi secundi, inquam musculi, ceruicem rectà ad scapulas, id est, ad latus flectunt, cùm vterq; eodem tempore operatur: quando verò alter solus munere suo fungitur, tunc obliquè mouet. Porrò nerui à spinali medulla prodeuntes, inter binos hosce musculos & vertebras ceruicis exeunt. MATHETES, Vnde oriuntur quarti? GERON, A septima thoracis vertebra, supra omnes huius, & ceruicis spinas: tandem in secundæ vertebræ ceruicis spinam desinunt. officium ipsorum est, vt ceruicem ad posteriora attrahant. MATHETES, Quinam, & quot spinæ musculi existunt?

Secundi ceruicis musculi.

Tertij ceruicis musculi.

Quarti ceruicis musculi.

GERON, Spinę, quę variè mouetur, vt in priorem posterioremq; partem, nec non ad latera, & in orbem, octo sunt numero musculi: quatuor vtrinq;. primi à sinu superiore, posterioreq; ossis Ilium parte exoriuntur, lati carnosiq;, & in parte abdominis interiore ascendunt, transuersisq; vertebrarum processibus, & infimæ costæ adhærent, carnosi toti, & figura lateribus quadrata. MATHETES, In quem vsum sic conformati sunt? GERON, Vt dorsum versus priorem partem flectant, ambo simul operantes: sin autem seorsum moueant, ad latus trahant. MATHETES, Quales sunt secundi? GERON, Omnium corporis nostri musculorum longissimi, vt qui ab imo sacro osse, ad caput vsq; extendantur. originem ducunt ab ipso sacro osse extremo, eamq; neruosam, & validam. deinde in carnem degenerant, & transuersis vertebrarum lumborum processibus, versus posteriorem sedem adhærescunt. postea tendinem omnibus transuersis vertebrarum thoracis processibus, ad primam vsq; illius vertebram, & ad singulos transuersos processus mittunt. Alij aliter sentiunt, & cum musculis capitis hos confundunt. MATHETES, Quid agunt musculi superiùs adducti? GERON, Vniuersam spinam, & caput etiam ad posteriora flectunt, efficiuntq;, vt corpus flectentes semicirculi figuram imitari possimus. MATHET. Vnde tertij nascuntur?

SPINÆ musculi.

Primi spinæ musculi.

Secundi spinæ musculi.

Tertij spinæ musculi.

GERON, A poſteriore oſsis ſacri parte per initia in acutum tendentes, vertebrarum lumborum ſpinis hîc annectuntur, & in duodecimæ vertebræ thoracis ſpinam acuto fine deſinunt: aliquando in vndecimam. anſulis autem neruoſis præditi, lumbos flectunt, vt vſum intelligas. MATHETES, Tres iam abſoluiſti, adde nunc, vnde quarti ſumant initium. GERON, A duodecimæ vertebræ thoracis ſpina, acutum, vt ſuperior, principium ſortiti ſunt, & omnibus vertebrarum thoracis ſpinis alligantur, primæꝙ etiam fine acuto inſeruntur, in medio circa ſextam vertebram lati. Quòd ſi officium eorum ſcire deſideres, thoracem erigunt, & cùm ſimul tres ſuprà dicti operantur, ſpinam vniuerſam rectam detinent. ſin autem quatuor pariter agant, vt vnus ſcilicet alterum ſubſequatur, in orbem agunt. ſi verò illi operentur, qui in altera duntaxat parte conſiſtunt, corpus in latus declinãt. Priores tres muſculi lumbis aſcribuntur: tres poſtremi adeò annexi inuicem ſunt, vt ægrè inueniantur, diſtinguanturꝙ. Atꝙ hæc de ſpinæ muſculis, dicta ſunto. MATHETES, Qui muſculi in reliquis corporis humani partibus extant?

Quarti ſpinæ muſculi, eorumꝙ vſus.

FACIEI muſculi.

GERON, In facie complures: primi duo in fronte ſiti, qui ſuperiori in parte exoriuntur, inferiùs in communi ſutura deſinunt, quæ oſſa capitis à genis ſeparat: quamuis nerui huic parti ſubditi ſint. Cæterùm muſculi iſti obliquis fibris non rectis, vt alij volunt, à ſummo naſo verſus tempora conſtant: atꝙ hi ipſi ſupercilia attollunt, & vniuerſam frontem, tantamꝙ muſculorum temporalium portionem obtinent, quantùm ipſi obliquè aſcendunt, prꝫterquàm media in fronte, vbi nos cutem corrugamus, quoties vehementer commouemur, aut admiramur, adeò vt in multis ſupercilia inter ſeſe contineant: quæ, inquam, frontis contractio, ſi vnus duntaxat muſculus eſſet, nullo pacto fieri poſſet: id experiri poteris, ſi totam frontis cutem detrahas. nam in media eius parte nullum muſculum conſpicies, niſi ſummo in naſo, vbi dexter cum ſiniſtro ita committitur, vt vnus eſſe videatur, vbi etiam carnoſiores, quàm vllo in loco reperiuntur. quò magis autem aſcendunt, eò tenuiores euadunt, & ſupercilia ſurſum trahũt, non modò ipſi ſoli, ſed etiam alij duo, de quibus poſteà agetur.

Frontis muſculi.

Frontis contractio quomodo fiat.

Cæterùm duo occurrunt, qui naſum dilatant, exteriore in parte ſiti. alij anatomici hos, cum ſuperioris labri muſculo confundunt. MATHE. Vnde iſti oriuntur? GERON, A ſutura ſuperiùs dicta, figura acuti carnoſiꝙ, frontis muſculorum terminis permixti, qui deorſum tendentes latiores amplioresꝙ euadunt, ſupraꝙ naſi oſſa deferuntur, & in eius pinnis deſinunt, vnde triangulus propeꝰdum efficitur, cuius duo ſunt latera oblonga, & tertium

NASI muſculi duo exiſtunt.

Naſi muſculorum exortus.

tertium breue. hi ipsi pinnas sursum trahunt, & fibras rectas habent, eoq; eas dilatant. at illi, quos alij anatomici descripserunt, ex eorum numero sunt, qui superiori labro inseruiunt. MATHETES, Quibus musculis nasus clauditur? GERON, Ab ijs qui dicto iam labro auxiliantur, non à proprijs. nam quoties aliquid per nares attrahimus, labrum illud constringere cogimur. MATHET. Qui alij sequuntur musculi? GERON, Duo penè quadrati in ceruice siti, qui labra obliquè deorsum trahũt, membranosi, carnosiq; à iuguli regione, & posteriore ceruicis parte orientes. horum fibræ obliquè ascendunt, eoq; tandem perueniunt, vbi labrum inferius cum superiore iungitur. atq; hi lati musculi quamuis in ceruice siti, tamen faciei inseruiunt, mentoq; plurimùm cohærent, eoq; oris apertioni opitulari videntur. MATHETES, Quot labrorum sunt musculi?

Nasus quibus musculis claudatur.

Musculi lati in collo duo.

GERON, Quatuor, nempe in vtrisq; duo. MATHET. Vnde oriuntur? GERON, Superiores ab extrema ossis iugalis sutura, nec non ab ea, quæ primum os genarum à tertio separat: reliqui duo à malarum osse procedunt: atq; omnes obliquè labrum versus incedunt, inter quos vnus, narium pinnis adhæreścit, eoq; hunc naso dilatando addictum quidam autumant (quanquam superiorum labri musculorũ portio tantùm existat) quod si admittamus, quatuor erunt musculi, qui nasum ipsum dilatent. reliqui duo, ex quibus labrum inferius constat, ab ea menti regione originem ducunt, vbi asperitas quædam in osse est conspicua. MATHETES, Quæ sunt quatuor istorum musculorum actiones? GERON, Quia varijs fibris præditi, atq; inter se commiscentur, implicanturq;, ideo varios quoq; motus edunt, & cum cuti ipsa plerunq; confunduntur: quamuis, si corpus, quod incidendum tibi obtigerit, musculosum, & pinguedinis expers fuerit, & tu diligentiam in excoriando adhibueris, distinctè & clarè satis conspici poterunt. MATHETES, Qui alij, & quot musculi iam dictis faciei accedunt? GERON, Duo buccarum, inter genas & maxillam siti, qui à gingiuis oriuntur, & in eas desinunt, admodum tenues, circulum referentes, varijs intertexti fibris, eoq; diuersis functionibus præsunt. nam manus instar, cibum nunc huc, nunc illuc propellunt: loquelæ etiam vtiles, cùm efflare, vel inflare buccam volumus. quinetiam ijdem musculi tibia tubáque canentibus valdè conferunt. Præter hos, adhuc alij bini in posterioris capitis parte extant, qui à sutura lambdoide supra mamillares excessus oriuntur, triangulari figura donati, in carnosam membranam cessant, quæ etiam frontis musculos excipit. MATHETES, Quis vsus musculorum illorum, qui supercilium trahunt?

LABRORVM musculi quatuor

Musculorum labrorum officium.

Buccarum musculi duo.

MVSCVLI ſupercilium trahentes, & palpebrarum.

GERON, Vt frontem cutemq́ capitis in poſteriora agant, quod in ijs videre licet, qui vniuerſam capitis partem valde mouent. MATHETES, Quid de palpebrarum muſculis habes? GERON, Sex eorum ſunt numero, hoc eſt, vtrinq; tres, ex quibus duo orbitam oculorum foris ambiunt, reliqui intrò iuxta oculorum muſculos conſiſtunt: quamuis alij anatomici ipſos non palpebris, ſed oculis inſeruire putent.

Primi palpebrarum muſculi.

Primi ipſorum rotundi ſunt, fibriſq́ circularibus donati: oriuntur ex magno oculorum angulo, ſuturaq́ capiti & genis communi, per initia acuti: tendentes autem ſurſum verſus frontem, dilateſcunt, vbi cum muſculis illius commiſcentur. deinde verſus aurem vergentes, quò magis minorem angulum accedunt, eò ampliores euadunt, & inferiùs circa orbitam oculorum reflectuntur, vt tandem acuto fine, prope ſuum initium terminentur. in hoc creati ſunt, vt oculos claudant, valdeq́ aſtringant, & eos ab externis iniurijs vindicent.

Secundi palpebrarum muſculi.

MATHETES, Qui ſecundi erunt muſculi? GERON, Duo recti, lati, in ſuperiore oculorum parte carnoſi. MATHET. Vbi trahunt originem? GERON, In orbita oculorum interiore, ex neruo viſorio, vt reliqui alij, ac deſinunt latiuſculo fine, in ſuprema vertebra. officium illorum eſt, vt palpebras ſurſum trahant, oculoſq́ aperiant.

Tertij muſculi oculos aperientes

MATHE. Quales tertij ſunt muſculi oculos aperientes? GERON, Rotundi & tenues, ex eadem regione nati. obliquè autem verſus magnum oculi angulum in palpebra, tendini quaſi rotundo terminantur: interdum tendinis huius portio, in corneam membranam inſeritur: in hoc præcipuè geniti, vt palpebras trahant, oculoſq́ aperiant, idq́ tum in hominibus, tum in brutis. quare anatomici, quatuor hoſce muſculos palpebris inſeruientes, oculorum muſculis annumerare non deberent. MATHETES, Quótnam oculorum muſculi exiſtunt?

OCVLORVM muſculi.

Muſculi oculorum quot exiſtant.

GERON, Si hominum, non brutorum proponis, decem eſſe puto, quinq; ſcilicet in vtroq;. quatuor enim ibidem ſiti, qui palpebris aperiundis inſeruiunt, nequaquam oculorum muſculis ſunt annumerandi: quatuor autem deinde ſunt oblongi, qui verſus viſorij nerui radicem emergunt, rectis fibris intertexti, in neruoſos tendines deſinunt. membranæ autem corneæ orbiculatim annectuntur, aliam membranam conſtituentes, quæ ad iridem non peruenit.

Oculorum motus.

MATHETES, Quot motus hi edunt? GERON, Duos, ſurſum alios infrà: alios ſurſum, vel deorſum: alios ad dextram, vel ad ſiniſtram, cùm ſinguli ex his ſeorſum, vel duo ſimul operantur. quòd ſi omnes ſimul eandem edant actionem, motus fit circularis, ſicut fit à quatuor muſculis, iuncturæ manus cum brachio inſeruientibus. præterea oculum ſiſtunt, quando ſcilicet

vno

vno & eodem tempore operantur. MATHETES, Quisnam quintus oculi musculus est? GERON, Qui sub alijs quatuor subsistit, & inter quem atq; illum, pinguetudo intercedit. situs transuersus mediam oculi regionem complectitur: incipit à carnea membrana, & in eandem desinit, adeò vt qui eius terminus sit, quæúe origo, non ita facilè deprehendas: sicut neq; quis proprius sit illius motus. si initium musculorum à neruis prodiret, certè eius origo in medio esset. nam ibi insignis crassusq; satis ramus, si cum musculo conferatur, à secũdo neruorum cerebri coniugio progreditur: adeò hic tenuis est, vt aliquando tendo musculi huius putari queat. is si attrahatur, oculum sursum agit, circumagitq;, quamuis ei musculus subsit. MATHETES, Quis vsus huius quinti musculi existit? GERON, Fortè hic est, vt per eum, nerui illius adiumento, cœlum intueri sursum possimus. idem hic musculus à latere, siue fine, siue initio, tendine latiore, corneæ membranæ adhærescit. Notanda etiam est in his musculis, & alijs quatuor, pinguetudo, sicut inter hunc & visorium neruum. præterea obseruari debet, musculum istum non in hominis, sed bruti oculo reperiri, quem alij anatomici descripsère, à quibus nunc primo, nunc septimo loco numeratur: atq; in tres pluresq; musculos diuidi potest. MATHETES, Quid hic musculus in brutis præstat? GERON, Illorum sententia oculum sistit, quod in homine quatuor illi primi tunc efficiunt, cùm omnes eodem in tempore operari desinunt, quietiq; permanent. MATHETES, Quos musculos, qui aures mouent, incidisti?

Quintus oculi musculus.

Vsus quinti musculi.

GERON, Nullos ferè. quanquam aliquando vnum inuenerim, qui à buccis nascatur, in aurisq; pinnam desinit, atq; eam in priorem partem mouet: interdum etiam alium deprehendi, qui à mamillari processu posteriùs prodeat. verùm hi duo rarissimè in homine, semper autem in brutis conspiciuntur. MATHETES, Quot maxillæ hominis musculi numerantur?

AVRIVM musculi.

GERON, Tribus voluntarijs motibus præfecti, vtrinq; quatuor, vt qui illam aperiant, claudant, & in orbem agant: prior ex his, temporum nuncupatur, validus & nobilis, eò quòd cerebro proximus existat, variósq; habeat neruos insertos: cuius rei gratia cùm dextra tempora vulnerata sunt, sinistra conuelluntur. MATHETES, Vnde hic oritur? GERON, A primo genarum osse, à cuneato, à fronte, à syncipite, & à squamoso temporum osse, lateraq; capitis, vsq; ad posteriorem auris, & superiorem regionem, circiter tres digiti apices, obtinet. quamuis autem latum & semicirculare habeat initium, tamen in acutum & validum tendinem desinit, qui altè satis, & intrinsecus incipiens, angus[illegible] & tenui maxil-

MAXILLÆ musculi.
Musculi maxillæ quot existant.
Maxillæ tres motus voluntarij.

Coronon processus.

læ processui immittitur, quem Græci κορωνὸν appellant. Iam alius quoq; tendo membranosus occurrit, qui musculum extrinsecus liuidum reddit, & sub osse iugali defertur. vnicum ipsius officium duntaxat, non triplex, vt quidam autumant, existit, nempe vt maxillam claudat. fibris constat eiusmodi, quæ à superficie ad centrum procedant,

Cautio in temporum Chyrurgia.

chyrurgis diligenter obseruandæ, dum vulnera dilatant, & abscessus hanc partẽ obsidentes incidunt, ne illas in transuersum diuidant. inde enim vsus ipsarum cessaret, eoq; abolito, vita deficeret.

Musculus in ore latitans.

Prẹter hunc temporum musculum, alium quoque natura addidit valentem admodum in ore, vt alterum in claudenda maxilla, pluresq; res effringendo, adiuuet. MATHET. Vnde sumit originem? GERON, Ab eo sinu, qui in cunealis ossis situ est, & in maxillæ parte interiore, quæ aspera esse desinit: fibras habet rectas, & tendinem egregiè validum: idem prẹstat quod temporum: crassusq; & breuis existit. MATHETES, Quis tertius est

Musculus mansorius dictus.

musculus maxillæ? GERON, Qui à mandendo Græcis μασσήτηρ dicitur, propè crassus, hoc officio præditus, vt illam circumagat. oritur à iuguli, & primo genarum osse, non autem à quarta & tertia ceruicis vertebra: tendineum carnosumq; habet initium, terminum autem in maxilla triangularem propemodum, acutoq; ipsius processui adhæret, vbi temporum musculo coniunctus esse videtur. quanquam Galenus dixerit, temporum musculum, tendinem in medio sui, vtrinq; autem partem carneam obtinere. MATHETES, Quem vsum huius musculi esse dicis? GERON, Quia fibras habet diuersas, maxillam antè, retrò, in latera, & in orbem mouet.

Musculus quartus os aperiens.

MATHETES, Qualis quartus est musculus? GERON, Duos habet carnosos ventres, initiumq; & finem minimum, vt cuius media regio sit tendinea: incipit carnosus à processu styloide: sub maxilla autem, & aure defertur: figuram rotundam oblongamq; referens, non admodum crassus sicut illi, qui maxillam claudunt: in medio mento carnosus esse desinit: vbi interior quædam asperitas conspicitur. MATHETES, Quid habet officij? GERON, Vt os & maxillam aperiat. MATHETES, Cur tam exiguus factus est? GERON, Quia cùm ipse suapte natura maxillẹ quasi grauis sit, duobus illis vtrinq; musculis (quorum mentionem suprà feci) relaxatis, deorsum inclinat. MATHETES, Cur media eius pars, tendinis instar attenuata est? GERON, Ne maius spatium occupet. locus enim angustus admodum est, in quo multa instrumenta collocari oportet. MATHETES, Quarum partium musculi post hos sequuntur?

OSSIS HYoidis musculi.

GERON, Ossis hyoïdis, octo numero, vtraq; parte quatuor. Primus carnosus est, tenuis, rectus, qui à summo pectoris osse intus

tus exoritur, proceditq; super asperam arteriam, & laryngem: in inferiore autem iam dicti ossis parte, citra tendinem desinit: quia verò rectas fibras habet, deorsum etiam rectà trahit. Secundus à mento sumit originem, & in summam hyoidis ossis partem terminatur, tendinis expers: totus autem carnosus, rectis fibris sursum agit, contrario modo, quàm proximè commemoratus. Tertius paruus, & tenuis est, oriturq; à processu styloide, & in laterales hyoidis partes desinit, situ obliquus: in hoc procreatus, vt sursum attrahat. Quartus à superiori scapularum regione prodit, & obliquè sub septimo capite musculi sursum ascendit, tenuis & longus, non tamen alijs prolixior, neq; gracilior: desinit autem iuxta ossis hyoidis latera: in medio tendinem, sicut etiam quartus maxillæ musculus, obtinet. quamuis Galenus illum duntaxat, præterea nullum esse, qui tendinem habeat in medio, affirmet. quod licet negari non possit, tamen non adeò longus tendo existit. Musculi huius vsus est, vt hyoidem deorsum obliquè trahat, ac contrario modo quàm tertius operetur. non autem potest tam tenuis musculus, ingens scapularum pondus, vt Galenus voluit, attrahere, atq; attollere. MATHET. Quot musculos lingua habet?

GERON, Nouem. cùm autem caro ipsius ex arbitrio moueatur, musculis prædictis duo adhuc addendi videntur, ita vt in totum numero sint vndecim. duo enim apparent, cùm lingua candidam lineam in medio habeat, quę dextram partem à sinistra distinguit. sub ea etiam ligamentum consistit, quod infantibus sępè incidendum est, eò quòd locutionem nonnunq; impediat. MATHET. Vnde duo isti musculi emergunt? GERON, Ab ossis hyoidis basi: atq; in summam linguam desinunt. Cęterùm omni fibrarum specie donati sunt, vt aliæ ab alijs seiungi nequeant, veluti in alijs musculis separantur. MATHET. Cùm autem omnium corporis partium musculi, nihil citra neruos pręstare possint, quósnam linguæ dicati obtinent? GERON, Tunicæ cuidam ipsam ambienti, quartum neruorum cerebri coniugium inseritur, à quo illa præcipuè degustandi facultatem habet. Eorum aliqui ad palati tunicam destinantur, quæ tum huic, tum stomacho, tum laryngi communis est. MATHETES, Quinam tertius & quartus linguæ musculus existit? GERON, Anatomicis vulgaribus non sunt cogniti: sin autem diligens fueris, originem eorum medio in mento conspicies, vbi duo sunt tubercula, quæ rectà ad linguæ radicem vergunt. Hi musculi fibris rectis sunt præditi, rotundi: quorum officium est, vt linguam extra dentes & labra exerant. neq; enim id citra vllius musculi adiumentum fieri potest. Porrò quintus & sextus musculus à styloidis ossis pro-

Primus hyoidis musculus.
Secundus musculus hyoidis.
Tertius hyoidis musculus.
Quartus musculus ossis hyoidis.
LINGVÆ musculi.
Musculi linguæ nouem existunt.
Ligamentum linguæ infantibus incidendum.
Duo linguæ musculi vnde oriantur.
Qui nerui linguæ inserantur musculis.
Lingua vnde gustus sensum habeat.
Tertius & quartus linguæ musculus.
Quintus & sextus linguæ musculi.

Coronon processus.

læ processui immittitur, quem Græci κορωνὸν appellant. Iam alius quoque tendo membranosus occurrit, qui musculum extrinsecus liuidum reddit, & sub osse iugali defertur. vnicum ipsius officium duntaxat, non triplex, vt quidam autumant, existit, nempe vt maxillam claudat. fibris constat eiusmodi, quæ à superficie ad centrum procedant, chyrurgis diligenter obseruandæ, dum vulnera dilatant, & abscessus hanc partẽ obsidentes incidunt, ne illas in transuersum diuidant. inde enim vsus ipsarum cessaret, eoque abolito, vita deficeret.

Cautio in temporum Chyrurgia.

Musculus in ore latitans.

Prẹter hunc temporum musculum, alium quoque natura addidit valentem admodum in ore, vt alterum in claudenda maxilla, pluresque res effringendo, adiuuet. MATHET. Vnde sumit originem? GERON, Ab eo sinu, qui in cunealis ossis situ est, & in maxillæ parte interiore, quæ aspera esse desinit: fibras habet rectas, & tendinem egregiè validum: idem prẹstat quod temporum: crassusque & breuis existit. MATHETES, Quis tertius est musculus maxillæ? GERON, Qui à mandendo Græcis μασσήτηρ dicitur, propè crassus, hoc officio præditus, vt illam circumagat. oritur à iuguli, & primo genarum osse, non autem à quarta & tertia ceruicis vertebra: tendineum carnosumque habet initium, terminum autem in maxilla triangularem propemodum, acutoque ipsius processui adhæret, vbi temporum musculo coniunctus esse videtur. quanquam Galenus dixerit, temporum musculum, tendinem in medio sui, vtrinque autem partem carneam obtinere. MATHETES, Quem vsum huius musculi esse dicis? GERON, Quia fibras habet diuersas, maxillam antè, retrò, in latera, & in orbem mouet. MATHETES, Qualis quartus est musculus? GERON, Duos habet carnosos ventres, initiumque & finem minimum, vt cuius media regio sit tendinea: incipit carnosus à processu styloide: sub maxilla autem, & aure defertur: figuram rotundam oblongamque referens, non admodum crassus sicut illi, qui maxillam claudunt: in medio mento carnosus esse desinit: vbi interior quædam asperitas conspicitur. MATHETES, Quid habet officij? GERON, Vt os & maxillam aperiat. MATHETES, Cur tam exiguus factus est? GERON, Quia cùm ipse suapte natura maxillẹ quasi grauis sit, duobus illis vtrinque musculis (quorum mentionem suprà feci) relaxatis, deorsum inclinat. MATHETES, Cur media eius pars, tendinis instar attenuata est? GERON, Ne maius spatium occupet. locus enim angustus admodum est, in quo multa instrumenta collocari oportet. MATHETES, Quarum partium musculi post hos sequuntur?

Musculus mansorius dictus.

Musculus quartus os aperiens.

OSSIS HYoidis musculi.

GERON, Ossis hyoïdis, octo numero, vtraque parte quatuor. Primus carnosus est, tenuis, rectus, qui à summo pectoris osse intus

duos esse statuunt, putantq; à posteriore stomachi membranosa mollíq; sede oriri, vt laryngem tanquam rem duram ac grauem attrahat. At nulla ratione musculi illi inde proficiscuntur, nec fibras ipsas diuisas, sed perpetuas obtinent. possunt quidem alij quoq; duo musculi communes, ab interiore hyoidis sede orti, insertíq; epiglottidi, in boue, bubulo, & alijs id genus animantibus, sed non in homine, reperiri. Si ergo à communibus illis octo, in homine tres detraxeris, quinq; erunt reliqui. MATHET. Qui proprij sunt laryngis musculi? GERON, Qui ab ea oriuntur, in eamq; desinunt, & vni ipsi inseruiunt, sic vt ligulam aperiant, claudantq́;. MATHE. Quid est ligula? GERON, Græcis dicitur γλωττὶς, id est, rima siue fissura oblonga, in media larynge sita. Duo ex his nouem musculis, primi ab osse annulari, vel à cartilagine, quam ἀνώνυμον græci, latini innominatam appellant, oriuntur exigui, fibrisq; obliquis donati: in imam ossium scutiformis sedem desinunt. actio eorum est, vt inferiorem laryngis partem constringant, superiorem dilatent. Ex his autem musculis vnus dexter, alter sinister inuenitur: licet alij quatuor hoc loco proprios describant, quanquam falsò. MATHETES, Vbi secundi musculi peculiares siti sunt? GERON, In posteriore stomachi parte prolixi, & aliquantulùm perspicui. oriuntur autem carnosi à posteriori, & laterali ossis angularis sede, rectáq; in quartum & quintum os per tendinem desinunt, hoc est, inferiùs vbi cum tertio committitur. MATHETES, In quem vsum creati sunt? GERON, Vt rectà trahant, eoq; talibus fibris donati, ligulam versus latera dilatant, faciuntq; vt graues voces emittantur. MATHETES, Vnde tertij laryngis musculi eduntur? GERON, A priore ossis annularis sede, & cùm obliqui sint, in quartum quintumq; os terminantur, idq; illic, vbi duo secundi desinunt, non in partem, quæ scutum repræsentat: hoc munere donati, vt ligulæ priores partes astringant, & posteriores dilatent. MATHETES, Vnde quarti enascuntur? GERON, Ab interiore ossium scuta referentium parte, quibus committuntur inceduntq; obliquè, donec iam dictis ossibus inserantur, quæ arytænoidem constituunt, id est, in regione laterali. ijdem musculi cùm priores partes arctent, posteriores amplificant. MATHETES, Qualis extremus laryngis musculus existit? GERON, Omnium qui in toto corpore sunt, minimus, transuersim in eorum duorum ossium, de quibus mentio facta est, radice situs, fibrisq; transuersis præditus, similibus ijs, quas vltimus musculus ex communibus, qui stomachum complectitur, obtinet. MATHETES, Quid præstat? GERON, Posteriorem laryngis partem constringit, simulq; priorem dilatat. MATHETES, Quot scapularum musculi reperiuntur?

Musculi proprij laryngis qui.

Ligula in homine quid sit.

Ex nouem musculis laryngis vnde duo primi oriantur.

Voces graues cuius beneficio emittantur.

Tertij laryngis musculi.

Quarti laryngis musculi.

Musculus extremus laryngis omnium minimus.

SCAPVLArum muſculi.

GERON, In homine quatuor duntaxat vtrinq;, cùm totidem etiam motus ipſarum exiſtant, nempe ſurſum & deorſum, in priora & poſteriora: alij ſeptem vtrinq; ſtatuunt, fortè in brutis inuentos. MATHETES, Qualis primus ex quatuor illis exiſtit? GERON, Figura monachorum cucullæ, ſi cum coniuge ſuo conſideretur, ſimilis apparet: exoritur ex illis, tum ab occipitio, tum à ſummis ſpinis omnium vertebrarum, ceruicis, & thoracis ad octauam vſq;. Cæterùm lineam tranſuerſam in occipitio, ſpatiumq; huic & auri interpoſitum occupat: deſinit in ſummis humeris, iuxta maiorem ſcapularum proceſſum totum, & iuguli partem. MATHETES, Quot motus edit? GERON, Cùm varijs fibris ſit conflatus, varios: obliquis ſanè, ſcapulas ſurſum, ſummi humeri adiumento, obliquè trahit: medijs, verſus dorſum adducit: inferioribus deorſum trahit. De hoc muſculo Galenus & alij anatomici aliter ſentiunt. nam ille hunc in duos diuidit, vt in ſimijs: licet in homine vnus ſit. MATHETES, Vbi ſecundus ſcapularum muſculus ſitus eſt? GERON, Sub primo humeri muſculo, à ſecunda, tertia, quarta, quinta, rarò à ſexta coſta innaſcens, vbi in cartilaginem degenerat, & ſurſum obliquè aſcendens, in anguſtias cogitur, & in minorem ſcapularum proceſſum ancyroidem, cùm carnoſus, tum tendineus deſinit: hoc munere præditus, vt ſcapulas ad priora verſus pectus adducat, non autem, vt humero inſeruiat, ſicut Galeno videtur. MATHETES, Vnde tertius prodit? GERON, A tranſuerſo ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæq; ceruicis vertebræ proceſſu, carnoſusq; deſcendens craſſeſcit inualeſcitq;, & ſuperiùs interiusq; ſcapularum regioni inſeritur: fibris rectis ferè omnibus conſtat, eò quòd nonnullæ etiam obliquę exiſtant. Hic muſculus ſcapulas attollit, priorіq; fert auxilium: quia os illarum graue admodum exiſtit. MATHETES, Qualis eſt quartus ſcapularum muſculus? GERON, Latus, tenuis, quadrangulus. MATHETES, Vnde procedit? GERON, A ſpina quintę, ſextæ, ſeptimæq; vertebræ ceruicis, & à tribus thoracis primis ſuperioribusq;: initium habet carnoſum, & partim tendineum, fibrasq; obliquas: deſinit in vniuerſas ſcapulas, iuxta longitudinem, easq; dorſo admouet, id eſt, retrorſum trahit. MATHETES, Quid de humeri muſculis habes?

Primus ſcapularum muſculus cucullæ monachorum ſimilis.

Secundus ſcapularum muſculus.

Tertius ſcapularum muſculus.

Quartus ſcapularum muſculus.

HVMERI muſculi.

GERON, Eorum ſeptem ſunt numero, non vndecim, vt Galeno placuit, qui illum moueant ſurſum, deorſum, prorſum, retrorſum, & in orbem. MATHETES, Qualis primus eſt? GERON, Magnus, carnoſus, priorem thoracis regionem occupans, à medio iugulo, & cartilaginibus ſeptimæ & octauæ coſtæ, cui mammilla innititur: verſus pectus ad ipſius ferè totius longitudinem, progre-

Primus humeri muſculus qualis exiſtat.

progreditur. MATHETES, Quale eſt ipſius principium? GERON, Amplum et magnum, ſic tamen, vt in proceſſu imminuatur, fiatq; acutus, & poſtremò in breuem quidem tendinem, ſed latum deſinat: qui interiori humeri parti, ſub ipſius ceruice, inſeritur. MATHETES, Quid muſculus iſte agit? GERON, Cùm varijs fibris donatus ſit, humerum multifariàm ad pectus deducit, nempe ſuperiùs, in medio, & inferiùs: nec non quinq; lateribus præditus eſt. In quibuſdam hominibus inferior iſtius muſculi ſedes, nonnunquam acuta quodammodo exiſtit, ita vt alius muſculus eſſe videatur, cùm tamen non ſit. Galenus ex hoc vnico tres fecit, in homine tot eſſe, quot in ſimia, perſuaſus. MATHETES, Qualis ſecundus humeri muſculus eſt? GERON, Triangularis, craſſus, & varijs fibris intertextus. anatomici Græci ἐπωμίδα, & δελτοειδῆ, Latini humerarium vocant. MATHETES, Vnde enaſcitur? GERON, Ex medio iugulo, ſummoq; humero, & maiori ſcapularum proceſſu vniuerſo. initium autem ipſius latum eſt, tendineumq;: quod tamen in acutum deſinat. fertur ſupra humeri caput, & in eius medio, in validum tranſuerſumq; tendinem ceſſat, qui medium humerum, quà craſsior eſt, amplectitur, multiplicibus fibris intertextus, quibus brachium, ſuperiùs, in medio, antè & retrò, attollit. MATHETES, Qualis tertius apparet muſculus? GERON, Carnoſus & rotundus, qui ex inferiorum ſcapularum regione, carnea origine egreditur: fibris à principio ad finem vſq; rectis donatus, & ſitu obliquo ſuper gibbam priorem ſcapularum partem procedit, nec non in validum latumq; tendinem deſinit, qui poſteriori humeri ſedi inſeritur. MATHETES, Quem vſum hic muſculus habet? GERON, Vt brachium deorſum verſus poſteriora trahat. MATHET. Qualis quartus habetur? GERON, Ingens & latiſsimus, à faſtigio ſpinę ſextæ vertebræ thoracis ortus, deſcendit, iuxta omnium vertebrarum inferiorum apicem, ad oſsis ſacri dimidium vſq;. principium eius admodum prolixum, & vndiq; neruoſum eſt, ſed gracile: deinde ſurſum aſcendẽs, in anguſtum redigitur, & in validum tendinem, breuem, latumq; degenerat, idq; ſub humeri capite, iuxta eum locum, cui primus muſculus, pectus brachio adducens, inhæret: inter quos alę ſinus relinquitur. MATHETES, Quis eius vſus & figura exiſtit? GERON, Cùm varijs fibris conſtet, etiam brachium multifariàm deorſum trahit, ſed obliquè potius, quàm alio modo: tribus angulis inæqualibus conſtat, ex quibus vnus breuis, duo verò longi ſunt. breuis à ſexta vertebra, vſq; ad ipſius finem ex longis trahit originem: alter ab eadem vertebra, vſq; ad oſsis ſacri dimidium: tertius inde ad ipſius terminum pertingit. MATHETES, Nu[illegible] quintum enu-

Secundus humeri muſculus eiuſque officium & ortus.

Tertius humeri muſculus, quiſq; eius vſus exiſtat.

Quartus humeri muſculus, quiſq; eius vſus & figura exiſtat.

Quintus humeri muſculus.

meres? GERON, Is totum ſinum occupat, qui inter ſummas ſcapulas, & maiorem illarum proceſſum ſitus, à poſteriore parte ipſarum enaſcitur carnoſus, & in validum tendinem deſinit. Cùm autem ſub eo ligamento procedat, quod humerum cum ſcapulis annectit, in caput humeri ſuperioris finit, multumq; ſcapulis ipſis adhæret. MATHETES, Nunc ſextum humeri muſculum expo-

Sextus humeri muſculus.

nas? GERON, Vniuerſam ſcapularum regionem gibbam ambit, carnoſus, ſcapulis admodum inhęrens: ex poſteriore autem illius ſede, ad ipſius longitudinem enaſcitur, deſinitq; in craſſum & latum tendinem, ac tandem in caput humeri, verſus poſteriora im-

Septimus humeri muſculus quid præſtet.

mittitur. MATHETES, Quomodo ſeptimus muſculus deniq; ſe habet? GERON, Vniuerſum ſcapularum ſinum interiorem occupat, vbi coſtis inhæret, ex tota poſteriorum ſcapularum regione prouenit. ſitus eſt inter coſtas ſcapulasq;, & in tendinem ſatis latum deſinit, interioriq; humero inſeritur. ſi trium horum muſculorum vſum quęras, quos poſtremò iam commemoraui, brachium circumagunt. Atq; hæc de humero ſatis dicta exiſtimo: nunc de thoracis muſculis agam. MATHETES, Antequam pergas, explices mihi vehementer oro, quomodo ille moueatur. nam audio de eo eſſe controuerſiam.

DE THORACIS muſculis.

Thoracis motus duplex, voluntarius, & naturalis.

GERON, Tum voluntate tum natura. quamuis Galenus ex voluntate ſolùm moueri tradiderit. Cùm dormimus, thorax naturaliter, non voluntate mouetur: eoq; cartilagines inter coſtas, & os pectorale conſtituit, quæ pulmonis motui facilè cedunt. hic ſimiliter, & cùm vigilamus, & cùm dormimus, mouetur, præterquàm cùm orationem proferimus, ac vociferamus. tunc enim illæ paulò amplius mouentur, eò quòd muſculi thora-

Motuum ſingulorum origo.

cem magis dilatent. Voluntarius motus à muſculis, naturalis à pulmonis dilatatione ac conſtrictione prouenit. MATHET. Qui

Thoracis proprij muſculi ſunt 81. & octo communes.

ergo muſculi hoc præſtant? GERON, Proprij quidem vnus, & octoginta: communes autem octo, in abdomine ſiti. qui quamuis illi inſeruiant, tamen thoraci quoq; famulantur. atq; ita omnes in vniuerſum ſunt octoginta nouem. Hoc autem obſeruari debet, cùm inſpiramus, inferiores partes thoracis attolli, ſuperioresq; ſummitti. contrà cùm expiramus, inferiora ſummitti, ſuperiora

Primi thoracis muſculi.

attolli. MATHETES, Quot primùm muſculi occurrunt? GERON, Bini, vtrinq; ſinguli, ab inferiore iugulo prodeuntes: initium fi-

Secundus thoracis muſculus.

nemq; oblongum habent, & ſuperiori primæ coſtæ parti, quam attollunt, inſeruntur. Secūdus magnus eſt, latus, carnoſus totus: qui à baſe iuguli emergit, inter ipſum & coſtas incedens: primęq; coſtæ, ſecundæ, quartæ, quintæ, ſextæ, ſeptimæ, octauæ, & nonnunquam nonæ inſeritur: vbi verò iſtæ in cartilaginem ferè degene-

Tertius thoracis muſculus, eiusq; vſus.

generant, digitorum inſtar deſinit, in hoc factus, vt coſtas octo attollat. MATHETES, Qualis tertius apparet? GERON, Exilis & paruus, qui à trium ceruicis vertebrarum extremarum ſpinis, & à prima thoracis exoritur, principio lato, membranoſoq; in primam thoracis coſtam. aliâs in quartæ poſteriorem ſedem deſinit: in hunc vſum à natura conſtructus, vt coſtas illas attollat. MATHETES, Perge nunc reliquos ordine perſequi? GERON, Quartus etiam ipſe exilis & quadrangularis eſt, à thoracis extremarum duarum vertebrarum ſpinis, & nonnunquam à lumborum prima, initio lato, neruoſo, membranoſoq;, deinde carnoſo prodit, & in tres infimas coſtas terminatur, digitorum in morem, easq; coſtas attollit. Quintus carnoſus, à parte poſteriore ſuperioreq; oſsis ſacri & Ilium interiore, ortum habet: adeò pertinaciter ſecundo muſculo ſpinæ adhærens, vt meritò portio illius eſſe videatur. quanquam vbi ad coſtas peruenerit, planè diuerſus à ſpinæ muſculo eſſe cognoſcatur: quò autem magis aſcendit, eò tenuior euadit. nouiſsimè omnibus coſtis, poſteriore in regione, non procul admodùm à tranſuerſis vertebrarum proceſsibus, vbi coſtæ aſperitatem habent eminentem, neruoſorum muſculorum ſubſidio inſeritur: poſteriores thoracis partes conſtringit. Sextus in ſinu thoracis interiore, iuxta os pectorale, & ſeptem verarum coſtarum cartilagines, ſitus eſt, oblongus, carnoſus totus, ſed exiguus: in hoc autem creatus, vt priorem thoracis regionem coarctet. MATHETES, Qui muſculi hos ſequuntur?

Quartus thoracis muſculus.

Quintus thoracis muſculus.

Sextus thoracis muſculus, eiusq; officium.

MVSCVLI intercoſtales vtrinq;, triginta quatuor.

GERON, Intercoſtales, ſic vocati, quod ſpatia, ſiue interualla coſtarum occupent: numero ſunt vtrinq; triginta quatuor, eò quòd vndecim ſint interualla, verarum coſtarum ſex, quinq; ſpuriarum: in his duo ſunt, in ſingulis interuallis, in illis quatuor: idq; ea de cauſa, quòd cartilagines verſus pectus vertantur. nam pro harum ratione fibræ deducuntur. Porrò intercoſtales ſunt partim exteriores, partim interiores, fibris obliquis eisq; contrarijs præditi, ſic vt exteriores cum interioribus X literam efficiant. MATHETES, Vnde exteriores naſcuntur? GERON, Ab inferiore coſtarum parte, ac in ſubſequentium ſuperiorem regionem deſinunt: verſus ſpinam incipiunt, & tandem in os pectorale inſeruntur. MATHETES, Vnde interiores ſumunt initium? GERON, A ſuperiore coſtarum regione, & in inferiorem terminantur. Fibræ exteriorum, à ſpina obliquè verſus pectus ita procedunt, vt à ſuperioribus ad inferiora deſcendere videantur: interiorum fibræ contrario modo ſe habent, ſic vt literę X inſtar coniungantur: tenues quidem, ſed longi, non altiore loco ſiti, quod enim intercedit coſtas ſpatij, perbreue eſt. Reliqui anatomici falsò aſſeue-

Muſculi intercoſtales exteriores.

Muſculi intercoſtales interiores.

rant interiores musculos, non aliter quàm exteriores genitos esse, vt costas tantùm constringant. exteriores enim sursum tollunt, interiores deorsum: atque ita simul costas trahunt, valideque constringunt. fortis enim comprimendi vis thoraci inesse debet, eò quòd forâs expiremus & vociferemus: qui motus in viuorum animalium, præcipuè canum incisionibus obseruari potest. MATHETES, Qui post hos reliqui sunt enumerandi?

SEPTI transuersi musculus.

GERON, Septi transuersi musculus, qui naturalia membra à vitalibus diuidit, & animam appetitoriam ab irascibili, si Platoni credimus. situs hic musculus est in vltimo thorace: & in corpore nostro transuersus, figura orbicularis, neruosum tendinem in medio obtinet: quamuis carnosis partibus circundetur, sic vt fibræ à centro ad superficiem tendant. tam nobilis is musculus à veteribus habitus est, vt mentem in eo sitam esse dixerint: vnde etiam Græci φρενὰς appellarint. hoc enim læso, rarò aut nunquam mortem euadimus. MATHET. Nihil aliud ne, præter neruosum illum tendinem, quem multi sensus participem esse dicunt, adiunctum habet?

Venæ, arteriæ, & nerui septum transuersum ingredientes.

GERON. Indubiè: adsunt ei venæ, arteriæque non paruæ: præterea complures nerui, qui à spinæ medulla emergentes, inter costarum interualla, ad septum ipsum accedunt: quorum duo, inter quartam quintamque ceruicis vertebram incedentes, inferiùs supra pericardium inseruntur: vbi carnosa septi pars in tendinem degenerat. qua de causa Galenus de ortu ipsius non per omnia sibi ipsi conuenit. MATHETES, Quis vsus huius musculi est, quem septum appellasti?

Septum transuersum esse musculum, inspirationi & expirationi seruiens.

GERON, Expirationi inspirationique inseruit. quando enim suo fungitur officio, seipsum versus vertebras retrahit, ascendensque, extremas thoracis partes ad se adducit, & vniuersam sedem inferiorem constringit, idque cùm expiramus: quando autem inspiramus, remittit, & descendens, inferiora thoracis dilatari sinit. atque hic est septi transuersi vsus, quem in viuorum incisione spectare licet. Musculus idem à vertebris exorsus, tum suprà, tum infrà, quasi velamine tegitur: suprà quidem à membrana costas cingente, quam Græci πλεύραν vocant: infrà verò ab intestinorum inuolucro, quod Græci περιτόναιον appellant. alij originem ipsius neruosam esse arbitrantur: cùm tamen duæ illæ, longiusculæ ipsius partes, siue ligamenta existant, quæ ex latere duodecimæ thoracis vertebræ, ac lumborum superioribus prodeunt. illinc postea neruosa illius portio, quæ cartilagini mucronatæ coniungitur, sumit initium. MATHETES, Quid mucronata ista cartilago muneris habet?

Mucronata cartilago quid præstet.

GERON, Vt septi transuersi, non oris ventriculi (vt vulgò putant) propugnaculum existat, cui etiam c[illegible] innititur. Fit autem septum vtrinque carnosum,

& in

& in coſtarum ſpuriarum cartilagines tandem inſeritur, vltimamq́ coſtam amplectitur. ſic autem nobile iſtud ſeptum conſtructum eſt, vt alijs corporis noſtri partibus cedat. Cuius rei gratia duobus foraminibus peruium eſt, dextro & ſiniſtro latere ſingulis: per hoc ſtomachus deſcendit, qui in ventriculum deſinit: per illud caua vena aſcendit, quæ in thoracem procedit. Verùm cum ſtomacho bini nerui incedunt, quos ſextum cerebri neruorum coniugium procreat. atq; hęc propria ſunt ſepti tranſuerſi foramina. alij quoq; tertium adijciunt, per quod arteria ἀορτὴ iter faciat: quod ego neceſſarium eſſe nego, cùm illa ſanè vertebris ipſis adhærens, tranſeat. etſi enim ſeptum, dum vertebras amplectitur, arteriam quoq; comprehendat: non tamen ideo perforatur. Hippocrates & Galenus ſtomachum, & magnam arteriam per idem foramen tranſgredi docuêre. MATHETES, Qui alij ſunt in ventris regione muſculi?

Duo ſepti tranſuerſi propria foramina.

Tertium foramē in ſepto tranſuerſo.

GERON, Abdominis, quod Græci ἐπιγάστριον, Arabes mirach, Latini ventrem inferiorem appellant: in cuius medio vmbilicus, & membra tum nutriendi, tum generandi continentur. muſculi ipſius octo ſunt, vt anteà diximus: qui licet illi peculiares dicati ſint, thoraci tamen etiam auxiliantur, dum eum dilatant: quando autem comprimunt, alui excrementorum, vrinęq́, & fœtus expulſionem promouent, præſertim à ſepto tranſuerſo adiuti: nec non omnibus ijs, quæ in hac regione ſita ſunt, detinendis, magnam opem ferunt. Primi duo, obliqui deſcendentes vocantur: eò quòd è ſuperioribus orti, ad inferiora vergant: fibris obliquis donati: vnde etiam obliquorum nomen receperunt: lati admodum, & in lateribus ſiti. originem trahunt à ſexta, ſeptima, octaua, nonaq́ coſta, antequam in cartilaginem deſinere incipiant: deinde à ſubſequentibus coſtis, & tranſuerſorum in vertebris lumborum proceſſuum faſtigio, dimidiaq́ oſsis Ilium appendice, latiſsimum habent exordium, & carnoſum, digitorum vt plurimum inſtar. qui inter eos, fines ſecundi muſculi thoracis incedunt, octo coſtas dilatant. vbi verò longiùs progreſsi ſunt, in latum tendinem, neruoſum, membranoſumq́ degenerant, qui reliquæ parti appendicis oſsis Ilium, de qua egimus, & pubis adhęret, non autem coxæ. in medio ventre, nempe in mucronata cartilagine, rectâ vſq; ad os pubis finiunt: qua in parte candida linea apparet, & horum muſculorum tendines, cum obliquis aſcendentibus, & tranſuerſis coniunguntur. MATHETES, Cur hæc pars albicat? GERON, Eò quòd caro illi non ſubiecta ſit: ideo candida illa linea dictorum muſculorum terminus eſt, non in oſſe pubis, quia hoc non mouetur. Quomodo enim obliqui deſcendentes

ABDOMINIS muſculi.

Muſculi abdominis octo.

Primi duo abdominis muſculi deſcendentes dicti.

Linea candida in ventre inferiore.

abdominis musculi officio suo fungi possent, si ossi pubis inserti essent? nam præterquàm quòd tum intestina, tum alia, quæ dixi, premant, etiam inferiora thoracis constringunt, septoq; auxilium ferunt. tanta est tendinis illorum vnio, vt vnus tantundem musculus esse videatur, cui duæ carnosæ partes contigêre. Si verò quis diligenter terminum fibrarum obseruet, duos esse musculos deprehendet, qui in medio vniuntur, & alios sex ventris inferioris musculos superant. MATHETES, Qui secundi obliqui ascendentes dicuntur? GERON, Quorum fibræ aliter, quàm primorum habent. nam illæ deorsum, hæ verò sursum obliquè spectant, & sicut intercostalium musculorum fibræ, X literæ figuram imitantur. Itaq; hi carnosi ab ossis Ilium, & transuersorum in vertebris lumborum processuum initio, membranam referente, exorti, sursum quidem carnosi inferioribus costis nectūtur: deinde in latum, neruosum, membranosumq; tendinem desinunt, qui ascendens, rectis musculis occurrit, & in duos diuiditur: quorum alter supra rectum musculum, alter sub ipso incedit. nam recti hoc complexu robustiores euadunt, & in medio trium consistunt: & nisi tendo iste scissus esset, recti musculi nequaquam in medio collocari possent. vniuntur autem rursus isti tendines, vbi linea candida sita est: atq; hoc loco, ita vt descendentes terminantur, neruosisq; nonnullis rectorum musculorum partibus adhærescunt. vsus eorum est, vt intestina comprimant, costasq; deorsum trahant, quò thorax dilatetur. MATHETES, Quales tertij abdominis musculi existunt? GERON, Recti, qui sic appellantur, quòd secundum corporis rectitudinem siti sint, rectisq; fibris præditi: ab osse pubis incipiunt: quamuis Galeno aliter videatur, qui illos à pectore oriri putat, cùm in illud potius supra mucronatam cartilaginem desinant. duo habent magna ex parte principia, vnum neruosum, alterum carnosum, idq; à superioris ossis pubis regione: quanquam interdum vnum duntaxat carnosum habeant. In os autem pectorale, & in vltimarum costarum verarum cartilagines, lato fine terminantur, tendinis expertes: quamuis tribus tendineis neruosisq; intersectionibus constent, quibus musculi obliqui ascendentes annectuntur. MATHETES, Quorsum intersectiones istæ pertinent? GERON, Vt musculos hos corroborent, ne ipsi in profundum abdomen, admodum contrahantur, venter autem magis rotundus relinquatur. in exortu proximi sunt, quo magis autem ascendunt, eò magis segregantur: crassi & validi: in hoc à natura facti, vt priora abdominis comprimant, sed euidentius tamen thoracem deorsum trahunt, vt superiùs dilatari possit. MATHETES, Qui restant adhuc musculi abdominis? GERON, Postremi

Secundi abdominis musculi ascendentes dicti.

Ascendentium & descendentium musculorum vsus.

Tertij abdominis musculi recti appellati.

Musculorum rectorum intersectiones ad quid pertineant.

Musculi abdominis transuersi vocati.

ſtremi ſunt tranſuerſi, ſic appellati, quòd tranſuerſim in corpore collocentur, à tranſuerſis vertebrarum lumborum proceſsibus prodeuntes, neruoſi: qui deinde carnoſi euadunt, & Ilium oſsi, coſtisq́ inferioribus cohærent: fibras quoq́ tranſuerſas obtinent, & in latum, neruoſum, membranoſumq́ tendinem, per lineam candidam deſinunt, pubisq́ oſsi inhærent, quemadmodum obliqui aſcendentes, & deſcendentes: quamuis non ita adhæreſcant, peritonæo tamen adhærent. hoc habent officij, vt abdomen comprimant, & præcordia conſtringant. Illud adhuc adijciendum eſt, tendines muſculorum obliquorum deſcendentium & aſcendentiũ, tranſuerſorumq́, perforatos eſſe, primùm in vmbilici regione: deinde prope os pubis, & per ea foramina vaſa, quę teſtibus ſemen præparant, deſcendere, & quæ deferunt, aſcendere: quæ tandem in glandulas aſsiſtentes, Græci παραστάτας vocant, inſeruntur: atq́ per hæc foramina ramices, ſiue herniæ apparent. inueniuntur etiam ea in mulieribus, licet hoc anatomici quidam non animaduerterint. Sunt qui decem muſculos in abdomine contineri affirment, ſed perperàm. nulla enim ratione, ſententia illorum defendi poteſt. quare me ad teſticulorum muſculos conuertam. MATHETES, Quot numero ſunt, & quales?

Transuersorum musculorum officium.

Tendines musculorum obliquorum ascendentium, descendentium, & transuersorum, perforatos existere.

Vasa semen praeparantia, & deferentia.

TESTICVLORUM musculi.

GERON, Bini, tenues, oblongiq́ in membrana δαρτῷ ſiti. originem ſupra os pubis trahunt, vbi foramen apparet, per quod vaſa ſeminaria deſcendunt, eadem membrana inuoluta. at ſi verum fatendum erit, non adeò veri muſculi figuram repræſentant, eò quòd fibræ quædam carnoſæ, rectæq́ in hac darto exiſtant. Veteres hos muſculos, græcè κρεμαστῆρας, quaſi ſuſpenſores appellarunt. ideo nanq́ effecti à natura videntur, vt teſtes ſuſpendant, ne temerè delabantur. alij putant hos, non modò teſtes detinere, ne prolabantur, ſed etiam attrahere, idq́ motu voluntario, dextrum à dextro, & ſiniſtrum à ſiniſtro. MATHETES, Quot & quales muſculos habent virorum naturalia?

Musculi suspensores dicti.

COLES eiusq́ musculi.

GERON, Coles rarus, ſpongioſus, craſſaq́ membrana inuolutus, quatuor muſculos obtinet: quorum primi ab orbiculari muſculo oriuntur, qui extremo recto inteſtino adiacet, Græci σφιγκτῆρα vocant. longiuſculi ipſi ſubtus incedunt, & media illius parte, in meatum vrinarium inſeruntur, qui ſemini quoq́ communis eſt, quem ipſi amplectuntur: ideò à natura effecti, vt cùm lotium nobis, vel ſemen emittendum eſt, meatum iſtum dilatent. Reliqui duo muſculi à coxendicis appendiculo oriuntur, ſub ipſius colis exordio, quod ab inferiore pubis oſsis regione ſumit. ſunt quidem muſculi iſti breues, ſed prædictis craſsiores, & in ipſum colem deſinunt: cùm vrina reddenda eſt, magnam quoq́

ipsi opem ferunt, maiorem verò in concubitu. nam colem sustinent, erectumq; detinent, dum ille compleatur. MATHETES, Habétne etiam vterus musculos?

VTERI musculi.

Membranæ in vtero instar alarum positæ.

GERON, Ad latera ipsius, vbi seminaria vasa adsunt, duæ quoq; membranę alarum instar adsistunt, quę distinctionem vasorum illorum continent. hæ membranæ non in omnibus, sed in quibusdam duntaxat mulieribus, carnosas quasdam fibras, veluti virorum dartus, habent: si igitur has pro musculo vteri accipere voles, nihil refert.

VESICÆ musculi.

Glandulæ semen continentes.

Musculus collum vesicæ complectens.

Mulieres glandulas parastatas non habent.

Proximi sunt vesicæ musculi, de quibus nunc agemus. notandum autem, naturam iuxta ceruicem, eius glandulas illas, Gręcis παραστάτας dictas, collocasse, quæ perpetuo semine in homine refertæ sunt, nisi ille vel puer sit, vel senex, vel macie consumptus. Harum fini tenuis musculus orbicularis, fibrisq; circularibus pręditus, appositus est, qui ceruicem vesicę constringit, ne vrina inuitis nobis exeat. nisi enim hic adesset musculus, vrina singulis horis excerneretur, sicuti in quibusdam accidit, quibus ille resolutus est: nec non in ijs, quibus imperiti chirurgi quidam, calculorum excidendorum professores, transuersum dictum musculum, inciderunt. cùm enim situm huius prorsus ignorent, imprudentes eum violant, morbumq; deteriorem inducunt. Quibus hic musculus præcisus est, vrina semper emanat: nunquam autem colligitur, magnusq; fœtor inde ex vestimentis interioribus illis madefactis percipitur. Is itaque musculus vrinam continet: cùm eam reddere volumus, resoluitur, atq; sic illa effluit. idem in mulieribus quoq; reperitur, quamuis asistentes glandulas, illæ non habeant.

ANI musculi tres.

Musculus rotundus recti intestini sphincter dictus.

Duo reliqui musculi recti intestini, eorumq; vsus.

His succedunt tres ani musculi, ex quibus vnus rotundus est, qui inde quòd aluum constringat, σφίγκτηρ grecè dicitur, in extremo recto intestino situs: latus, magis crassus, fibrisq; transuersis præditus, cuti admodum vnitur, ligamentis à coccyge mutuò acceptis. idem ipsius munus est, quod vesicæ musculus obtinet, nempe vt vrinam contineat, ne nobis inuitis elabatur. Præter hunc, reliqui duo sunt lati quidem, sed tenues, ab ossis sacri ligamento, & ab Ilijs originem sumentes, in superiorem sphincteris partem terminantur: in hoc procreati, vt rectum intestinum sursum trahant, si fortè violentiùs excernendo, quod interdum accidit, elabatur. MATHETES, Quos hactenus musculos recitasti, interioribus tantùm partibus inseruire videntur: nunc exteriorum partium peculiares persequere.

MVSCVLI femur mouentes.

GERON, Morem tibi geram. Eos igitur qui femur, deinde qui tibiam, posteà qui extremum pedem, nouissimè qui cubitus,

summamq;

summamq; manum mouent, enumerabo. Cùm igitur femur flecti, extendi, in orbemq; agi, nec non intrò forasq;, & summatim vndequaq; ferri soleat, decem musculis donatum est, ijsq; magnis, eò quòd, cùm membrum tum crassum, tum oblongum moueri debet, validis musculis indigeat, à quibus hoc præstari possit. Primus iste qui nates constituit, admodum crassus & carnosus, à dimidia ossis Ilium appendice, ab osse sacro, & coccyge exoritur: initio lato, & semicirculari: sed ita processu attenuatur, vt tandem in acutum fastigietur. desinit autem in maiorem rotatorem, quem Græci τροχαντῆρα vocant, inferiusq; adhuc in femur: per latum autem tendinem, coxendicis articulum excedit. Secundi musculi maior portio sub primo latet, liuetq;, à tota Ilium appendice carnosa, & semicirculari originem trahens, super eundem articulum vehitur, & in latum validumq; tendinem terminatur, magno trochanteri à summo adhærescens. Tertius sub secundo totus latitat, ipse quoq; liuidus, carnosoq;, & semicirculari initio, ab Ilium osse prodit, & processu, sicut alij duo iam dicti, imminuitur, desinitq; in tendinem, quo magno trochanteri annectitur, sed per illius summa interius, vbi is nonnihil inuertitur. tres isti musculi femur extendunt, sursum attrahunt, & ad exteriora ducunt. Quartus, obliquo situ est: à tribus inferioribus sacri ossis partibus, principio carnoso, & rotundo oritur: in tendinem etiam rotundum finit, quo in apicem maioris trochanteris versus posteriora desinit, femurq; ad se trahit, & in circumagendo illi opitulatur. Quintus, lumborum est, in abdomine situs, rotundus, carnosus, & validus, nonnihil obliquus, & totus liuidus: incipit ab vndecima, & duodecima thoracis vertebra: à tribus autem superioribus lumborum, quà vertebræ ipsæ sunt, descendit supra os pubis, & in tendinem rotundum cessat, qui in minorem trochanterem inseritur. Sextus cauam ossis Ilium partem interiorem occupat vniuersam, & à tota ipsius appendice oritur: principio semicirculari in abdomine situs, descendit supra os pubis: totus carnosus est, atq; talis ad extremum eius ferè progreditur, vbi in tendinem degenerat, qui minori trochanteri inseritur. hic quintus & sextus femur flectunt. Septimus ab osse pubis iuxta ipsius cartilaginem lata origine, situq; obliquo exoritur: in femur autem interius, sub minore trochantere, exiguo tendine desinit. vsus eius est, vt femur hoc versus alterum trahat, & femur femori superimponat, si rectè consideres: non autem flectendi causa, quemadmodum ab alijs falsò putatur. Octauus musculus, qui alijs quintus est, omnium in humano corpore maximus existit, tam varijs fibris refertus, vt tres quatuórue musculi possint

Femoris motus.

Musculi femur mouentes decem sunt.

Primus musculus femur mouens, nates constituit.

Secundus femoris musculus.

Tertius femoris musculus.

Quartus femoris musculus.

Quintus femoris musculus.

Sextus femoris musculus.

Septimus femoris musculus.

Octauus femoris musculus omnium maximus.

repræſentari. ab interiore oſsis pubis ſede incipit, & à coxendice minorem trochanterē complectitur: deorſumꝙ tendit, femori adhæreſcens oblonga illa ſua aſperaꝙ linea: poſteriore parte carnoſus. nouiſsimè in tendinem degenerat, qui interiori femoris capiti inſeritur. id officij muſculus iſte habet, vt femur erigat, quod parui faciendum non eſt. nos enim in hoc à brutis differimus, quòd erecti incedere poſsimus: illa verò in terram prona ingrediantur. huc accedit, quòd ille ſeptimo auxilium ſuppeditet, vt femur femori, cùm volumus, ſuperimponamus.

Nonus femoris muſculus.

Nonus totum illud foramen occupat, quod in oſſe pubis, et coxendice exteriori in parte ſitum eſt. initium eius latum carnoſumꝙ exiſtit: extrorſum verſus incedit, manetꝙ tranſuerſus, & ſemper attenuatur proceſſu, adeò vt tandem in validum tendinem deſinat, qui in ſinum quendam in maiori trochantere ſitum, finit.

Decimus & vltimus femoris muſculus.

Decimus & vltimus femoris muſculus, interiore ex parte incipit, foramenꝙ iam dictū ipſe quoꝙ obtinet, dignus qui non negligatur: valdè carnoſus latusꝙ (vt de nono dixi) oritur, ferturꝙ ab interioribus ad exteriora ſupra coxendicem, vbi ſinus ad trochleæ imaginem efformatus habetur. idem muſculus, cùm ingreſſum flectere oportet, rtes ſępe tendines efficit, interdū quatuor, & quinꝙ: qui poſtremò vniuntur, vnumꝙ tendinem duntaxat efficiunt, qui in poſteriore maioris trochanteris parte terminatur. Vbi in primum tendinem degenerare, illiusꝙ eſſentiam referre videtur, natura carnoſum ſacculum conſtruxit, cui tendinem hunc imponat, ne ab oſsis, quod ipſe amplectitur, duritie offendatur. MATHET. Nunc tibiæ muſculos perſequere.

TIBIAM mouentes muſculi.

Tibiæ motus à decem fiunt muſculis.

GERON, Cùm illa flectatur, extendaturꝙ ſecundum rectitudinem, moueaturꝙ obliquè verſus exteriora (quanquam obſcuriùs, vt quidam hunc motum negent) multos etiam muſculos ipſam habere oportet, qui numero decem exiſtunt: ex quibus quinꝙ flectunt, quatuor extendunt, vnus verò duntaxat ſub poplite latitans, in obliquum mouet.

Primus tibiæ muſculus.

Primus & neruoſus, & carnoſus, ab inferiore Ilium oſsis appendice exoritur. idem carnoſus obliquè per femoris interiora procedit: vbi autem ad interius femoris caput peruenerit, in neruoſum tendinem latioremꝙ, non autem verè rotundum (vt alij volunt) degenerat: in priorem tibiam finit. Galēnus illum tibiam ſupra tibiam deferre docet in homine, ſed id falſum eſſe deprehenditur: quanquàm in ſimia verum eſſe poſsit.

Secundus tibiæ muſculus.

Secundus muſculus, à priore regione oſsis pubis enaſcitur prope cartilaginem, initiumꝙ illius latum eſt, iuxta longitudinem commiſſuræ oſsis pubis: carnoſus deſcendit, rectis fibris: fit rotundus apud interius femoris caput, & in nerueum tendi-

tendinem desinit, qui penè est teres: deinde verò dilatatur, & terminus eius est in anteriore tibiæ parte, quam ἀντικνήμιον Galenus vocauit, iuxta musculum quem primo loco retulimus.

Tertius tibiæ musculus.

Tertius ab infima coxarum appendice, nerueo principio, longo, & rotundo oritur: deinde iuxta mediū femur carnosus euadit, fibrisq; varijs per femur posterius defertur. vbi verò ad genu peruenerit, in neruosum tendinem degenerat, cuius interuentu posteriori interioriq; tibiæ inseritur.

Quartus musculus tibiæ.

Quartus ab eadem sede, prope tertium editur: origo autem eius tum carnea, tum neruosa est, deorsumq; rotundus propemodum existit: incedit per femur posterius, rectis fibris prędítus: prope genu in neruosum tendinem degenerat, qui priusquam finiatur, dilatescit, ac tandem in priorem tibię partem, inter primum & secundum terminatur.

Quintus tibiæ musculus.

Quinti musculi origo est ex appendice coxendicis, prope tertij quartiq; exortum, eaq; primùm acuta est, deinde crassescit, & per posterius exteriusq; femur progreditur. vbi verò medium illius attigerit, notabilem molem carnis in medio femoris nascentem, sibi asciscit: quam quis musculum ferè dicere posset, sed reuera non est, si rectè inspiramus, à quinto hoc distinctus. si tamen carneam istam quinti musculi partem, pro nouo recensere voles, quem alij non obseruarint, parum refert. ibidem extrinsecus in tendinem degenerare incipit, qui cum prędicta carne simul ad finem vsq; descendit, sic vt in capite suræ terminetur. Porrò carnis illa portio musculo huic est affixa, vt illum validiorem efficiat, medioq; à femore exilijt, vt propinquior illi esset. vnicus enim hic musculus solùm in exteriore parte existit, cùm quatuor sint interiores.

Quinq; priorum musculorum vsus.

Vsus quinq; horum musculorum est, vt illum flectant.

Quintus tibiæ musculus pro quarto à Galeno numeratur.

Galenus quartum numero esse dicit, quem cursori cuidam adimendum præceperat: quamuis postea nihilominus currere potuerit. hoc enim musculo è crure sublato, flexus rectus nullo pacto fieri potest: licet Galenus in cursu, rectum fieri docuerit, tamen res ipsa aliter ostendit. MATHETES, Cùm iam flexionis musculos absolueris, ad eos qui tibiam extendunt, iam accedas.

Sextus musculus tibiam extendens.

GERON, Sextus ex media Ilium ossis appendice oritur: principio neruoso, carnosoq;: aliâs breuis est, & crasiusculus, maioriq; trochanteri coniungitur. ibidem caro eius desinit, tendo autem latus, membranosus, neruosusq; sequitur, quo nullus in toto corpore maior existit, vt qui omnes ferè musculos, qui circum femur siti sunt, amplectatur: rectis fibris præditus.

Tendo sexti tibiæ musculi omnium maximus.

Cura in hoc chyrurgis adhibenda est, ne ipsum transuersum incidant. patellam enim genu amplectitur, & tandem in priorem tibiæ suræq; partem inseritur. Septimus tibiæ musculus ex magno trochantere initio neruoso prodit, to-

Septimus tibiam extendens musculus.

tumq; illum circundat, ſuperiùs exteriùſq; femori adhæreſcens: craſſus admodum, totusq; liuidus, ad patellam vſq; carnoſus, rectisq; fibris progreditur: deinde in latum & membranoſum tendinem, qui illam comprehendit, terminatur.

Octauus tibiæ muſculus.

Octauus neruoſus, è ceruice femoris, & ex magno trochantere, quaſi duplici origine emergit, ſtatim autem carnoſus euadit, femoriq; adhæreſcit: procedit autem ipſe in priorem interioremq; partem, carnoſus ad patellam vſq;, varijs fibris intertextus: deniq; in tendinem deſinit, qui genu & ipſe complectitur.

Nonus tibiæ muſculus.

Nonus à priore oſsis Ilium parte, ſupra coxarum articulum ortum habet. primùm acutus neruoſusq; egreditur: deinde carnoſus & teres euadit: rectus ipſe incedit ſupra priorem femoris ſedem, inter ſeptimum & octauum muſculum: priuſquam autem ad genu perueniat, tendinem gignit neruoſum validumq;, qui ex anguſto fit latior, & cum ſeptimi octauiq; tendinibus adunitur. atq; ſic iuncti, ſimul patellam amplexantur, & priorem in tibiam finibus ſuis inſeruntur. Quatuor iſti muſculi iam dicti, tibiam rectâ extendunt, ſicut alij quinq; rectâ quoq; flectunt. non eſt, quòd in his Galeni ſententiam imiteris.

Decimus tibiæ muſculus.

Decimus ſub poplite latitat, origine neruoſa, rotundaq; ab exteriore femoris capite egreditur: extrinſecus, ſub ligamento fertur: mox in carnoſam naturam degenerat, ſitu obliquo, fibriſq; diſsimilibus, & carnoſus in poſteriorem interioremq; tibiam inſinuatur. is muſculus tibiam obliquè verſus exteriora mouet, licet alij negent. MATHETES, Qui reliqui in tibia muſculi ſiti ſunt?

MVSCVLI extremo pedi inſeruientes.

GERON, Qui extremo pedi inſeruiunt. cùm enim ille flectatur, extendatur, moueaturq; ad latera, muſculorum ſuorum ſubſidio, qui in priores poſterioreſq; diuiduntur, numero ſunt duodecim, vel ad ſummum tredecim.

Primus pedis extremi pedis muſculi.

Primus ab interiore femoris capite, ſupra genu retrò emergit, initio carnoſo & anguſto: verùm in proceſſu dilatatur, & circa mediam ferè tibiam in tendinem latum ac neruoſum deſinit, qui poſtea ſemper anguſtus euadit, & in poſteriorem ſuperioremq; calcem ceſſat.

Secundus pedis muſculus.

Secundus priori ſimilis eſt. nam etſi ab exteriore femoris capite prodeat, in reliquis tamen eadem quæ prior, efficit, adeò vt vnus duntaxat muſculus duobus principijs præditus eſſe videatur. corpus enim vnum eſt, tendoq; vnus.

Muſculi ſuram conſtruentes.

hi, inquam, duo muſculi, quos non immeritò in vnum cogere poſſumus, ſuram conſtruunt.

Tertius pedis muſculus.

Tertius etiam ab exteriore femoris capite, prope articulũ exoritur: initio ſuo acutus: deinde extuberantior breuiſq; eſt, & in oblongum tendinem, atq; neruoſum finit, quo inter rotundos, longior in corpore non extat.

Tendo longiſsimus humani corporis.

idem ſub duobus anteà dictis latitat, ſitu obliquo, talibusq; fibris præditus: ab exteriore parte verſus interiorem pro-

rem progreditur, tendini superiùs dictorum musculorum adhærens, tandem interiori calci insinuatur. hunc vsum præstat, vt pedem introrsum euertat. in simijs latum tendinem producit Galeno, in nobis verò in calcem cessat.

Quartus tibiæ musculus pedi inseruiens.

Quartus maior est, & liuidus sub appendice suræ: posteriore parte nascitur, principio neruoso, & valido: deinde carnosus euadit, & suræ tibiæque inhæret: latitudine ossa excedit. vbi verò mediam tibiam attigerit, in angustum tendit, & calcem versus, in tendinem desinit, quo nullus omnino valentior in corpore humano inuenitur: cum priore tendine vnitur, & in posteriore calce terminatur.

Tendo quarti musculi in tibia omnium robustissimus.

Musculi pedem extendentes.

officium primi, secundi, & quarti est, vt pedem extendant, in terramque figant: ad quod tamen quatuor alij musculi sunt auxiliarij.

Quintus musculus tibiæ pedi inseruiens.

Quintus à tibia & sura originem ducit, eique ligamento adhærescit, quod tibiam & suram interiacet, prioresque musculos à posterioribus seiungit: carnosus ad extremam ferè tibiam existit, & prope interiorem talum, in robustum, neruosum, & rotundum tendinem finit: progreditur sub interiore talo, & ossi nauiculari dicto: denique sub planta pedis euanescit. si vsum huius musculi quæras, pedes versus interiora trahit, ligamenti particeps.

Sextus tibiæ musculus pedi extremo inseruiens.

Sextus à posteriore tibia, longo initio & carnoso emergit, quamuis postea in rotundum tendinem degeneret: incedit sub interiore talo, & sub calce ligamentum habet, à tibiæ appendice exortum.

Pedis tendines perforati.

tendo ille sub planta, in quatuor alios rotundos perforatos diuiditur, qui processu in tertium quatuor digitorum articulum, pollice excepto, inseruntur.

Tendines quatuor digitos flectentes.

tendines isti quatuor digitos flectunt, eosdemque validè astringunt.

Septimus tibiæ musculus pedi inseruiens.

Septimus musculus longus, carnosusque à sura, sub appendice ad triũ digitorum spatium emergit: carnosus autem existit, donec ad calcem perueniat, vbi in rotundum tendinem transit, qui sub ligamento, talo, & planta præterit, & in os pollicis, quod flectit, mittitur. atque hi sunt posteriores musculi extremi pedis: de prioribus nunc agamus.

Primus musculus prioris pedis.

Horum primus à tibia, hoc est, ab appendice iuxta suram egreditur, ipsique validè adhærescit satis crassus, & priorum horum maximus. vbi mediam tibiæ longitudinem prætergressus est, angustus redditur, & in tendinem rotundum, neruosum, validumque desinit. ingreditur autem per superiorem pedis regionem, quę τάρσος grçcè dicitur, retineturque à ligamento, quod ab inferiore tibiæ, surçque appendice, ortum habet. hic tendo adeò attollitur, vt sub cute euidenter appareat, ac in osse imo plantæ pollici præposito terminatur.

Tendo in pede sub cute apparens.

musculi huius vsus est, vt extremum pedem flectat.

Secundus prioris pedis musculus.

Secundus à tibiæ appendice prodit, & ligamento adhæret, quod tibiam suramque interiacet: deinde carnosa quidem huius musculi radix, surę ipsi ad finem propemodum ad-

Tendines superiores quatuor digitorum pedis.

iacet: verùm in quatuor rotundos tendines cessat, qui sub eo ligamento detinentur, quod à tibiæ & fibulæ appendice exoritur. quatuor hi tendines, postremò in superiorem omnium digitorum partem inseruntur, pollice excepto, eo nimirum vsu, vt digitos illos extendant.

Tertius prioris pedis musculi.

Tertius à media sura carnosus, prope ligamentum erumpit: deinde in tendinem rotundum degenerat, qui sub transuerso etiam ligamento defertur, & in vltimum pollicis articulum, quem etiam extendit, insinuatur. is tendo in duos alios diuiditur, quorum alter finem habet, alter autem in os plantæ inseritur, & flectendo pedi auxiliatur. secundus tendo in musculo quoq; oritur: atq; hæc portio in quibusdam, licet rarò, alius musculus esse videtur. si quis hunc musculum duplicem esse velit, tunc duodecim illis, decimus tertius addetur, vt scilicet tredecim sint, qui extremo pedi inseruiant.

Quartus prioris pedis musculus.

Quartus prioris pedis musculus, à superiore suræ appendice, extrorsum versus gignitur. si verò quis accuratiùs rem perpenderit, neq; posterioribus, neq; prioribus annumerandus esse videtur. initio carnoso, neruosoq; constat, quanquam in processu etiam deinde carnosus fiat: tandem autem in rotundum tendinem desinit, & suis finibus, ossibus plantæ inseritur, transuersoq; constat ligamento. porrò munus huius musculi est, vt pedem ad exteriora euertat.

Quintus prioris pedis musculus.

Quintus similiter à sura exorditur initio oblongo, extrinsecus carnosus, sicut & quartus: inceditq; sub exteriore talo, vbi simul cum quarto in tēdinem rotundum terminatur, qui plantæ ossi immittitur, quod minimo digito præpositum est. iste musculus extrorsum trahit.

Quo pacto pes humi affigatur.

Quòd si omnes hactenus enumerati musculi, vnà in actione concurrant, tunc pes ab hisce vniuersis humi affigetur.

MVSCVLI in extremo pede siti, pedis digitis deseruientes.

At in extremo pede siti musculi, decem & octo numerantur, qui omnes digitis inseruiunt, quamuis ex quatuor supra descriptis, alij ipsos flectant, alij extendant: atq; sic musculi pedis digitos mouentes, in totum viginti duo erunt.

Primus musculus pedis digitis inseruiens.

Primus ex octodecim istis, sub media planta subsistit, ab inferiore calcis parte, hoc est appendice, natus. incumbit huic tendo latus, qui Galeno à tertio musculo oritur. nobis cum Realdo inter posteriores tibiæ tertius, Galeno quartus numeratur. Initium idem habet neruosum, carnosumq;, & sub plantæ osse diuiditur, tandemq; in quatuor tendines rotundos ac perforatos degenerat, qui secundo quatuor digitorum articulo, mirabili artificio inseruntur.

Quatuor perforati tendines, & eorum vsus.

vsus illius est, vt secundum articulum illorum quatuor digitorum flectat. tendo qui huic musculo inhęret latus est, sensuq; acerrimo prędi-tus: idq; hac de causa, vt externas iniurias celerrimè persentiat. Secundus quoq; à calce prodit, & iuxta primum interiore ipsius parte

parte propemodum rotundus, oſsi plantæ quod pollici præpoſitum eſt, alligatur, tendinem producit, quo pollici inſeritur. ideo generatus, vt illum ab alijs digitis abducat.

Secundus pedis muſculus pollicem ab alijs digitis deducens.

Tertius ſimiliter ab eadem calce, prope primum immergit, tenditꝗ verſus exteriorem partem, & plantæ oſsi, minimo digito præpoſito, affigitur, vbi proceſſus illius apparet: deinde in tendinem degenerans, tandem in eundem minimum digitum terminatur, illumꝗ à reliquis abducit.

Tertius muſculus digitis pedis inſeruiens.

Poſt hos alij quatuor ſequuntur, qui ſub pedis planta, eiusꝗ oſsibus occurrunt, à tendinibus muſculi perforantis, qui in tertium quatuor digitorum articulum deſinit, exoriuntes. verùm hi cùm parui rotundiꝗ ſint, carnis portionem à calce mutuò acceptam, ſibi adſciſcunt. hunc autem vſum muſculi iſti præſtant, vt quatuor digitos ferè extendant, & magis quàm alij tendines, vt à perito anatomico facilè deprehendi poteſt. Galenus & alij quidam docent, hos, quatuor digitos à pollice abducere.

Quatuor muſculi pedis digitis inſeruientes.

His decem in plantę oſsibus ſuccedunt, vt ſinguli digiti binos habeant, qui ab initio oſsium plantæ proueniunt, finiuntꝗ in primo omnium quinꝗ digitorum articulo: carnoſi ſunt: in hoc conditi, vt expeditiùs flectant, quod accidit, quando bini ſimul eodẽ tempore mouent: cùm autem alter duntaxat, digitos obliquè introrſum & extrorſum trahunt.

Decem muſculi ſingulis digitis pedis bini inſeruientes.

Decimus octauus extremo in pede ſitus, ſupra tarſum & plantam, à ligamento naſcitur, quod tibiam & ſuram cum pede connectit: latus & tenuis, in quinꝗ tendines, aliâs in quatuor deſinit, omnibusꝗ digitis exteriore in parte inſeritur, quos obliquè extendit. MATHETES, Inferiorum partium muſculos, iam omnes videor ex te audiuiſſe, deſidero adhuc eos, qui ſuperiores moueant.

Poſtremus pedis muſculus, eiuſꝗ vſus.

GERON, Cùm igitur cubitus rectum duntaxat motum, nullum autem obliquum habeat (quicquid de hoc Galenus ſcripſerit) duo flectentes muſculi, totidemꝗ extendẽtes inueniuntur.

MVSCVLI cubito inſeruientes.

Primus validus ſub cute apparet, interiore humeri parte ſitus, ex ſcapulis duobus initijs interſtinctis exoritur: quorum vnum neruoſum ac rotundum, à ſuprema ſupercilij acetabuli in ſcapulis conſpicui parte prouenit: incedit autem ſupra humeri caput, & per rimam in hac ſuperiore ſede poſitam, præterlabitur, quæ huius tendinis gratia formata eſt. alterum à proceſſu ancyroïde gignitur. Eſt autem muſculus ille partim neruoſus, partim carnoſus. quâ carnoſus eſt, humero adhæreſcit, videturꝗ ijs, qui acriùs vident, diſtinctus ſeparatusꝗ: humero ſuccurrit, verſus pectus illum trahens. Poſtea duæ iſtæ prædicti muſculi origines ſub humeri capite vniuntur, & muſculum illum craſſum efficiunt, prope rotundum, validum, rectis fibris intertextum. qui apud cubiti

Primus muſculus cubitum flectens.

articulum in tendinem neruoſum deſinit, & paulò antè, quàm finiat dilatatur, radioq; annectitur: vbi is interius tuberculum, vt muſculum hunc excipiat, efformatum obtinet. Secundus ab humeri oſſe editur, carnoſus totus, fibriſq; rectis præditus, ſub priore latitat, ſupraq; cubiti articulum carnoſus fertur, & cubito radioq; infigitur. hi duo muſculi cubitum rectè flectunt. Tertius à ſcapulis paulùm ſub illarũ ceruice prodit, ferturq; per humeri poſteriora, & tendine ſuperiùs lato conſtat, carnoſuſq; cum ſuo tendine in cubiti proceſſum tendit, quem Græci ὠλέκρανον vocant: atque hunc etiam prætérit, rectis fibris donatus. Quartus duplici origine ab humeri ceruice, cui firmiter adhæret, initium ſumit, & cum tertio adeò vnitur, vt vnus cum quarto eſſe videatur: quamuis verè duo exiſtant. tandem quartus hic muſculus, eo quo tertius loco ceſſat, fibriſq; rectis conſtructus. ambo hi, tertius nempe & quartus, hoc muneris habent, vt cubitum rectà flectant: atque de his ſatis. nunc tandem manus, quæ omnium inſtrumentorum ſtructura eſt, ſummo naturæ artificio condita, muſculos aggrediar. quanquam autem digna eſſet, de qua longam orationem inſtituerem, tamen quia diutius quàm putarim, rei anatomicæ inhæſi, qua potero breuitate abſoluam.

Secundus cubitum flectens muſculus.

Tertius cubiti muſculus.

Quartus cubiti muſculus.

MVSCVLI manum mouentes.

Muſculi extremæ manus interni octo, externi nouem ſunt.

Primus muſculus manus interior.

Sunt itaque manus extremæ muſculi, tum interiores, tum exteriores: illi octò, hi nouem. ac primus quidem iſtorum excellens, ab interioris tuberculi, quod eſt in humero, apice originem ſumit, initio acuto neruoſóque: deinde carnoſus efficitur, & paruus. quamuis autem caput exiguum habeat, mediam eius partem latam, & finem longum anguſtumq;, vſque ad iuncturam brachij, quà cum manu iungitur: tamen veram muſculi formam repræſentat, inceditq; nonnihil obliquè manum verſus. fertur autem retrò magis, quàm per medium cubitum, ac in tendinem rotundum, oblongumq; deſinit, qui interiori iuncturæ brachij, & manus ligamento innititur. atq; hoc prætergreſſus, latus efficitur: per volam expanditur, ſic vt duos maiores montes detectos relinquat: tandem quatuor digitis inſeritur. hunc muſculus iſte vſum habet, vt digitorum flexioni opituletur, & acri ſenſu polleat: idq; ea de cauſa, vt ſi quid manui, dum eam conſtringimus, occurrat, quod eam offendat, ſtatim reijciamus. Nonnulli, præcipuè fures hoc muſculo carent, ſi Realdo credimus, licet tendinem habeant, qui ab interiore iuncturæ brachij cum manu ligamento exoritur. Secundus muſculus ab interiore humeri tuberculo procedit, initio acuto, neruoſo, carnoſoq;: cubito adhæret, & per eius longitudinem, vſq; ad iuncturæ brachij & manus radicem progreditur: puluinaris inſtar cubito adhibitus: vbi ad iunctu-

Secundus muſculus interior manus.

iuncturam brachij manusq; peruenerit, in tendinem degenerat, & quarto iuncturæ brachij & manus oſsi inſeritur, carnoſo neruoſoq; tendine.

Tertius muſculus interior manus.

Tertius ab eodem loco ducit originem, inceditq; obliquè iuxta radij longitudinem: quando verò ad iuncturam brachij & manus acceſſerit, in rotundum validumq; tendinem ceſſat, qui in os illud metacarpij, quod indicem fulcit, mittitur. muſculi huius vſus duplex exiſtit: vnus, quando ipſe cum altero functionem obit, extremam manum ambo ſimul flectunt: alter cùm ſolus agit, in obliquum illum mouet, nunc ſurſum, nunc deorſum, ſic tamen, vt duobus muſculis in exteriore parte ſitis, opẽ ferat.

Quartus manus interior muſculus.

Quartus muſculus ortum admiratione dignum obtinet, vt qui neruoſus acutusq; ab interiori humeri tuberculo naſcatur, ſi atq; poſtea carnoſus: & per cubiti radijq; longitudinem procedat: vbi mediam illius partem præterierit, in anguſtum tendat, & in quatuor, rotundos, neruoſos, ac perforatos tendines deſinat, qui ſub iunctura brachij, & manus ligamento (tres autem primi muſculi non) deferantur. ijdem tendines in ſecundo, quatuor digitorum articulo, quos flectunt, terminantur.

Tendines manus perforati.

Natura hos egregios, neruoſos, & pellucidos tendines perforauit, vt quinti muſculi tendines, ad tertium quatuor digitorum articulum penetrare poſsint.

Quintus interior manus muſculus

Quintus muſculus quarto longè valentior eſt, eò quòd maior etiam motus, & vtilior illi commiſſus ſit. quatuor enim digitos, non quinq;, vt Galenus ſenſit, flectit, nec non fortiter conſtringit. oritur iuxta quartum, ſub quo etiam latitat, magis autem à ſuperiore interioreq; cubito: in proceſſu ſenſim arctatur, & cubito adhæreſcit, antequàm ad iuncturam brachij & manus perueniat.

Quatuor manus tendines perforantes.

Poſtremò in quatuor rotundos neruoſosq; tendines, & perforantes deſinit: qui deniq; in tertium quatuor digitorum articulum, pollice excepto, inſeruntur: quamuis Galenus vnum ex huiuſce muſculi tendinibus, ad pollicem pertinere dixerit, quod in ſimijs, non autem in hominibus reipſa deprehenditur. hominis enim pollex à proprio muſculo flectitur. Quintus iſte muſculus ligamento adhæreſcit, quod muſculos priores à poſterioribus, ſicut in tibia, diſtinguit.

Sextus interior manus muſculus

Sextus è radio naſcitur, illiq; adhæret ligamento, quod interiores ab exterioribus ſeiungit, inceditq; per radij longitudinem, ac prope iuncturam brachij & manus, in tendinem rotundum, & neruoſum finit, qui ſub iuncturæ brachij & manus ligamento, ſimul cum quarti & quinti muſculi tendinibus procedit. nouiſsimè in vltimum pollicis articulum, quem flectit, inſeritur.

Septimus manus interior muſculus.

Septimus ab interiore humeri tuberculo carnoſus incipit, & obliquus à ſuperiore interioreq; cubito incedit, in mediaq; radij longitudine terminatur, partim carno-

Octauus interior manus musculus

sus, partim neruosus, & fibris obliquis præditus. Octauus quadratus est iuxta brachij & manus iuncturam situs, à cubito carnosus oritur, talisq; in radium desinit: fibris transuersis, situq; simili est donatus. hoc septimus & octauus habent officij, vt radium in pronum agant. Atq; hæc de interioribus summæ manus musculis hactenus: nunc exteriores accipe.

Musculi manus externi.

Primus manus externus musculus.

Primus eorum occurrit carnosus, neruosusq;, & ab exteriore humeri tuberculo prodit: deinde carnosus euadit, & crassescit, inceditq; inter cubitum & radium, ad brachij & manus iuncturam vsq;: nunc in quatuor, nunc in tres tendines, rotundos, & neruosos desinens, qui per sinum in radij appendice transeunt: ab vno autem ligamentorum, quæ ab appendice iam dicta oriuntur, alligantur. ijdem in processu dilatantur, & à primo ad tertium quatuor digitorum articulum vsq; finiuntur, hoc est, in indice, medio, annulari, atq; minimo siue auriculari. Quando autem tribus tantùm tendinibus donatus est, auricularem siue minimum, tendinum expertem relinquit. sæpius autem musculus hic quatuor tendinibus, quàm tribus instructus est, qui ad extremos digitos sub vnguibus perducuntur: licet eorum radicibus non inserantur. atq; hanc ob causam magnus dolor excitatur, si quid carnem & vngues intercedat. ille verò non inter carnem & vngues, sed inter tendines & carnem excruciare solet, sicut etiam ab alijs tendinibus extendentibus accidit, quod pauci hactenus animaduerterunt. vsus illius musculi est, vt quatuor digitos extendat.

Causa doloris in solutione continui inter carnem & vnguem.

Secundus manus exterior musculus.

Secundus ab eodem tuberculo iuxta primum, initio acuto neruosoq; generatur, ferturq; inter primum & cubitum, secundum eius latitudinem, versusq; iuncturam brachij & manus tendit. deniq; in tendinem rotundum neruosumq;, qui interdum bifidus est, terminatur: incedens autem supra brachij & manus iuncturam, inter radium & cubitum, minimo digito vsq; ad eius extremum inseritur. huius musculi admodum rotundi, vsus est, ut minimum digitum, à reliquis abducat, & ad palmam gignendam nõ mediocriter iuuet.

Tertius manus externus musculus.

Tertius è medio quasi cubito prodit, vbi ei linea oblonga & aspera, tribus musculis gignendis accommodata inest. situm habet obliquum, & in tendinem rotundum, qui indicem obliquè extendat, terminatur. idem tendo ligamentum à radicis appendice sortitur: atq; in nõnullis bifidus est.

Quartus manus externus musculus.

Quartus etiam obliquus, in cubito prope tertium, initio carnoso egreditur, supraq; radij appendicem incedit, definitq; in tendinem rotundũ & neruosum, quo in tertium pollicis articulum, quem extendit insinuatur, atq; [illegible] alijs multùm abducit, quod peculiare ipsius est officium.

Quintus manus exterior musculus.

Quintus ab eadem cubiti linea prope quartum, initio

longo

longo carnoſoq́ exoritur, progrediturq́ verſus pollicem: obliquus, & in diuerſos tẽdines deſinit. Poſſet hic ex varijs inſcriptionibus, in tres, vel quatuor muſculos diuidi, ſed vnicus tantùm eſt, qui ſupra bicornem dictum incedit. in quatuor autem tendines, interdum in quinq; dehiſcit: quorum vnus ad tertium pollicis articulum, alius ad ſecundum, alius ad primum, quartus ad os iuncturæ brachij & manus procedit, quo pollex ſuſtentatur. præter iam dictos tendines, nonnunquam alij duo hoc loco inueniuntur. hoc muneris quintus hic muſculus habet, vt pollicem extendat. Sextus ab exterioris humeri tuberculi radice ortum ducit, & cubito quem tum amplexatur, tum per eius longitudinem perreptat, connectitur. vbi verò ad brachij & manus iuncturam peruenit, in tendinem rotundum, neruoſum, & valentem degenerat, qui ſupra cubiti appendicem, in ſinum quendam iuxta eiuſdem proceſſum, qui ςυλοειδὴς græcè dicitur, defertur, & ab hoc ligamentum ſuum tranſuerſum ſuſcipit, in os illud palmæ, quod minimum digitum ſuſtinet, non longè à iunctura brachij & manus terminatur. Septimus quem bicornem appellant, carnoſus, longa linea, ab inferiore humero ſuper articulum gignitur, ſupraq́ radicem ingreditur: vbi ad medium eius peruenerit, in tendinem validum, & carnoſum, & bifidum finit, qui ideo bicornis appellatur. is poſtquàm ſupra iuncturam brachij & manus perrexerit, oſsibus palmę inſeritur, à quibus index, & medius ſuffulciuntur. Duo proximi muſculi extremam manũ exporrigunt, hoc eſt, iuncturam brachij & manus tunc extendunt, cùm vterq; operatur. at cùm ſeptimus vnà cum ſecundo interiore agit, alijs duobus ceſſantibus, manum obliquè deorſum ferunt: cùm ſextus ſimul cum tertio interiore mouet, tunc manus ſurſum obliquè attollitur: atq; hic primarius eius vſus eſt: ſecundarius autem, quo extrema manus, vel iunctura brachij & manus circunfertur: qui motus tunc editur, quando muſculi ita conueniunt, vt ſtatim vnus alterum in agendo ſubſequatur: quem vſum priores anatomici ignorarunt. Octauus muſculus longiſsimus dictus, ab humero, origine carnoſa ſupra exterius tuberculum emergit, ſupraq́ radium obliquè incedit, & tendine membranoſo in radij appendicem inſeritur. Nonus è ligamento, & ſuperiori cubiti parte, quam ὠλέκρανον dicunt, obliquus progreditur, totus carnoſus, tandemq́ in medium radium inſinuatur. hi duo muſculi manum reddunt ſupinam, radiumq́ exteriùs mouent.

Sextus manus exterior muſculus.

Septimus manus exterior muſculus.

Tendo bifidus & bicornis dictus.

Motus manus.

Octauus manus exterior muſculus longiſsimus appellatus.

Quòd ſi extremæ manus muſculorum numerum poſtules, vnum & viginti numero eſſe ſcias, nec plures vnquam: licet pauciores aliquando ſint, nempe nouendecim. horum ſeptem pollici

Muſculi extremæ manus.

inſeruiunt, ſi maiorem numerum retinere velis: ſi minorem, quinque: quatuor minimo digito, reliquis autem ſingulis, tres auxiliantur, & vnus lato tendini.

Primus extremæ manus muſculus

Cæterùm primus muſculus paruus eſt, & tranſuerſus, ſupraq; Veneris montem ſitus: à membrana neruoſa enaſcitur, fibris carnoſis refertus, & in latum tendinem dilatandi ipſum gratia, inſeritur. de hoc nihil à veteribus proditum eſt.

Quatuor extremæ manus muſculi.

Iam alij quatuor extremę manus muſculi ſequuntur, longiuſculi, graciles, & rotundi, à tendinibus quinti muſculi interioris, qui tertium quatuor digitorum articulum flectit, egredientes. ijdem in vola ſiti ſunt, prope primum quatuor digitorum articulum: in tendinem autem rotundum, & neruoſum deſinunt, per interiores digitos, ſecundum eorum latitudinem incedentes: primi muſculi exterioris tendinibus adhæreſcunt, à quibus quatuor digiti extenduntur, & in tertium articulum finibus ſuis, non autem in primum immittuntur, ſicut Galenus & alij arbitrati ſunt.

Digitorum tendinibus inciſis exteriùs, illi adhuc extendũtur.

Quatuor verò hi muſculi interiùs latitant, ideo quòd magis expoſiti ſint iniurijs, vnde ſæpe accidit, vt exterioribus digitorum tendinibus inciſis, digiti adhuc extendantur, in quo caſu chirurgi quidam, rei anatomicæ imperiti, horumq; quatuor muſculorum vſus ignari, gloriari ſolent, ſi curatio illius vulneris ſucceſcerit.

Sextus extremæ manus muſculus

Sextus à ligamento iuncturæ brachij manus, & à quarto eiuſdem oſſe exoritur, Veneriſq; montem, vt vocant chiromantici, conſtituit: per inferiorem palmæ regionem incedit: propemodum rotundus, finitq; in tendinem, qui in primum digiti auricularis os inſeritur. vſus eius eſt, vt hunc digitum ab alijs abducat.

Septimus extremæ manus muſculus.

Septimus ex iunctura brachij & manus procedit, ſuperiore parte ſitus: carnoſus totus, & in ſecundum pollicis os terminatur.

Octauus extremæ manus muſculus.

Octauus prope ſeptimum egreditur carnoſus: etiam ipſe volam verſus ſitus, tendine admodum exiguo, in ſecundum os pollicis immittitur.

Nonus extremæ manus muſculus

Nonus ſub ſeptimo, ab eodem iuncturæ brachij & manus ligamento emergit, totuſq; carnoſus eſt, & in primum articulum pollicis deſinit. hi tres muſculi eam pollicis partem conſtituunt, quam chiromantici montem Martis appellant, & illum verſus ipſorum originem trahunt.

Muſculi Martis montem conſtituentes.

His ſuccedunt tres alij, ab oſſibus palmæ, ſiue metacarpij, quæ in digitis, indicem, medium, & annularem ſuffulciunt, prodeuntes: ſitu obliquo, vel tranſuerſo potius, ſub linea vitali dicta, præditi, principiumq; habentes ſemicirculare, in ſecundum pollicis articulum ceſſant. ſiue autem muſculos iam dictos vnũ duntaxat exiſtere, quòd lato ſit principio, fine acuto, & fibris varijs intertextus, ſiue tres eſſe dixeris, parum refert.

Muſculi pollicem flectentes.

vſus eorum, vel trium, vel vnius eſt, vt pollicem verſus volam flectant, reliquorum trium, quos antea recitaui, officium eſt, vt eundem ex-

Septimus pollicis musculus, eiusq; officium.

dem extendant, & procul ab alijs efferant. Septimus pollicis musculus ab osse palmę, cui index digitus innititur, progreditur, spatiumq; illud occupat, quod inter pollicem & indicem existit. situm transuersum obtinet, & in os pollicis inseritur. hoc officij musculus iste habet, vt pollicem versus indicem trahat, eiq; superponat. Adhæc alij octo musculi, præter iam dictos, inueniuntur, qui à palmæ ossibus exorti, illisq; adhærentes, in primos quatuor digitorum articulos tandem insinuantur: duo ex his vnicuiq; digito præter pollicem, cui nullus horum octo immittitur, dedicati sunt. eum vsum exhibent, vt cùm ex his duo simul mouent, primum articulum, cui inseruntur, rectè flectant: cùm autem vnus solùm agit, motum obliquum flectendo efficiant. Atq; hæc de neruis & musculis satis esse tibi opinor: nunc quod de venis & arterijs restat, accipe. cùm enim nuper de iecore & corde tractarem, etiam venæ cauæ, & arteriæ magnæ mentionem feci, integram autem propagationem earum in hunc locum distuli. atque hoc modo ipsa distribuitur.

Octo alij musculi manus digitis inseruientes

Musculi manus digitos, & rectà & obliq; flectentes.

Vbi ex iecore sursum prodit, primùm ad septum transuersum accedit, ipsumq; perforat, & in duos ramos scinditur: hi deinde in surculos diuisi, per ipsum septum distribuuntur: postea sobolem dextræ cordis auriculæ impartit, quæ dextri illius ventriculi os, extrinsecus vndiq; complectitur: non autem intrò fertur, sed coronę instar illud ambit, vnde (vt anteà dictum est) Grę cis στεφανιαῖα, Latinis coronalis vocatur. Truncus cauæ venæ, vbi cor excesserit, sobolem quandam solitariam sine coniuge, dextro in latere parit, quæ ad extremum vsq; thoracem descendit, dextris lęuisq; costarum spatijs, propagines communicans, alimentum partibus illius suppeditandi gratia. Quamuis autem truncus illius solitariæ in dextro latere consistat, tamen ramulos ad sinistram quoq; regionem alendam, distribuit. eadem solitaria dum reflectitur, edit ramum, qui sursum ascendens, alios surculos superioribus primarum costarum interuallis sustentandis transmittit, eosq; non solùm dextris, sed etiam sinistris, præter paucos admodùm, quibus soboles ab alari ortu adest, modò ad duo, modò ad tria costarum spatia, modò ad vnum duntaxat defertur. Ex his interuallorum venis, aliæ propagines ipsarum, iuxta neruorum foramen oriuntur, quæ vertebras & spinæ medullam nutriunt. ab his, priusquam ad illam alimenti gratia accedant, dorsi musculis, & cuti inseruntur. MATHETES, Quò tendit caua vena, vbi solitariam ediderit? GERON, Rectà ad asperam arteriam, versus iugulum: atq; ibi insignes duos ramos s[...]alis spargit, qui medicis venæ alares dicuntur, cauam thoracis sedem, inter iugu-

VENAE CAuae propagatio quomodo se habeat in superioribus partibus corporis.

Vena coronalis cordis.

Venæ sine coniuge exortus.

Venæ ad sinistrũ latus alendum, à vena sine pari demissæ.

Venæ vertebras & spinæ medullam nutrientes.

Venæ alares, siue axillares.

Vena humeraria, siue cephalica.

lum,& primam costam prętereuntes. deinde humerariam,quam Græci κεφαλικὴν, Latini capitalem vocant,emittit: quamuis summum humerum non ascendat, sed versus interiorem magis regionem deferatur, & inter primum secundumq́ humeri musculum incedens, extrorsum tendat, adeò vt in superficie appareat. nam inter membranam carnosam, & cutim vergit, ad cubitum, extrorsum prope primum musculum,qui illum flectit,erumpens. in flexura verò cubiti,in duos ramos scinditur: quorum vnus in-

Vena humeraria ibi cum iecoraria siue basilica vniatur.

teriorem cubiti partem accedit, & à flexura ipsius digressus, cum alio simili iecorarię, quæ basilica Arabibus vocatur, ramo aduni-tur:ex quibus duabus coniunctis,vena communis efficitur.Alter verò multos surculos exteriori cubito superiùs, & exteriùs disseminat,sic tamē,vt principalis ramus iuncturam brachij & manus communem (barbari brachiale vocant) conscendat superetq́,& minimum digitum annularemq́ intercedat, & hoc loco diuisus, ad summum vtrunq́ digitum feratur. Hæc, inquam, vena Ara-

Vena saluatella Arabibus dicta.

bibus, & vulgaribus medicis saluatella nuncupatur, quasi salutem adferat lienosis, si ex ea in sinistra manu sanguis detrahatur, donec sua sponte ipse fluere desinat. Vbi iam vena ista alaris ex caua thoracis regione egressa fuerit, sub iugulo altiùs immergitur, multosq́ ibi surculos producit, qui primum brachij musculum, scapularumq́, & thoracis secundum, adhæc quartum, & septimum humeri,scapulasq́ ipsas ad abdomen vsq́ alunt:in fœminis, aliæ propagines ad mammas nutriendas, mittuntur. deinde ea ipsa alaris ad humerum profecta,sub primo musculo cubitum flectente,in tres soboles, easq́ insignes diuiditur:quarum vna ieco-

Vena iecoraria, basilica dicta vulgo,interior ab Hipp. appellatur.

raria,græcè ἡπατικὴ, vulgò basilica, Hippocrati interior cubiti nominatur. Porrò alaris,quæ profundiùs descendere dicta est,paulatim rursus in exteriorem cutem emergit,summumq́ humerum accedit:iuxta cubiti flexum,in duos ramos,humerariæ modo scin-

Venæ communis dictæ exortus.

ditur:quorum vnus in cubito interiore cum humerario coniungitur,ac vena communis inde efficitur,hoc est,vtriusq́ particeps.

Vena mediana.

rami illius exteriores, medianæ barbaris dicuntur, quos vulgus medicorum semper propemodum incidi præcipit. hîc quoq́ no-

Prope humerariam venam nullus neruus sicut iuxta basilicam existit.

tandum est,nullum neruum prope humerariam,atq́ eius medianam,sicut iuxta basilicam,adesse. Alter ramus etiam per exteriorem sedem dispergitur,ac alijs variè sociatur: nunc cum humerariæ ramo: nunc cum communi per oris venæ adapertionem. nouissimè surculum supra iuncturam, quam brachium cum manu habet,& palmam, tum ad medium, tum ad indicem digitum, porrigit. At alia superficiaria vena, quæ communis dicitur, medio interioriq́ cubito, supra radium obliquè fertur: variè scindi-

tur,

Vena in capitis affectibus incidi ſolita.

tur, & ramum inter indicem ac pollicem, nec non inter indicem & medium diſpargit, atq; in ipſorum finibus deſinit. hunc venæ ſurculum in capitis affectibus incidere medici ſolent. Altera ex reliquis duabus venis alaribus, penitiùs quinq; neruos ſubit, ferèq; os humeri attingit, & ſurculos expandit, qui duos muſculos, cubitum flectentes, alunt. hinc deorſum inter primum ſecundumq; muſculum flectitur, vbiq; ſupra flexum tranſierit, trifariàm diuiditur, atq; inde propagines ad interiores muſculos ſpargit. poſtea altiùs vergens, ad brachij & manus iuncturam declinat, poſtquàm illæ ſub ligamento ad manus volam peruenerint, ſoboles muſculis exteriorem manum alentibus communicant, mox binas ſingulis digitis diſtribuunt. Cęterùm alius ſurculus alarum apud flexuram, id præterit ligamentum, quod inter cubitum ac radium ſitum eſt, extremisq; muſculis deſtinatur. Adhęc alius illius ſurculus è medio propemodum humero, ad poſteriorem eius regionem reflectitur, ſic vt propagines ad duos muſculos, qui cubitum extendunt, emittat: tandem ad longiſsimum muſculum, ad bicornem, & ad eos fertur, qui ab exteriore humeri tuberculo originem trahunt: atq; inter iſtos, totus conſumitur.

Quatuor venæ ab alarum venarum origine ad abdominis muſculos tendentes.

Ibidem quatuor tenues iam propagines, ab alarum origine ſub iugulo prodeunt, quarum duæ ſub pectoris oſſe deſcendunt, & à lateribus iuxta coſtarum cartilaginem deorſum vergunt, thoracemq; prætereuntes, per rectos abdominis muſculos deſcendunt. hæ in fœminis quibuſdam cum alaria conſociantur, quę ab inferiori regione ad muſculos iam commemoratos, aſcendit.

Venæ quæ in viris muſculos exteriores abdominis alunt: in fœminis quoq; lac generant.

dum autem iſtę inter quartam ac quintam coſtam, modò elatiùs, modò decliuiùs deſcendunt, in exteriorem regionem ſe conferunt, vt in viris exteriores muſculos nutriant: in fœminis in mammas diſperguntur, non tantùm eius rei, ſed etiam lactis generandi gratia. reliquę duæ deorſum, ſupra cauam pulmonis regionem, circa interſepientem thoracis membranam, ſupraq; cordis inuolucrum tendunt, vnaq; cum neruis duobus, ad tendinem ſepti tranſuerſi proficiſcuntur. MATHETES, Vbi alia venæ cauæ partitio exiſtit? GERON, In iugulo quatuor rami emergunt, vtrinq; bini: inter quos alij interiores ſunt, alij exteriores: hi ſtatim ſupra iugulum ad humeri muſculos vergunt, & truncus poſt ſcapulas, per ceruicis latera obliquè aſcendens, ramulos muſculis capiti ſeruientibus, tranſmittit: poſt occiput, ſurſum capitis cuti, apud reliquam exterioris iugularis venæ partem: at ſupra maxillam inferiorem, ante maſſeterem muſculum ſe effert, & per mediam faciem, ad maiorem oculi angulum obliquè tranſit, & propagines quaſdam ad faciei muſculos diſſeminat: in angulum verò ſobolem ſupra or-

Venæ capitis muſculis inſeruientes.

bitam propagat, idq; per musculum, qui palpebram constringit: reliquias eius, cuti capitis inter supercilia per frontem, communicat. dextra vena in quibusdam inter supercilia cum sinistra sociatur, deinde rursus separatur.

Vena iugularis versus caluariæ basim processus.

Alia vena iugularis, insignis admodum est, & sursum versus caluariæ basim, per transuersos ceruicis vertebrarum processus, in exteriore parte circa asperam arteriam attollitur.

Vena musculos, glandulosq; laryngis nutriens.

hæc eadem ramum eximium sub larynge producit, cuius surculi glandulas, musculosq; laryngis nutriunt. quamuis autem illa ipsa, sub maxilla multifariàm scindatur, minor tamen eius est partitio, cùm ad glandulas accedit, quæ sub aure latitant, musculis hyoïdis, & linguæ inferiùs inseruientes:

Vena in angina secare solita.

vnde medici eam in angina incidere præcipiunt. reliqua istius venæ portio, tum pharyngi, tum tunicæ, quæ os inuestit, distribuitur. Maior perdictę venę truncus, caluariam per inęquale foramen ingreditur, & per id sextum neruorũ cerebri coniugium descendit.

Vena quæ duræ membranæ inseritur.

hinc ad posteriora conuertitur, peculiariq; tunica obductus, in duram membranam immittitur, & iuxta occiput, ad summam lambdoïdis suturæ sedem ascendit: vbi dextra cum sinistra iungitur, quaq; dura membrana duplicatur: posteriùs, ad frontem suprema cerebri sede fertur, rotundoq; foramini inter frontem, & os ethmoides inseritur: posteriore capitis parte, vbi venæ in vnum coëunt, in duram cerebri membranam quadruplicatam pertinet.

Venæ cerebri essentiam alentes.

inde duo caudicis surculi, per vniuersam superiorum ventriculorum longitudinem prodeunt, eorumq; germina cerebrum alunt.

Torcular.

Cæterùm quadruplex ille duræ membranæ contextus, de quo superiùs egi, græcis λίνον, quasi dicas torcular, appellatur, inter cerebrum, & cerebellum situs.

Vena mirabilem sinum constituens.

At vena quæ per superiorem cerebri longitudinem tendit, mirabilem illum plexum, siue sinum efficit. nam superiùs semicirculum repræsentat: inferiùs tres habet angulos, nunc paulò ampliores, nunc angustiores. varias ipsa propagines diffundit, quæ postquàm duram membranam penetrarint, per tenuem delatæ, modò sursum, modò deorsum, multifariàm in illam totam distribuuntur. tenuem autem membranam prætergressæ, vniuersum cerebrum ingrediuntur.

Venarum in duram ad tenuem membranam & cerebrum totum propagatio.

inferiùs iugularis vena interior, antequàm caluariam penetret, ramulos musculis temporalibus per latera, in caluaria verò duræ membranæ lateribus, iuxta iugulum impartit. Eadem ista vena, per transuersos vertebrarum ceruicis processus ascendens, aliam exilem edit, ac surculos, ceruicis musculos alentes, communicat: in quibusdam illa ab alari vena oritur. Ea ipsa vena, vbi nerui inter ceruicis vertebras exeunt, spinæ medullæ, & vertebris alendis appropinquat, primamq; vertebram, occipitium versus conscendit,

ſcendit, vbi foramen habetur, quod ad auditus inſtrumentum pertinet, eiuſq; nutriendi gratia ingreditur. Hæc, inquam, iugularis, non alius peculiaris ramus, vt quidam putant, omnia capitis oſſa inferiora, nec non malas, maxillamq́;, & dentes omnes nutrit. atq; hæc eſt venæ cauæ partitio, quæ ſuperioribus corporis partibus dicata eſt: nunc eam, quæ ad inferiores pertinet, accedam.

Vena iugularis capitis oſſa, maxillam, & dentes nutriens.

Poſtquàm ipſa ſub ſepto tranſuerſo, à iecore, tanquam fonte proprio, exierit, vertebris dextræ regionis adhæret, & paulò infra iecur, ſurculum idoneum vicinis partibus alendis, ita emittit, vt in varias alias propagines ſcindatur. Deinde truncus ipſe deorſum deſcendens, duos ramos, id eſt, vtrinq; ſingulos, vulgò emulgentes dictos, parit: qui tamen non ſemper ſoli, ſed interdum in tres, vel quatuor, vel quinq; diuiſi apparent. Obſeruandum autem à ſiniſtra cauæ venæ parte, ſub ventriculo, magnum ſatis ramum, & longum oriri, ferriq; ſuper vertebras ipſas, & arteriam aortam, nec non per medium ſiniſtrum renem tranſire: in homine quidem non paulò ſuperiùs, quàm dexter exiſtit, idq; ob lienis paruitatem, vt anteà monui: in brutis dexter ſuperior ſiniſtro, cernitur. MATHET. Qua de cauſa amabò? GERON, Quia cùm lien paruus, iecur autem magnum ſit, lociq; plus quàm ille occupet, renem dextrum inferiorem ſiniſtro eſſe oportet: ſicut dexter venæ ramus, qui ſerum cum ſanguine ad renes deducit, ſiniſtro eſt inferior, & multò breuior (nonnihil enim inter cauam venam & dextrum ramum intereſt) inferitur, ſicut ſiniſter. MATHETES, Quò tendit vtrinq; ramus, vbi ad ſummum ſinguli renem acceſſerint? GERON, Ipſummet ingrediuntur, cùm in ſurculos diuiduntur, vtriſque alendis dicati. MATHETES, Quid ſanguinem, qui ex vaſis illis ad renes peruenit, retinere in his ſolet, ne naturaliter elabatur? GERON, Eminentiæ quædam ex ipſis renibus enatæ, non cribrum Galeni, per quod lotium colari, eoq; dilatato, ſanguinem reddi exiſtimabat. potuiſſet enim natura hîc membranas, ſicut meſeraicis, & vrinarum meatuum finibus, apponere: quanquam interdum accidat, vt calculus aliquis deorſum, tanta violentia extrahatur, vt magnam ſanguinis copiam cum vrina emittat. MATHETES, Quis harum venarum, quas emulgentes appellaſti, vſus exiſtit? GERON, Vt ſeroſum humorem à ſanguine ſecernant, alimentumq́; in renes deferant. MATHETES, Qui alij rami ex caua poſt illos exeunt? GERON, Ex caua huius parte, vtrinq; ſingula vaſa oriuntur: quæ quia vrinam excipiunt, deferuntq; ad veſicam, Græcis οὐρητῆρες, Latinis vrinarij meatus nominantur. MATHETES, Quæ præterea vaſa ex vena caua prodeunt? GERON, Semini generando conſecrata: vnum

VENÆ cauæ propagatio ad partes corporis inferiores.

Venæ emulgentes dictæ in plures ramos diuiduntur.

Renem ſiniſtrum cur natura dextro ſuperiorem collocarit.

Renum ſitus.

Sanguinem in renibus quid retinent.

Venarum emulgentium vſus.

Meatus vrinarij exortus.

Seminalis dextræ ortus.

ſub dextra vena ſanguinis ſerum deferente, vulgus emulgentem vocat, duorum digitorum apicis interuallo, quæ primùm obliquè deſcendit, mox ſub peritonæum fertur, deinde ſuper os pubis, tandem in teſticulum deſinit, ſi viri corpus incidas: in fœminis aliter habet. quamuis enim eadem origo & finis, tamen longitudo tanta non eſt, neqꝫ ſummum oſsis ſacri præterit, cùm in abdomine ceſſet.

Differentia venarum ſeminalium inter virum & mulierem.

Alterum vas, non à caua vena, ſed ſiniſtra, ſanguinis ſerum deferente, originem trahit: id obliquè ſub peritonæo deſcendens, ſupra os pubis delatum, teſticulo inditur. Mirum eſt nullam venam ſub ſeminaria dextra, ad quartam lumborum vertebram vſqꝫ, verſus ſuperiora, ſed ad inferiora duntaxat perferri. nam caua vena à iecore, ad hunc vſqꝫ locum inter vertebras, vbi nerui exeunt, ramos expandit, qui tum ſpinę medullam, tum vertebras ipſas nutriunt.

Venæ ſeminalis ſiniſtræ ortus.

Caua vena quomodo diuidatur in quarta lumborum vertebra.

MATHETES, Quomodo caua iuxta quartam lumborum vertebram diuiditur? GERON, In duos ramos inſignes, qui obliquè ſuper os Ilium pubiſqꝫ delati, ad dextrum ac ſiniſtrum crus accedunt. poſt quam partitionem propagines ſatis amplæ apparent, quæ deorſum latæ, verſus anum pergunt. vbi nancꝫ illa oſsi ſacro adhæſit, ſurculos per ipſius foramen ſpinæ medullæ, oſsi ſacro, muſculiſqꝫ lumborum, qui ab illo prodeunt, & natium muſculis, qui femori inſeruiunt, tranſmittit. ab iiſdem ramis, illi venarum ſurculi proueniunt, qui extremo recto inteſtino inſeruntur. Ex hac ipſa vena proficiſcuntur illæ, quæ ſe ad veſicæ latera conferunt, vt ipſam, muſculoſqꝫ recto inteſtino dicatos, nutriant, pręcipuè in viris. nam in fœminis ceruicis vteri initium adeunt, ex quo menſtruæ purgationes ipſis emanant.

Venæ cauæ diſtributio ad inferiores partes.

Menſtrua vnde egrediantur.

Idem ramus qui veſicam vteriqꝫ ceruicem alit, ipſáque nonnunquam principalis ſectio, ſobolem gignit, quæ deſcendit, lataqꝫ deorſum, eo foramine excipitur, quod in oſſe pubis & coxæ ſitum eſt, vt nono decimoqꝫ muſculo, qui femur circumagunt, alimenti gratia communicetur: deinde ad ſeptimum vergit, deorſumqꝫ per internum femur ſpargitur, & terminatur.

Vaſa ſeminaria in mulieribus quomodo conſtituta ſint.

MATHETES, In fœminiſne etiam, vt in viris, vaſa ſeminaria ad teſtium capita deſinunt? GERON, Minimè, ſed deorſum effunduntur, vt vterum nutriant.

Vena vmbilicalis

MATHETES, Quæ cauæ ſoboles ab his oriuntur? GERON, Vmbilici propriè, vulgò vmbilicalis, cui generationis noſtræ exordia accepta ferenda ſunt.

Venæ duæ peritonæum alentes.

MATHETES, Quot alias propagines iſta cauæ venæ diuiſio edit? GERON, Duas, nempe dextram & ſiniſtram, quæ ſurſum verſus caput reflectentes, ac progredientes, in ramos & ſurculos diuiduntur, vt peritonæo, & rectis muſculis alimentum præbeant.

Venæ per quas vterus cum mammillis vnitur.

Harum venarum auxilio vterus etiam cum mammis conſenſum quendam habet. nam hę cum

duabus

duabus dictis venis aduniuntur, quæ deorsum descendentes, sub pectore ad rectorum musculorum fines consistunt: in quibusdam vna tantùm parte, aut duabus, surculo exili coniunguntur: interdum eædem venæ in quibusdam fœminis non inueniuntur. MATHETES, Oriuntúrne istæ ab vtero? GERON, Nequaquam, sed ab ipsorum propaginibus, quæ non vtero, sed ceruici eius alendę sunt dicatæ. menstrua igitur per illas expurgantur, quæ non per vterum transeunt.

Venæ per quas menstrua purgantur.

MATHETES, Quò reliqua pars cauæ venæ tendit? GERON, Crassus ipsius ramus, cùm extra abdomen super os pubis peruenerit, ad inguina fertur, multasque propagines emittit, quæ glandulas ibi sitas nutriunt, vbi bubones fieri solent.

Glandulæ in quibus bubones fieri solent.

Ex eodem loco ramuli emergũt, qui per colem inter cutem & membranam carneam vsque ad præputij extremum disseminantur. inde etiam, vnde omnes hæ soboles proueniunt, vena satis euidens egreditur, quæ obliquè ad Ilium os ascendens, sub cute, versus extremas costas incedit, supraque abdomen in varios surculos diuiditur. MATHETES, Quò insignis illa vena tendit? GERON, Vbi inguen superauerit, in tres ramulos scinditur: vnus inter cutem & membranam carneam obliquè ad interiora, versus genu descendit, superque illud interiore regione per crus inferius pergens, ad interiorem talum pedemque versus digitos, præsertim pollicem, progreditur, aliasque diuersas soboles procreat. atque hęc celebris ista vena est, quam talo ascribunt, barbareque saphenam vocant, ex qua sanguis in vteri affectibus mitti consueuit.

Vena saphena dicta in vteri morbis secari solita.

complures ipsa in descensu emittit surculos, tum cuti alendæ, tum pinguetudinis gignendæ gratia. MATHETES, Quò reliqui duo crassi rami vergunt? GERON, Musculis tecti, per interiora descendunt, transeuntque inter duo interiora femoris capita. priusquam autem ad genu deferantur, multos surculos musculis qui femur ambiunt, quà illud flectitur, alendis communicant. Porrò alia propago à maiori illo ramo quem dixi, gignitur, quę primùm sub cute, deinde per tibiæ posteriora, vsque ad pedem excurrit. alia sub eodem genu flexu editur, quæ priores tibiæ musculos, aliumque etiam altiùs latentem nutrit, ac deorsum fertur, ligamentoque adhęrescit, quod tibiam & suram intercedit. descendens autem supra pedem, eius ligamento adhæret. Maior ramus imam pedis plantam per interiorem tibiam, & in eius regione excurrit: sub planta varios expandit surculos. Alius quoque insignis ramus propaginem sub duobus primis musculis post tibiam sitis, emittit, vbi tendo eius sumit initium, assurgensque, versus priorem regionem sub cute serpit, externoque pedis talo transmittitur. Hæc ipsa est nobilis illa vena, quam coxę latini, barbari verò ischij, siue scię

Vena coxæ, siue sciæ, ischij, & to xendicis.

Vena poplitis.

ex græco vocabulo, & coxendicis appellant. ramus ille ſub genu apparens, poplitis vena nuncupatur. De reliquis huius & aliarum venarum ſurculis, quia non admodum ſunt oculis expoſiti, nec eundem in omnibus curſum tenent, ſatiùs eſſe arbitror orationem hîc finire, quàm longiùs fruſtrà protrahere. MATHETES, Id ego quoq; ſentio, ſi vnum hoc adieceris, cur venæ à DEO OPT. MAX. procreatæ ſint? GERON, Vt quemadmodum riuuli aquam, ipſæ ſanguinem in omnes corporis partes pro alimento deferant. MATHETES, Quemadmodum iam venæ cauæ hiſtoriam enarraſti, ita quoq; deinceps arterię magnæ, quam aortam appellaſti, partitiones enumeres?

Venarum vtilitas.

ARTERIÆ magnæ partitio.

Arteriæ aortæ origo & eſſentia.

Coronalis arteria cordis origo.

GERON, Aorta ex ſiniſtro cordis ſinu, vt anteà dixi, oritur, omnium aliarum arteriarum maxima, & duriore conſtans tunica, ne ſanguis, qui in ea continetur, ſpiritu refertus, facilè euaneſcat, néue ipſa propter continuos ſpirituum motus diſrumpatur. cor ipſum egreſſa, ſobolem exiguam ei circundat, vnde coronalis dicta eſt, quę naturam ipſius viuidam reddat. deinde aſcendens altiùs, in amplos duos caudices diuiditur: quorum vnus ſanè amplior eſt, alter minor: ille deſcendit, hic aſcendit. MATHET. Cur deſcendens maior factus eſt? GERON, Quia maiorem corporis partem viuidam retinere debet. MATHETES, Quem ramum aſcendens emittit? GERON, In ſiniſtris eam venam quam alarem ſiniſtram vocant. hęc obliquè verſus alam tendens, ramulos ad ſuperiores coſtas ſpargit, & egrediens, interiorem regionem tranſit, & iecorarię, quam baſilicam vocant, ſe conſociat, & propaginem ſurſum mittit: nec non alias omnibus muſculis, qui circa humerum, ſcapulas, & cauam eius ſedem ſunt, prioriq; thoracis regioni, & glandulis alarum, ſoboles diſtribuit. MATHETES, Quomodo alaris ramus diſpargitur? GERON, Rectà per interiorem regionem humeri, vſq; ad cubiti flexum deſcendit. priuſquàm verò hanc regionem pertranſeat, ramulum quarto neruo brachij, ſocium muſculis cubitum extendentibus, communicat. prętergreſſus iam cubiti flexum, in duos ramulos, ſępe tres ſcinditur. prius autem ſurculos muſculis humeri, & cubiti tranſmittit: atq; vnus iuxta id ligamentum incedit, quod inter cubitum & radium ſitum eſt, egreſſusq; forâs, exteriores muſculos accedit. quod reliquum eſt, cubiti longitudinem ſequitur. vbi verò ſub interiore iuncturæ brachij, & manus ligamento pręterierit, multifariàm in palma ipſa diuiſus, ad extremos vſque digitos porrigitur. Alter ſurculus radium verſus tendit, & poſtquàm medium cubitum tranſierit, inter muſculos aſſurgit, & per interiorem radij ſedem, cutem ſubit, atq; hic eſt ramulus ſiue ſurculus ille, cuius

Aſcendentis trunci diſtributio.

Arteria alaris ſiniſtra.

Rami alaris diſtributio.

motum

Arteria medicis brachium tangentibus se offerens.

motum digitis explorare medici solent, de naturæ statu dicturi sententiam. idem iste ramulus, in quibusdam varium situm obtinet, vt dubites an is sit, quem hactenus memoraui, eò quòd forâs tendat. Si quis rei anatomicæ imperitus, hunc arteriæ pulsum in ægro, præcipuè loco consueto tantùm exploret, neq; inueniat, is falsò mortem in propinquo esse iudicabit: quamuis perrarò arteria illa, huiusmodi situm habeat, vt quæ plurimùm interiorem regionem occupet. Vbi hæc à iunctura brachij cum manu, per exteriorem partem discesserit, ad summos vsq; digitos procedit. alter ramulus iuxta ligamentum ingreditur. MATHETES, Quo pacto ascendens aortę caudex, vbi alarem ramum emiserit, distribuitur? GERON, In binas propagines, græcè à sopore καρωτίδας dictas, quę rectà per ceruicis latera, vsq; ad caluariæ basim feruntur, asperæ arteriæ adhærentes, venisq; iugularibus interioribus affixæ.

Arteriæ carotidis distributio.

Priusq; autem caluariam ingrediuntur, duos surculos faciei impartiuntur: qui rursus diuisi, alias soboles musculis tum ceruicis, tum capitis, tum laryngis, tum ossis hyoidis, linguęq; distribuunt. duę maiores ad linguam ductę, per eius longitudinem ad extremum vsq; incedunt: deinde ascendunt sub aurem: ante & post eam, ad temporales musculos disparguntur. Altera eius propago ad alios duos musculos, posteriore in capitis parte sitos, nec non ad cutem, capitisq; musculos mittitur.

Arteriæ dentium radices ingredientes.

Non negligendum est arterias duas ab eodem loco, & paulò altiùs oriri, maxillam inferius sub auris foramine non temerè ibi sito, ad illius longitudinem, ingredientes: cum his etiam tum venam, tum neruum adiungi, & ad omnes radices dentium inferiorum disseminari: partem autem quà foramen ad mentum vergit, egredi, perq; labrum incedere.

Dextræ alaris arteriæ origo.

MATHETES, Vnde dextra alaris arteria oritur? GERON, E loco excelsiore & minus obliquo, quàm sinistra orditur: nempe à carotide dextra, in iuguli regione, & rectà per alarem sub iugulo ad brachium dextrum ingreditur, vbi discinditur, & sinistræ in modum procedit.

Arteriarum carotidum & alaris exortus.

MATHETES, Vnde hæ carotides arteriæ, & alaris ducunt originem? GERON, Duæ arteriæ à priore parte gignuntur, deorsum tendentes, quæ ramulos ad superiora costarum interualla, & vertebras emittunt.

Duæ arteriæ sub pectore.

Aliæ duæ exiles arteriæ ibidem nascuntur, quæ sub pectore conuertuntur, descenduntq;, sic vt duæ illæ venæ comitentur, quæ ad mammillas, rectorumq; musculorum fines tendunt: atq; sic illæ disperguntur.

Arteriæ per transuersos colli processus.

Insuper duæ aliæ propagines eadem in regione, sed retrò versus ipsas vertebras vergunt, quę per transuersos ceruicis vertebrarum processus peruios ideo factos, eáque foramina, in quibus nerui exiliunt, soboles spinæ medullæ, vertebrisq;,

& musculis ceruicem ad latus flectentibus, transmittunt. at hę ipsæ duæ arteriæ, in quibusdam non à carotidibus, vt in plerisq;, sed plurimùm ab alaribus trahunt originem. MATHETES, Quorsum hæ arteriæ pergunt? GERON, Posteriorem caluariæ partem inter primam vertebram & caput, nimirum inter illam, & spinæ medullam, ingrediuntur. postea verò duas exiguas soboles, auris sinui, in ingressu mixtas suppeditant. nam dextra sinistræ adeò vnitur, vt vna ex eis ad semidigiti longitudinem fiat: quæ deinde in duas, postea in alias complures propagines diuiditur. atq; hæ primùm duræ tenuiq; cerebri membranæ, mox cerebello distribuuntur. quòd si hæ duæ iam dictæ arteriæ non fuissent à natura procreatę, posterior caluarię regio, arterijs caruisset. MATHETES, Quid arteriæ istæ vtilitatis præbent? GERON, Cerebellum, partemq; cerebri, & spinæ medullæ originem viuidam conseruant. MATHETES, Quò tendunt duæ illæ arteriæ, quæ per transuersos vertebrarum processus, inter primam vertebram, atq; os occipitij sursum ascendunt? GERON, Interiorem caluariæ regionem, inter ipsam & spinæ medullam ingrediuntur. vbi verò caluariæ cauum ad dimidij digiti longitudinem fuerint ingressæ, coëunt, sic vt ex binis vnica fiat: quamuis tamen iterum in geminas, dextram & sinistram diuidantur, à quibus propagines, duabus cerebri membranis, atq; cerebello deferuntur. deinde per hæc ipsa superiùs ad dimidiam caluariam vsq; variè disseminantur: reliquam illius partem, duarum carotidum ramuli viuidam seruant. atque hi, priusquàm caluariam penetrent, surculos auris labyrintho communicant. Postquàm verò hic arteriæ ramus, caluariam ingressus est, vt suprà dixi, ad spinæ medullam, ad duram, tenuemq; membranam, ad cerebrum, & cerebellum, propagines suas transmittit, id quod paucis hactenus cognitum fuit. MATHETES, Quid duæ istæ quas descripsisti, arteriæ efficiunt? GERON, Sub spinæ medulla sursum attolluntur, & præter multifidas illas propagines, quas per tenuem membranam spargunt, eo loco, quem conarium, vel pinealem glandulam appellamus, cerebrum iuxta extremos ipsius superiores ventriculos ingrediuntur, atq; grandem ibi, insignemq; plexum admiratione dignum perficiunt, qui posteriore parte ad torcular affigitur. huic sinui etiam duę arterię carotides inseruntur. MATHETES, Plexus ergo iste quatuor arterijs constructus est? GERON, Vtiq;: licet id à nemine hactenus pręterquàm à Realdo obseruatum sit. MATHETES, Arteriæ carotides vbi ad caluariæ basim peruenerint, quò tandem vergunt? GERON, Illud foramen ingredi videntur, ex quo sextum neruorum par exit, quódq; venas iugulares internas suscipit, sic ta-

Membranæ vtriusq;, & cerebelli arteriæ, earumq; vtilitas.

Auris arteriæ.

Conarius locus.

Plexus siue rete mirabile quatuor construitur arterijs.

men.

men, vt non aſſurgant, neq; duas hîc propagines edant, ſicut alij opinantur. MATHETES, Quid hæ propagines ſub caluariæ baſi agunt? GERON, Ad primam partem conuertuntur, & per hoc foramen tranſeunt, quod in oſſe temporum latitat, non longè ab illo, cui ſextum neruorum coniugium, & iugulares arteriæ interiores inſeruntur. priuſquam autem illæ ab interiore caluariæ parte excipiantur, duos edunt ramos, quorum variæ ſunt propagines, nimirùm ad palatum, interiorem naſum, denteſq; ſuperiores tendentes. aliæ caluariam per exigua foramina ibi ſita ſubeunt, & per duræ membranæ latera, arboris modo, vnà cum venis, quæ in membrana ſunt conſpicuæ, explicantur, eò quòd ſinciput ibi excauatum exiſtat. Cæterùm poſtquàm hæ arteriæ ad palatum denteſq; ramulos illos diffuderint, in caluariam ipſam per id foramen quod inter ſphenoïdem, & os temporũ ſitum eſt, aſcendunt, vbi pars tertij neruorum coniugij deorſum vergit. poſtquàm verò ſellam ſphenoïdis (vt dicunt) ſupergreſſæ fuerint, binos ſurculos oculis, poſt neruos viſorios dictos, tranſmittunt, vt vitam nõ modò oculis, ſed etiam ipſorum muſculis præbeant: nec non illis qui malas referant, ob quod variè hi diſcinduntur. Reliqua carotidũ harum arteriarum portio, ſellam prædictam aſcendit, tenui membranæ cohærens, & poſt calloſam partem poſteriùs, multifariamq; per tenuem membranam ſuprà intraq;, & ad latera, diſpergitur. nonnulli earum ſurculi à tenui ad duram membranam: alij à tenui ad cerebrum ipſum deducuntur. MATHETES, Quorſum tot carotidum arteriarum propagines, vbi ſupra ſellam cunealis diſtributæ ſunt, vergunt? GERON, Illæ ſuperiores cerebri ventriculos, qui anfractuoſi ſunt, ſubeunt: cùm primùm tenuem membranam perforarunt, & duæ eſſe videntur, in exiles eaſq; innumeras ſoboles propagantur. Quare elegans illud rete ex arterijs contextum apparet, quæ omnes pro eorum ventriculorum, quo ſuperiùs dixi, itinere, eò vſque progrediuntur, donec cum poſtremis veniant. Hæ ipſæ arteriæ venas habent ſocias, & in earum finibus glandula pinealis adeſt. Galenus has ad reticularem plexũ formandum deſcripſit, quaſi ſecundas præ ſe ferant. mihi verò inſigne illud rete eſſe videtur, cui tam admirabilis exilium arteriarum, innumerabiliúmque plexus, & intertextus inſideat. Galenus ſupra ſphenoidem ſitum eſſe ſcribit, vbi glandula illa habetur, quæ omne id excrementum excipit, quod in cerebro gignitur. ſed natura nobiliorem illam fecit, quàm vt tot excrementorum ſentina, ne dicam, cloaca eſſet. nihil enim ibi niſi exilium arteriarum ſurculi exiſtunt, qui partibus illis, oſsiq; ſphenoidi vitam miniſtrant. MATHETES, Quò arteriæ illæ feruntur, ex quibus

Sella ſphenoidis.

Oculorum arteria.

Glandula pinealis.

Glandula excrementa à cerebro excipiens.

Cerebri arteriæ alijs adhuc ignotæ.

plexus ille reticularis conficitur? GERON, Surculos per cerebrum ipſum diſpenſant, quod anatomici intactum hactenus reliquerunt. MATHETES, Cùm ſuperioribus partibus ferè omnibus, arterias communicari dixeris, quę tandem pulmoni diſtribuuntur,

Ad pulmonem nulla arteria tendit.

vitales ſpiritus à corde ſuſceptos, ipſi conferentes? GERON, Nulla, vt dubitare poſsis, an in corde etiam ipſo, ſpiritus vitales gignantur. cùm enim illi, vt dixi, in ipſo pulmone præparentur, & penè generentur, qui poſtea in corde magis perficiuntur, nullis ille arterijs indigere videtur. Atque hæc ſatis de ſuperiore ac minore trunco aortæ eſſe videntur. MATHETES, Quomodo

Maior arteriæ aortæ truncus quomodo diſpenſetur.

maior in corpore humano diſpenſatur? GERON, Quem deorſum tendere diximus, ſiniſtrorſum flectitur, vertebriſq; adhæreſcit, quod in ſuperiore trunco non accidit, vt qui non ſecus ac vena caua, à vertebris diſtet. Inferior igitur hic dum deſcendit, ramos coſtarum interuallis, ex poſteriore ipſius parte, diſtribuit. atq; hi rurſus alios, tum ad ſpinæ medullam, tum ad vertebras, muſculoſq;, in poſteriore thoracis regione ſitos, mittunt. At poſtquam ſeptum tranſuerſum deſcenderit, duos pares ramos, nempe dextrum & ſiniſtrum, qui ad ſeptum ipſum propagantur emittens, ſub ipſo quidem tranſit, ſed nullo modo id perforat, penetratq;: vertebris autem adhęrens, ad ipſarum penultimam vſq; lumborum progreditur. Quamprimùm autem ſeptum, vt dixi, præterierit, ſobolem edit, quæ ad hoc par diuiditur, ingrediturq;, vnde venam portarū exire ſuo loco docuimus, ibiq; propagines diſtribuit, aliam ad bilis veſiculam, aliam ad lienem, aliam ad ventriculum & omentum, aliam ad pancreas, aliam ad colum inteſtinum. ſub hac alia emergit, quæ plurimos & varios ſurculos per meſenterium, ad tenuia inteſtina diſpenſat, multiſq; meſeraicis venis ſo-

Arteriæ emulgentes.

cias ſeſe prębent. Interiùs magis duos inſignes ramos, vulgò emulgentes dictos, parit, qui renes ingrediuntur. Sub venis, quę etiam

Seminales arteriæ.

ſic appellantur, adhuc paulò inferiùs geminas arterias ſeminales producit, quæ ab ipſa magna arteria, non autem à ſiniſtra emulgente originem habent. hę ipſę deſcendentes cum venis ſeminarijs, tum in mare, tum in fœmina ad teſtes vſq; implicantur: nec

Arteriæ vmbilicales.

non in illa, ad ipſius vterum, & internam huius regionem. ab his arterię vmbilici fœtus ortum habent. Alia rurſus ſub hiſce ſeminarijs arterijs, medio trunco exiſtit, quę ad rectum inteſtinum defer-

Recti inteſtini arteriæ.

tur, nec non ad partem coli, quæ per ſiniſtrum Ilium deorſum procedit. at recti inteſtini arteriæ, vnà cum meſeraicis venę portarum ramis, ad extremam anum vſq; deſcendunt. quare tum ve-

Arteriæ hæmorrhoicæ.

næ, tum arteriæ hęmorrhoicæ fiunt. Inſuper arteriæ ab hac eodem ſub ſepto tranſuerſo, poſteriore in parte egrediuntur, quę ad

verte-

vertebras, ſpinæ medullam, & dorſi, abdominiſq; muſculos deferuntur. Vbi iam ad penultimam lumborum vertebram peruenerit, & in nonnullis ad vltimam vſq;, primùm in duos ramos inſignes diuiditur, qui dextrum ſiniſtrumq; eius latus adeunt, cauam autem venam in oſsis ſacri regione ſuperant. hi, inquam, duo rami rurſus diſcinduntur, deſcendendoq; magis propagantur: veſicę lateribus, vteri ceruici, & muſculis in caua abdominis ſede reſidentibus, communicantur. Iam alię duę arterię per foramina in oſſe pubis & coxę ſita tranſeunt: è quibus cùm primùm abdomen ipſum egreſſę fuerint, ad duas colis partes, quę à ſummo ad imum feruntur, tendunt, ibiq; in ramos diſperguntur. atq; hæ ſunt arteriæ, quę genitalia erigunt, quod à Realdo Cremonenſi primùm eſt obſeruatum. Reliqua harum arteriarum portio, per eos muſculos diſtribuitur, qui in femore interiore ſiti ſunt, neque tamen genu prętereunt. A veſicę arterijs, alię quoq; proueniunt, quæ ad interiorem oſsis ſacri regionem, perq; eius foramina delatæ, tum ad ipſum, tum ad ſpinæ medullam, extrà verò ad muſculos femori dicatos, vergunt: quemadmodum etiam á magna arterię diuiſione propagines exeunt, qui muſculos femoris in abdomine ſitos, vitali ſanguine nutriunt. Porrò nonnullę ex illis arterijs, quæ iuxta ſacrum os, & coccygem deſcendunt, ad conſtrictorem ani muſculum, vnà cum quibuſdam cauæ venę propaginibus perueniunt, quę & ipſę hęmorrhoides dici poſſunt. Pręterea duę ſoboles ex magna aortę partitione oriuntur, quæ ſurſum reflectentes, peritonæum tranſeunt, & ſub rectis muſculis ſupra vmbilicum vſq; aſcendunt, pluresq; in ſurculos per abdominis muſculos finiuntur. In hac diuiſione duæ arteriæ prodeunt vmbilico dicatæ, quę primę in fœtu ipſo gignuntur. hę nanq; poſt exortum ex vmbilico per peritonęum, quà duplex eſt, ad veſicæ latera progrediuntur, eaſq; arterias pariunt, de quibus paulò antè dictū eſt. poſt vmbilici arterias ortas, cor naſcitur. vbi autem nos in lucem prodierimus, illæ ipſæ arteriæ ſiccantur, duorumq; ligamentorum vices obeunt. MATHET. Nihil adhuc de aortę ramis reſtat, quos ad crura deferri dixiſti? GERON, Duo ſuper quintum muſculum lumborū femur flectentem tranſeunt, ſupraq; os pubis & Ilium, verſus abdomen exeunt, eoq; loco cum venis interioribus conſociantur, quæ muſculos intercedunt. Quemadmodū autem venæ illę propagantur, ita hę arterię omnibus tibię, pedis, & digitorū muſculis diſpenſantur: nec non ad inguinis glandulas, ſcrotum et colem, ſub cute mittuntur. imò oſſa ſuis non carent arterijs, vt calorem vitalem ab eis conſequantur. Atq; hę ſunt propemodum omnes totius corporis partes: in quibus ſi quid adhuc deſideres,

Colis arteriæ.

Arteriæ veſicæ.

Arteriæ hæmorrhoides.

Arteriæ vmbilici primæ in fœtu.

Cor poſt arterias gignitur.

Arteriæ aortæ rami ad crura vſq; propagatio.

Oſſa arterijs non carent.

indicato, antequam me aliò conuertam. MATHETES, Omnia plenè ſatis es perſecutus: paucula adhuc reſtant, quæ velim mihi explicari. primùm cur veram cutem præpoſueris cuticulæ, quam græcè ἐπιδερμίδα vocaſti, cùm tamen hæc illam ſuperemineat?

CVTICVLA epidermis dicta, ſenſus expers.

GERON, Quia veluti efflorentiam cutis eſſe dixi tenuiſsimã, & omnis ſenſus expertem. MATHE. Eſtne cutis vniuerſi corporis foraminibus peruia?

Cutis foraminibus eſt peruia.

GERON, Eſt vbiq; occultis meatibus cribri inſtar refertiſsima, per quos ſudor erumpit. in facie autem, pene, ſcroto, vola, interniſq; digitis admodum tenuis eſt, licet ob exercitia craſſeſcat. MATHETES, Cur pinguedo, ſeu adeps cuti ſubiecta eſt?

Pinguetudo cur cuti ſubiecta.

GERON, Vt calorem natiuum retineat, tueaturq;, & in ſummis inædijs cibi loco exiſtat, cùm in maſculis, tum in fœminis. in omnibus partibus, præterquàm in pene & ſcroto inueniri ſolet, ſenſus expers. MATHET. Quamobrem membrana adipi ſubiecta, carnoſa dicitur?

Membrana carnoſa cur dicta.

GERON, Quia in ceruice carnoſior, adeoq; muſculoſa euadit. veteres nomen hoc ei indiderunt, eò quòd infantibus carnea adſit, multis fibris intertexta, quæ tandem proceſſu temporis euaneſcant. aliâs ipſa, ceu quartum corporis à ſummo capite ad extremum vſq; pedem, inuolucrum, ac velamen exiſtit, muſculiſq; adhæret. Hoc etiam obſeruandum, quòd venæ ſuperficiariȩ, è quibus ſanguis mittitur, inter cutem & membranam abſq; arterijs oberrent, præterquàm in fronte, capite, pene, ſcroto, & digitis, vbi exiguæ apparent. MATHETES, Quid pili è cuticula erumpentes ſibi volunt, & cur procreantur?

Pili è cuticula erumpentes ad quid nati.

GERON, Quamuis corporis recrementa ſint, tamen illud quodammodo tegere, & tueri dicuntur, fuliginoſorum tertię concoctionis vaporum ſoboles. nullus homo adeò piloſus conſpicitur, quin planta pedis & vola ſemper pilis careat. in lepore hæ partes leuitatis gratia piloſæ ſunt. MATHETES, Vnde oſſa ſentire dicuntur, cùm tamen neruis carere ipſa docueris?

Oſſa quomodo ſentire dicantur.

Membrana oſſa ambiens.

GERON, Ob membranam neruoſam, quæ illa ambit, magno ſenſu præditam. hæc in exteriore caluaria, non autem intra illam inuenitur, ſicut neq; in dentibus. MATHETES, Solétne omnia quę recenſuiſti, in ſingulis corporibus conſpici?

QVÆ RARO apareant in anatome.

GERON, Magna ex parte, ſed interdum aliqua variare ſolent. at quæ rariùs in corpore humano cernuntur, de ijs doctrina certa conſtitui nequit. MATHET. Si non moleſtum eſſet, orarem te, vt quàm breuiſsimè quædam ex eis referres. GERON, Quædam tibi percenſebo, quæ magna ex parte alij quoq; annotarunt, præſertim Realdus. Primùm capitis ſuturæ non ſemper eodem modo ſe habent, ſed in nonnullis prorſus ſunt obſcuræ, in nonnullis recta deeſt: alijs oſſa triangula, alijs quadrangula, alijs ſagittæ forma inſunt. Deinde dentium eorumq; radicum numerus non ſem-

Suturæ capitis diuerſæ.

In dentibus quid varium.

per

per idem, ſicut neque inſertio ſimilis reperitur. interdum prima vertebra occipitio ita adhæret, vt caput moueri nequeat. interdum vertebræ in ceruice nunc ſex, nunc octo inueniuntur. in thorace aliâs vndecim, aliâs tredecim: in lumbis aliquando ſex, aliquando quatuor: in oſſe ſacro nunc quinque, nunc ſex extant. Coſtæ modò viginti duæ, modò viginti quinque, aut viginti ſex conſpiciuntur. ex his nonnunquam duæ, aut tres admodum ſunt connexæ: nonnunquam tumidiores apparent. Pectoris os in quibuſdam duplex, in his triplex, in illis quadruplex cernitur. Os Ilium ſacro vnitum aliquando deprehenditur. Femur interdum proceſſus quoſdam palmi inſtar longos acutóſque refert: ſic etiam tibia, ſed minus proceros. aliâs femur cum tibia vnitur, & ambo ſummum in tumorem efferuntur. Sex etiam digiti in manu interdum exiſtunt, vbi extremus pollicis articulus in duos diuiſus fuerit. Quinetiam monſtris ſæpe brachia ab origine deſunt: alijs crura: alijs corpus integrum adeſt, & dimidium alterius ei cohæret. Viſa eſt mulier, quæ dextra manu careret: in brachij autem fine, tres quaſi verrucas, vnguiculis quibuſdam præditas haberet, quibus linum ex colo trahere poterat. Realdus commemorat, homines auriculas brutorum inſtar ſortitos ſe vidiſſe: alios cæcos natos: alios quibus cartilagines coſtis nondum coaluerant: alijs quartum neruorum coniugium, neque ad palatum, neque ad linguam propagines detuliſſe, ſed ad occipitium reflexiſſe. Non dico quanta in muſculis, cruribus, pedibus & venis, diuerſitas ſæpè occurrat. Nunc enim eodem in latere duæ, tres, quatuor, & plures interiores iugulares: nec non emulgentes binæ eodem latere, ſicut etiam ſeminariæ venæ duæ viſæ ſunt: item meatus vrinarij quatuor: venæ in abdomine & cruribus varicoſæ grandiſsimæ: adhæc vnus duntaxat ren, iſque maximus: inſuper inteſtina tenuia mutuò in ſe ingreſſa longiùs digito, in ijs præſertim, quos dolor iliacus interemerat. Præter hæc iecur peritonæo annexum, ſicut etiam lienem fuiſſe, conſtat: aliâs eundem tam grandem, vt viginti libras penderet, quem cartilago extrinſecus ambiret. omentum autem peritonæo, & abdominis muſculis connexum, eiúſque ſelibram ex vmbilico appenſam: in ſcroto omenti libram. pulmonem membranæ coſtas cingenti, nunc in altero, nunc in vtroque latere adhæſiſſe: quod indicat, non omne vulnus thoracem penetrans, extrorſum ſpirare. in pulmonibus & iecore ſteatomata, & atheromata, nec non oſſa inuenta fuiſſe: item in thorace magnam aquæ copiam: in corde vlcera, & tumores contra naturam duros, præſertim in ſiniſtro illius ſinu. adhæc ſeptum, quo ventriculi cordis diſtin-

In vertebris quid rariùs accidat.

Coſtarum numerus in quibuſdam variat.

Os Ilium ſacro vnitum.

Proceſſus rariores in femore, & tibia.

In digitis quid rarum.

Monſtra.

Quarti neruorum coniugij varietas.

Muſculorum, venarum, crurum, & pedum diuerſitas.

Meatus vrinarij quatuor.

Ren vnus in homine viſus.

Iecur peritonæo annexum.

Lien.

Cartilago circa lienem.

Omenti varietas

In pulmone quid rarum.

Thorax aqua refertus.

Septum cordis cartilagineum.

guuntur, repertum fuisse cartilagineum: aliquando sinistrum ventriculum defuisse, sicut in quodam alio pericardium: qua de causa

Pulmonis portio exigua.

antea syncope accidisset, subindeq; ęger mortuo similis apparuisset. præter hæc exiguam pulmonis portionem, reliquum spatium aquoso humore plenum extitisse. Quid de monstris multa referam, cùm medicina illis subuenire non posit? qui curiosiores sunt, multa in historijs de his prodita inuenient. Hoc notatione dignum videtur, quòd membrana, quæ Gręcis ὑμὴν, nobis hymenæa dicitur, sub nympha ante ceruicem vteri superiore parte vnico foramine patens, vt menses posint effluere, sępe in virginibus & puellis non inueniatur, etsiamsi nondum illæ virum sint expertæ.

Membrana hymen dicta.

Calculi in renibus, pulmonibus vesica, intestino.

De calculis notum est, quòd in renibus colore varij, in pulmonibus, in ięcore, in vena portarum, in meatibus vrinarijs, in vesica, in intestino colo, in vesicula fellis multiformes, nec non abscessus in omento & peritonęo, iecore & liene saluis, reperti sint: adhæc iecur scyrrho, & lien præter hunc cartilagine etiam à foris obductus apparuerit.

Abscessus partium corporis.

Lien scyrrhosa, & cartilaginea.

In Hermaphroditis non mirum est, quòd multa rara deprehendantur, cùm partim marium, partim fœminarum naturalia habeant. MATHETES, Quam causam esse putas, cur natura sic in corporibus humanis ludat? GERON, Ego certè nullam pręter syderum influxum, intempestiuumq; concubitum, & malam victus rationem existimo. Tanta enim hodie morum & vitæ est corruptio, tantaq; libido, vt non mirum sit homines prorsus in bestias degenerare. MATHETES, Post mortuorum incisionem, quid de viuorum apertione censes?

DE VIVA sectione.

GERON, Atrocisimum latrocinantis medici opus esse dico, ex quo ars salutis humanæ præses, crudelisima pestis fiat, præsertim cùm nihil ex ea percipi queat, quod non etiam in cadauere cognoscatur: quanquam in canibus viuis ad anatomen præparatis, nonnulla euidentiùs, quâm in mortuo homine conspici posint. MATHETES, Quænam illa sunt, quæ in canibus cognosci possunt? GERON, Primùm quomodo vox per neruos recurrentes fiat, pulmóque moueatur, & is cor amplectatur: deinde quo pacto altera thoracis parte offensa, altera integra maneat, & qualis septi transuersi motus sit, quo inspirando dilatatur, & deorsum expirando constringitur, sursumq; agitur: postea quo motu cor amplificetur, arcteturq;: nec non an arteriarum motus cordi respondeat, numq; arteriæ constringantur, dum illud dilatatur, hæ verò dilatentur, dum id constringitur, vt omnes fatentur. nouisimè an cor dum sursum trahitur, intumescitq;, constringatur: vbi verò se exerit, quasi relaxatum, deorsum vergat, quando cor quiescit, ac summittitur: qui

In canum sectione quæ conspiciantur.

Cordis constrictio, & dilatatio.

motus

motus συστολὴ, ſiue ſummiſsio dicitur, eò quòd faciliùs minoreq́ labore hunc ſuſcipiat: quando autem tranſmittit, maiore robore indigeat. Id certum eſt corde detecto, pulſus differentias faciliùs quàm ex arteriarum brachij contactu, deprehendi poſſe: nec ſolùm cordis, ſed etiam cerebri dilatationem, conſtrictionemq́ ex illis apertiùs perdiſci, & quomodo humor aquoſus in cordis inuolucro contineatur. In fœmella prægnante non pauca obſeruatione digna occurrunt, de quibus Ariſtoteles multa falſa memoriæ prodidit. At ſi omnia accuratè in viuis canibus inueſtigare velis, pluribus certè opus erit. Olim huiuſmodi beſtiarum conſectionem Lutetię nunc priuatim, nunc paucis aliquot auditoribus & diſcipulis adhibitis, frequenter exercuimus: atq́ hodie etiam, ſicut audio, non parum illic eſt vſitata. MATHETES, Ignoſcas mihi, humaniſsime præceptor, ſi te de quibuſdam interrogem, antequàm ab anatome aliò digrediaris. Cenſésne adhuc Galenum omnium qui poſt Hippocratem vixerunt, medicorum præſtantiſsimum extitiſſe? GERON, Quid ni? tanto enim interuallo alios, qui de medicina ſcripſerunt, ſiue Græcos, ſiue Arabas, tum veteres, tum recentiores, ingenio, doctrina, & vſu artis ſuperauit, vt meritò princeps illorum dici meruerit. MATHETES, Qua ratione id fieri potuit, cùm ipſum rariſsimè, aut nunquam in humani corporis conſectione fuiſſe verſatum, ſed alias potius animantes, pręcipuè ſimias incidiſſe, eoq́ in humani corporis partium numero, ſitu, figura, & connexu grauiter eum erraſſe conſtet? GERON, Negare non poſſum Galenum in pleriſq́ illis indicandis, conſecandisq́ non ſemper rem attigiſſe, eò quòd magis ſe in brutorum, quàm in hominum cadaueribus præſecandis exercuerit. hoc tamen contrà affirmo, nullam eum ferè partem, cuius cognitio ad morborum curationem fuerit neceſſaria, ignoraſſe, perperamq́ tradidiſſe. MATHETES, Quid audio: atqui ego hactenus putaui medicum omnes partes etiam minutiſsimas, ſiue interiores, ſiue exteriores noſſe oportere, ſi in morbis medendis feliciter verſari cupiat. GERON, Multa in rerum natura extant, quorum notitia non quidem medicum aptiorem facit, ſed medicinę tantùm profectũ reddit. ſic nulli ob accuratam illam, ne dicam, curioſam nimis partium corporis perſcrutationem medici excellentiores, ſed ob curationes dextrè tentatas abſolutasq́, cenſentur. Ideo etiam Hippocrates, Galenus, Eraſiſtratus, pluréſque id genus alij, tantum ex rerum natura, & corporis humani fabricatione ſcrutari voluerunt, quantum ad medicinam probè exercendam ex vſu eſſe putarunt. non enim eadem ſemper omnibus ſimilem ob cauſam conducunt. Sic anatome aliter phyſicis inſeruit, qui

Pulſuum differentiæ in viua ſectione.

Cerebri motus cum cordis reſpondent.

Galenus medicorum præſtantiſsimus, poſt Hippocratem.

Galenus animantes tantùm incidit.

Medici excellentes qui.

Anatome quatenus perſcrutanda.

disciplinas ipsas propter se amant: aliter ijs, qui illam non ideo affectant, sed vt nihil temerè à natura factum esse demonstrent: aliter his, qui argumenta (vt ille ait) ad actionem quandam, vel naturalem, vel animalem cognoscendam, ex partium humani corporis historia adferre nituntur: aliter medico, qui manum aculeis telorumq; cuspidibus probè eximendis, vel alicui parti aptè excidendæ, vel sinibus, fistulis, & abscessibus incidendis adhibiturus est, quo anatomes vsu nihil æquè est necessarium. MATHETES, Quo pacto igitur medicus excellens futurus, in anatome gerere se debet? GERON, Sic vt primùm exteriorum partium: deinde in latentium viscerum actionibus: posteà in singulorum vsibus cognoscendis, diligenter se exerceat. non autem philosophorum more, qui corporis nostri structuram scrutantur, nempe vel solius contemplationis gratia, vel vt naturæ artificium qualibet in parte probè expressum doceant. MATHETES, Quæ igitur anatomes pars est præcipua, medicisq; vtilissima, & maximè necessaria? GERON, Ea, quæ circa musculos, neruos, arterias, & venas, in cruribus, manibusq;, aut thorace exteriore, iuxta spinam, aut pectus, aut costas, aut scapularum ossa, aut pubem, aut ceruicem, aut caput conspicua, versatur. Quid enim vtilius medico esse possit, si vulnera in bello accepta curare, tela extrahere, ossa incidere, luxata reponere, fracturas restituere, fistularum sinus, & abscessus incidere, aliaq; id genus moliri studeat, quàm omnes & manuum, & crurum, exterioresq; scapularum, & alias supradictas partes accuratè perspectas habere? In his enim, nisi noueris vbi aut neruus, aut musculus insignis situs sit, vbi verò arteria, aut vena grandior, interdum mortis magis, quàm salutis autor eris: interdum mancos efficies. MATHETES, Quæ pars anatomæ non adeò vtilis est medico, & necessaria? GERON, In qua curiosè inquiritur, quot singuli cordis, cerebriq;, aut alterius visceris sinus, membranas habeant: quot venæ ipsas nutriant: vnde & quomodo procedant: aut quo pacto neruus ex paribus illis, quæ à cerebro deorsum feruntur, eidem inseratur: quomodo ex vitali spiritu, animalis generetur: vbi plexus ille reticularis subsistat: item quot linguæ musculi, qualesq; forma existant. Hac de causa Galenus iuuenes adhortatur, vt relictis cerebri, cordis, linguæ, pulmonis, iocinoris, lienis, renum, stomachi, laryngis, fœtus, vteriq; grauidi incisionibus, prius discant, quali connexu brachium, scapulæ, & cubitus deligentur: adhæc quomodo alia artuum membra singula cohæreant, quiq; musculi ea moueant: item qui nerui, quæ arteriæ, quæ venæ vnamquanque partem intercurrant: quem vsum præstent. Venia igitur Galeno danda, ignoscen-

Quomodo medicus se in anatome gerere debeat.

Anatomes pars quæ vtilissima, & necessaria.

Anatomes pars medico minus vtilis, & necessaria.

In anatome quæ primùm addisci Galenus præceperit.

scendumq; esse videtur, si quando in minutilis quibusdam, nõ admodùm medicinę necessarijs, vel ob grauiora studia, vel ob corporum humanorum inopiam, minus accuratè illorũ incisionem moliri potuerit. Quis enim vnq;, pręsertim in rebus obscuris et latentibus, tam fuit oculatus, tam vbiq; certus, tamq; circunspectus, qui non aliquando aberrauerit? Non dubito, quin si omnes Galeni commentarij anatomici integri adhuc, sicut ipse amicis & discipulis conscripsit, hodie extarent, nostræ ætatis medici longè pręclariùs de illo sentirent. Sed tanta est hominum ingratitudo, ne dicam impietas, vt nemo libenter fateatur, per quos profecerit: omnes autem de alijs benè meritos, ob res etiam leuissimas calumniari, leuium ingeniorum more, audeant: quę omnia sibi asscribere, nihil detrahere solent. Quantò honestius esset, præcipuè in eo ministerio, quod vtilitatis causa posteris traditur, ingenuos cuiusq; conatus æqui boniq́ue consulere: non autem contumeliosè insectari & reprehendere. verum autem errorem paucis citra longas contentiones annotare. Vtinam id non tantùm medicinæ, sed etiam reliquarum artium professores agerent: qui sæpe ob controuersias anno integro, vix vnius libelli Galeni περὶ μίκρας τέχνης interpretationem in scholis absoluunt. MATHETES, Id ego sum expertus cum magno studiorum meorum detrimento. GERON, Quid agas. ita sunt omnes ferè medicinæ professores hodie affecti, vt eruditionem suam, si quam habeant, ostentare potius, quàm res necessarias declarare cupiant. Hoc Galenus quoq; vitio (pace illius dixerim) laborasse videtur, dum in aliorum scriptis reprehendendis, confutandisq;, suis autem asserendis ferè ad tædium vsque prolixus existat. Quanquam autem id à natura ipsi fuerit inditum, vtpote Asiatico: tamen id commodi longę eius dissertiones habent, vt lector semper aliquid memoratu dignum in illis inueniat. Hippocrates omnis medicinæ parens, quanta modestia contra illos, qui ab eo dissentiebant, vsus sit, omnes intelligunt, qui scripta illius perlegerunt. Rursus si huius temporis medicorum commentaria euolueris, maiorem ipsorum partem in contentionibus & calumnijs, quàm in re proposita absumi deprehendes. In summa, sęculum illud, quo ipse viuebat, tale scribendi genus requirebat. hodie nobis idem quod illi, non licet, cuius vix discipuli esse meremur. Laudare non possum illos, qui in aliorum vitijs reprehendendis sunt acutissimi, in proprijs autem magna veluti caligine obducti cęcutiunt. Alexander Trallianus non obscurus medicinę scriptor, cùm in febris quartanę curatione à Galeno dissentire nonnihil coactus esset, cum magna honoris præfatione dicere incepit: MIROR

Galenus veniam meretur, quòd minus curiosè anatomen tractarit.

Galenus cur in docendo prolixus fuerit.

Alexander Trallianus de Galeno.

CVR DIVINISSIMVS GALENVS ITA IN HOC MORBO CVRANDO SENSERIT. Non dico hæc, quod aliorum errores contra veritatem defendere cupiam, sed id modestè citra calumniam fieri malim. Atque sic nunc anatomę finem imponam: cras, si DEVS volet, ea quæ huic proxima sunt, aggrediar.

Ioannis Guintherij Andernaci Medici Clarissimi

DE MEDICINA VETERI ET NOVA COGNOSCENDA, COMMENTARII PRIMI

DIALOGVS SEXTVS.

MATHETES, Ingentes tibi gratias habeo, eximie praeceptor, quòd iam vniuersas corporis partes, adeò candidè & diligenter mihi indicaris. Metuebam enim, ne obiter eas tantum, & veluti in transcursu recitares, vt plerisque in scholis fieri audio. GERON, Id quod feci, in tuam gratiam feci. hodie siquidem permulti putant, tam accuratam partium cognitionem, ad morbos curandos non esse necessariam. Ego verò singularum situs, figurae, connexus, temperamenti, & naturae notitiam, medico futuro conuenire: longas autem, & curiosas nimiùm, de ipsis disputationes, contentionesque superuacaneas esse existimo: cùm etiam plaerique apud veteres sine illis medici euaserint excellentissimi. Non improbo tamen eos, qui hoc nomine vel minima quaeque perscrutantur, examinantque, vt medicinae studiosis ea ostendant: ita tamen, ne diutius illis immorentur, sed maturè ad maiora contendant. MATHETES, Quae vocas maiora? GERON, Ea quae vniuerso corpori eiusque partibus vitam tribuunt, & conseruant, vti sunt calor, humorque genuinus, spiritus, natura, & facultates singulis peculiares. MATHETES, Vnde, & quomodo calor ille natiuus in corpore humano exoritur? GERON, Ex igne quodam secretiore, nempe diuino, simul cum corpore nostro, non ex prima elementorum temperatione: vnde meritò veteribus primarius, vel primogenius, vel insitus, vel natura, vel anima, vel essentia, per se semperque mobilis appellatur: ex calido & frigido mediocriter temperatus. ideo non intrò, neque extrà solùm fertur, sed alter ipsius motus, alterum excipit. Nam si intus omnino maneret, celeriter immobilis fieret, aboleretúrque: sin autem foràs tantùm efferretur, eo quoque motu euanesceret. quare quandiu modicè restinguitur, & modicè vicissim accenditur, tandiu mobilis perseuerat. ideo etiam cùm ad interiora paulatim tendit, incenditur, alimenti appetens: cùm autem ab intimis mediocriter effertur, vniuersis partibus robur & vitam communicat. MATHETES, Repetas iterum, cúrnam calor ille insitus etiam frigidi sit particeps? GERON, Cùm ipse sua sponte moueatur, fera-

Anatome cognitio ad morbos curandos necessaria.

Disputationes curiosae, et inutiles.

Anatomici ex professione non contemnendi.

Quae partibus inhaerent, accuratius sunt inquirenda.

Calor natiuus vnde & quid.

Calor quomodo perseueret.

Calor insitus frigidi particeps quare.

turq; in ſublime, frigido mediocri opus habet, quod impetum eius impediat, ne propter leuitatem diſperſus, euaneſcat. MATHETES, Quas actiones calor iſte genuinus obit? GERON, Vitam tuetur, alimentum attrahit, conficit, nutrit, ſuſtentat, auget, procreatq;: nec non animantibus ſenſum motumq; præſtat: & quantò magis perfectę operationes illius apparent, tantò amplior eius eſſentia exiſtit. Si enim ſol (vt ab hoc exemplum ſumam) omnia quæ vita fruuntur (veluti rex ſummus, & orbis moderator) luce ſua illuſtrat, eademq; pariter caloris ſui temperatione fouet, & ad prædictas actiones excitat: frigus autem externum illas impedit, certè in quouis corpore, quod vitam habet, calorem aliquem ineſſe oportet, qui ſoli hac parte reſpondeat, & actiones nuper dictas, licet obſcuriùs, edat. Nunquam autem ille tam imbecillus eſt, vt eum vel extremæ ſenectæ frigus ſuperare poſsit. nam ex hoc ſerpentes & herbæ, ſtirpesq; temperamento frigidæ, papauer, mandragora, atq; id genus aliæ viuunt contrà res quędam inanimatæ, quamuis elementarem ac igneum adeò calorem habeant, vt nos vrant, tamen vitali non ſunt præditæ. Qua de cauſa calor iſte natiuus, non ex elementorum, ſed præſtantiore materia procreatus eſt. MATHETES, Manétne ſemper ipſe in genuina ſua mediocritate? GERON, Si hoc fieret, homo ſemper bene valeret. at ſæpè morbis infeſtatur: ergo calor inſitus non omni tempore ſui ſimilis permanet, ſed interdum frigus ipſe ſuperat. vnde inflammationes, eryſipelata, herpes, carbunculi, aliiq; feruidi affectus, & febres oriuntur. interdum frigus ſuperat calorem. vnde conuulſiones, tetani, palpitationes, ſtupores, reſolutiones, epilepſiæ, paraplegiæ, & rigores naſcuntur. Quamuis autem calor natiuus refrigeretur, quando robore, quod ipſum continet, deſtituitur, vel quando alimenti, quo accendebatur, penuria laborat, neuter tamen affectus rigorem inducit, eoq; non ſimpliciter refrigerari calorem in rigore dicimus. MATHETES, Quomodo igitur refrigerari ipſe poteſt, ſi rigor comitabitur? GERON, Subitò, & violenter, ſic tamen vt ipſe robuſtus perſeueret, neq; eſſentia, neq; facultate læſus, ab exteriore autem cauſa quadam moleſtetur. MATHETES, Si placet, rem exemplo reddas clariorem? GERON, Flamma extrinſecus nunc materiæ, vnde accendi ſolebat, inopia interit: nunc in ſole ſplendido contabeſcit, ac emoritur: nunc aquæ abundantia extinguitur: nunc lignorum ſuper eam cumulatim iniectorum copia ſuffocatur: atq; hi quatuor caſus, quatuor ex cauſis, non vno omnes modo flammam infeſtant. MATHETES, Quonam ſinguli? GERON, Primo vis eius flammæ quæ in ſole marceſcit, diſsipatur, dum aëris nos ambientis violentia

Caloris inſiti actiones.

Caloris neceſsitas

Calor natiuus ex meliore quàm elementorum materia procreatus.

Non ſemper ſui ſimilis.

Morborum cauſæ.

Calor inſitus non ſimpliciter refrigeratur.

Flamma quot modis extinguatur.

lentia diſcutitur. nam radiorum ſolis robur, igne valentiùs eſt, ac durabilius. Secundò cùm flamma materiæ penuria, non amplius accenditur, eſſentia abolita, interit. quod enim accenſum eſt, id ſemper in motu forâs tendente digeritur, diſsipaturq;: cùm autem intrò alimenti recipiendi gratia tendit, deinde eo deſtituitur, euaneſcit. tertiò, cùm flamma, aqua copioſiore humectata, extinguitur. nam illa validè aduerſus omnem ſyncerum copioſumq; humorem pugnat: ſicut etiam, ſi pleniùs ipſi ſuperfundas oleum, ſtrepitus & concuſsio neceſſariò oboritur, igne propemodum voce, vt ait ille, violentiam teſtante. MATHETES, Taliſne caloris inſiti affectus, rigor eſt? GERON, Vtiq;. neq; enim is fieri ſolet, cùm natiuus calor materiæ & alimenti inopia contabeſcit, nec cum illius copia grauatur, aut ex imbecillitate marceſcit, ſed cùm validus adeò exiſtit, vt expandi poſsit, & deinde prohibetur. Ideo corpus etiam duplici ac compoſito motu agitari, vt in tremoribus, ſed diuerſa ratione, ſolet. In his enim motus ex facultatis corpus mouentis languore mixtus oritur: quo membrum prout vis ipſius remittit, erigitur: pars autem ſemper deorſum labitur. in rigore verò, naturalis caloris motus violenter retinetur. Cupit enim ille tanquam eſſentia, & viribus integer expandi, & in omnes corporis partes diſpergi. quando autem à motu ſuo prohibetur, introrſumq; violenter repellitur, ad principium ipſius refugit. Quia verò ibi remanere nequit (nam eſſentia ſemper mobilis, ſi loco ſiſtere cogatur, interit) ipſe ſe recolligens, & quaſi in vnum congregans, non ſanè æquabiliter, & libero motu introrſum repellitur, ſed valido impetu, tanquam è carcere exiliens, ea ſanè, quæ tranſitum ipſius occupant, interdum propellere, vias autem expurgare nititur. at cùm illa repellit, ab impetuoſo quidem curſu ſuo cohibetur, totum autem corpus inuaſione ſua perturbat. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia vaporoſus tunc redditur, cùm in ea, quæ obſiſtunt, impingit, intrò rurſus reſilit, quaſi ictu repercuſſus, ac iterum ad principium reuertitur: inde rurſus erumpens, inuadit violentiùs, iterumq; in hac irruptione reſilit. idq; tandiu fit per ſucceſsionem, donec noxia perſeuerant. Hac ratione fit, vt corpus & dolore afficiatur, & inæquali duplicíq; motu in rigore agitetur. Summatim, omnia in corpore commouentur, concutiuntur, turbanturq;. ac quilibet in rigore motus ob inæqualem, validam, & violentam inſiti caloris vaporoſi redditi irruptionem inuaſionemq;, & repulſum, etiam inæqualis, inordinatus, & voluntati contrarius efficitur. Idcirco corpus poſt rigores magis incaleſcit, ſudoreſq; effundit, quàm cùm in naturali ſtatu eſſet. Vbi enim noxia, per varios motus li-

Duplex motus in tremore.

Caloris vehementia in rigore impeditur.

Calor inſitus in naturali ſtatu & rigore quomodo ſe gerat.

Motus in rigore.

Sudor poſt rigores cur.

berè propulerit, perfecteq; reſpirauerit, tres ob cauſas incaleſcere cogitur. MATHETES, Quænam ſunt amâbo? GERON, Prima, quòd calor frequenter ab exteriore perſpiratu repreſſus, in imo corpore colligatur: ſecunda, quòd ille totus iam forâs vehementer expanſus ſit: tertia quòd ipſe inuaſione, impulſu, violentoq; motu accendatur. Si verò ignis accenditur, cùm lignum, aut lapidem atteris, confricaſq;, quantò magis ſpiritus inſitus, cùm natura ſit calidus, accendetur, ſi vehementer moueatur. id quod in naturalibus motibus videre licet. Nam currentes, luctantes, confricantes, aut alio quodam modo ſe commouentes, non minus, quàm qui in ſole æſtiuo, aut apud ignem ſteterint, incaleſcunt.

Cur corpus poſt rigorem incaleſcat.

Sudor.

Quinetiam ſępe accidit, vt calor, cùm ita ex alto redit, ceu ferueſcentis humorū materię aliquid confertim effundat, qui ſudor appellatur. Quare ſi quis poſt rigorem frigefactus non iterum incaleſcat, periculo mortis vicinus eſt, vt in quo calor natiuus euictus ſit. MATHE. Quot modis vincitur? GERON, Duobus: primo cauſæ offendentis efficatia: ſecundo ſua ipſius imbecillitate. ›› Si itaq; mutus ex rigore non recaleſcit, mors in propinquo eſt: nec non ›› vtriq; affectus, ob quos rigores fiunt, exitiales ſunt: in illo, cauſa ›› rigoris valida: in hoc vires ægri imbecilles ſunt. Ideo rigor in fe›› bri non intermittente ſuperueniens, ægro iam imbecilli mortem denunciat.

Calor natiuus quomodo euincatur.

Rigoris cauſa non ſolùm frigida, ſed etiam calida.

MATHETES, Cùm itaq; rigorem frigidum caloris natiui affectum eſſe dixeris, cauſamné eius efficientem frigidam eſſe ſolam cenſes? GERON, Nequaquam, ſed etiam calidam. Nam in febri quoq; tertiana vera, & ardente, quam magnus feruor, ſitis inconſolabilis, bilis merę vomitus comitantur, rigor ſuperuenire ſolet. adhæc acre & calidum medicamentum vlceri admotum, primùm dolorem, mox horrorem, deinde rigorem excitat. præterea inflammationem, cùm in abſceſſum mutatur, rigor, horrorq; ſequitur. poſtremò etiam horrendum aliquid auditu, & ſpectatu nonnunquam, & rigorem & horrorem gignit.

In febri tertiana vera & ardente.

Ex medicamento calido exteriore.

Ex inflammatione.

Ex auditu & viſu.

Ex bile, & acri humore.

Humor ſolus abundans, non poteſt rigorem procreare.

MATHETES, Ex bile igitur, & acri humore quoq; rigor excitatur? GERON, Quid ni? ſed hoc aduertas velim, nullum humorem, ſiue frigidum, ſiue calidum & acrem ſolum abundantem, rigorem poſſe procreare, ſed peculiari vtrunq; modo: nempe ſi certa illius ſit copia, aut qualitas, aut locus quidam corporis, in quo illum colligi oportet. erit autem non parua in eo, quod loco manet, aut mouetur, & in motus modo differentia.

Rigor quomodo propriè fiat.

MATHETES, Eam, obſecro, exponas? GERON, Vbi calida medicamenta applicantur, nonnunquam ſolus horror, ſæpe etiam rigor ſuperuenit: ſicut in ardentibus, & tertianis febribus, cùm flaua bilis, non in vaſorum receptaculis continetur, ſed per carnes mouetur: vel ſi copioſior

iſte

iſte humor in ipſis creatus ſit: vel ſi per ipſas à natura expurgetur. Hac enim ratione ſola, ardentes febres à tertianis differunt:

Ardentes febres à tertianis differunt.

quòd illæ in vaſis bilem habeant: hæ verò eam extra illa per ſenſorias partes deferant. quia bilis, cùm per illas rapitur, acrimonia ſua dolorem mouet. Duo igitur interea fieri ſolent, nempe quòd ſanguis ad corporis interiora refugiat, & quòd ipſius particulæ, quæ bilem continent, ſingulæ ſua facultate alienorum excretice, illam à ſe ad vicinam propellant, donec ipſa bilis ex omnibus abacta, per ſudores, aut vomitum, aut aluum euacuetur. Idem accidit etiam in laborantibus cruditate, aut vitioſo humore plenis, aut in ſole verſatis æſtiuo, aut in balneum ingreſsis, aut exercitatis: quorum nonnulli inde ſtatim horrent, & rigent.

Rigor ab externis quî fiat.

MATHETES, Ergo, ſi cauſa quædam calida, & acris, aut frigida copioſa in nobis moueatur, rigorem protinus inducet? GERON, Eadem quidem cauſa efficiet, ſed non duntaxat copioſa pariet. niſi enim vehementiore motu per ſenſorias partes feratur, nullum excitabit. Ideo in quartanis ſimul & tertianis febribus rigor ægros infeſtat, quamuis illę ex contrarijs ſint humoribus contractæ.

Rigor in tertianis & quartanis.

Nam melancholicus natura frigidus, flaua bilis calida exiſtit. Dum autem per rigorem ſanguis, & cum eo calor natiuus ad corporis interanea, viſceraq; refugit, cutis crurum manuumq; extrema frigida & exanguia redduntur, eò quòd longiſsimè ab illis diſtent.

Cutis manuum & crurum extrema cur frigida, & exanguia.

Itaq;, ſi calor genuinus in alto extinguatur, vel ſuffocetur, quòd foràs non tranſpirauerit, vel quòd à frigidis cauſis euictus ſit, animal emoritur.

Animal quomodo emoritur.

at ſi ille in altum quidem refugiat, recollectis autem viribus, noxijs cauſis reſiſtat, tum facultatis alienorum excretricis, quæ ſingulis ineſt particulis, veluti inſtrumentum efficitur. MATHETES, Ad quid facultas illa calore natiuo indiget? GERON, Cùm ipſa noxijs expellendis nata ſit, multò certè id efficatiùs præſtare caloris ex alto emergentis ſubſidio poteſt: qui ipſe quoq; ſimul valido impetu illa in proximam quanque partem extrudit: idq; nunc per cutem, nunc per vomitum, nunc per ventrem inferiorem, interdum per vtrunq;.

Facultas excretrix ad quid calore indigeat.

MATHETES, Aliúsne humor frigidus pręter melancholicum exuperans, ea ratione, quam dixiſti, rigorem generare poteſt? GERON, Poteſt pituita admodum frigida, quæ à Protagora græcè ὑαλώδης, quaſi vitrea appellatur.

Rigor quando ex pituita.

verum ex hac generatus rigor, vehemens non eſt, licet interdum pluſculis diebus deinceps perſeueret. quando autem nos conquieſcimus, & nullo motu agitamur, ipſe quoq; deſinit: contrà, quando mouemur, ſtatim pro motus ratione comitatur vehementior ob validiorem, leuior ob imbecillem. At huiuſmodi rigor non tam viris, quàm mulieribus, præſertim iis, quæ ſummo

in otio vitam degerint, & balneis à cibo vſæ fuerint: interdum etiam,

Rigor ob horarios fructus.

tum adoleſcentibus, tum viris, ob immoderatum frigidorum, & immaturorum fructuum, ſiue horariorum, ſiue autumnalium vſum, obuenire conſueuit. MATHETES, Rigores, qui tertianarijs, quartanarijs, pituita vitrea grauatis, & quibus acria medicamenta ſunt applicata, obueniunt, omnéſne inuicem ſunt

Rigorum differentia.

conſimiles? GERON, Nullo pacto. nam in quartanarijs talis exoritur, qualis per magnum aëris frigus iter faciuntibus, accidit: in tertianis autem, & ardentibus febribus, talis percipitur, in quo ægri quaſi aciculis acutis, & tenuibus per carnem lancinentur, punganturq́. plurimi eorum ſitiunt, & calorem per imas partes in ipſo rigoris tempore ſentiunt. MATHETES, Qualis rigor eſt, quem pituita vitrea, & immodicus frigidorum, immaturorumq́ fructuum eſus peperit? GERON, Similis ferè ei, qui in quartana moleſtus eſt: in quo tantum frigus ægri ſentiunt, vt vix rurſus excalefieri queant: præcordia craſsis humoribus obſtructa tenduntur, grauanturq́. ſed de his alio tempore agendum erit. MATHETES, Cùm ergo de calore natiuo potiſsimùm differere hîc inſtitueris, pergas reliqua abſoluere, quæ nondum explicaſti. adhæreſcitne adeò corpori humano, vt ab eo ſeparari nequeat? GERON,

[C]alor natiuus in qua materia contineatur.

Minimè, ſed ſeiungi poteſt. MATHETES, In qua corporis materia, calor ille continetur? GERON, In ſpiritu, tanquam propria ipſius, & facultatum ſede, primoq́ functionum obeundarum inſtrumento. MATHETES, Id, quæſo, craſsiùs explices? GERON, Si-

Aura in corde & cerebro.

cut in cordis ſinibus, & cerebri ventriculis, aura quædam tenuis continetur, dum animal viuit: cùm autem vita defungitur, ſine ſenſu euaneſcit: ita in reliquis partibus omnibus conſiſtit. MA-

Aura aëre inſpirato fouetur.

THETES, Vnde illa fouetur? GERON, Ex aëre inſpirato. nam hic corpori non ſolùm refrigerium, ſed etiam nutrimentum ſpiritui adminiſtrat. MATHETES, Atqui ego ſemper exiſtimaui corpus noſtrum aëris ſubſidio indigere? GERON, Erraſti. nam denſa illius moles, craſsiore pabulo ex elementorum miſtione con-

Corpus noſtrum aëre non indiget.

creto: tenuis autem, & ſpirituoſa eſſentia, aëria & ſui ſimili ſuſtentatur. MATHETES, Vnde materia caloris, ſpiritusq́ in nobis cognoſci poteſt? GERON, Ex rebus exterioribus. ſummus enim feruor calorq́ igni, præſertim flammę ineſt: hęc autem fumus eſt, aut eſſentia aëria accenſa, quæ non vno ſeorſùm, ſed ambobus con-

Flammæ materia quæ exiſtat.

iunctis abſoluitur. MATHETES, Quæ ergo flammæ eſt materia? GERON, Fumus. MATHETES, Quis opifex? GERON, Calor feruidus accedens. MATHETES, Quis eam fouet? GERON, Aër ambiens, non craſſus, non copioſo humore madens, ſed tenuis, & ſincerus. ſin autem is ita impeditur, vt nequeat liberè calorem ac-

cendere,

cendere, flamma statim coarctata angustiùs restinguitur, & emarcessit. Vnde constat flammam ex aëre nos ambiente, & tanquam fumosa & pingui materia, quale est in lucerna oleum, foueri. Id enim omnium citissimè inflammatur, quod tenui essentia, multo aëre, spirituq; perfusa continetur: deinde adeps, & id genus similia, præsertim quæ olei naturam imitantur. Atq; sic omnia, quæ viuunt alunturq;, tribus humoribus sustentantur. primo quidem, olei naturam referente, ad inflammationem idoneo: altero verò, magis tenui ac fluido, sed non vti prior, inflammationi excitanda accommodato. MATHETES, Vnde iste prouenit, & qua in parte subsidet? GERON, Ex alimentis. quamuis autem ille ex concoctione iam mutatns fuerit, nondum tamen in corporum viuentium essentiam ex toto conuersus est, occultisq; illorum latebris inhærescit: latinè alimentarius dici potest. MATHETES, Qualis tertius humor est? GERON, Aquosus, à reliquis diuersus, vt quo tanquam visco, terrenæ corporum partes iunctæ cohæreant, rebus omnibus ex elementorum permistione concretis, communis. Hoc vniuersa inanimatorum genera, vt lapides, aut metalla conglutinata sustinentur, non autem alimentari, nec eo, qui oleum refert. nam isti viuentibus duntaxat peculiares sunt, vt vitam caloremq; eorum tueantur. MATHETES, Quis humor calorem natiuum & spiritum alit, ac sustentat? GERON, Pinguis, & oleo persimilis, non adeps, quo plurimæ partes oblinuntur, sed aliis longè dissimilis, & aërius, qui simplicium partium essentiæ insertus, licet conspectum effugiat, tamen arte secerni potest. atq; is tum spiritus, tum innati caloris fundamentum, primaq; est essentia. MATHETES, Quo nomine appellari potest? GERON, Primogenius, eò quòd primus sit, & omnium viuentium communis, in quo spiritus calore imbutus, primariò & seorsum consistit, adeò vt neuter illorum citra huius opem esse, aut diutius perseuerare possit. MATHETES, Estné eius generis humor etiam in corporis humani particulis? GERON, Est vtiq;, in similaribus: non solus autem hic pinguis, sed etiam reliqui duo supra dicti, qui tum calorem nostrum, tum vniuscuiusq; solidæ partis essentiam conseruant tuenturq;, verbi gratia, os, quandiu in animante alitur, & caloris vim in se continet, alimentario humore angustis spatiis affuso madescit, aspergiturq;: idem autem præsectum, & ab animante auulsum, ignis ardoribus cedit, statimq; ob humorem illum pinguem, qui inflammationi fouendæ est idoneus, incenditur. quamuis autem is ipse iam incendio fuerit absumptus, ossis tamen robur & firmitas etiamnum superstes manebit, idq; communis illius humoris viscosi beneficio. MATHETES, Si triplices

Quæ citißimè inflammentur.

Omnis res tribus humoribus constat.

Alimentarius.

Humor primogenius.

Humor elementaris.
Primogenius.
Alimentarius.

simplicium partium humores existunt, quomodo singuli nominantur, & quid habent officij? GERON, Primus elementaris, alter primogenius, tertius nutricius. ac duo quidem propriam simplicium particularum essentiam absoluunt: tertius ascititius quodammodo, & exterior est. Quare dum animal adhuc viuit, hic quidem absumi siccariq; potest: reliqui verò duo nunquam ex toto, neq; maiori ex parte exhauriri. nam antequam eo discriminis ventum fuerit, spiritus calorq; propria ipsorum materia detracta, marcescit, animalq; vita defungitur. Non enim fieri potest, vt spiritus essentia, calorq; diutius persistat, vbi materia quæ spiritus & caloris peculiaris est sedes, illumq; continet seruatq;, dissipata fuerit. ijs autem, qui integra valitudine præditi, intolerabili frigorum vi adeò opprimuntur, vt quamprimùm è vita discedant, calor interclusus extinguitur, etiamsi spiritus materia superstes quodammodo maneat. Similiter vehemens animi deliquium hominem inuadens, tum caloris, tum spiritus simul essentiam citra vllam humoris primogenij iacturam, breui dispergit. sin autem essentia spiritus perseueret, calorq; natiuus permaneat, neq; illa consumi, neq; hic dissipari poterit. MATHETES, Quomodo tres isti humores aliâs inter se differunt? GERON, Primogenius, quem peculiarem viuentium esse dixi, à nutricio dissidet, quòd ipse statim ab origine prima, essentiæ nostræ portio quædam existat. ab aqueo autem siue elementari distat, eò quòd vterq; licet nobis sit insitus, hic tamen omnium corporum etiam inanimatorum communis, nihil commercij cum calore natiuo & spiritu habeat: ille verò plurimùm, vtpote horum sedes & fomentum. MATHETES, Primogenium itaq; præ cæteris natiuum appellare oportet? GERON, Maximè, nos eundem etiam vitale, & salutare humidum, barbarolatini radicale vocant, eò quòd spiritus, caloris, totiúsque vitæ fundamentum sit & pabulum. MATHETES, Ex quibus partes similares constant?

Vita & mors in quibus consistant

Calor ob frigus interclusus extinguitur.

Animi deliquium quomodo mortem adferat.

Humorum trium corporis differentiæ.

Primogenius propriè natiuus.

Simplices particulæ ex quibus consistent.

Essentia solida.

Carnosa.

GERON, Primùm ex elementis, inter se licet non ex toto æquabiliter temperatis. nam aliæ ex alijs plus minusq; assumpserunt: eaq; varietas non cognitione solùm, sed etiam sensu deprehendi potest. deinde ex tribus alijs essentijs, nempe solida, carnosa, & spirituosa, vt vulgari more loquar. MATHETES, Quid est solida? GERON, Princeps rudimentum, per quod vniuersis particulis robur & firmamentum suppeditatur, cuiq; reliquæ essentiæ, tanquam basi innituntur. MATHETES, Quid carnosa? GERON, Quæ solidam vndiq; circundat, obuallatq;, & spatia inter fibras vacua, quasi rimas explet. At quæ musculorum fibris innascitur, propriè caro appellatur: quæ cordi, iocinori, renibus, lieni, & pul-

& pulmoni παρέγχυμα, quasi affusio: quæ intestinis, gulæ, ventriculo, vtero, vtriq; vesicæ, arterijs, venis, neruis, & membranis insidet, communi quoq; vocabulo carnis nominatur, vt sua cuique similari particulæ tribuatur. MATHETES, Ex quot, & quibus solida essentia constat? GERON, Ex tribus. primùm ex aqueo humore: deinde ex primogenio, vitæ & spiritus veluti fundamento: postremò ex materia carnosa. MATHETES, Ex quibus partes omnes corporis aluntur?

Tres solidæ essentiæ materiæ.

GERON, Ex sanguine potissimùm. nam is primum ad exteriorum, & exilium venarum, arteriarumq; ora perducitur, elaboraturq; : deinde iam alimenti vice partium essentiæ influit, eiq; apponitur: tertiò circa partium fibras concrescens, illis adhæret, agglutinaturq;: postremò illis iam assimilatur, & in propriam earum naturam conuertitur. MATHETES, Cur naturalis calor simul adest? GERON, Quia omne vitale salutari calore continetur, gubernaturq;. quoniam autem ille qualitas existit, totus diuinus cœlestisq; est, & in æthereo spiritu consistit. MATHETES, Quæ innati caloris est essentia? GERON, Vel carnosa dicta, vel id humorum, quod radicibus inhærens, vitale & primogenium appellatur: quod olei cuiusdam speciem repræsentat. In hoc autem magis vitæ calorem, quàm in illa contineri, rationi est consentaneum. MATHETES, Qua de causa? GERON, Quia primogenium istud humidum firmum & constans est, in solida fixum essentia, quod non nisi ętate decursa imminui potest: carnosa autem essentia sæpe omni ætate, nunc augeri, nunc detrahi, & extenuari videtur. Illud igitur vbi iacturam fecerit, restitui nequit: carnosa autem essentia, marcore exhausta, iterum resarciri potest. nam magnitudo eius variatur: etsi animans præterea non augescat. MATHETES, Si ergo innatus calor, vitæ opifex tutò nos ad extremum vsq; terminum vitæ moderari debet, in humore ne perpetuo eum perseuerare oportet? GERON, Certè. MATHETES, Vnde igitur, ambo ista deriuantur? GERON, Ex semine: sicut carnosa essentia ex materno sanguine. nam in prima fœtus conformatione, dum similares partes gignuntur, semen ipsum primum in rudimenta quædam sese extendit: deinde verò in accuratam formam transit, & similarium partium adumbrationem quandam lineamentis suis exhibet, quæ quasi fibræ sunt, tenuissimis tanquam araneorum filis contextæ. MATHETES, Constans igitur, & verè solida similarium partium essentia ex puro semine est concreta? GERON, Vtiq;. hinc deinde sanguis maternus sensim influens, fibrasq; vndiq; circunsidens, illic concrescit, & carnosa efficitur essentia, quæ locis inanibus affusa, inspersaq;, similarium

Partes corporis ex quibus alantur.

Natiuus calor qualitas.

Innati caloris essentia.

Primogenium humidum, & carnosa essentia, quando imminuantur.

Vitalis calor & humor primogenius vnde deriuentur.

partium moles euadit. MATHETES, Dic, obſecro, ſolidior illa partium ſimilarium eſſentia, eandémne conditionem toto vitæ curriculo retinet, quam ab origine accepit? GERON, Sic arbitror. nam fibræ ex humido liquidoq; ſemine procreatæ, quamuis diuturnitate temporis magis magiſq; ſicceſcit, donec ad extremum vſq; ſenium, quod aridiſsimum eſt, perueniant, ſemper tamen aliquid humoris iſtius ſeminalis, in omnem vitam ſiue recondunt, ſiue reſeruant: quod vt recens natis infantibus copioſiſsimum ineſt, ſenibus exiguum, ſic interiectis ætatibus mediocre. Quantulumcunq; autem in vitæ terminum reconditur, id ſpiritū & calorem ex ſemine ſecum aduehit, eoſq;, & ſibi, & eſſentiæ ſolidæ perpetuos, ac indiſſolutos retinet. MATHETES, Quantum intelligo, carnoſa ſimilarium partium eſſentia à ſanguine procedit: ſolida verò, & quicquid ei ineſt, ſiue craſſamentum, ſiue humidum primogenium, ſiue ſpiritus, ſiue calor inſitus, à ſemine. GERON, Rectè intelligis, & ſi quæ illius portio ſit incorrupta, ea quoq; ſeminis naturam plurimùm redolet. Adhæc excellens iſta caloris natiui eſſentia, vitæ officina, non ex carnoſo ſanguinis alimento, ſed ex humido primogenio, quod ex ſemine traxit originem, prouenire ſolet. MATHETES, Si verba tua aſſequor, calorem natiuum, humidum primogenium, ſpiritu genuino, & calore perfuſum eſſe definis? GERON, Rem acu tetigiſti. Nam id humidum eſſe puto, cui ſpiritus & calor ab origine ſit inditus, quodq; hos conſeruat, ſaluoſq; retinet. atque ſic calor natiuus tribus illis ſimul iunctis ac ſociatis continetur. MATHETES, Caloris natiui eſſentia per omnémne ætatem calida humidaq; exiſtit? GERON, Nequaquam, ſed in ea, quæ ortui noſtro proxima eſt, validior plenioŕq; continetur. quamuis autem per infantiam abſolutior exiſtat, moderata tamen, beneq; temperata eſſe dicitur. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia calor in hac ſummus licet inſit, mitis tamen, & omnino blandus, minimeq; acris percipitur, eò quòd humido ſit imbutus: ſic etiam de humore ſentiendum. nam etſi amplior exiſtat, non tamen diffluit, ſed calore coërcetur. Ita quę ſumma ſunt, ad moderationem quandam acuratè contemperantur: vt humór in pueris, & infantibus exuperans, ęquali quodammodo ſpiritu & calore ſit prædıtus. Hinc membra ætatis proceſſu vi caloris paulatim ſicceſcunt, ſimulq; roborantur, & increſcunt, ſic vt non modica humoris portio, in id conſumatur. Hippocrates quoq; idem affirmat, dum ſingula corpora, quæ augeſcunt, & roborantur, neceſſariò eſſe calida, prodit: idq; humoris illius vi & beneficio: oſſa verò, nerui, & membranæ, cùm non vlteriùs ſequi, duciue poſſint, increſcere prorſus deſinunt: membra autem

ſumma

Similarium eſſentia diu perſeuerat.

Humor ſeminalis in quibus copioſus.

Humor primogenius ſeminis naturam redolet.

Caloris natiui eſſentia ex humido primogenio.

Quid calor inſitus.

Quid humor primogenius.

An calor ſemper ſibi reſpondeat.

Membra ætate ſicceſcunt.

Ætas florida nec ſicca nec humida nimium.

ſummum robur, ſummasq; ad animales functiones obeundas, vires habent. vnde planè conſtat, ętatem floridam, humidum primogenium iam ſiccius obtinere. hęc autem media inter extremas ſita eſt, neq; vt ſenium ingenti ſiccitate inareſcens, neq; vt infantia humore copioſo affluens. In qua mediocritate humor, etſi non ad incrementum ſufficiat, tamen inſitum calorem & ſpiritum, quantum à primordijs acceperat, quodammodo conſeruare poteſt. MATHETES, Inſidet ergo calor adoleſcenti, & infanti æqualis? GERON, Sic exiſtimo. nam quantùm eſſentiæ caloris, perpetuus ille fluor ab ineunte ętate diſsipauit, tantùm rurſus qualitatis & acrimoniæ adoleſcentia generauit, & reſtituit: eò quòd cùm materia ſit facta ſiccior, omnis calor vires ſuas vehementiùs edere ſoleat. Quia igitur eſſentia exhauſta, qualitas increuit, æqualis calor, quantùm ſenſu æſtimare licet, illis forſan attribuitur. At infantis calor natiuus copioſiſsimus eſt, isq; blandus, & halitui ſimilis: vnde Hippocrates hominem, ſi eſſentia eius ſpectetur, prima natali die calidiſsimum eſſe putauit. MATHETES, Quantus iuueni calor ineſt? GERON, Paucus, atq; exilis, eoq; minus reuera calidus eſt. ſin autem qualitas eius æſtimetur, acris & vehemens percipitur. contrà infans, qui calidiſsimus eſt, ſimul etiam benè temperatus eſt, ad vniuerſas naturæ functiones obeundas accommodatus: iuuenis autem, ſi huic comparetur, intemperatus cenſetur, acri igneoq; donatus calore, qui etiam aduentitius, & exterior appellatur. non quòd à foris acceſſerit, ſed quia temperati limites egreſſus, extraq; eos poſitus, non æqualiter ac ille, ad obeunda naturæ munera vires habeat. MATHET. Quid ergò, infantés ne calore natiuo excellunt, iuuenes autem aduentitio? GERON, Ita. multò autem magis, qui febri infeſtantur. in his ſiquidem calor natiuus, qui iam adeſt priſtino ęqualis non ineſt, nedum maior. MATHETES, Repetas amâbo, quomodo calor natiuus poſt ſummum ætatis vigorem mutetur. GERON, Qualitas, & acrimonia ipſius marceſcit & imminuitur, donec is extremo ſenio languidus contabeſcat. omne enim ipſius nutrimentum, ætatis vigore, tanquam incendio flagrat, ſic vt ipſe iam acerrimus omnia conſumens, amplius effundere ſe nequeat. Quoniam igitur inſiti illius, & primogenij humoris eſſentia, nimis abſumpta exhauſtaq;, æquali calori fouendo non ſatis eſt idonea, neceſſariò accidit, vt dum ille paulatim abſumitur, calor quoque ſimul aboleatur. Quemadmodum enim, vt Hippocrates ait, corpus, poſtquam areſcere inceperit, vergens ad interitum, frigidius efficitur, ita homo poſtremis vitæ diebus, quò magis contabeſcit, eò frigidior neceſſariò redditur, ita ſua ipſius ratione ex-

Calor adoleſcenti & infanti æqualis.

Calor iuuenum.

Infantium.

Infantes, & iuuenes calore vt differant.

Calor poſt ætatis florem.

tremo die frigidiſsimus euadit. Atque hoc modo nunc eſſentia, nunc qualitas caloris innati, ętatũ progreſſu ad ruinam declinans, interit. MATHE. Si calor nutrimentum, quo ipſe conſeruatur, abſumit, certè ipſe interitus ſui auctor eſſe videtur. GERON, Fateor: ſed cum nihil in rerum natura primariò & per ſe interitum ſuum moliri, ſed longiſsimè eum auerſari, diuq; perſiſtere deſiderat, certè nec ipſe calor ſua ſponte & inſtituto interitus autor ſibi fuerit, ſed illum caſu, & alterius occaſione tulerit. Nam cùm aliud quippiam ipſe agit, nempe dum humidum conficit, ſeipſum ſimul diripit, atq; vaſtat. Quare eadem ortus noſtri & interitus cauſa exi-

Eadem cauſa ortus, & interitus.

ſtit, & quę nos genuit, moderaturq;, ea quoq; tandem nos ad exitium ducit. MATHETES, Si ſummus ætatis vigor, calorem refert tactu acerrimum, ſenectus autem ignauum & imbecillem, certè mihi videtur conſentaneum, vt medio tranſitu, moderatio quædam caloris percipiatur, qualem in ſuperiori dialogo de tem-

Declinantium et infantium ætates cur non ſimiliter temperatæ.

peramentis deſcripſiſti. Cur igitur non ſimiliter declinantium, vt infantium ætatem, temperatis licet aſſcribere? GERON, Quia in hac alia, quàm in illa temperati eſt ratio. ibi temperaturas tactu, & ſecundum qualitatem, hîc pro eſſentiæ copia metimur ac iudicamus. Quę enim ætas iuuentuti ſuccedit, calorem temperatum, ſi ex tactu iudicare velimus, obtinet: quamuis nec copioſum nec ei ſimilem, qui ſummè expetitur, & in omni vita laudatur. qualis etiam in infantibus abundat, naturę functionibus maximè accommodatus. hæc nanq; ætas eius humidi facultate pollet, quod tum naturæ eſt gratiſsimum, tum calori affine, temperiem conciliat, ſubſidiumq; ad peragendas actiones adfert. altera verò quamuis ſiccior aſcititio calore exiſtat, tamen contactu mediocris apparet. MATHETES, Quicunq; igitur calor natiuus integer eſt & valens,

Calor natiuus integer, an etiam temperatus.

is ſemperne etiam erit temperatus? GERON, Nullo pacto. quamuis enim ſenſus iudicio temperatus affirmetur, non ſtatim tamen genuinus, & naturæ noſtræ familiaris erit. tanta nanq; humidi

Humidi primogenij & caloris ſocietas.

primogenij & caloris ſocietas exiſtit, vt mutuas ſemper operas conferant, & neutrum citra alterius opem aliquid efficere poſsit. Licet enim æqualis quodammodo iuueni & puero calor inſideat, ille tamen naturæ operibus obſcurior, & infirmior, quàm in illis exiſtit, eò quòd exhauſto humore, aliqua ex parte factus ſit aridior. MATHE. Quid audio? humor inſitus, ęquè ac calor ad naturæ opem confert? GERON, Nimirum: ſed certè mutatio quæ

Humor inſitus etiam naturæ opera iuuat.

per ætates incidit, diuerſos illos eſſe declarat, eò quòd altero perſeuerante, alter ſenſim diſsipetur. adhæc quòd humidum, caloris tanquam fomentum ſit & pabulum: item quòd calor illius beneficio ſuſtineatur: nec non quòd ille tanquam præcipuus auctor

exiſtat:

existat: humor autem vt materia calori subijciatur, magisq́ afficiatur. MATHETES, Id quæso magis declares. GERON, Quibus natiuus calor magna frigoris vi subitò extinguitur, quod hyeme per alpes iter facientibus, tempestate aquilonea accidere solet, humidum primogenium ijs verè superstes manet. nihil enim ipsum tam subitò, et insperata repentinaq́ morte potest abolere. Contrà si calor maneat incolumis, humidum euanescere, dissoluiq́ nequit. at qui extrema senecta confecti, naturæ necessitate mortem oppetunt, ijs humor innatus, vnà cum calore extinguitur, vt nihil illius, aut certè perexiguum, quod hunc conseruare satis possit, reliquum supersit. Idem accidit in ijs, qui tabifica febri arescentes, morte intereunt immatura. MATHETES, Qua alia ratione calor iste genuinus commutatur? GERON, Ex ætatum, anniq́ temporum, & regionum varietate. nam hyeme, copiosa illius essentia nobis inest: æstate verò ipsa dispergitur. MATHETES, Quare per hyemem abundat? GERON, Quia frigus aëris nos ambientis, dum corpora attingit, calorem vnà cum sanguine & spiritu, quorum ille comes est, ad interiora repellit, summæq́ cutis meatus astringens, caloris essentiam ita cogit, coërcetq́, vt nihil, aut minimum eius possit effluere: atq́ sic illa, dum vires intimis partibus infert, multò quàm prius, valentior euadit. E contrario, per æstatem aëris circunflui feruor, spiracula corporis nostri soluit, interioresq́ tum spiritus, tum humores forâs adeò elicit, vt plurimum sanè caloris essentiæ in extima digeri, & dissipari, parum autem intus retineri soleat: vere, & autumno, moderato quodammodo habeat. MATHETES, Si igitur anni tempora hoc pacto caloris essentiam augent, minuuntq́, quomodo eiusdem qualitatem commutant? GERON, Æstas quidem caloris genuini, qui exiguus nobis inest, essentiam torret, efficitq́ vt ea quæ anteâ fuerat temperata, euadat aduentitia, naturæ metas plerunque excedens: hyems verò frigoris sæuitia, eandem nihilo quidem frigidiorem reddit, sed priori in statu relinquit, præsertim in corporibus copioso sanguine, & calore præditis: exanguibus autem, vt frigus tunc magnas adfert iniurias, sic plerunq́ natiuum extinguit calorem. imò sicut etiam in hominibus omnes exteriores saltem partes refrigerat, ita vniuersos corpore imbecillos, sensu motuq́ priuat, aut prorsus è medio tollit. MATHETES, Videntur mihi anni tempora, eandem ferè caloris mutationem adferre, quam ætatum variatio. GERON, Non longè à vero abes. siquidem innatus calor extrema hyemis parte, sicut in ætate prima copiosissimus deprehenditur: vere autem eam rationem, quam in pueritia & adolescentia seruat: æstate, quam in ætate florenti:

Calor natiuus in quibus extinguatur, humido primogenio saluo.

Calore manente, humidum etiam manet superstes.

In senecta & calor & humidum interit.

Calor genuinus cur hyeme abundet.

Caloris mutatio in æstate.

Caloris qualitas quomodo per anni tempora mutetur.

Vt anni tempora, sic ætates calorem mutant.

in autumno, quia æſtate valde fuit diſperſus, paucus admodum eſt, minusq́ acris, quàm in æſtate. qua de cauſa calor in autumno ei reſpondet, qui in ætate iam inclinante ineſſe ſolet. in fine autem autumni, & hyemis initio, modicus in nobis calor adeſt: qui, cùm corpus noſtrum tunc etiam laxum ſit & apertum, ex facili refrigeſcit, eiq́ propemodum reſpondet, qui extremam ſenectutem leuiter ſuſtentat. MATHETES, Eodémne modo calor in quauis regione habet? GERON, Nequaquam. quò enim magis ad auſtrum, regionemq́ torridam homines habitant, eò pauciorem quidem calorem natiuum, ſed acriorem obtinent. E diuerſo, quantò magis regio ad ſeptentrionem vergit, tantò magis calor innatus abundat, beneq́ temperatus eſt, niſi fortè in vltimis terræ locis, vbi vix vllum animal hyeme præ frigoris ſæuitia, viuere poteſt. MATHETES, Quî fit, quòd veteres hyeme calorem genuinum copioſiorem, quàm in æſtate nobis ineſſe ſcribant? augetúrne tunc ea partium ſolidarum eſſentia, quæ olim à ſemine proceſsit? GERON, Non ſimpliciter ſententia hæc intelligi debet. nam cùm corpus noſtrum perpetuò eſſentiæ ſuę fluore paulatim digeratur, diſſoluaturq́, eò quòd ingenita ſenij & interitus neceſsitas nobis inſit. certè aliquid ex ipſo calore inſito continuè decedit, non ſolùm per maiores ętatum decurſus, ſed etiã quibuſdam anni temporibus, tum calidis, tum frigidis. Quamuis *enim* aër nos ambiens, minus hyeme quàm æſtate calorem noſtrum diſsipet, tamen hic non minus etiam tunc alimentum ſuum depaſcit, abſumitq́. Adhæc licet inſitus calor per hyemem magis concoquat, bonumq́ ſuccum copioſiorem partibus nutriendis ſubminiſtret, humidiq́ natiui portionem perpetuo illo fluore amiſſam reficiat inſtauretq́: tamen quicquid acceſſerit ad recreationem, plurimùm ab eius integritate deficit, quod diſsipatũ eſt, aut à ſemine olim comparatum. aliâs animal non interiret, proinde ſemper aliquid de calore noſtro detrahitur: neq́ ille hyeme vberior eſſe, quàm æſtate prægreſſa poteſt: ſicut neq́ in florente ætate, ex optimis alimentis æqualis ei comparari, quem infantium ætas repræſentabat. Ne autem Hippocratem & veteres perperàm dixiſſe putes, dum ſcribunt: Ventres hyeme & vere natura eſſe calidiſsimos, hoc tibi notandum eſſe cenſeo, illos inſitum calorem non appellare puram eam eſſentiam, quam ſolidæ partes à ſemine obtinuerunt: ſed vel iſtam, quæ plenioris alimenti commercio impurior iam facta, auctaq́ fuerit: vel quamlibet moderato mitiq́ calore præditam, ſiue ea corporis noſtri pars, ſiue minus extiterit. Hac ratione tum ſanguis, tum arteriarum ſpiritus, ipſaq́ moles corporis, caloris inſiti eſſentia exiſtunt, ſic vt eodem

Caloris mutatio pro regionum varietate.

Veterum ſententia de calore natiuo in hyeme.

Perpetuus caloris eſſentia ac fluxus.

Eſſentia caloris an hyeme vberior quàm æſtate.

Veteres quid calorem natiuum appellent.

dem naturę vocabulo interdum nominantur. Sic quoque puberes & adolescentes, plus calidi quàm infantes & pueros obtinere, rectè dicimus. MATHETES, Estné calidum hoc purum, de quo suprà meministi? GERON, Non est purum, neque innatum illud, quod nobis semen à prima origine indidit. MATHETES, Bifariàm igitur natiui caloris essentia dicitur? GERON, Ita. aut enim purior illa solidarum partium, à semine profecta: aut ea ipsa, quæ nutritione auctior impuriorque adultis facta est: nec non quælibet liquida materia, mediocri calore prædita, siue ea sanguis, siue spiritus existat. Hac de causa crescentium ætas, & hyems, plurimum habere caloris innati, vna eademque nominis ratione dici non possunt. MATHETES, Cùm iam singulas partes similares, quàm diu animal vixerit, natiuo calore, & proprio spiritu præditas esse, eorumque auxilio indigere docueris, dic etiam, num omnes vno eodemque temperamento constent? GERON, Minimè: sed os neruo est frigidius, sicciusque: hic, sicut & membrana, carne frigidior atque siccior. MATHETES, Eodémne modo partes compositæ inter se habent? GERON, Cùm ex simplicium, quibus constant, permistione generentur, in his quoque diuersa temperamenti lex atque ratio existit. Ideo spiritus, qui ossi inest, ab eo qui in neruo continetur, differt: hic rursus ab eo, qui carnis moderator est. Sic humidum primogenium, ipsaque caloris insiti essentia, alia ossi donata est, alia neruo, alia carni, sicut & vnicuique parti similari. MATHET. Vnde in his varietas profecta est? GERON, Non modò ex essentiæ copia, sed etiam ex primorum elementorum, vnde constant, temperatione. Qui partium functiones diligenter aduertit: item quòd neque os nerui, neque neruus carnis essentiam gignere, aut resarcire possit, neque è contrario: statim is causas illarum effectrices, tota specie, parique interuallo disiunget. MATHE. Dic obsecro, quęnam sunt istæ? GERON, Spiritus, & innatus calor, quibus naturæ essentia absoluitur: eoque tot spirituum insitorum, totque humidorum, calidorum, & naturarum varietates statuentur, quot partium similarium differentiæ numero existunt, vt sua cuiusque partis hæc sint: reliquorum nulli eadem prorsus impertiantur. MATHETES, Hæc mihi paulò obscuriora sunt, quàm vt possim assequi: quare te oro, vt reddas clariora? GERON, Principes corporis partes, iecur, cor, cerebrum, tum natura, tum spiritu efficaci pollent, vt non solùm seipsas gubernare, sed etiam alios spiritus à se, tanquam perenni fonte, proprijs riuis in corpus vniuersum deducere possint. his, inquam, genuini singularum partium spiritus aluntur: his vires illarum incitatę, firmas perpetuasque suas actiones edunt. MATHETES, Quid audio? alijné sunt partium spiritus,

Duplex caloris natiui essentiæ appellatio.

Partes similares non eodem omnes constant temperamento.

Compositarum partium temperaturæ etiam inter se diuersæ.

Functionum partium causæ.

Spiritus.

Calor innatus.

Principes partes.

SPIRITVS influentes.

quàm genuini, quos firmos, & singulis illis infixos esse dixisti?

Naturalis. *Vitalis.* *Animalis.*

GERON, Sunt vtiq; tres adhuc, quos errantes, vagos, & influentes nominant. vnus sanè naturalis, qui ex iecore per venas, in extimas corporis partes deducitur: alter vitalis, quem cor per arterias continuè emittit: tertius animalis, qui in cerebri ventriculis generatus, per neruos in partes sensus motusq; participes distribuitur.

Spirituum influentium vsus.

MATHETES, Ad quid influentes isti spiritus requiruntur? GERON, Vt calorem, spiritumq; natiuum, & vires ab origine datas retineant. nam omnes isti citra illorum subsidia, breui conciderent, vtpote principalium partium viribus & fauore destituti.

Partium differentiæ principes. *Seruulæ.* *Principum facultates, reliquas partes omnes gubernant.*

Cùm itaq; aliæ corporis partes principes existant, vt cerebrum, iecur, cor, testesq;: aliæ illarum soboles, & quasi seruulæ, vt nerui, arteriæ, venæ, vasaq; seminaria, ab harum facultatibus illinc influxis, reliquæ omnes partes gubernantur, aliæ manifestiùs, vt musculus: aliæ obscuriùs, vt ossa, cartilagines, ligamenta. Quamuis enim neq; vena, neq; arteria hisce partibus inseratur, tamen in has illas deriuari, assidua earum nutritio satis demonstrat: imò neq; vita sine caloris spiritusq; naturalis influxu persistere, & durare potest. MATHET. Nulla igitur pars suis ipsius viribus duntaxat gubernari potest? GERON, Non: nisi fortè per latentes obscurosq; meatus, vt musculi & viscera interiora, regatur. hæc enim, sicut copiosiores spiritus viresq; acceperunt, ita venis, arterijs, atq; neruis indigent, quibus euidens ac manifesta fiat gubernatio.

Tres spiritus influentes ad quas partes perueniant.

MATHETES, Tres igitur isti spiritus, vitalis, naturalis, & animalis, ad omnes corporis partes distribuuntur? GERON, Vitalis quidem, & naturalis ad omnes peruenit, etiam vbi neq; vena, neque arteria existit, vt quarum adminiculo non vbique opus sit: animalis autem nusquam citra neruos, aut eorum fibras contineri, aut vires suas exercere potest. vnde natura rectè illorum distributionem instituit: eò quòd singulæ partes, nutrimento & vita, non autem sensu & motu indigeant.

SPIRITVVM influentium generatio. *Naturalis.*

MATHETES, Cùm multa iam de spiritibus & calore insito attuleris, ne te pigeat obsecro, mi præceptor, mihi etiam indicare, vnde, & quomodo ipsi generentur? GERON, Naturalis sanè spiritus à tenuioris sanguinis essentia, vaporis speciem quodammodo referentis, gignitur: reliquo sanguine tantò præstantior, quantò genuina facultas iecoris, molem eius præcellit.

Vitalis.

MATHETES, Vnde spiritus vitalis prouenit? GERON, Cùm naturalis spiritus per venam cauam, vnà cum sanguine elatus inuectusq; in cor fuerit, illic denuo caloris efficacia magis elaboratus extenuatusq;, in aëris propè speciem transit, atq; ex dextro cordis sinu, in sinistrum per communes, eosq; arctissimos aditus permeat: vbi hausto per pul-

Animalis.

pulmones aëre,materia quædam naſcitur,cui calor & facultas vitalis conceſſa,ſpiritum illum vitalem gignit,qui per totius corporis arterias diſtribuitur,propagaturq;. MATHETES, Vnde animalis procreatur? GERON, Ex portione vitalis, quæ per ceruicis arterias in cerebri baſim peruenit, tertiò plexus illius admirabilis anfractu elaborata,in ventriculos illius per alium plexum choroïdem dictum, infertur:illic exhauſto per nares confectoq; aëre,nutrimentum augmentumq; recipit, & vi propria ſpiritus cerebro ingeniti, quodammodo conuerſa, animalis efficitur, qui ætheris naturam planè imitetur, ad motum ſenſumq; & omnes animæ functiones aptè comparatus. Itaq; vapor ille ſanguinis in iocinore natus, cùm vitali animaliq; ſpiritu ſeſe quaſi in alimentum exhibeat,meritò primum locum ſibi vendicat. MATHETES, Quomodo ſpiritus iſti inter ſe differunt? GERON, Quantò vitalis naturali,tantò animalis vitali tenuior exiſtit.etenim primus vapori, ſecundus aëri,tertius ætheris eſſentiæ reſpondet.Hæc autem ſpirituum varietas efficit,vt non omnes vnius eiuſdemq; ſint naturæ:quanquam eodem genere, communiq; appellatione comprehendantur. MATHETES, Quid ſingularis officij ſpiritus naturalis præter alios obtinet? GERON, Primùm ſe facultati propriæ vehiculum offert: deinde alimentum ei ſpiritui alendo præbet, qui ſingulis partibus ſimplicibus peculiariter eſt congenitus. ſiquidem vniuſcuiuſq; partis ſimilaris eſſentiam, familiari ac idoneo fouere alimento conuenit. Porrò craſsior, magisq; concreta eius humoris,qui per ora venarum in vacuas partiū regiones,tanquam ros aliquis confluxit, portio ſolidæ eſſentiæ craſſamentum in alimoniam ſibi allicit,iungitq;:tenuior autem,& olei cuiuſdam particeps,humidum primogenium fouet,alitq;. Vapor illinc ſublatus vnà cum naturali ſpiritu, & aëre circumfluo, per arterias quando attolluntur, tranſmiſſo, ingenitum partis cuiuſque ſpiritum continet. Reliqua ſimilaris partis eſſentia id ſibi in alimentum attrahit, quod in affluenti humore medium inter vaporem, & craſſamentum exiſtit:eoq; vnus ſanguis, toti particulæ ſimilari alendæ ſufficere dicitur, ſed ita, vt ſingula ſuis conuenientia aptáque ſemper accommodentur.

Naturalis ſpiritus primus omnium.

Naturalis ſpiritus officium.

Craſſamentum ſolidæ eſſentiæ.

Vapor.

Sanguis.

NATVRA.

MATHETES, Corpus humanum, & quæ illi inſunt, plenè ſatis iam mihi indicaſti,humaniſsime præceptor: quid autem natura,quid animus propriè dicatur,nondum ex te audiui. GERON, Eſt illa vis primaria, cauſaq; corporis noſtri opifex, & conſeruatrix,DEI OPT. MAX. vicaria. Quippe ipſa huius obtemperans voluntati & imperio,non modò hominē conformat, ſed etiam longiſsimè gubernat,ſua ſingulis partibus officia & functiones præ-

Natura Dei vicaria.

Naturæ eſſentia.

ſcribens. MATHETES, Quæ eius eſt eſſentia? GERON, Vis & poteſtas caloris, à qua omnis effectus, & opus prouenit. MATHETES, Qualitásne caloris ſola illarum auctor eſſe poterit? GERON, Nequaquam. neque enim vel intenſior facta, integras magis & firmas actiones continuò obire poteſt, niſi etiam eſſentia ipſius ſimul increuerit.

Cui naturæ nomen imponendum.

Non igitur naturæ nomen moderato cuiq; calori, qui vel in ſanguine, vel in alio quodam humore, vel in ſpiritu, vel in corporis eſſentia ſitus eſt, imponi (niſi forſan ambigua, & lata nimis appellatione) poteſt, ſed inſito ſpiritui, quicunq; is fuerit, aptiùs conuenit.

Propria naturæ eſſentia.

Atque ideo propriè dicitur naturæ eſſentia natiuus calor, qualis ſuprâ eſt deſcriptus. is nanque animal ab initio conformat, auget, & ceu omnium naturalium operum auctor nutrit. MATHETES, Quæ igitur naturæ vocabulo continentur? GERON, Humidum primogenium, ſpiritus, & calor: omnia ſanè vnam eandemq; originem ex ſemine ſortita prognataq;.

Veterum opinio de natura.

Veteres naturam ex ſpiritu, carnoſa ſpecie, & ſolidis ipſis ſimul iunctis, conſtare affirmarunt: quæ tamen ea potius fuit, vnde vires ſuſtinentur, quàm ipſa natura: maximè cùm carnoſa ſpecies non ſit ex ſemine procreata. MATHETES, Ex hócne igitur prodiit natura? GERON, Indubiè. non autem carni eſt ingenita, ſed in hanc ex ſolida eſſentia, quæ ei peculiaris eſt, immittitur, conſiſtitq; in illius craſſamento, tanquam materia. At hæc ipſa principia, etſi fortè ſimplicia ſenſu videantur, cogitatione tamen ex primis elementis, originem illorum præcedentibus, conſtant.

Craſſamentum ſolidarum partium.

Quippe craſſamentum ſolidarum partium ipſis ſubiectum, ex denſis terreſtribusq; elementis magna ex parte conditum eſt, non tamen ſubtilium prorſus expers. ac natura ipſius humido primogenio, & ſpiritu, caloreq; natiuo perficitur: quæ etſi aëris & ignis plurimum, tamen etiam terræ & aquæ nonnihil, licet minimum acceperunt. Ideo quoq; natura temperamentum in ſpiritu & humido primogenio factum, nonnullis dicitur: quod cùm excellentia caloris vincit, calidum etiam innatum appellatur. MATHETES, Quæ præter harum corporis partium notitiam, medico adhuc neceſſaria eſſe putas? GERON, Cùm homo non ſolùm corpore, ſed etiam anima conſtet, non alienum mihi videtur, etiam de hac aliquid commemorari, ſed non vlteriùs, quàm medicinæ ex vſu ſit, omnibus abſtruſis & occultis philoſophorum quæſtionibus omiſsis. MATHETES, Id obnixè te rogo. nam ab adoleſcentia vſq; ſemper ſpinoſas iſtas diſputationes, quę non niſi oſtentandi gratia fieri ſolent, odio habui. ſatis mihi fore puto, ſi quid anima ſit, quæq; eius eſſentia: item quot genera & ſpecies, quot partes, & facultates exiſtant, intelligam. GERON, Optimè

ſentis

sentis, mi Mathetes: eóque rem ipsam aggrediar, & qua potero breuitate absoluam.

ANIMA quid.

Anima est viui corporis principium, & functionum eius auctor: aut si mauis, instrumẽtarij corporis perfectio. quandiu enim corpus viuit, alimento fruitur, habetq; instrumenta huic tum concoquendo, tum distribuendo accommodata, sine quibus neque nutriri, neq; viuere possit. Quicquid ergo illi alimentum, vitam, actionesq; vitales, & rationem intellectumq; induxerit, anima censetur. Essentia eius est splendida, ætherea, simplex, incorporea, & immortalis. MATHETES, Quot animæ sunt genera? GERON, Tria, naturale, sentiens, & intelligens. MATHETES, Quot ipsius species? GERON, Totidem, ijsdem nominibus appellatæ, naturalis, sentiens, intelligensq;. his quoq; respondent viuentium genera, stirps, brutum, & homo. MATHETES, In quo à generibus differunt? GERON, In eo, quòd ipsæ separatim subsistant, & nunquam consociari possint, sed singulæ proprium nomen animę habeant. Stirpium enim naturalis ea est, à qua illę animatæ dicuntur, licet non sint animalia. Brutorum propria, sentiens ea est, quæ non tantùm animata, sed etiam animalia efficit: intelligens autem ea, quæ hominis mentem generat. Atque hæ animæ partes sic inuicem sunt disiunctæ, vt intelligens hominis anima, non sit sentiens, neq; hæc beluis dicata, sit naturalis, sentiensq; anima: vel sentiens & naturalis, eidem simul inesse queat.

Animæ genera & species.
Naturalis.
Sentiens.
Intelligens.
Sentiens anima brutorum.
Stirpium naturalis.
Intelligens hominis.

MATHETES, Possúntne tres istæ partes animæ, intelligens, sentiens, & naturalis, in homine quodammodo deprehendi? GERON, Possunt vt partes, non autem vt genera: atq; adeò inter se connexæ sunt, vt dissolui nunquam possint, sed omnia cuiq; animanti simul inhęrescant, idq; non actione, sed potestate duntaxat. atq; hæc est animæ partium ratio. MATHETES, Quid vocas in animantibus, appetens, intelligens, & ad locum mouens? GERON, Non genera, neque partes animæ, sed vnius eiusdemq; partis facultates, nempe eius quæ sentiens dicitur. hæ verò adeò inter se coniunctę sunt, vt dissolui nunquam valeant, sed omnes singulis animantibus pariter inhærescant. MATHETES, Hoc exponas manifestius. GERON, Tactus omnium animantium communis est, & quicquid huius compos est, statim etiam voluptatis & doloris particeps est, potestq; res noxias à salutaribus secernere, & desiderio quodam has accedere, metu illas vitare. vnde quicquid sensu vllo præditum est, id etiam appetitu quodam donatum est. Cùm autem res salutaris sensu proprio percepta, in communem relata fuerit, tunc voluptatis & summæ delectationis comprehensio orietur: hæc deinde appetitum excitabit. Sic animal com-

Facultates.
Appetens.
Intelligens.
Mouens.
Tactus.
Sensile appetit.

Una pars animae multas facultates habere potest.

praehensione & appetitu impulsum, eò trahitur, mouetur q;, vt optata consequatur obtineatq;. vnde pars animae sensu praedita, eadem simul, & imaginationis, & appetitionis, & motus facultates habet: id quod non solùm perfectiora animantia, sed etiam muscae, vermes, insecta, & id genus alia testantur. quae licet vitam stabili in sede agant, tamen icta punctaq; in sese contorquentur: laetorum autem occursu, diffunduntur: quod fieri non posset, nisi tum sensu, tum motu essent praedita. MATHETES, Videris noua quaedam animi genera constituere, dum appetens, cogitans, & ad locum mouens nominas? GERON, Nequaquam, sed cùm ea sentienti animae semper insint, assideantq;, ad hoc ipsum genus pertinent, cuius vires & facultates rectè dici possunt. MATHETES, Quare? GERON, Quia illae vires sunt, & potestates, quas anima tanquam è domicilio suo exerit, operibusq; obeundis suppeditat. hinc saepè vnaquaeq; animi pars, facultatis appellatione describitur. ideo non animae essentiae, sed viribus nomen facultatis attribuendum est. Quanq; autem opera facultatibus accepta communiter referantur: tamen ea primùm ab animae essentia prouenire censemus, quae simul facultates, ad illa obeunda impellit. Nam vna animae essentia, multis facultatibus viribusq; se effundit, atq; declarat. verbi gratia: Aloë facultatem purgandi, ventrem corroborandi, conglutinandi vulnera, & cicatricis obducendae vires obtinet. MATHETES, Vna igitur animae essentia complura edit opera? GERON, Indubiè, nec non varias istis obeundis facultates accommodat, ita vt sua cuiusq; operis sit facultas, non autem diuersa vnius eiusdemq; facultatis opera. quot autem haec sunt, tot etiam facultates esse oportet: ac quot illorum differentiae, totidem quoq; harum recensentur. Si igitur anima simplici constat essentia, alijs alijsq; motibus varia efficit opera, varias quoq; illis peragendis vires, facultatesq; ceu instrumenta confert: quibus multifariàm se exhibens, diuersos effectus edit. MATHETES, Facultates istae, suntné animae essentia, aut aliqua ipsius pars? GERON, Nullo pacto. nam illae interdum abolentur, pereuntq;, integra animae essentia. quippe facultas & vis augescendi, post vigorem annis confirmatum intercidit, & quae florente aetate constans fuerat, certum interitus tempus habet, tametsi eadem animae essentia supersit. MATHETES, In quo igitur facultas animae, à parte eius potissimùm differt? GERON, Quòd illa ab animae essentia separari, haec nulla queat, nisi tota simul anima aboleatur. adhaec facultas licet animae sit ingenita: tamen accidit, inhaeretq;: pars autem animae essentia est, & quaedam illius ceu portio. MATHETES, Quot nunc singularum animae partium facul-

Vires & facultates.

Opera primùm ab animae essentia proueniunt.

Vna animae essentia multas effundit facultates.

Vnius animae essentiae varia opera, variaeq; facultates.

Non vnius facultatis diuersa opera.

Quot opera, tot facultates existunt.

Facultates non sunt essentiae.

Facultas à parte animae quid differat.

facultates, & quot earum differentiæ sunt? GERON, Singula opera effectione quadam absoluuntur, prodeuntq; in lucem: atq; illa efficientis motus est. Quamobrem efficientem quandam vim, aut fortasse plures, opus præcedere oportet, quarum vna tamen tanquam primaria, aut princeps causa statuatur. MATHETES, Quænam ea est? GERON, Anima, quæ cùm omnibus, quæ nobis insunt, vi & efficacia præstet, proprijs facultatibus, quasi causis auxiliarijs, instrumentisq; tum corporeis, tum incorporeis, ad omnia sua opera obeunda vtitur: facultates autem proximæ, & continentes, operum causæ sunt. MATHETES, Quæ omnium animæ partium prima statuitur? GERON, Quæ omnium viuentium communis, natura & pars eius naturalis dicta, solas stirpes regit atq; gubernat. MATHETES, Quot huius naturalis facultates sunt? GERON, Tres, sicut & tria opera, in omni tum stirpium, tum animantium genere, quæ vitiosa ac defecta non sunt, vt procreatio, nutritio, & accretio. MATHETES, Quæ sunt ipsius opera? GERON, Stirps è semine assurgens, aut fœtus, qui gestatur vtero, fingiturq; stirps, aut animal augescens, salubritas, & vitæ conseruatio. MATHETES, Quot, & quæ illis præsunt facultates effectrices? GERON, Tres, vt procreatrix, altrix, & auctrix. MATHET. Quo tempore singulæ dominantur? GERON, Cùm fœmina gestat fœtum: quamuis omnes in commune idemq; opus conspirent, tamen vis illa procreatrix dominatur præcipuè. edito iam partu, ea languescit, statimq; aboletur. vbi dentes infans ediderit, & nulla deinde pars gigni videtur, hæc dentium duntaxat gignendorum gratia manet incolumis: postea accrescendi facultas viget, donec ad statum certumq; magnitudinis modum infantem prouexerit. reliquo vitæ tempore sola altrix vincit: quæ cùm vitæ totius sit comes & conseruatrix, primis illa ætatibus aliarum duntaxat seruula & auxiliaria fuerat, sicut in vtero auctrix procreatrici subsidio venerat. Prima igitur seminis natura tribus illis facultatibus, quas inde naturales appellarunt, ab origine sua est instructa. atque variæ hæ vires, quæ proprijs se operibus declarant, ex vna eademq; animæ parte proueniunt. MATHETES, Si fœtus in vtero tribus illis continetur: editus autem in lucem, donec adoleuerit, duabus: vnica verò reliquo vitæ spatio: quónam illæ discedunt? pereúntne, an illic adhuc ignauæ, & quasi feriatæ iacent? GERON, Vna sanè facultatum essentia, ad summum vsque vitæ diem persistit, suisq; ipsa viribus integra manet. Nam genito editoq; iam animali, procreandi vis perseuerat. quia verò prima illa seminis natura, idoneo materiæ cuiusdam & caloris adminiculo, ad vires suas exprimendas indiget, sine quo nihil, vel

Singularum animæ partium facultates quæ.

Causa efficiens opus præcedit.

Prima pars animæ, naturalis dicitur.

Naturalis partis animæ facultates.
Procreatio.
Nutritio.
Accretio.

Animæ naturalis opera.

Facultates quando singulæ dominentur.

Prima seminis natura tribus facultatibus donata.

Facultates an intereant.

minimum efficere poteſt: tunc certè, cùm corporis integritas aut mutilata erit & violata, aut materia ad effectionem defecerit: illa vacabit, finemq́ operi imponet. Exempli gratia: Senio confectus, quia effœtum iam corpus adeptus eſt, augeſcendi, aut partes nouas gignendi facultatem amiſiſſe dicitur, & naturalis animæ pars ei inſita, quamuis illæſa forſan ſtatuatur, intercepta tamen eſt, & corporis vitijs impedita.

Naturalium facultatum partes.

MATHET. Naturales iam facultates aſſequor: quænam ſunt, & quot earum partes? GERON, Procreatricis ſanè duæ, commutatio, & conformatio. Cùm enim quælibet materia in alteram degeneret, vt ſemen in os, aut cartilaginem, aut neruum: neceſſe eſt, vt propria ipſius eſſentia immutetur (alioquin eadem maneret) ipſaq́ in idoneam & conuenientem naturę ſuæ figuram conformetur. atq́ ita duæ hæ procreandi facultatis partes, non ſpecies, illam perfectè abſoluunt. vna enim membri cuiuſq́ eſſentiam, qualis apparet, ex ſemine produxit: altera figuram illi, compagemq́ & ſitum proprijs vſibus idoneum, contulit. Quot igitur ſimilarium particularum eſſentiæ nobis inſunt, totidem immutatricis illius partis ſpecies numerandæ ſunt, quæ ſuam ſingulæ eſſentiam, propria quadam immutatione exprimunt. quippe alia oſsis, alia nerui eſſentiam abſoluit: nec non propria quædam facultas ſuam cuiq́ parti eſſentiam ingenuit, cui nomen à partis natura imponere liceat.

Procreatricis facultatis munus.

MATHETES, Quod proprium munus procreatrix facultas obtinet? GERON, Vt partes ſingulas, ipſumq́ adeò fœtum perficiat. MATHETES, Facultas quæ in adultis ſemen conficit, & ad fœtus generationem confectum, exhibet, procreatrixne dici meretur? GERON, Non arbitror. nam ſi hoc fieret, ea vis, quæ vel ſanguinem, vel lac generaret, procreatrix quoq́ dici poſſet. ideo neq́ is qui ſemen confert, generator propriè nuncupari poteſt: vt qui fœtus particulas non effingat, aut in lucem edat.

Altrix facultas.

MATHETES, Quæ facultas hanc ſequitur? GERON, Altrix, quæ alimentum adductum, in corporis eſſentiam conuertit, eiq́ aſsimilat.

Continuus eſſentiæ noſtræ fluor.

Cùm enim illa aſsiduo fluore, varijs ex cauſis continenter diffluat, ac digeratur, neque tamen alimenta ſtatim ipſam conſumi, & conſeneſcere ſinant, proprium certè altricis facultatis munus eſt, vt nouæ aliquid eſſentiæ in diſperditæ locum reſtituat: quod ſanè vel æquale ſit ei quod effluxit, vel ipſo copioſius, vel anguſtius. MATHETES, Qua actione id efficitur? GERON, Nutritione, qua adiectum alimentum in corporis eſſentiam conuertitur, aſsimilaturq́. MATHETES, Quotuplex eſt nutritio?

Nutritio triplex

GERON, Triplex deprehenditur: vna priorem corporis habitum conſeruat: altera extenuat: tertia craſsiorem efficit. Oportet enim quoduis animal donec vitam agit, quodammodo nutri-

nutriri, ſiue ſecunda, ſiue aduerſa valetudo ei contigerit. nunquam enim altrix illa facultas otiatur, vt quam planè naturalem eſſe conſtet. MATHETES, At ego putabam corpori nihil poſſe reddi ſimile, quod non plenè conuerſum eſſet, & immutatum? GERON, Rectè dicis: ſed immutatio, nutritio eſt: eoq; hæc nihil aliud erit, quàm procreatio, in qua portio quædam corporis eſſentiæ ex alimento, tanquam materia progignitur. MATHETES, Quæ auctrix facultas eſt? GERON, Quæ corpus vniuerſum in omnem partem diſtendit, & dilatat. ipſa autem illius functio corporis eſt accrementum, quo id vndiq; extenditur, & amplificatur. MATHETES, Dicitúrne etiam incrementum, ſi pars aliqua in maiorem carnis molem, tumoremq; attollatur? GERON, Non. quia tota incrementi ratio ad ſolidas tantùm partes, præſertim ad oſſa ſpectat. nam ſi hæc creſcunt, totum ſimul animal augeſcit, licet idipſum tunc fortaſsis macie contabeſcat. MATHET. Quando autem corpora vndique dilatari dicuntur? GERON, Cùm in longitudinem, latitudinemq;, & altitudinem diſtenduntur: quod ſolius naturæ eſt officium. Nulla ſiquidem ars corpus quamuis tenerum, atq; ſequax in omnem partem continuatione integra poteſt amplificare: ſed ſi longius euadat, neceſſariò fiet gracilius. MATHETES, Quid igitur propriè augeri dicitur. GERON, Quod ortum iam eſt, & integram formæ ſuæ abſolutionem obtinet. Si enim ad hanc quoq; nunc ſit progreſsio, ſicut cùm domus exædificatur, non vtiq; accretio, ſed quædam eſt conſtitutio: at ſi priſtinas ſpecies excedat (vt cùm aqueus humor rarior effectus, in aërem vertitur) occaſus ſanè eſt, & interitus, non accrementum. imò aqua ſic fuſa, vt ſuam adhuc ſpeciem retineat, non augeri, ſed rareſcere dicitur: quia veterem ſuam ſoliditatem non retinet. Quicquid igitur accreſcit, id integra iam ſpecie abſolutū eſt, neq; hanc incremento mutat, ſed priſtina continuatione & ſoliditate corporis ſeruata, in omnem partem diſtenditur. MATHETES, Iam video quantùm accretio ab ortu vel interitu diſtet: in illóne ad nouam eſſentiam, in hoc ad amplitudinem & molem progreſſus fieri ſolet? GERON, Sic exiſtimo. nam id gigni dicitur, quod nondum eſt, neq; ſpeciem adhuc acquiſiuit: hoc autem augetur, quod formam iam perfectam adeptum eſt. Si verò id quod augetur, priſtinam ſoliditatem aſſeruare debeat, hanc alimento exhibito confirmari oportet, vt iam in ampliorem molem auctum, inde ſibi robur, & firmitatem conquirat. Sic igitur nutritio accretioni affinis, & coniuncta exiſtit, vt citra eius auxilium compleri nequeat. MATHET. Solétne augeri, & pingueſcere, quod plenius alitur? GERON, Nequaquam. nam pueri & adoleſcentes, dum fe-

Auctrix facultas.

Accretio quid differat à procreatione.

Incrementum distat ab ortu & interitu.

Gigni quid dicatur, quidq; augeri.

Nutritio accretioni affinis.

Non idem plenius ali, & augeri.

bribus morbisq; diuturnis infestantur, plerunq; increscunt, licet valde extenuentur, & gracilescant. Cùm autem parciùs aluntur, neq; accretio plenior est nutritione, neq; huic illa tanquam comes perpetuò assidet.

Certus modus incrementi corporis.

Præterea certus & status vniuscuiusq; corporis viui, incrementi modus est, ad quem non nisi paulatim & definitis temporum interuallis peruenitur. Deniq; pleriq; etiam eo sunt statu, vt quamuis plenissimè alantur, & augescant, nunquam tamen liberalem illam proceritatem assequuntur: quod argumento esse potest, altricem facultatem ab auctrice non tantùm nomine, sed etiam functionibus & operibus editis plurimùm distare.

Altrix et auctrix facultates inter se differunt.

nam hæc alimentum solidis corporis partibus apponit: eásque in omnem partem effert atque dilatat: illa, nempe altrix, hisce iam auctis, huc demum incumbit, vt non modò tantum alimenti reponat, affigat, & assimilet, quantum materiæ effluxerit, sed etiã largius, quo laxiores factos sinus cumulatè expleat, & pristinam eorum soliditatem, roburq; conseruet. MATHETES, Vniuersásne facultates naturales iam expediuisti? GERON, Nondum, sed quatuor adhuc altricis auxiliariæ & ministræ supersunt, vt attractrix expultrix, contentrix, & concoctrix: quarum beneficiò corpus nutritur & sustentatur.

Naturales facultates auxiliariæ altricis quatuor.

Omnes enim corporis particulæ etiam minimæ, alimento indigent. MATHETES, Hoc propriòne motu & impetu ad illas peruenit? GERON, Neutiquam, sed alieno externoq; eò impellitur attrahiturq;.

Attractrix.

Nam si id ex ventriculo, aut iocinore per venas in vniuersum corpus excurreret, vtile simul ac inutile permistè illuc conflueret, neq; suum cuiq; parti familiare & gratum conferretur. MATHETES, Quomodo igitur hoc illis adiungi poterit? GERON, Sua cuiq; particulæ vis attractoria inest: quæ quod illi familiare, & idoneum existit, ex sanguine singulari benignitate elicit. Cùm enim permagna partium corporis sit diuersitas, ob quam non omnes vno eodemq; alimento delectentur, suam singulę vim & facultatem obtinent: quæ quod vnicuiq; idoneum est, & familiare, sibi alliciat, attrahatq;. simili facultate stirpes gratum è terra succum eliciunt: lapis Heraclius ferrum: medicamenta purgantia suos quæq; humores peculiares, è corpore ob naturarum essentiarumq; similitudinem, attrahunt. MATHET. Si hęc agit facultas attractrix, quorsum vtilis est expultrix, quam secundo loco superiùs nominasti?

Expultrix.

GERON, Hæc ideò condita est, vt inutile, & superuacaneum expellat. Quemadmodum enim omnes terris insitæ materiæ, ea quæ familiaria sibi & grata sunt, attrahere sibi, ita noxia & ingrata, odio quodam expellere solent. MATHETES, Cur familiaria attrahunt? GERON, Vt sibi adiungant, eorumq; suauitate perfruantur, & tandem sibi prorsus

prorsus asimilent. MATHETES, Qua facultate id efficiunt? GERON, Qua attracta apud se continent, & conseruant: aliàs eis non fruerentur: vbi verò diutius illa retinent, proprio calore eadem leniunt, immutant, & concoquunt. MATHETES, Ideóne quatuor istas facultates non solùm animantibus, sed etiam rebus inanimatis necessarias esse dicis? GERON, Si nondum mihi satis hac in re credis, conabor tibi alia ratione demonstrare. MATHETES, Obsecro, ne te laboris pigeat. GERON, Primùm perpendas animo, singula alimenti genera, siue panem, siue carnem, siue fructum, siue vinum, plurimùm à corporis nostri natura discrepare, neque posse in essentiam nostram conuerti, & in totum ei asimilari, nisi multifariàm, varieq; sint immutata. cùm autem id vniuersum concoctione fieri nequeat, & quodcunq; gratum & familiare est, vnam partem corpori alendo idoneam, alteram alienam ineptamq; habeat: certè ad hanc tanquam noxiam, & insalubrem excernendam, vis illa, & facultas expultrix, in nobis admodum necessaria esse videtur. quia verò vtilis alimenti portio corpori nutriendo accommoda, ad singulas corporis partes sua sponte non accedit, requiritur etiam facultas, quæ illam alliciat attrahatq;. Adhæc cùm pars attracta concoqui non posit, nisi aliquandiu retineatur, adhærescatq; (temporis enim spatio & quiete ad id perficiendum opus est) natura retentricem facultatem nobis indidit. MATHETES, Satis demonstrasti, quatuor facultates naturales altricis auxiliarias vnicuiq; parti suas insidere: dic oro, an aliæ quædam his adhuc sint addendæ? GERON, Alimentum sanè, cùm iam parti influxerit, primùm ei apponitur: deinde agglutinatur, & adhærescit: tandem perfectè asimilatur, nullaq; nutritionis absolutio fieri potest, nisi præcesserit agglutinatio, & hanc appositio: quæ variæ sunt functiones, ex proprijs effectis conspicuæ: quæ non ex alijs, sed ex iam dictis duntaxat facultatibus processerunt. Etenim appositio, finis est attractionis, eoq; singulæ partes alimentum alliciunt, vt id sibi adiungant apponantq;. agglutinatio verò cùm retentionem, tum concoctionem comitatur: necesseq; est vt dum alimentum concoctione coit, euaditq; crasius, retentum id parti simul affigatur, & tunc demum asimiletur. atq; ea functio naturalis reliquarum suprema, & tanquam finis est, concoquendiq; facultate perficitur. Cùm autem hæc summa sit, in quam reliquæ contendunt, sola inter ipsas altrix facultas appellari debuit. Ne sis autem sollicitus, quòd nonnulli philosophi & medici præter iam enumeratas facultates, præterea appetitoriam quandam non solùm in animantibus, sed etiam in stirpibus, & his quæ sola natura duce reguntur, constituant. Nam

Contentrix.

Concoctrix.

An quatuor facultates supradictæ necessariæ.

Necessitas facultatis expultricis.

Facultas attractrix.

Retentrix.

Appositio.
Agglutinatio.
Asimilatio.

Summa est asimilatio.

quæcunq; vis attrahit, eadem etiam familiare, & gratum sibi appetit. Id autem iucundum est, & gratum: quia similitudo amicitiam, hæc appetitum, is ipse attractionem mouet. eadem propemodum ratione expultrix facultas noxium pestiferumq; auersatur, & respuit, ideo quòd inimicum sit, atq; dissimile. MATHET. Ne illi curiosi sunt, qui tam friuolas quęstiones mouent. GERON, Non pauci alij exorti sunt, qui stirpes, sicut & corporis nostri particulas, naturali quadam cognitione præditas esse arbitrantur, qua salutaria à mortiferis internoscant.

An particulis nostris & stirpibus naturalis insit facultas internosci salutaria à noxijs.

Atq; hanc facultatem, proprium quendam, & naturalem sensum appellant, quo nutritioni idonea & contraria solùm dijudicent: & si familiaria desint, protinus appetant: quia verò appetunt, eadem attrahere, vt tandem optatis fruantur. Atqui ego discernendi internoscendiq; facultatem stirpibus corporisq; nostri particulis non esse necessariã existimo. Nam salutarium idoneorumq; attractrix, solo appetitu naturali, citrà vllam illorum cognitionem impellitur. Illum autem non sensus, aut cognitio, sed penuria eius, quod familiare est, & iucundum, incitat.

An omnium partium actiones naturales eiusdem naturæ peculiares, & communes.

MATHETES, Súntne omnium corporis partium actiones naturales eiusdem naturæ? GERON, Minimè. nam aliæ vnicuipiam peculiariter addictæ sunt, vt ossi, cartilagini, & reliquis omnibus: quia nulla est etiam minima, quę non seipsam alat atq; conseruet: aliæ communes omnibus, vt in ventriculo & iecore, præter proprias consistunt, vniuersi corporis commoditatum gratia.

In alijs partibus aliæ facultates valentiores.

MATHETES, Súntne facultates aliæ in alijs partibus corporis efficaciores? GERON, Nimirum, vt in gula alimenti attractrix: in ventriculo & iecore concoctrix: in intestinis expultrix quidem validissima inest, concoctrix autem infirma: reliquæ duæ deficiunt. renibus attractrix excellens, excretrix non imbecilla: reliquæ nullæ illis insident. in vtero vis contentrix validissima, vt qui fœtum nouem integris mensibus reconditum gerat: sicut etiam seminis alliciendi, fœtusq; exigendi: contractrix autem nulla prorsus. Itaq; partes istæ, sicut & aliæ nonnullæ, quæ non solùm priuato, sed etiam publico munere funguntur, instrumentorum speciem acceperunt, & fibrarum genus ijs muneribus, ad quæ potissimùm sunt accommodatiores, proprium sunt adeptæ. MATHET. Quot sunt illarum genera? GERON, Tria. aliæ nanq; directæ, quę in longitudinem porriguntur: alię transuersę, quæ ad partes rectosq; angulos in illa feruntur: aliæ obliquæ, quę ad impares angulos incidunt.

Quibus fibris singulæ facultates indigeant.

Concoctrix calore humido indiget.

Quamuis igitur concoctrix facultas nullum fibrarum genus, sed humidum duntaxat calorem nobis ingenitum, ad concoctionem accommodet: reliquæ tamen quæ motu quodam munus suum obeunt, fibris indigent: attra-

ctrix

Reliquæ facultates fibris.
Attractrix rectis.
Expultrix transuersis.
Contentrix obliquis.

ctrix quidem rectis: expultrix transuersis: contentrix obliquis. Quemadmodum enim fibræ musculorum arbitrio nostro contractæ, quasiq; ad originem suam reductæ motum efficiunt, sic & in naturalibus instrumentis, rectæ fibræ solius naturæ instinctu contractæ, breuioresq; factæ alimentum attrahunt: transuersæ autem astrictæ, subiectam capacitatem in angustiam adducunt, & quicquid ea comprehenditur, expellunt: obliquæ verò, cùm intentæ nec breuiorem, nec angustiorem partem reddant, seruata quadam naturali æquabilitate & constantia, omnia planè continent, nihilq; vel attrahunt, vel extrudunt. MATHETES, Cuicunque igitur naturæ instrumento triplex eiusmodi facultas accessit, talêne etiam fibrarum genus est attributum? GERON, Omninò, sed aliâs tunica simplici, vt in vtero: aliâs duplici, vt in ventriculo. Quibus verò vnica ex his facultatibus data est, vt intestinis, ijs licet gemina præditis tunica, simplex tamen fibrarum genus concessum est. Quare facultatum singulis partibus assidentium numerus, ex functionum varietate cognitus, fibrarum differentias indicat: contrà quoque earũ diuersitas per confectionem percepta demonstrat, quot cuiusque partis sint facultates, gulæ, ventriculi, intestinorum, arteriarum, venarum, vteri, vtriusq; vesicæ, & aliorum naturæ instrumentorum, si plura his manifesta existant. MATHETES, Communium facultatum fibras explicasti: quæ autem sint illarum partium, quæ sibi duntaxat, priuatisq; commodis inseruiunt, vt ossium, & cartilaginum? GERON,

Ossa, & cartilagines non fibras, sed vi ingenita functiones obeunt.

Quamuis illæ omnes naturalium facultatum species obtineant, nullis tamen fibris indigent, sed omnia ingenita vi efficiunt obeuntq;: imò neq; ventriculus, neq; intestina fibras suas proprij alimenti attrahendi retinendiq;, aut excrementum expellendorum gratia exercent. MATHETES, Principes naturæ facultates, & reliquas quæ eis inseruiunt, omnibus communes descripsisti: quæ verò solis animantibus dicatæ sint, nunc audire cupio. GERON,

Animæ vires solis animantibus propriæ.

Duo ipsarum genera prima summaq; existunt. aliæ siquidem sunt rationis participes, aliæ huius expertes, quæ sensus duntaxat impetu feruntur. Ac sentiens anima prẹter vim illam naturalem,

Anima sentiens.

quæ brutis animantibus moderatur, tota essentia simplex est, suique persimilis, non ex inẹqualibus, vti corpus, coagmentata: alioquin id, quod ex ea conficeretur, non vnum, eiusdemq; generis esset: quanquam hæc sola efficiat, vt animal cernat, odoretur, audiat, gustet, tangat, atq; tractet, necnon vt moueatur, rerum discrimina internoscat, cogitatione fingat, somniet, memineritq;. MATHETES, Suntne hæc vnius eiusdemq; essentiæ munera? GERON, Sunt certè, sed non vno similiq; modo ea exequitur, perficitq;.

Sicut enim varia corporis inſtrumenta ad eorum effectionem accommodat, ita alia atq; alia edit opera. Qua de cauſa cùm munera horum ita ſint diſcreta, vt ſingula ſeorſim atque ſeparatim poſsint conſiſtere, neq; neceſſe ſit vno quodam edito, alia ſtatim perfici, aut vno pereunte, reliqua omnia ſimul interire: meritò ſingula ſuam inſtrumenta facultatem quandam obtinent, totidemq; ſentiendi ſunt vires, quot functionum differentiæ numerantur.

Facultates brutis inſitæ quid agant.

MATHETES, Cùm igitur animalium facultatum genera ſic diſtinxeris, vt aliæ rationis, aliæ ſenſus ſint effectrices, quid agunt, quæ brutis animantibus dominantur? GERON, Alię externa ſentiunt, aliæ loco dimouent, aliæ cognoſcunt. MATHETES Quot illarum

Senſus quinque.

externa ſentiunt? GERON, Quinq;, vt vis cernendi, odorandi, audiendi, guſtandi, atq; tangendi. qua autem animal cernit, eadem non audit, aut odoratur, aut guſtat, aut tangit, ſicut nec ex aduerſo quicquam fieri poteſt. MATHETES, Quid tantam inter ea diſſimilitudinem peperit? GERON, Inſtrumentorum, & obiectorum quibus incumbunt, varietas. ſenſus inſtrumentum, ſicut cętera ſingula corpora ex ſubiecta materia & ſpecie conſtituuntur,

Viſoria facultas in quo conſiſtat.

ita vt illud tanquam materia ſit: ſenſus tanquam forma, & ratio. MATHETES, In quo viſoria facultas conſiſtit, vt àb hac exordiar? GERON, Ratione formæ, in cryſtallino oculi humore, *qui*

Humor cryſtallinus primarium viſus inſtrumentum.

pellucidus eſt, primúmque viſus inſtrumentum, *humoribus* circumfuſum, tunicisq; ſeptum: quæ huc conducunt, vt melior perfectiorq; ſit viſio. Oculus ſanè cernit ſimpliciter, cryſtallini humoris, integrè autem, verè, ac perfectè, viſus inſtrumenti beneficio. MATHET. Qui colores ſub hunc viſorium ſenſum cadunt? GERON, Hi maximè, qui corporibus per ſumma inſident. ipſe nanq; ſolus præ cæteris eos internoſcit, diſcernitq; ſingulos. MA-

Auditus inſtrumentum primum aër.

THET. Quod audiendi inſtrumentum eſt pręcipuum? GERON, Aër quidem pertenuis auribus ingenitus, membrana obductus, in intimo auriũ ſinu poſitus, quo ad nerui auditorij à cerebro ducti extremum pertingit. nam hic inſitum illum aërem, atq; ſpiritum qui primum eſt auditus inſtrumentum, quemadmodum viſorius oculi neruus cryſtallinum humorem ambit. atque hac ratione inſtrumentum in omnibus adeò magnam ſocietatem cum intimo ſentiendi principio per ſpiritum influentem, & neruum obtinet, vt audiendi facultas illi inſidens ſonum verè percipiat, eiuſq; diſcrimina internoſcat. MATHETES, Vbi odoratus inſtrumen-

Odoratus inſtrumenti ſedes.

tum proprium habetur? GERON, In anteriore cerebro circa ipſius baſim, reſpirantibus quibuſq; animantibus contectum, penitiusq; in his cerebri extremis, quæ ad naſi ſummum pertinent, conditum: vnde quinq; hi ſenſus exteriores appellantur, non quòd foràs ex-

râs expositi sint, sed quòd exteriorum rerum cognitionem, proprijs instrumentis capiant. Illic igitur sita odorandi facultas, rerum odores, quæ subiecta eius est materia in qua versari solet, per narium ductus, simul cum spiritu acceptos comprehendit. MATHETES, Qua in sede gustandi facultas consistit? GERON, In ijs potißimùm neruis, qui linguæ, palato, faucibusq; distribuuntur: ipsaq; rerum sapores spongiosæ eius carnis, qua lingua prædita est, auxilio internoscit. *Gustandi facultas.* MATHETES, Vbi tandem vis tangendi inuenitur? GERON, Nullum peculiare habet instrumentum. cùm autem ad animantis vitam maximè sit necessaria, toto corpore æquabiliter diffusa est: in ijs autem neruis maximè, qui duriores iam facti, intrò forasq; tendunt: his tactiles omnium corporum qualitates deprehenduntur. *Tangendi vis toto corpore diffusa.* verùm hæ non vt colores, sapores, odores, aut soni, vno designari nomine possunt, cùm multis contrariorum discordijs dirimantur. Extrema earum sunt, calor & frigus, humor & siccitas, mollitudo & durities, asperitas & læuitas, grauitas & leuitas. MATHETES, Quomodo sensus hic à cæteris differt? GERON, Quia non omnia subiecta prorsus percipit, maximè simili temperatione ei obiecta, eoq; nihil inde afficitur: si verò id non fiat, certè neq; sentire poterit. *Tactus ab alijs sensibus differt.* MATHETES, Cur reliqui sensus eas qualitates, quæ ipsis subijciuntur, omnes percipiunt, ab ijsq; afficiuntur? GERON, Quia omnes sunt dißimiles. *Contraria non similia afficiunt.* MATHETES, In quo vniuersi sensus inter se conueniunt? GERON, In hoc, quòd singuli tales potestate sint, quale id ipsum est, quod percepturi sunt. *Sensuum communia quæ.* sin autem sensus, à subiecta re afficiatur, similitudinem quandam per motus initia, & dißimilitudinem in fine intercedere oportet. Præterea in illo sensus isti concordant, quòd singuli res sibi subiectas cognoscant, earumq; defectus, & immoderatos excessus, idq; diuersa ratione. *In quibus sensus conueniant, aut discordent.* Quamuis igitur in his duobus conueniant, tamen sensuum facultates plurimæ inter se non solùm rei quæ comprehenditur, natura, sed etiam proprijs instrumentis variant. MATHET. Qua de causa? GERON, Quia visui instrumentum aqueum & pellucidum inest, nempe multiplici humore perfusum, quod à cerebro omnium partium humidißimo frigidißimoq; ducit originem. auditui aërium, odoratui igneum donatum est: siquidem etiam exhalatio quædam est fumosa, & ignea: tactui terrenum: gustatui etiam tale, quia veluti tactus quidam existit, sed quod humoris etiam nonnihil contineat.

MATHETES, Externam sentientis animæ facultatem intelligo, in quinq; sensus tanquam in species distributam: quænam est interior? GERON, Hæc species habet vim discernendi communem, fictricem memoriæ & recordationis: & hæ omnes exi- *FACVLTATES animæ sentientes internæ.*

stunt vnius animæ facultates. MATHETES, Vbi sentiens cognoscensq; anima sita est? GERON, In cerebro, tanquam in arce & sede propria, vnde neruorum propagines in omnes corporis partes dispersæ sunt, quibus anima vires suas communicat: sicut rursus à sensibus, viæ quædam & foramina patent, per quæ conceptæ rerum imagines in illud confluunt. harum iudex & arbiter princeps ille sensus est, quem communem & intimum appellant.

Sensus communis. *Visus.* *Tactus.*

Visus solus nigrum ab albo: tangendi facultas calidum à frigido potest discernere: excellentior autem vis, dulce ab albo, & eorum quæ varijs subiecta sunt sensibus, differentias dijudicat. Nullus enim exterior sensus de dulci & albo iudicium ferre potest: eò quòd illa non vnus idemq; sentiat.

Discernendi facultas interior.

Est igitur interior discernendi internoscendiq; facultas, quam primam communis ille sensus & intimus exprimit, qui sentientis animæ essentia est, & principium, vnde vniuersum genus animantium constitutum est, omnésque animantes etiam ex infimo insectorum ordine, sentientes appellantur.

Communis sensus sedes.

MATHETES, Vbi sedem habet communis iste sensus? GERON, In cerebro, è quo tanquam specula, rerum omnium imagines, à ministris nuntijsq; sensibus extrinsecus allatas, & ante se positas contemplatur, omnésque illorum actiones obseruat. Huius beneficio nos videre & audire cognoscimus: nec non imaginum discrimina dijudicamus. Vnde liquet ipsum quinq; sensibus conuenire, & eundem cum illis esse propemodum, omnesq; istos ab eo tanquam fonte riuulos deriuari, & primam illam sentiendi facultatem è cerebro, in sensuum instrumenta se diffundere, eorumq; seruitio vti & ministerio. Quia verò instrumenta illa multifariàm se vnius opificis vsibus accommodant, meritò quinq; exteriorum sensuum facultates constituuntur, quarum vna eademq; ac principis sensus sit essentia.

Principis sensus facultates.

MATHETES, Quæ sunt principis sensus facultates? GERON, Vna, quæ externarum rerum varietates discernit, internoscit, & dijudicat: altera, quæ sensuum vestigia excipit, retinet, recondit, & res impressas reponit conseruatq;. Cùm enim exterior sensus in rem subiectam incumbit, simul quoq; interior & princeps sentiendi illa facultas in illam ipsam fertur, simulq; percipit & sentit: hanc ipsam deinde sensus, ab externis rebus lacessiti, vbi simulacra spectraq; ab eis emissa receperint, incitant & impellunt. Eadem rerum formas atq; imagines, quas sensus præbuerunt, retinet, sic vt etiamsi res sublatæ fuerint, imagines tamen earum tanquam insculptas diutius conseruet: eò quòd sensus ille tunc res abstractas cognoscat, percipiatq;, vt cui earum custodia sit concredita.

Fingendi facultates.

MATHETES, Quæ tertia interiorum est facultas? GERON, Fictrix, siue

ſiue imaginationi dicata, quæ obiecta ſpectra apprehendit, & circa ea verſatur. MATHETES, Quæ præter has ſupereſt facultas? GERON, Memoria, eaq; duplex: prima ex imaginis apprehenſione rem ipſam repræſentat: altera imagines cerebro impreſſas diu conſeruat: in pueris & ſenibus infirma: in alijs eam rerum meditatio cogitatioq;, ſiue crebra imaginum repetitio confirmat. in illis ſanè, quòd imaginum impreſſionem ſeruare, atq; retinere: in his autem quòd admittere & recipere eam nequeant. In brutis autem ea duntaxat meminiſſe dicuntur, quę ſenſum & temporis notitiam habent, viſoq; ſimulacro ſentire poſſunt ſe rem ipſam aliquando cognouiſſe. MATHETES, Cui ſenſui hæc omnia inſunt? GERON, Primario, ſicut etiam effictio, & memoria, cæteræq; ipſius functiones in eadem animæ parte conſiſtunt, quicquid illi dicant, qui fingendi facultatem priori cerebri regioni, memoriam poſteriori attribuunt. vtraq; enim toti cerebro aſcribenda eſt, vt cui princeps ſentiendi anima indita ſit. MATHETES, Quibus ſenſibus ſomnus, & inſomnia attribuuntur? GERON, Intimo, cuius propriæ functiones ſunt: quibus obeundis non aliæ quædam facultates præſunt. MATHETES, Quid propriè vigiliam & ſomnum eſſe dicis? GERON, Illam quidem incitationem & motum: hunc verò ipſius impedimentum. Quamuis autem illa inter ſe contraria ſint, diſcrepentq;, tamen ambo communi ſenſui ſubijciuntur: quo intercidente, reliquos etiam intercidere neceſſe eſt, & tanquam miniſtros eius affectioni inſeruire. MATHETES, Quando ſomnus accedit? GERON, Cùm primum illud ſentiendi inſtrumentum, putâ cerebrum, ex laſsitudine aut longis vigilijs imbecillum redditur, cæteris membris ſimul defeſsis, ac ſenſus omnes in illo ab actionibus ſuis feriantur, eò quòd vires illorum durare, & ſufficere illis nequeant. qua de cauſa ſomnus vniuerſis animalibus, valetudini curandæ, & quieti neceſſarius eſt. MATHETES, Cuius facultatis animæ eſt inſomnium? GERON, Cùm id viſum ſimulacrumq; ſit, quod à ſenſibus ortum, animalibus in ſomno ſe offerat & obuerſetur, non alterius, quàm cuius ſomnus eſſe poteſt: eoq; etiam eiuſdem partis animæ, & inſtrumenti exiſtit. nam qua animal dormit, eadem etiam ſomniat: cùm autem communi & principe ſenſu dormit, certè eodem etiam ſomniabit: non vtiq; quatenus ſentiens eſt, ſed quatenus cogitatione fingit, & euagantibus ſimulacris irritatur. Fictrix enim facultas exceptarum imaginum motione & impulſu interpellatur, præſertim noctu, & per ſomnum.

Memoria. — *Somnus, & vigilia.* — *Inſomnia.*

MATHETES, Quæ alia facultas, præterquàm ſentiendi cognoſcendiq; reſtat? GERON, Appetendi, manifeſta & euidenti

FACVLTAS appetitoria.

functione cerebri. Quippe nullum animantis genus est, quod non aliquando impetu quodam, ac voluntate incitetur, reique cuiusdam desiderio agitetur & æstuet: quæ illius interior impulsio

ὁρμή.

animæque motus, appetitio est, quam Græci ὁρμὴν vocant. MATHETES, Quid hæc commune cum reliquis functionibus exterioribus obtinet? MATHETES, Nihil. sed à singulis differt: nempe à discretione, memoria, & effictione: quamuis eas, præsertim autem effictionem naturali quodam instinctu consequatur. quare etiam facultas eius effectrix à cæteris distabit, illasque tanquam socia comitabitur, & summa sentientis animæ facultas erit, quæ cæteris tanquam finis seu princeps insideat.

Appetitionum differentiæ.

MATHETES, Quot sunt appetitionum differentiæ? GERON, Permultæ. neque enim solùm hominibus, sed etiam beluis, stirpibus, & inanimatis, sua quędam inest appetitio: imò nihil in rerum natura est, quod non appetitu

Appetitus stirpium naturalis.

incitetur: quamuis id vario discrimine fiat. Stirpes alimentum ex terra eliciunt: quælibet inanimata proprio quodam motu aguntur, naturali appetitu incitata. Eodem quoque singulæ corporis particulæ, si quando inanitæ fuerint, familiare sibi alimentum ex venis attrahunt, alliciuntque. MATHETES, Vbi huius facultas summa considet? GERON, In iecore, ex quo tanquam fonte, in omne corpus diffusa, singularum partium vires sustinet. MATHETES,

Communis appetitus sentiens.

Seminaria appetitus communis.

Vbi alter ille communis appetitus sentiens consistit? GERON, In cerebro: seminaria eius in alias quoque partes diffunduntur. Quippe natura maximos ignes & incendia testibus, naturalibus, & orificio ventriculi indidit: illis quidem veneris, huic autem luxuriæ & cupediarum, sicut cordi fomitem ambitionis & excandescentiæ. Atque tres hæ officinæ, veneris, luxuriæ, & iræ, quamuis in-

Spiritus animalis.

uicem sint distinctæ, vno tamen eodemque appetitu sentiente & animali reguntur. Quicquid ergo sensu vllo præditum est, eius rei quam senserit, comprehensione, in appetitum ducitur: quo tandem illam consequitur, aut ab ea declinat. Complures huius species, ex ortus ipsius modo numerari possunt, vt alius ex iecoris facultate in naturalia, & os ventriculi diffusus, alius ex cordis impetu & feruore, alius putà sentiens, ab iis quæ foris occurrunt, stimuletur, exciteturque: omnes quidem animales, sed variis orti

Appetitus rationi consentaneus, siue animalis.

principiis. His accedit tertius appetitus, qui cum ratione aliquid desiderat, mentisque consilio obtemperat, immodicos ferinosque ardores restinguit, ac cohibet: ea est voluntas libera, homini familiaris, omnium princeps & regina. MATHETES, Quæ solent appetitum animalem incitare? GERON, Quæcunque bona videntur, quamuis talia forte non sint: quæ autem verè bona sunt, mentis appetitum duntaxat incendunt, vt qui solo veri boni desiderio

capia-

capiatur afficiaturq́. MATHETES, Cùm igitur tres sint animæ partes, si suum singulæ habent appetitum, quot huius erunt ordines? GERON, Tres. primus naturalis, stirpium peculiaris: alter beluinus, qui etiam animalis vocatur, brutorum: tertius rationis particeps, hominum: in quibus ille præcipuè viget: quanquam reliqui etiam non desint. MATHETES, Quid autem est beluinus appetitus? GERON, Cupiditas veneris, aut cupediarum, aut excandescentia, aut eorum quę sensus indicarit, desiderium. De appetitu iam sat multa audiuisti, nunc de mouendi incedendiq́ facultate aliquid tibi adferam. Quoduis animal mouetur, inceditq́, vt eam rem consectetur, quę boni iucundiq́ speciem repręsentat, aut eam declinet, quæ ingrata aduersaq́ iudicatur. MATHETES, Mouendi facultas à sentienténe, & appetitu, variat? GERON, Indubiè. nam alia sensus, alia motus sunt instrumenta, aliiq́ nerui: vnde fit, vt vel eiusdem cruris, vel brachii motus pereat, tactu saluo, qui in totam cutem dispersus est: aut è contrario, vt tactus aboleatur, motu superstite. MATHETES, Vnde hoc sic habere intelligi potest? GERON, Inde, quòd omnis sensus ex perpessione quadam, & affectione fieri soleat: motus autem non nisi conatu & roboris intensione. MATHETES, Si hoc ita est, vt tibi libenter credo, non solùm sentiendi, atq́ mouendi instrumenta, sed etiam fingendi rationes, efficientesq́ facultates plurimùm inter se dissidere mihi videntur: nec non animalem appetitum, qui à sensibus & cogitatione ducitur, illaq́ perpetuò comitatur, ab incedendi facultate omnino discrepare. GERON, Rectè sententiam meam assecutus es: vt autem eam veram esse intelligas, aures iis quæ dicam, aduertas. Animalia imperfecta, quæ solo tactus sensu prædita, stabilem vitam agunt, vt conchylia, ostrea, conchæ, sensum quidem illa doloris atque voluptatis, fingendiq́ & cogitandi facultatem licet obscuram, sicut & animalem appetitum acceperunt. quamuis enim compuncta sese contrahant, progredi tamen nequeunt, neq́ motus instrumenta habent. quòd si verò incedere nō possunt, neq́ ad incessum facultatem obtinebunt. Quare vim mouentem ab appetente, atq́ sentiente, quæ semper mutuò se comitantur, iunctæq́ sunt, nunquam separabiles disiungere conuenit: eò quòd eorum quæ sentiunt, animantium alia mouendi facultatem habeant, alia huius sint expertia. adhæc, quòd in hominibus, neruorum resolutionem expertis, motus pereat, licet interiores animæ vires, ipsæq́ appetitus sint incolumes: contrà quòd in furore, aut delirio vexatis, neq́ mens, neq́ memoria, neque appetitus, neq́ sensus ipsi integrè valeant: imò quòd omnes interiores animæ functiones sint vitiatæ, incessus autem pressior

Appetitus beluinus, seu animalis.

Mouendi incedendiq́ facultas, & ratio.

Mouendi vis vnde.

Fingendi & efficiens facultas inter se differunt.

Animalis appetitus ab incedendi facultate dissidet

Mouendi vis ab appetente ac sentiente differt.

plerunq; fit, & firmum musculorum robur. Vnde constat incessum aliunde quàm à facultate appetente institui, gubernariq;, atq; hanc ab illa esse diuersam. MATHETES, Distinctisne etiam sedibus inclusæ sunt? GERON, Profectò. nam mouendi vis in toto cerebro, præsertim posteriore eius parte, quam cerebellum superiùs appellaui, consedit: in priore verò cerebri sede, sentiendi & appetendi facultas, quæ neruos sensorios, eosq; molles in sensuum instrumenta distribuit. MATHETES, Vt mouendi facultatem loco ac sede à sentiente disiunxisti, itáne hanc etiam ab illa essentiæ ratione dissidere tanquam diuersam putas? GERON, Nequàquam, sed totius sentientis animæ vim summam & vltimam facultatem esse, quæ seorsum collocatur, vti visum, vel auditum, arbitror: ea verò, vt omnes exteriores sentiendi vires, appetitus potestati subest, cuius imperio compulsa, statim quanlibet corporis partem promouet. MATHETES, Quæ certæ singularum animæ facultatum sedes existunt? GERON, Sentientis animæ mollis cerebri essentia, memoriæ dura, & instrumentum recipiendis rerum spectris idoneum: eius temperamentum, quantitas, et figura, insitusq; spiritus facultatibus discernendi, fingendi, meminiscendi, appetendiq; inseruiunt. At cerebri sinus & ventriculi, quatenus spiritus recipiunt, sensui & motui veluti instrumenta destinati sunt: duo quidem priores sensui: medius autem & postremus motui, cui & nates siue clunes, quæ græcè γλουτα vocaui, & processus vermicularis auxiliantur. At facultates, quia opera sua forâs proferunt, exterioribus quoq; adminiculis ex communi illo cerebri fonte deriuatis indigent. MATHETES, Quibúsnam visus, auditus, & gustus? GERON, Neruis concauis, & mollibus, ex priore cerebri parte prognatis, similibusq; etiam odoratus, quanquam intimus existat. Tangendi autem sensus paulò durioribus, qui ex sexto coniugio ad interiora viscera, extremamq; cutim disperguntur, nullius motus auctores. MATHET. Quales sunt motorij? GERON, Insigniter duri: atq; hi licet motum voluntarium non efficiant, tamen vim motus effectricem, in musculos veluti propria illius instrumenta deferunt. Posses hîc mirari, cur inter eos neruos, quorum similis est structura, alij motui, alij sensui sint præfecti: adhæc cur illorum, qui in cerebro nati sunt, hi ad motionem, illi ad sensum accommodentur, præsertim cùm eadem vtriq; constent origine, spiritu simili ipsis influente, & compositione: item cur duriores qui mouent, & molliores qui sentiunt: nec non cur tactui peculiares, qui ex sexto coniugio in viscera, in cutim, & in corporis extrema porriguntur, multò ijs sint duriores, qui in oculos ex secundo pari tendunt, motus eis præstandi gratia,

Motus & appetitus sedes diuersæ.

Animæ sentientis domicilium.

Sensus & motus instrumenta.

Facultates quibus alimentis indigeant.

Nerui sensibus dicati.

Motorij.

gratia, idq; ab ipsa statim origine, quam hi posteriorem, ac illi acceperint. ob quod varia huius facultatis causa non molliciei, aut duritię ascribi potest, sed compositioni. Nam cerebrum, etsi assiduo motu agitetur, nullo tamen tangendi sensu prę ditũ est: membranę autem illius è contrario, motu licet per se careant, pręcipuè crassior, tactu tamen validissimo pollent: id quod in morborum euentibus palàm apparet. Siquidem nullus plærunq; dolor in delirio, et phrenitide, quę cerebri essentię inflammatio est, multoq; minus in sopore, & veterno, quod alioquin putredinem habet coniunctam, infestare solet. si rursus vel minima humoris, aut etiam vaporis acrioris occasio in membranas illas inciderit, vehementi dolore excruciat: vnde diuersa cerebri & membranarum natura cognoscitur. At spina, & nerui omnes medullam è cerebro, eamq; membranis ipsius inuestitam obtinent, qualem ab initio acceperint. atq; hinc colligere licet medullam & neruos, licet illa non vt cerebrum moueatur, vim duntaxat motoriam, membranas autem ipsius sentientem, & tactilem tum suscipere, tum alijs partibus conferre. Si nanq; cerebrum sensus est expers, multò magis medulla, quæ spinę & neruis insidet. Quicunq; igitur nerui tum mouendi, tum tangendi facultatem obtinent, vtriusq; functionis sunt instrumenta, partibus tamen diuersis. Nerui sentientes, solius quidem tactus, nullius autem motus auctores sunt, vt qui ex sexto coniugio, in viscera interiora, cutemq; extimam dispergantur. Quanquam autem hi non à solis cerebri membranis proueniant, maximam tamen essentiæ portionem ab illis, minimam à cerebro mutuati sunt. nam statim, vbi ex tenui membrana orti, ad crassiorem accesserint, multò auctiores & valentiores euadunt. eoq; tactum solum, non item motum efficiunt. qui verò ex spina oriuntur, insignem medullæ portionem suo exortu continent. Itaq; sensus ex priore cerebri parte, motus ex posteriore, tactus ex membranis illius trahit originem. Omnes autem simul animales functiones ex cerebro membranis suis inuoluto proueniunt. Nerui copiosa medulla pleni, motus, ex membranis verò cerebri maiore ex parte nati, tactus sunt instrumenta. MATHETES, Quod tandem proprium motus voluntarij instrumentum est? GERON, Musculus: qui licet ex simplici carne, vena, arteria & neruo sit conditus, vniuersam tamen vim ex neruo assumit, qui aliâs principatum obtinet, & præcipuam mouendi functionem sibi vendicat. MATHETES, In quam musculi partem neruus iste inseritur? GERON, In eius principium, quod caput appellatur, sic autem, vt primùm in varias propagines distribuatur: deinde in alias, tandemq; in fibras admodum tenues discindatur. atq; hæc rursus om-

Alia mouentium, alia sentientium compositio.

Cerebrum mouetur: membranæ sentiunt.

Mouendi vis à cerebro, sentiendi membranis ipsius.

Nerui motus & tactus.

Motus voluntarij instrumentum.

nes in musculi fine coëunt, vbi neruum æqualem, vt in principio, referunt, qui aut in tendinem, aut in os, aut in membranam inseritur. MATHETES, Si igitur mouendi facultas eandem essentiam, quam sentiens sortita est, atq; hæ partes animæ sunt coniunctæ, cur non omnia, vt rerum comprehensionem quandam, & appetitum habent, sic etiam incedendi vim sunt consecuta? GERON, Quia motus instrumenta non receperunt. his enim desinentibus, functiones quoq;, & earum facultates deesse oportet. Quamuis autem tactus omnibus insit animantibus, vtpote solus ad salutem illorum, & conseruationem maximè necessarius, vt quo adempto, ipsa tactabilium qualitatum excessus mortiferos effugere nequeant, tamen reliqui sensus, melioris cuiusdam officij auctores, non necessariò omnibus sunt donati. Imò homo interdum eis tum originis, tum morbi vitio destituitur, quando idoneis priuatus est instrumentis. Cęterùm alia animantia solo tactu prędita sunt: alia etiam gustu & sensu simul: plurima internis facultatibus pollent: sed hæc obscuriùs, illa magis euidenter, & efficaciter, quamuis illæ minorem instrumentorum rationem desiderent. At incedendi facultas in illis tantùm viget, quibus spinæ medulla, aut simile quiddam ei accessit. MATHETES, Memini me nuper ex anatomicis quibusdam audiuisse, imaginandi, fingendiq; vim prioribus cerebri ventriculis, memoriam autem in posteriore contineri: quid tu ea de re sentis? GERON, *Auicennæ* hęc est doctrina, sed non veritati consentanea, vt superiùs propositæ rationes testantur. Memoriæ enim, atq; Imaginationis facultatum vna eademq; essentia & sedes existit: vt quæ eisdem etiam spectris occupentur, & simili vtantur instrumento corporeo: quanquam ipsarum efficiendi ratio sit diuersa. MATHETES, Quare id accidit, vt vna causa efficiens, quæ etiam vno vtatur instrumento, diuersa proferat opera? GERON, Eò quòd alio modo illud his accommodet, alio vires exerceat. Quare si tactus hoc præstare potest, quantò magis princeps ille, ac interior sensus? qui etsi corporeo insit instrumento, functiones tamen occultas acrimonia potius ingenij, & obseruatione rebus adhibita obit, quàm instrumentorum subsidio. Quippe omnes hæ functiones in illius sunt potestate, sic vt quando velit, eas exequatur. MATHETES, Itáne etiam exteriores facultates habent? GERON, Neutiquam. nam cùm non sint liberæ, instrumenta necessariò sequuntur: ob quod abditas illas, & interiores vires sedibus & instrumentis separare non est necesse. Hinc fit, quòd veteres medici oblęsa memoria, non occipiti soli, sed toti capiti remedia applicanda putent, eò quòd pro certo credant, imaginantem animæ partem simul &

Instrumentis abolitis, functiones & facultates adesse nequeunt.

Memoriæ & imaginationis eadem essentia, & sedes.

Ex vna causa, et eodem instrumento diuersa opera.

mul & recordari, & rerum impreſsiones conſeruare. MATHET. Quæ eſt tertia pars animæ?

Vitalis animi pars ab alijs differt.

GERON, Vitalis, quæ in corde tanquam propria ſede, & domicilio conſedit. MATHETES, Differtne à naturali & ſentiente, ſiue animali? GERON, Quamuis plerique philoſophi, præſertim Ariſtoteles, naturalem & vitalem eandem eſſe putent, tamen Plato, & Galenus, ipſaque euidentia rem aliter habere demonſtrant. Si enim ſingularum ſedum, in quibus tres illæ partes animæ conſiſtunt, differentias conſideres, facilè diuerſas ipſas eſſe deprehendes. Quippe cordis & arteriarum, quem pulſum vocant, motio, perennis & conſtans eſt: cuius aſsiduitate perpetua ſpiritus procreantur. MATHETES, Quęuis cordis motionem efficit? GERON, Calori ipſius inſita, à naturali, & ſentiente ſiue animali diſsidens. Hæc reliquarum duarum partium animæ facultates actionesque conſeruat: minus integras perficit: & tardiores incitat, totique corpori, maximè verò iecinori & cerebro impartitur. Naturalis nutritioni tantùm addicta eſt: animalis omnibus corporis partibus ſenſum motumque ſuppeditat. Tres igitur facultates in nobis ſunt, quarum gubernaculis corporis humani, natura & integritas retinetur, cohęretque. MATHETES, Quare ipſas inuicem differre, & ſeparatas eſſe dixiſti? GERON, Quia ſi vna ex eis lædatur, vel prorſus intereat, reliquæ incolumes, & integræ permanere poſſunt. Verbi gratia, in lethargo ſenſus omnis & motus, imò tota ſentiendi facultas interit: naturalis & vitalis ſaluæ permanent: in marcore altrix, violata eſt: ſentiens & vitalis, integra: in peſtilentia, vomitu, & animi defectione, vitalis facultas plurimùm infeſtatur, alijs nihil omnino, aut multò minus offenſis. Quinetiam vis animalis ex morbo in quauis corporis parte aboleri poteſt, vitali adhuc ſuperſtite. MATHETES, Obſecro te, mi præceptor, hoc mihi adhuc de facultatibus iſtis indices, num prorſus etiam, cùm in vno eodemque corpore coïerint, tunc inde quaſi diuulſæ inuicem, & ſeparatæ diſtrahantur, ſicut in perfecto animante, eſſentia, inſtrumentis, & ſede, ſeiunctæ ſunt. GERON, Non certè. tanta enim omnium mutua eſt conſpiratio, annexioque, vt ſingulæ aliarum ſubſidio conſiſtant. Fieri autem poteſt, vt partis alicuius ſola facultas animalis intereat: reliquis duabus ſaluis: aut, vt naturalis ſimul cum animali pereat, vitali tantùm ſuperſtite: ſicut interdum accidit, vt vis ſpiritus vitalis per arterias in partem aliquam defluat, naturalis autem, & animalis non item. MATHETES, Aliter ergo in toto animali quàm in eius partibus accidit? GERON, Indubiè. illud enim donec vita fruitur, alimentum ſibi ſuppeditari poſtulat, his autem conferri, non ſemper eſt neceſſe. MATHETES,

Pulſus.

Vis pulſum efficiens calori cordis inſita quid efficiat.

Naturalis vis.

Quare tres animæ facultates ſeparatæ ſint.

Quomodo facultates in corpore aliquo, & toto animante habeant.

Facultates mutuas operas tradunt.

Quomodo facultates mutuas operas tradunt? GERON, Vitalis cæteras perficit, conuertitque: & hæc rursus ab illis mutuis iuuatur officijs. Naturalis enim alimentum ei suppeditat: animalis autem dum pectus & pulmones mouet, nutrimentum, & refrigerium eidem parat. huic porrò reliquæ duæ materiam subministrant: vitalis per arterias illapsa naturalem tuetur, augetque: hæc vicissim animali perpetuò indiget. MATHETES, Si hæc ita sunt, vt dicis, tres istæ facultates indissolubili consensu mutuò sibi opitulantur, nullaque citra aliarum officia potest consistere, atque vna pereunte, reliquæ etiam pariter intercidunt. GERON, Hęc mea est sententia, vbi in corpore aliquo illæ conuenerint. ac in perfecto animali, cum variæ, & distinctæ sint earum sedes, quarum vitio spiritus, calorque & facultatum essentia offenduntur, singulæ violari possunt, reliquis duabus adhuc integris: quamuis si læsio diutius perseueret, ad illas quoque tandem perueniat, fiatque omnium communis.

Facultates quo ordine intercidant.

MATHET. Quo ordine solent facultates intercidere? GERON, Quæ maiorem habet cognationem cum afflicta, ea statim post hanc infestatur: quæ minorem, postremò. Verbi gratia, si animalis vitiata est, primùm vitalis post illam læditur: deinde naturalis afficitur. si vitalis initio noxam conceperit, mox animalis eam experietur, vt cui illa materiam, vitæque formam ministret: tandem verò naturalis. si hæc primùm læsa est, statim vitalis, deinde animalis offendetur. MATHETES, Intelligo hunc ordinem facultatum in affectionibus ipsarum à natura obseruari: quis in

Facultatum ordo in origine nostra.

actione deprehenditur? GERON, Longè diuersus. nam in origine nostra, principatum tenet altrix: hanc sequitur vitalis: postrema est animalis. MATHETES, Quæ inter has excellentissima, nobi-

Nobilissima inter facultates animalis. Vitalis secunda. Naturalis postrema.

lissimaque censetur? GERON, Animalis: huic succedit vitalis: extrema est, & ignobilissima altrix. Nam hæc vilium stirpium quoque communis est: vitalis animantibus dicata, præstantiorque illa est, vt cuius actiones promoueat & absoluat: inferior autem, obscuriorque animali: quia ob hanc maximè ipsa condita est. Quòd si finis vitalis, ad quem reliqua tendunt, spectetur, insignis existit. Iam animales functiones, sensus, motus, ratiocinatio, contemplatio, vita sapienter instituta, quia excellentiores digniores que sunt, quàm simplex vita, facultatem ipsarum effectricem, omnium summam & principem esse indicant: & in actione, vitæque necessitate omnium prima vitalis statuitur, quòd non solùm reliquis materiam suggerat, sed illas etiam excitet, perficiat, mutuoque complexu tueatur, & foueat. Si nanque pars aliqua corporis motus, sensusque particeps fieri, siue nutriri debeat, necesse erit, vt spiritus, & facultas vitalis in eam influat. si verò lædatur, mox vtriusque actio

inter-

interpellabitur, quaſi in vtriuſq; opus communiter concurrat. MATHETES, Explicatis iam tribus illis animæ partibus, earumq; ſedibus & facultatibus, quas ſtirpibus, brutis, & hominibus ineſſe docuiſti, ſub qua tandem mentem noſtram comprehendis?

GERON, Sub ea, quę rationis & intelligentiæ eſt particeps, quę non ex corpore noſtro procreata eſt, ſed à ſummo rerum omniũ opifice Deo Opt. Max. eoq; ſempiterna & immortalis: vti ſentiens, mortalis, & caduca eſt. MATHE. Qua de cauſa? GERON, Quia hæc ex corpore noſtro trahit originem, eiq; adeò eſt immerſa, vt nunquam ab illo diuelli queat: illa verò corpori non eſt permixta, ſed ſimplex ipſi tanquam gubernator aſsiſtit. MATHETES, Quî fit, vt anima nullius terrenę concretionis particeps, è corpore migrare cogitur? GERON, Quia, ſicut artifex quiſpiam in conclaui obſcuro, nimiſq; anguſto incluſus, quamuis idonea ipſi adſint inſtrumenta, nihil operis exercere poteſt: ita quoq; illa domicilio ſuo, hoc eſt, corpore vitiato, ne functiones ſuas obeat, impeditur. Itaq; anima, congruam corporis mediocritatem deſiderat: quæ ſi nonnihil immutetur, minus rectè munijs ſuis fungi poterit: ſi plurimum violetur, ſtatim ipſa tanquam à domicilij ſui ruina abhorrens, aliò commigrat, quocunq; DEVS OPT. MAX. per vnicum ipſius filium IESVM CHRISTVM illam ablegauerit. MATHETES, Omnéſne iam facultates animæ es perſecutus, an aliæ quædam reſtant?

Intelligentiæ facultates, quibus mens comprehenditur.

Intelligentia corporis gubernatrix.

Cur anima è corpore migret.

Anima mediocritatem deſiderat.

GERON, Cùm tres animæ partes ſuo ſingulæ appetitu ad agendum impellantur, appetitiones etiam totidem eſſe, quæ animi mores indicant, oportet. prima rationis particeps, ſecunda illius expers. ſed hæc rurſus bifariàm diuiditur: nam altera voluptates ſectatur, quæ nobis cupiditas, ſiue concupiſcentia, Græcis ἐπιθυμοειδὴς dicitur: altera animum ad indignationem & iram adducit: vnde θυμοειδὴς græcè, quaſi animoſa nuncupatur. MATHET. Quibus actionibus tres illæ facultates diſcernuntur? GERON, Prima, quæ rationi obtemperat, prudenter aliquid & conſtanter deſiderat, appetitq;. reliquæ duæ, multa temerè, & imprudenter concupiſcunt: vna ad eſculenta, poculenta, venerem, & id genus alia: altera ad gloriam, honorem, opes, iniuriam, vindictam, ſupra vel infra modum animos hominum incitat. Rationalis hiſce duabus acri pugna obſiſtit, renititur, contrariaq; ſuadet. ſi verò in hoc certamine forſan ab eis euicta ſuccumbat, inuita illas ſequitur, quocunq; ipſam abripiant. Interdum accidit, vt cùm rationalis, vitiorum blanditijs & voluptatibus ſuccubuerit, animoſam facultatem in auxilium adducat, quæ tanquam iracunda inſurgens, ſimul cum illa aduerſus vitioſas cupiditates decertat, quam-

Appetitiones animæ.

Rationalis.

Concupiſcens.

Animoſa.

Actiones facultatum.

Certamen inter facultates.

Cupiditatis partes.

uis hæc pro suo furore & impetu rationali resistat. MATHETES, Quæ sunt cupiditatis partes? GERON, In appetitoria facultate, nimius amor, vel odium, seu fastidium veneris, cibi, viniq́. horum autem mediocritas, temperantia est, quam ratio consulit: in animosa ira, cupiditasq́ vindictæ, & metus mali futuri, nec non gaudium & lætitia cùm animus bonis fruitur: dolores, cùm mala inciderint. similesq́ aliæ perturbationes. In rationali, æqui boniq́, & mediocritatis in omnibus obseruatio. MATHETES, Quo in loco hæ facultates sedes suas habent? GERON, Vbi tres animæ partes: appetitoria in iecore, animosa in corde, rationalis in cerebro. Id autem hîc notari velim, vires istas appetentes non cum aliis suprà dictis animæ facultatibus confundi debere, quamuis easdem sedes, eandemq́ essentiam habeant. Nam in cerebro appetitus rationalis aliud est, quàm intelligentia: in corde vis iracundiæ, aliud quàm vitalis: cupiditas in iecore aliud quàm altrix. MATHET. Quæ hactenus de anima eiusq́ generibus, partibus, & facultatibus me docuisti, præceptor obseruande, mirum in modum me delectarunt. si non tibi molestum sit, oro vt etiam singularum facultatum actiones enumeres, hoc est, qua ratione, & ordine illæ singulatim spiritibus suis, particulis, temperaturis tanquam instrumentis, operentur.

Animosæ facultatis partes.

Rationalis.

Facultates animæ vbi consistant.

GERON, Libenter tibi morem geram, cùm certo sciam illa tibi non parum ad nobiliorum partium vsus cognoscendos, profutura. Vt igitur faciliùs, quæ dicturus sum, assequaris, primùm naturæ, deinde animæ, postremò vitæ functiones percensebo. Summa naturæ functio est nutritio, quæ ab illa ex cibo assumpto perficitur. Nam hic tota naturæ ipsius est materia, ad quam expurgandam, conuertendam, & in omnes deniq́ extremas corporis regiones per meatus ductusq́ proprios distribuendam, validè incumbit: cui actioni primùm dentes inseruiunt: dum cibum ori inditum, si durior est ac solidior, mandunt, attenuant, & veluti molunt. vnde ille adeò immutatur, vix vt priorem formam naturamq́ retineat. Ad id autem perficiendum maximè prodest, quòd cibus iste accuratè confractus confectusq́, nec non pituita oris perfusus sit: adhæc, quòd huius tepore incaluerit: nouissimè quòd eiusdem tunicam ventriculo continuatam & communem attigerit. MATHETES, Quorsum tandem cibus ita mansus, nutritioniq́ præparatus fertur? GERON, Lingua illum motu suo, crebraq́ agitatione ad stomachum protrudit: hic ipse eundem rectis suis fibris ab ore attrahit, ac veluti communis via excipit: inde ventriculus, rectis interioris suæ tunicæ fibris allicit, sic tamen, vt à stomachi quoq́ transuersis exterioris tunicæ fibris adiuuetur.

Naturæ functio summa, nutritio.

Dentes cibo immutando inseruiunt.

Cibi ex ore ad inferiora depulsio quomodo fiat.

MATHE-

MATHETES, Quomodo id accidit? GERON, Sicco, aut humido aliquo ex ore demiſſo, fibræ tranſuerſæ, quæ ei ſubſunt, dilatari, quæ ſuperiùs extant, contrahi adeò arctè ſolent, vt ſpiritus, licet tenuis, inter deglutiendum hauſtus, ſimulq́ impulſus, plærunq́ reduci nequeat. MATHETES, Ergò cibus partim ſtomacho, deorſum agente, partim ventriculo trahente, ad inferiora tendit? GERON, Ita res habet. MATHETES, Quid ventriculum mouet, vt cibum attrahat? GERON, Appetentia: vnde etiam fit, vt ijs qui ſupra modum appetunt, ille celeriùs deſcendat, inferiusq́ pellatur.

Appetentia cibi attrahendi cauſa.

Cùm enim nimia fames vrget, ventriculus cibos etiam nondum adhuc ſatis in ore confectos, præter voluntatem inter mandendum ſæpe ad ſe rapit, vt illam expleat. MATHETES, Quid ventriculus deinde agit? GERON, Cibum attractum ſinu ſuo obliquis fibris ſuprà infraq́, & omni ex parte adeò arctè includit, continetq́, vt prorſus ei adhæreſcere videatur, nullumq́ in eo ſpatium vacuum relinquatur, modò benè habeat.

Fames nimia.

Continendi cibi in ventriculo ratio.

MATHETES, Cur ventriculus cibo adeò circundatur, & hic illius lateribus coarctatur? GERON, Quia ſi huc illuc in tam capaci ſinu fluitaret, perfectè concoqui non poſſet. Ideo etiam imæ ventriculi partes, & ſupremi inteſtini iunctura, πυλωρὸς græcè dicta, admodum arctè clauditur, obſignaturq́, ne cibus vllus ſiue ſiccus, ſiue liquidus ante legitimum à natura pręſcriptum tempus, exire queat, niſi aut magno materiæ pondere, aut acrimonia illum infeſtet.

Tempus cibi excernendi à natura præſcriptum.

MATHETES, Quid interea ventriculus molitur, dum cibum in ſe continet? GERON, Totum ipſum calore ſuo, & ſpiritu genuino, propriaq́ & recondita eſſentiæ ipſius vi, ſine fibrarum adiumento mutat, & conficit: ad quam rem proximæ partes, iecur, lien, cor, ſeptum tranſuerſum, & vena caua ei opitulantur, nec non omentum extrinſecus admotum eſt, vt calorem reprimat, ne diffletur digeraturq́.

Ventriculi actio, dum cibum continet.

Quæ partes ventriculum extrinſecus iuuent.

MATHETES, Hiſce igitur auxiliarijs adiutus ventriculus, in quam formam cibum redigit? GERON, In cremorem, quem Gręci χυλὸν, Latini ſuccum, barbari illos imitantes etiam chylum appellant. atq́ hic primum concoctricis facultatis opus eſt, nō autem vera concoctio, ſed potius quædam ad illam præparatio: nec ventriculus hoc tanquam proximo ipſius alimento nutritur, ſed ipſo ſanguine, vt in fœtu, qui adhuc in vtero geſtatur, deprehendi poteſt, cùm tunc nullum adhuc cibum aſſumat. Si igitur tunc ventriculus, præſertim interior eius tunica, puro & ſyncero ſanguine nutriri ſolet, quantò magis infante iam in lucem edito, & in alijs ætatibus, quando pleniùs liberaliusq́ ali deſiderat.

Cremor, ſeu chylus primum concoctricis facultatis opus.

Chylus non verè nutrit, ſed ſanguis.

MATHETES, Hac ratione chylus ventriculo nihil cōmodi adferre videtur. GERON, Erras. cùm enim ventriculū immodicè inna-

Vnde ventriculus alatur.

Alimentum verum, & aſcititium.

Appetentia duplex.

nitus, lateraq; eius collapſa fuerint, tunc vtiliorem chyli ſiue cremoris portionem, interiori ſuæ tunicæ inſinuat, & amplectitur: ex qua magna cum voluptate refocillatur: non autem verè alitur. nam vbi ille vacua tunicę ſpatia replerit, extenuatur, & euaneſcit: nec non appetentiam ac famem qualitate potius, quàm eſſentia ſaturat. MATHETES, Vnde ergo ventriculus vero alimento reficitur? GERON, Ex ſanguine: qui à portarum venæ ramis ei communicatur. atq; ſic duplex ventriculi alimentum, nempe verum, & aſcititium ſtatuendum eſſe iudico, ſicut etiam duplicem appetentiam ſeu famem, videlicet animalem & naturalem. Hanc ſola ſanguinis eſſentia per ventriculi compagem diffuſa, atq; in naturam eius conuerſa explere, illam non tantum ſanguis, ſed etiam quicquid ſuaui aliqua & grata qualitate præditum in ventriculum demittitur, poteſt.

Excretrix ventriculi facultas.

Inteſtina cibum non attrahunt.

MATHETES, Vbi iam ventriculus meliore cibi parte refocillatus fuerit, quæ deinde facultas eius, functiones ſuas aggreditur? GERON, Excretrix fibris tranſuerſis illum contrahens coarctansq;, omnes chyli reliquias tanquam inutiles per os inferius portæ modo iam adapertum, ad inteſtina propellit, vi retentrice interea feriante, & otioſa. MATHETES, Num illa etiam cibum, aut cremorem ſicut ſtomachus & ventriculus ad ſe trahunt? GERON, Nequaquam, eoq; fibris rectis carent: ſed exceptum vi expultrice, quæ valentiſsima eis ineſt, ſtatim extrudunt: quamuis autem id operis tranſuerſæ, & orbiculares vtriuſq; tunicæ inteſtinorum fibræ promoueant, non tamen facile cibus per iſta labitur: eò quòd varij ipſorum ſint orbes, & anfractus: in quibus ille magis elaboratur. Quicquid igitur cremoris probè coctum, & ſalubre extiterit, id totum in iecur per venas meſeraicas tranſſumitur. ſi verò quædam illius portio minus elaborata primum inteſtinorum orbem prætererit, in ſecundo conficitur: ſin hunc quoq; prçterlapſa fuerit, ſecundo, vel tertio, vel alio deinceps, tunicam illorum (ad quam venæ oris hiant) attingit. MATHETES, Quid ſi neq; ex his in venas meſenterij abreptum fuerit? GERON, Tunc in craſsiora inteſtina, tanquam inutile, & excrementitium deijcitur, tandemq;, vbi illa ſe tum aſtrinxerint, tum relaxarint, in aluum depellitur, in qua tanquam receptaculo tamdiu reſidet, donec foràs excernatur: non prius autem id fieri ſolet, quàm ambiens, ſtringensq; anum muſculus rationis iuſſu, illud elabi ſinat. Itaq; in excernenda aluo muſculus ipſius iam dictus, voluntate noſtra reſoluitur: inteſtina naturaliter expellunt: ſeptum tranſuerſum, & abdomen interdum eis opitulantur. MATHETES, Si rectè ſententiam tuam intelligo, deiectio iſta alui naturalis omnino

nino

nino eſt: retentio autem ipſius voluntaria, quam ſolus conſtringens muſculus efficit. GERON, Rectè intellexiſti: ſed hoc prætereà aduertas velim, cibum qui in ventriculo concoquitur, in aliamꝗ formam mutatur, etiam in tranſitu per inteſtina, magis adhuc elaborari commutariꝗ: nec non hæc ex illo ſibi vtile quippiam, & gratum allicere, quo tandem ſicut ventriculus, perfruantur. MATHETES, Vnde inteſtina verè nutriuntur? GERON, Ex venis meſeraicis, quæ ſanguinem è iocinore reducunt, ſicut eædem viciſsim cremorem ſeu chylum conferunt, ſic vt ille ex minoribus ad maiores permeet, donec ad venæ portas peruenerit. ad hanc nanque regionem per multiplices anguſtasꝗ admodum vias accedit. MATHETES, Quid venæ iſtæ meſeraicæ efficiunt, præterquàm quòd cremori viam ad iecur deferendo præbeant? GERON, Præparant illum huic, & quaſi ſanguinis rudimentum ponunt. Cùm igitur nullæ aliæ viæ, per quas alimentum influat, vſpiam ex inteſtinis in iecur rectè ferantur, rationi videtur conſentaneum venas illas meſeraicas, non ſolùm ventriculi & inteſtinorum nutritioni, ſed etiam cremoris ſeu chyli diſtributioni eſſe dicatas. MATHETES, Singulæné vtrunꝗ munus obtinent? GERON, Vtiꝗ. nam tum chylum in iecur deferunt, tum ſanguinem in inteſtina refundunt, idꝗ vna & eadem ſimul humorum congreſsione, non temporum quadam & officiorum viciſsitudine. MATHETES, Quæ cauſa eſt cur chylus & ſanguis in eiſdem venis permiſceantur? GERON, Trahentium ſanè partium naturæ & deſideria: quòd aliæ alia alliciant, atꝗ ſecernant, vt in alui purgationibus euidenter apparet. Adhæc notandum eſt, ſuperiores meſenterij venas in ventriculum & tenuia inteſtina tendentes, minus quàm inferiores, humoribus illis ex iecore educendis eſſe dicatas. Nam in dyſenteria, magisꝗ in tenaſmo rodens & acris humor craſsioribus inteſtinis incidit, ſic vt plerunꝗ ſuperiora nihil offendantur, alimenta autem concocta retineant, diſtribuantꝗ, licet aluus continuè irritata humorem deijciat. Imò etiam fieri poteſt, vt ſi quid purgantis medicamenti cibis permiſceatur, vno eodemꝗ tempore & nutritio, & humoris vitioſi excretio fiat. hic quidem per venas inferiores in aluum propellitur: alimentum verò per ſuperiores in iecur abripitur: ſic vt tum illæ, tum iecur per ipſas attrahant. MATHETES, Quamobrem potiſsimum illud arripiunt? GERON, Ob familiaris cuiuſdam facultatis vtriuſque communionem. vt autem cremor celerius in iecur perferatur, vaſorum efficit amplitudo: illius tenuitas, impetusꝗ penetrandi, & attractricis facultatis robur. Hoc pacto, quodlibet ſanè vinum promptiùs quàm aqua ob qualitatis cognationem in corpus di-

Cibus in inteſtinis magis elaboratur.

Inteſtina vnde verè nutriantur.

Meſeraicæ venæ quid efficiant.

Chylus & ſanguis in eiſdem venis permiſcentur.

Nutritio & excretio ſimul fieri poteſt.

Vinum cur facilè diſtribuatur.

ſtribuitur: album autem facilius quàm rubrum auſterumꝙ in iecur fertur: eò quòd natura tenue ſit, & vim quandam penetrandi habeat. tale enim illud, dum attrahit, expeditius ſubſequitur. MATHETES, Si diſtributio per ſolam attractionem perficitur, quomodo corporis habitus, eiuſꝙ venæ in athletis, & ſimilibus ſupra modum impleri poſſunt? Docuiſti enim me, nullam partibus valdè repletis ſaturiſꝙ appetentiam ineſſe, quæ trahendi alimenti deſiderium inducat, incitetꝙ: ſin autem partes corporis non appetant, certè nec alimentum arripient, quod aliâs fieri dixiſti, vt eo perfruantur. Si verò iam illæ hoc abunde potitæ fuerint, aliud non deſiderare appetereꝙ, neꝙ ad ſe attrahere poſſe videntur. GERON, Fateor me iſta ſuperius dixiſſe, atꝙ etiam nunc affirmo. ſed hoc quoꝙ aduertere oportet, in temperantibus quidem partes corporis alimenta per vniuerſum illius habitum attrahendi facultate diſtribuere: in luxurioſis autem, & intemperantibus illa ob tenuitatem ſuam, aut aliam quandam vim ipſis ingenitam interiora corporis penetrare. Si quis igitur omnem tum ventris, tum aliarum partium appetentiam mediocriter, & ad ſacietatem expleuerit, iterumꝙ poſtridie crudus adhuc ſe cibis ingurgitarit, ij nō illarum attractione allicientur, ſed propria potius vi ſe in venas protrudent. Quamuis enim intemperantior aliquis multos cyathos exhauſerit, reliquiæ tamen cibi, quæ àb illis deijciuntur, nihilo fiunt liquidiores: quia vinum quantum ſorpſerit, totum id in venas permanat. quinetiam ſi vinum tenue & valentius aſſumptum fuerit, aditusꝙ ad iecur pateant, non autem obſtructiones diſtributionem alimenti impediant, ac remorentur, tale propemodum reddi ſolet, quale potum fuerit, vix vlla ex parte commutatum. MATHETES, Vbi iam chylus ille, ſiue cremor, qui nos alet, à reliquijs cibi ex ventriculo & inteſtinis ſecretus per venas illas meſeraicas, ad amplam illam venam, πύλας græcè, nobis portas dictam, peruenerit, quomodo deinceps ad corpus noſtrum alendum, magis elaboratur? GERON, Per ramulos venarum ex magna iſta propagatos, in totum iecur diſtribuitur. cùm autem tenues illi ſint & anguſti, ſuccus ille diſtributionis impetu allatus, non facilè, & celeriter per eas penetrare poteſt: eoꝙ diutius in iecore morari, & in tranſitu hærere cogitur. Quia verò hac ratione carnem iecoris propriamꝙ eius eſſentiam proximè accedit, attingitꝙ, abſolutè concoquitur, efficiturꝙ inde ſanguis integrior, quàm ſi in amplo càpaciꝙ ſinu, vti cordis, aut ventriculi contineretur. ad id non parum etiam confert, quòd venę iocinoris tenuibus admodum tunicis ſint præditæ. MATHETES, Cui obſecro parti iecoris munus illud ſanguinis efficiendi eſt commiſſum? GE-

RON,

Diſtributio per quæ fiat.

Athletæ.

Temperantes & intemperantes quomodo in cibi diſtributione habeant.

Chyli diſtributio.

Sanguificatio cui parti iocinoris commissa.

RON, Proprię ipsius carni: quanquam reliquæ eius particulę omnes ad id etiam vtiles sint, & commodæ. dum autem caro illa iecoris, quæ concretum sanguinem repræsentat, chylum ex ventre allatum, in propriam ipsius naturam sensim commutare, sibiq́ prorsus assimilare conatur, primùm sanè crassiorem, & colore rubrum efficit: deinde vbi ad mediocritatem quandam accesserit, verè sanguis euadit, tantò iecoris essentia inferior, quantò ventris chylo superior. MATHETES, Si te rectè intelligo, sanguinis confectio, non caloris beneficio tantum, sed ingenita etiam iocinoris proprietate maximè absoluitur? GERON, In ea persiste sententia. ad huius autem proportionem, illorum etiam quæ in reliquis partibus gignuntur, humorum, vti lactis & seminis concoctionem æstimare oportet, vt hæc nihil sit aliud, quàm inchoata, & imperfecta quædam assimilatio, reiq́ alicuius rudimentum.

Assimilatio inchoata.

Iecur quomodo alatur.

MATHETES, Quando sanguis iam est genitus, quomodo iecur illius officina ex ipso alitur? GERON, Familiarem quandam, benignamq́ eius portionem sibi adiungit, apponit, & assimilat, non sicut ventriculus, aut intestina chylum, sed ita, vt illam perfectè in naturam suam conuertat. MATHETES, Quorsum reliquam sanguinis partem redundantem & superuacuam iecur transmittit? GERON, In venam cauam perlabi sinit: à qua in totum corpus per complures illius ramos in vniuersas illius partes tendentes, distribuit dispensatq́.

An humores simul generentur.

MATHETES, Antequam de sanguinis distributione disserere pergas, explices solúsne ille gigni, an alij humores simul cum eo soleant, & quinam, quales, & quot ipsi existant?

Excrementa chyli.

GERON, Chylus seu cremor ex ventre in iecur transfusus, cùm liquor quidam humidus existat, musti instar quodammodo inferuescit, & concoquitur, tandemq́ hinc duo recrementa apparent: quæ primùm sanè confusa, nunc vi concoctionis discernuntur, seceduntq́. alterum crassius, grauius, & magis terrenum existit, quod in imo subsidens fæci respondet, ac humor melancholicus dicitur: alterum tenuius, leuius, magisq́ aërium ceu vini florem repræsentat, ac flaua bilis, seu fel vocatur.

Bilis flaua, & atra.

Quia verò hęc duo tanquam superuacanea, & corpori alendo minus idonea, sanguini puro non permiscentur, in suam quæq́ sedem propriam reponuntur. ac vesicula quidem ad iecoris portas sita flauam: lien atram, peculiari singula itinere & via attrahunt. MATHETES, Bilis ista flaua alijsné humoribus infecta eò fertur? GERON, Non, sed pura ac sincera, idq́ duplici de causa. primùm quòd ductus & via in illam sit angustior, quàm vt crassiorem recipere possit: deinde quòd eadem ob familiaritatem, & occultam conuenientiam, (quam cum hac obtinet) attrahatur. Ideo quoq́ biliosus iste hu-

mor etsi rodens & acris existat, non tamen vesiculam, ipsius receptaculum offendit, infestatq́ue, sed ob mutuam cognationem voluptate afficit, oblectatq́ue. MATHETES, Alitne etiam illam? GERON, Nequaquam, vtpote amarus, & nullius benigni succi particeps. sanguis autem ipsam nutrit. quem per venam manifestam ceruici ipsius insitam, ex portis iecoris excipit. MATHETES, Quomodo vesicula iam dicta, vbi nimia bile inturgescit, grauaturq́ue, se pondere leuare potest? GERON, Id alio itinere ad ieiunum intestinum deponit. MATHETES, In quem vsum? GERON, Vt reliquiæ excrementorum celerius deijciantur: quod flauus eorum color, quo illa hæc tingit, testari potest. MATHETES, Qua parte lien, atram bilem siue humorem melancholicum ex iecore attrahit? GERON, Caua, per venam à portis deriuatam, illam ab hoc purgat. MATHETES, Qua facultate eandem allicit? GERON, Insita, qua ipsi familiaris & gratus est. MATHETES, Per quales venas in se recondit? GERON, Per exiles. in ijs quoq́ue illum elaborat, comminuit, extenuat, & quoad licet commutat. idq́ue tum caloris natiui robore, tum perpetua complurium magnarum arteriarum pulsatione. MATHET. Sanguis qui in lienem allicitur, similisne illo est, qui in iocinore continetur? GERON, Lienis crassior est: vbi autem in ipsius venis & arterijs elaboratus fuerit, non totus, neq́ue crassior eius portio, sed tenuior ipsius fit alimentum, in eiusdemq́ue carnem influit. Quamuis autem is tenuis sit, nequaquam tamen ruber, sed leuiter niger existit, vti ille qui iecur nutrit, crassior est, & ruber. conuenit enim, vt singula membra familiari & cognato sibi humore nutriantur. MATHETES, Quorsum crassior melancholici humoris portio, quæ lienis facultate neq́ue molliri, neque subigi potuit, transfertur? GERON, Cùm sit ad nutriendum inepta, in os ventriculi proprio meatu tanquam eructando euacuatur. MATHETES, Quid ibi habet officij? GERON, Cùm austera sit, & acerba, ventriculum astringit, coarctatq́ue, vt inde omnis eius actio firmior, validiorq́ue existat. MATHETES, Permanétne in ventriculo? GERON, Nullo pacto: sed deinde in ventris sinum relabitur: hinc cum cibis in intestina descendit, tandem vt incommoda, & ciborum reliquijs inhærens, simul cum eis forâs propellitur. non enim in venas & iecur iterum ex illis traducitur, sicut neq́ue flaua bilis, quæ iam dudum expulsa, alui excrementa infecit. MATHETES, Vtriusq́ue bilis ortum exposuisti, quomodo pituita procreatur? GERON, Sanguini, à quo vtraq́ue iam bilis separata est, crudus quidem adhuc humor inest permixtus, Græcis contra etymologiæ rationem φλέγμα, & φλεγματικὸς χυμὸς, nobis pituita dicitur: cui natura expurgando nullum peculiare

Sanguis vesiculam bilis nutrit.

Bilis ad ieiunum intestinum defertur.

Lien insita facultate humorem atrum ex iecore attrahit.

Quomodo lien atrum humorem conficiat, seu elaboret.

Iecoris & lienis sanguis differunt inter se.

Recrementum melancholici sanguinis quo feratur.

Pituitæ origo.

liare donauit instrumentum, vt qui segregari excludiq; non debeat. Nam semicoctum est alimentum, quod simul cum sanguine in venas rapitur, vt per inedias & famem temporis processu integrè concoquatur, atq; immutetur, fiatq; corpori alendo vtilis, & salutaris. MATHETES, Non igitur pituita ista sicut humor melancholicus, & flaua bilis, quorum supra meministi, superuacanea dici debet? GERON, Nullo modo, cum sit ad nutriendum idonea. Id autem notari debet, ipsam neque muco è naribus mananti, qui Græcis μύξα vocatur, neq; albo illi crassoq; & lento humori, qui in ventre & intestinis necessariò gigni dicitur, esse similem. hic nanq; ventriculi concoctione destituitur, vt ne succus quidem omnino censeri debeat: illa verò quam modò retulimus, ex bono, & concocto chylo siue cremore, procreata est. MATHETES, Vniuersi isti humores vnóne tempore, & ab eodem calore progignuntur? GERON, Sic arbitror. dum enim cibus commutatus sanguinis formam acquirit, reliqui humores pariter nasci solent. Etsi enim calor natiuus simplex, & eiusdem naturæ fuerit, alimenta tamen variam in se continent materiã, quę ex quatuor illis rerum primordijs, temperatione quadam mixtis, conflata sit, vnde chylus ex cibo factus, licet simplex, & vnius naturæ appareat, reuera tamen ex diuersis rebus mutuò permistis concreuit: quarũ alię calidę & tenues: alię frigidę & terrestres: alię frigidę & humidæ: alię calidę & humidæ existunt. Non igitur alienum à ratione est, si vno iecoris calore in tam varium, & multiformem chylum agente, diuersos humores procreari dicamus. siquidem complura variaq; à simplici causa efficiente gigni ob materiæ dissimilitudinem posse, naturę interpretes protulerunt. Sicut enim nullũ chyli, aut alimenti genus simplex esse potest, ita neq; omnes chyli partes vel in grauissimo morbo in vnum simplicem humorem commutari solent. MATHETES, Id mihi clariùs interpreteris. GERON, Quamuis enim aliquis natura calidior, & ætate florens, allijs, cæpis, porris, aut melle vescatur, bibatq; vinum meracius, non tãmen ideo solam bilem ex his, licet eam copiosam, feruidumq; sanguinem, sibi comparabit. Iecur enim natura temperatum ex chyli portione temperata, & mediocri, sanguinem: ex calida & tenui, bilem flauam: ex frigida & humida pituitam: ex frigida & terrestri, humorem melancholicum progignit, sic vt omnia generis sui mediocritatem quandam nanciscantur. Si verò alimentum, vel iecur, vel vtrunq; calidum extiterit, bilis quidem abundantior, eaq; calidior gignetur, sicut etiam sanguis, pituita, & melancholia minus erunt frigidæ. nam singuli humores certa temperamenti latitudine circumscribuntur, per quam æstimari possunt.

Pituita semicoctus humor.

Pituita non superuacanea.

Omnes humores eodem tempore progignuntur.

Complura à simplici causa gignuntur.

Iecur temperatum quem humorem gignat.

Alimentum & iecur calidum.

Alimenti & iecoris eadem temperamenta, sui similia pariunt.

Ex melle non tantum copiosior bilis, sed etiam calidior, quàm ex lactucis procreatur. item iecore calido præditus plus bilis, eiusque calidioris ex simili alimento, quam frigidior natura colligit. MATHETES, Estné igitur sanguis alius alio calidior aut frigidior: bilis hæc illa calidior: pituita, & melancholia hæc, frigidior, quàm alia? GERON, Indubiè. neq; enim suus cuiq; gradus ad amussim est definitus: vnde constat, non omnes alimenti partes, bili generandæ efficaces, in vniuersis corporibus æquè in illam conuerti: nec omnes pituitæ gignendæ idoneas, semper in pituitam degenerare, sed caloris vim, & alimenti materiam varietatis plurimum adferre. atq; iusta horum comparatio qualis humor futurus sit, definit. MATHETES, Solus ne immoderatus calor omnem bilem progignere potest? GERON, Nec is duntaxat, sed etiam tempetatus: nec non imbecillus aliam. Qua de causa nemo rerum naturalium peritus dicet iecur temperatum, aut frigidum nihil omnino bilis in se continere, nec alimenta frigidiuscula quicquam illius generare. MATHETES, Verúmne est, quod à plerisq; dici solet, bilem duntaxat, à natura, ætate, regione, & alimento calidiore fieri? GERON, Non in totum veritati est consentaneum: quia ab alijs quoq; causis prouenire solet. hoc autem negari non potest, bilem plus æquo copiosam ab illis fieri. quemadmodum pituitam abundantiorem à iecore, & alimento frigidiore nasci, à temperato sanguinem: melancholiam verò à temperato calore, & alimento simili crassoq; & terrestri redundantiorem prouenire. MATHETES, Non igitur necessariò singuli humores simpliciter à similibus tantum causis oriuntur? GERON, Non, quia ex eodem omnes chylo, solius caloris iecorisq; beneficio progignuntur. Quamuis autem hic vndiq; in totum chylum duntaxat, pari vi, & calore incumbat, non tamen vniuersæ illius partes, æqualiter immutantur, eò quòd neq; similis ipsarũ sit constitutio. vnde fit, vt diuersi humores ex his eodem tempore enascantur prodeantq;: ex frigida quidem & cruda chyli portione, pituita: ex calida autem & tenui, bilis: ex mediocri, sanguis, ex frigida & terrestri, melancholia. MATHE. At ego ex alijs quibusdam nuper audiui, sanguinem ex pituita frigidiore & crudiore, vbi perfectius concocta fuerit, generari: ex illo tandem, caloris vi, & excessu, bilem: ac singula prius leuiter potius quàm integrè concoqui, & paulatim ipsa absolui. GERON, Næ illi aberrant. Quamuis enim sanguis leuiter concoctus, aut eius initium & rudimentum quoddam, pituita vocetur, non tamen quilibet parum concoctus sic appellari, aut ex illa prouenisse dici debet, quasi antea pituitæ, quàm sanguinis speciem acceperit. Sic enim quodlibet alimentum

Caloris vis, & alimenti materia varietatem humorum parit.

Iecur temperatum aut frigidũ etiam bilis aliquis creat.

Bilis non solum à natura, ætate, regione, & alimento calidiore, sed etiam ex alijs causis.

Omnes humores ex vno chylo.

Opinio quorundam, quod omnes humores, ex pituita paulatim fiant.

tum, siue cibus, siue totus Chylus, pituita dici deberet, eò quòd nondum absolutè concocta foret, præterea, si totus sanguis ex pituita gigneretur, deinde ex illo bilis flaua, postea ex hac atra, non plures in nobis humores, quàm vnus duntaxat esset: adhæc, quia omnis humor concoctione crassescit, flaua bilis crassior quàm sanguis euaderet, nullaque naturalis esset melancholia, si ex bilis ardore creari deberet, & nulla humorum discretio haberi possit. MATHETES, Vnde igitur tu humorum generationes, eorumque differentias æstimandas censes? GERON, Non ex solius caloris vi & gradu, nec ex qualitatibus duntaxat, sed etiam ex propria familiarique illorum materia. Quippe alia sanguini, alia flauæ bili, alia atræ est subiecta. vnde bilis non ex syncero sanguine prodire potest, sed omnes humores ex congrua aptaque chyli portione, eodem simul tempore, & vnius eiusdemque caloris efficacia: sicut iam dudum audiuisti. MATHETES, In quam partem postea chylus iste in iecur allatus, ibique confectus, & à recrementis suis expurgatus, defertur? GERON, In venam cauam ruber iam & syncerus, nisi quòd aquoso & tenui humore sit perfusus, quo tanquam vehiculo faciliùs in exiles, & angustas valdè tùm mesenterij, tùm iecoris venas penetret. Quia verò corpori alendo minimè est idoneus, vehendi munere iam defunctus, è caua iecoris parte secernitur, & in renes attrahitur, vnde statim in vesicam defluit. nam ideo renes mox sub iocinore siti, vtrinque cauæ venæ assident, vt id muneris promptius peragant. MATHETES, Totúmne humorem istum renes alliciunt? GERON, Nullo modo, quia nonnihil illius retineri oportet, quo reliquus sanguis per venas in totum corpus propagatas distribuatur. MATHETES, Per quos meatus renes vrinam attrahunt? GERON, Per venas quas vulgò emulgentes vocant, idque mutua quadam & communi familiaritate quam inter se obtinent. MATHETES, Syncerane illa ac pura per amplos istos laxosque meatus trahitur? GERON, Neutiquam, sed cùm ea etiam non parum tum flauæ bilis, tum humidi tenuiorisque sanguinis. MATHETES, Possuntne tres isti recrementitij humores per easdem vias in vesicam destillare? GERON, Vrina quidem, & tenuior bilis ei iuncta, per exiles transitus, qui tunicæ interiores renum sinus succingenti insunt, in vesicam illabi possunt: sanguis autem illis crassior illic conseruatur: deinde roris modo fusus renibus primum apponitur, deinde agglutinatur, tandem assimilatur, & in eorum naturam transit. MATHETES, Cùm vrina è renibus per longos & validos meatus in vesicam depulsa fuerit, potestne per eosdem remeare? GERON, Nullo pacto. nam obliquè illi vesicæ sunt inserti. MATHETES, Quare vrina illic tan-

Humor concoctione crassescit.

Vnde humores propriè generentur.

Chylus expurgatus, quo deferatur.

Tenuis & aquosus humor sanguinis vehiculum.

Vrina vnde.

Vrina cum bile ex tenuiore sanguine excernitur

Sanguis non in vesicam defluit.

An vrina in renes possit remeare.

Cur vrina in vesica contineatur.

Quomodo vrina excernatur.

quam in proprio receptaculo colligitur, & continetur? GERON, Ne eam perpetuò & intempestiuiùs reddere cogamur. MATHETES, Quando vesica illam excernit? GERON, Cùm vel in fluxu istius iam inturgescit, vel acrimonia irritatur, sic vt fibræ quas in se continet, transuersæ contrahantur, & musculus rotundus ceruicem eius ambiens (qui tanquam custos inhibet, ne vrina sua sponte profluat) voluntate nostra relaxetur. ad hanc quoqꝫ excretionem musculi abdominis imum ventrem constringendo auxiliantur. at reliquias vrinæ, quæ in ceruice vesicæ habentur, præsertim aut acres, aut arenis molestas, rotundus ille musculus ceruicis nuper dictus expellit, cùm se comprimit atqꝫ coarctat. MATHETES, Vnde vesica alitur? GERON, Non ex vrina, sed ex eo sanguine, qui per venas proprias vtrinqꝫ in ceruicem illius desinentes influit, sicut etiam tum vterus, tum vesicula fellis nutritur. MATHETES, Sanguis à recrementis iam purus, quomodo, & in quem vsum per totum corpus distribuitur? GERON, Iecoris sanè vi expellitur, & à vicinis venarum partibus attrahitur. hæc deinde in alias propinquas illum extrudit: atque eo modo is, dum priores pellunt, sequentes autem attrahunt, commodè in extremas corporis partes distribuitur. Huc singularum partium vires non parum auxilij afferunt: siquidem naturali appetitu incitatæ, eam portionem sanguinis præterfluentis alliciunt, quæ tota natura sibi familiaris sit & iucunda, idqꝫ meatu ad ipsas pertinente. MATHETES, Quo alimento media inter venas spatia, quæ nullos meatus ad se vergentes habent, nutriri possunt? GERON, Eodem ipso sanguine: eoqꝫ satis pleno, qui halitus modo per tenues abditosqꝫ propinquarum venarum transitus elabitur, trahiturqꝫ. Nam alimentum non ex solis vasorum finibus & osculis, sed etiam ex angustis venarum foraminibus affluit, carniqꝫ, & alijs particulis incidit. non autem antea sanguis distribui desinit, quàm alimenti qualitas in omnes corporis particulas sit dispensata. At venę maiores cùm nunquam ferientur, sanguinem, quem in se continent, interea temporis multò accuratiùs elaborant, conficiuntqꝫ. id autem aut vi insita, aut ea, quam à iecore acceperunt. MATHETES, Quomodo tandem sanguis ex maioribus venis in exiliores singulis partibus à natura datas, peruenit? GERON, Vbi attractus, quasi deriuatione quadam ex illis in has exciderit, tota particulæ circundatæ qualitate & proprietate imbuitur: atqꝫ hac commutatione in illius naturam transiens, primus ex quatuor secundarijs humoribus efficitur: deinde per oscula, aut abdita venarum exilium foramina, multifariàm roris instar, in vniuersam cuiusqꝫ partis naturam influit, nec non in omnia spatia ipsius absumitur: verecꝫ

Sanguinis puri distributio.

Spatia inter venas quo alimento nutriantur.

Sanguis quomodo ex amplioribus venis in exiles proueniat.

Primus humor ex secundarijs.

reque tunc apponitur, deinde assiduo partium calore mutatur, con coctioneque crassescit: postea concretus illis agglutinatur, adhærescitque. MATHETES, Quotus humor hic est inter secundarios? GERON, Tertius, qui partium tum qualitatem, tum temperamentum, non autem perfectam essentiam attigit. postremò naturæ vi sic concrescit, mutaturque, vt parti tandem perfectè, & vndique assimiletur, quædamque eius essentia fiat carnosa, quæ inter humores secundarios quarto loco est posita. atque istud naturæ opus vera nutritio nuncupari debet. MATHETES, Metuo ne hæc quæ de sanguinis distributione docuisti, non satis intelligam. Dicis né illum, vbi in exiguas venas allatus fuerit, sensim in partium naturam & temperamentum mutari, donec perfectè eis assimiletur? GERON, Rem ipsam intelligis. tantum enim præstat nutritio, quę concoctionis finis est, & summa functionis naturalis absolutio. Quare sanguis, qui ossa, cartilagines, ligamenta, membranas, & neruos nutriturus est, in exilium venarum extremis quodammodo iam albescit. vbi verò inter partium istarum fibras, & in media spatia incidit, magis commutatur, & similitudinem quandam ipsarum repræsentat. Sic medulla ossium, quæ in cauernulis ipsorum insidet, proximumque est alimentum, euidenter iam in eorum naturam degenerat: muco quiddam simile, in cartilaginem: humor lentus circundatus, in ligamenta, membranas, & neruos. MATHETES, Quale proximum cuiusque partis alimentum existit? GERON, Quod appositum quidem ei iam est, perfectius autem calore elaboratum concretumque, agglutinatur, & adhæret, tandemque in eius naturam transit. MATHETES, Qua & cuius vi seu facultate? GERON, Propria partis: quæ peculiariter assimilat, & altrix appellatur. MATHETES, Estné eadem in omnibus? GERON, Nullo pacto, sed alia in osse, alia in neruo, alia denique in alijs: hoc est, in singulis sua ac peculiaris inest. Simili modo, & totidem mutationibus interpositis, caro tum musculorum, tum iecoris, tum aliorum viscerum, nutritur. Cum enim sanguis è venarum osculis in carnem influens ei apponitur, caloris vi mutatus, eandem quam pars habet, naturam acquirit, intereaque dum mutatur, crassior effectus illi apponitur, & adhærescit. MATHETES, In qua corporis parte celerior fit mutatio? GERON, In carne: sic autem vt vix vllo sensu percipi possit. Nam sanguis proximè illam naturæ accedit, vt qui leuiter mutatus illam nutrire possit. non sic in ossibus, cartilaginibus, ligamentis, & membranis habet, vt à quibus sanguinis essentia longius recesserit. MATHETES, Vnde venæ ipsæ & arteriæ nutriuntur? GERON, Quanquam proximum sanguinem in se contineant, quo aluntur, hunc tamen facile in su-

Vera nutritio quid.

Alimentum cuiusque partis proximum.

Altrix facultas in singulis partibus propria.

Mutatio caloris in qua parte.

Venæ & arteriæ vnde nutriantur.

am naturam redigere nequeunt: quæ autem ipsius portio tunicis illarum proximè assistit, primum commutatur, albescitq́, & statim tanquam ros in angusta earundem foramina abripitur, ipsis apponitur, crassiorq́ facta agglutinatur, & postremo assimilatur. MATHETES, Cùm iam nutritionem omnium naturalium functionum principem, ac summam esse statueris: quænám cæteræ inferiores existunt? GERON, Concoctio multiplex, ex qua varij humores, diuersaq́ recrementa gignuntur. Nam alimentum sumptum, licet vbiq́ mutetur, non tamen ibidem concoqui dices. non enim quæuis vel tenuissima alimenti mutatio, qua id attenuatur, aut mollitur, aut odorem saporemq́ immutat, sed perfecta alimenti conuersio, à natiuo calore facta, concoctio existit.

Concocta perfecta quid.

ea verò non exiguo, breuiq́ tempore, sed processu illius paulatim absoluitur. MATHETES, In quot & quibus locis? GERON, In tribus, ob quod etiam triplex concoctio dici potest: prima in ventriculo, altera in iocinore, tertia in singulis partibus.

Concoctio triplex in suo quæq́ loco efficitur.

Verum sua quanq́ præcedit præparatio: hanc comitatur sua cuiusq́ absolutio, suumq́ alimentum tanq́ materia subiecta: deniq́ suus cuiusq́ genuinus humor, eiusq́ excrementum. MATHETES, Quæ prima est concoctio?

Prima concoctio in ventriculo, chylosis.

GERON, Chylosis, in qua ventriculus multiplex variumq́ alimentum natiuo suo calore, in vnam quandam essentiam, eamq́ candidam, & ptisanæ cremori similem, conuertit. quomodo autem in ore præparetur, supra exposuimus: in intestinis absoluitur: quæ ipsa quoq́ modicam concoquendi vim, vti ventriculus, obtinēt: quamuis nihil prorsus è ventriculo valente & sano excidat, quod non integrè concoctum fuerit, modò ad id idoneum fuerit.

Intestina modicam concoquendi vim habent.

Quia verò natiuus partium calor, nunquam otiosus conquiescit, quæcunq́ intestinis incidunt, exactiùs ea quodammodo concoqui est necesse. MATHETES, Quæ secunda est concoctio? GERON, Quę in iocinore celebratur, Gręcis αἱματώσις dicitur.

Concoctio secunda hæmatosis, quasi sanguinis effectio.

hæc chylum è ventre transsumptum, propria iecoris vi naturæ ipsius insidente, in veram sanguinis speciem conuertit, quæ non solum calore, sed etiam tota essentia, à chylo planè dissidet. In mesenterij quidem venis, ille antea delineamentum quoddam accepit, in quibus iam ruber apparet: in caua autem & alijs maioribus, in quas è iecore delatus confluit, magis elaboratur ac conficitur.

Sanguis rudimentum quoddam in meseraicis venis accipit.

Illæ siquidem non modò continendi, distribuendiq́ sanguinis, sed etiam concoquendi vires obtinent, easq́ à iocinore originis suæ primordio, & quasi fonte, sicut intestina à ventriculo mutuantur. MATHETES, Vbi tertiam statuis concoctionem? GERON, In singulis partibus: qua sanguis illis appositus iam à priore natura degenerans, in idoneam ipsis essentiam conuertitur.

Concoctio tertia.

hæc

hæc ſanè rudimentum quoddam & initium in venis exilibus ſumit, in quibus ſanguinem à partis natura & calore mutari, antea diximus: abſolutio autem huius, perfecta aſsimilatio, nutritioq; omnium concoctionum finis eſt. MATHETES, In nullâne re tres iſtæ concoctionum ſpecies inter ſe differunt? GERON, Vtique. cùm in alia, tùm in hac. priores duę toti corpori communes ſunt, vſumq; præſtant: tertia peculiaris eſt, quæ ſingulis partibus priuatìm confert. non autem hę illam moliuntur, vt alijs quibuſdam, ſed vt ſibi tantum commodet proſitq;. Talis fit in mammis, & illarum glandibus, cùm ſanguis in eas allatus tractúsque fuerit, quem in ſuam naturam conuertunt, & continuatione functionis lac generant. Sic teſtes ſanguine per vaſa ſeminaria adducto, com mutatoq; ſe nutriunt: in adultis benè robuſtis ſemen efficiunt, ex quo deinde liberi procreantur, & genus humanum conſeruatur, ſicut etiam in brutis accidit.

Concoctionum trium diſcrimina.

Mammæ lac, teſtes ſemen generant.

MATHETES, Dic nunc, quis ſingularum concoctionum humor, quodq; earum ſit excrementum. GERON, Primæ humor eſt, quem paulò ante chylum nominaui, ad nutriendum idoneus, primumq; in corpore alimentum in ventriculo genitum. MATHETES, Quodnam eſt excrementum? GERON, Stercus, quod Gręci σκατὸν & ὑποχώρημα appellant. Id primum in ventriculo cum vtili materia confuſum eſt: vbi verò tenuior chyli portio, ex ventriculo & ſuperioribus tenuibusq; inteſtinis in iecur translata fuerit, reliqua craſsior impuriorq; in craſſa inteſtina, cæcum, vel colon, tandemq; in rectum protruſa, fex dici ſolet. Secundæ concoctionis humor eſt ſanguis, non is quidem ſolum purus ac ſyncerus, ſed etiam alij, qui cum illo gignuntur, naturales, & nutritioni vtiles. Excrementum ipſius eſt, vrina, quæ ex iecore & venis in renes elicitur, & veſicæ committitur. Similiter etiam humor melancholicus, quem lien ad ſe trahit, ex craſſa terrenâque chyli portione generatus: qui naturę concoctionem ſubterfugit, neq; iecoris facultate maturari potuit. MATHETES, Eſtné aliud adhuc ſecundæ concoctionis excrementum? GERON, Certè flaua bilis, quæ in fellis veſiculam reconditur, ex tenuiſsima calidiſſimaq; chyli portione aſſa & torrida, flammeę propemodum acrimoniæ particeps, eoq; recrementitia planè ſuperuacanea, & corpori alendo inepta. Reliquus humor ab excrementis hiſce iam repurgatus, purus ac mediocris eſt, ſecundumq; alimentum, quod in omnes corporis partes diſtribuitur. MATHETES, Quem tertiæ concoctionis humorem & excrementum eſſe dicis? GERON, Vtilis ſuccus eſt, qui in quatuor illorum humorum genere, quos ſecundarios nuper appellaui, primum locum occupat, & exilibus

Excrementum primæ concoctionis.

Fex, & excrementum alui.

Excrementa ſecundæ concoctionis.

Vrina.

Humor melancholicus.

Flaua bilis.

Vera flaua bilis in veſicula.

Sanguis purus ſecundum alimentum.

Tertiæ concoctionis humor & excrementum.

Primus humor inter ſecundarios exilibus partium venis inſidet. Secundus partibus roris modo influit & apponitur. Tertius ipſis affigitur. Quartus aſſimilatur. Excrementa.

partium venis inſidet, ſicut ſecundus roris modo partibus influit, eiſq; apponitur, & tertius ipſis affigitur: quartus autem in earundem naturam degenerat, ipſiſq; aſſimilatur. Excrementa verò huius concoctionis ſunt diuerſa: prima quæ vaporis inſtar ſine ſenſu, per latentes cutis meatus ac ſpiracula exhalant: item quæ paulò craſsiora veluti ſordes ac ſtrigmenta cuti extrinſecus adhęreſcunt: nec non ſudores, qui tanquam reliquiæ ſeroſi humoris illius educti, tenuiq; bile perfuſi, in corpore raro, & cute minus denſa, ſæpius modicè effluunt, idq; ſponte ſua, & naturaliter. Qui verò immoderatiùs per ſe erumpunt, ab humore quodã inutili, ac alieno excitantur. neq; naturalibus excrementis annumerari poſſunt, ſic vt nec puris, nec ſaniei, nec tuberculorum eruptio. At qui ab euidentibus cauſis, vti à balneis, immodica purgatione, & ęſtu oriuntur, non ſolum hoc excrementi genus, ſed etiam probi humoris, interdum tenuioris quoque ſanguinis quippiam prolicíunt, diſsipantq;. Hæc ſanè communia ſunt excrementa, & quæ ex omnibus indifferenter partibus, præſertim à muſculis & alijs circundatis effluunt. Pręter hęc alia quędã ſingulis partibus propria conſpectui ſe offerunt, veluti pili, & vngues, ſolidarum partium ſuperflua: quæ cum vrinis redduntur, renum & veſicæ: lienis id, quod in os ventriculi refunditur: pulmonum, ſputum quotidianum: quod per palatum & nares defluit, ac emungitur, cerebri: quod ex eius nutritione tanquam inutile relictum, frigidam humidamq; naturã retinens. id cùm ex toto cerebro in amplos eius ſinus abundantius collectum fuerit, per palatum & nares educitur. MATHET. Idémne excrementum pituitæ verę, temperamento reſpondet? GERON, Nullo modo. hæc enim in ſolo iecore generatur: numeroq; vtilium ſuccorum aſcribitur: illa cerebri prorſus recrementum eſt: rurſus quæ in iecore eſt, in ſanguinem per concoctionem immutari, hęc nunquam poteſt, ſed caloris vi ſicceſcit, & in tophaceam duritiem concreſcit: huius ſpecimen refert ea, quæ in ventriculo & inteſtinis procreari ſolet. non enim eſt pituita, imò ne ſuccus quidem, ſed primæ concoctionis imperfectio ac cruditas, quæ euinci non potuit: vel ex craſſa & glutinoſa cibi materia, vel ex ventriculi, inteſtinorumq; imbecillitate concreta. Sunt autem propria iſtorum excrementa alba, frigida, viſcoſaq;: quòd eſſentia ipſorum exanguis, membranoſaq; exiſtat. MATHETES, Enarratis iam trium illarum concoctionum & humoribus, & excrementis: declares obſecro, ſanguiſne ex iecore in venas irrumpens, omniſq; ſuperflui expers, purus, & ſimplex omninò dicendus ſit? GERON, Non. quòd enim ex varijs conſtet eſſentijs, tum originis noſtræ ratio, tum partium alendarum neceſſitas

Excrementa propria, pili & vngues, & quæ vrinis inhærent. Ori ventriculi infuſum. Sputum. Quod per palatum & nares effluit. Pituita in ſolo iecore generatur. Sanguis purus non poteſt ſimplex dici.

ſitas demonſtrat. nam alia calidior, alia frigidior: hæc mollior, illa durior percipitur: quæ vt non omnes ex eadem ſimiliq; eſſentia procreari, ita nec eadem materia nutriri ſuſtentariq; poſſunt. Semen ex quo originem trahimus, non prorſus ſimplicibus, ſed diuerſis conſtat partibus: quarum craſsior portio ſolidis, humida mollibus, calida & frigida ſui ſimilibus adhibetur. de quibus poſtea copioſius agam, ſi me admonueris. Cùm itaq; omnes corporis partes deinceps ex ſanguine alantur, increſcantq; (vnaquæq; autem ex idonea & ſui ſimili materia) certè ille non ſimplex, ſed mixtus etiam in ætate prouectis eſſe poteſt. Sic neq; ſemina in terram proiecta, neque ſtirpes, vno alimento ſuſtinentur, ſed alia dulci è terra ſucco, alia ſalſo, alia amaro. Quid verbis opus eſt. ſingula id quod familiare ſibi & gratum eſt, in alimentum attrahunt, quo, ſi quandóq; deſtituantur, mox contabeſcunt & emoriuntur.

Semen humanum non omnino ſimplex.

Sanguis mixtus etiam in prouectis.

MATHETES, Quid ergò propriè ſanguinem eſſe dicis, ſi ſimplex in venis non continetur? GERON, Quicquid in corporis partium naturam migrare ſolet. in eo autem ab alijs differt humoribus, quòd ipſe, ſi è venis ſiue forâs, ſiue in ventrem, ſiue in veſicam, ſiue in vterum, ſiue in inteſtina, ſiue in thoracis ſpatia, ſiue in alium deniq; ſinum excidat, grumi inſtar concreſcat: illi verò nunquam. MATHETES, Ob quam cauſam? GERON, Ob fibras quaſdam filorum modo tenues, quibus ille eſt intertextus. Nam ſi his careret, neq; corpus nutriri, neq; in ſolidiorem eſſentiam conuerti poſſet. MATHETES, Separantúrne fibræ à ſanguine? GERON, Facilè. nempe ſi hic vel calens tepidúsue per linteum coletur, vel crebra agitatione rudicula, ſiue manu concutiatur, donec refrixerit, quemadmodum laniones ſuillum præparare ſolent, vt eſui eſſe poſsit. Idem in ſanguine ex inciſa tali vena miſſo, tepentíque aquæ in peluim profuſo, obſeruatur. Nam ſtatim vbi refrixerit, paulumq; conſtiterit, tota iſta ſubtiliore illius parte tingitur: fibræ autem inter ſe prorſus cohærentes, & albidæ ad fundum delabuntur: quibus plęriq; decipiuntur, pituitæ aſsimilatæ ſpeciem eſſe putantes. MATHETES, Vnde fibræ illæ contrahuntur? GERON, Ex ventriculo, qui natura neruoſus, dum concoquit ferè totus, naturam ſuam ei quodammodo communicat. Si enim ille minus rectè valet, totum corpus plęrunq; alimentum non ſentit, ſed contabeſcit, ſanguine fibris deſtituto. ob quod complures macie conficiuntur, quamuis copioſo, eoq; temperato ſanguine prędititi: alij obeſum corporis habitum conſequuntur, ſanguinis licet calidioris participes. Itaq; ſingularis facultas ſanguini & venis inſita efficit, vt ille nunquam concreſcat, niſi fortè ex rara quadam abditaq; morbi cauſa. ob quam olim quidam poſt diutur-

Quid propriè ſanguis dicatur, & quomodo ab alijs humoribus differat.

Cur ſanguis potius, quàm alij humores concreſcat.

Fibræ ſanguinis quomodo ab eo ſeparentur.

Sanguinis fibras albidas ex aqua factas, pituitam quidam eſſe putant.

Vnde fibræ contrahantur.

num languorem è viuis excesſit, cui totus in venis ſanguis coie-rat. MATHETES, Hoc igitur in memoria retinebo, ſanguinem neque ob frigus, neq; ob teporem, ſed ob familiarem inſitamq; vim concreſcere. GERON, Rectè facies. nam ſi propter illa fieret, certè ſanguis in mortuorum venis ſemper concretus, in viuorum autem inteſtina, aut ventriculum, aut veſicam illapſus, liquidus cerneretur. MATHETES, Cùm igitur ſanguis ita ab alijs omnibus humoribus, vt dixiſti, ſit diſtinctus, poteſtne ſolus aliqua in parte citra fibras conſiſtere? GERON, Non credo. ſed illius vbiq; permiſtio inuenitur, ſicut etiam variæ corporis partes exiſtunt, quæ ſuum ſingulæ alimentum appetunt. nam quæ humidæ & calidæ, vt caro: item quæ temperatæ, vt cutis, puriore ſanguine nutriri, aliæ minus ſyncero poſtulant. MATHETES, Quomodo liquidæ iſtæ materiæ, quas in ventre, inteſtinis, iecore, liene, venis, capite, pectore, veſica, & alijs locis contineri ſuperius dixiſti, verè appellari debent? GERON, Communi quidem humoris nomine, quod Græcis ὑγρότης, ſiue ὑγρὸν ſonat. ſiue id chylus ac cremor ſit, ſiue mucus, ſiue ſputum, ſiue vrina, ſiue ſudor, ſiue ſordes, ſiue ſanguis, ſiue pituita, ſiue bilis tum flaua, tum atra: propriè autem, ſucci, vel excrementa. illi nanq; ad corpus ſuſtentandum alendumq; idonei exiſtunt: hęc natura prorſus ſuperuacanea. MATHETES, Quomodo rectè vocantur, quæ corpus alunt? GERON, Nobis cremor, & ſuccus, Gręcis χυλὸς, & χυμὸς. Ille quidem in ventriculo, hic in iecore præparatus. Porrò inter ſuccos, alij primarij ſunt, qui præcedunt: alij ſecundarij, qui ſubſequuntur: quorum ratio in ſuperioribus breuiter eſt explicata. MATHETES, Quot ſunt primi ſucci? GERON, Quatuor, vt ſanguis, pituita, & vtraq; bilis. MATHETES, Ad quid iſti ſunt deſtinati? GERON, Vt corpus alant: quanquam id interdum non præſtent, neq; præſcriptum finem aſſequantur. Itaq; ex his ſuccis alius eſt naturalis, & corpori omnino vtilis: alius naturæ contrarius, qui non ſatis probè nutrire poteſt. MATHETES, Qualia ſunt iſtorum excrementa? GERON, Hoc naturale, quod in corpore optimè ſano legibus naturæ prouenit: illud contra naturam oritur. adhæc naturale aliud vtile, quod vſum quendam confert, vt bilis in veſicula iecori appenſa, & melancholia in liene: aliud naturæ aduerſum, vt quod citra huius legem ac præſcriptum à cauſis eidem contrarijs gigni ſoleat. Hac ratione pituita, & bilis tum flaua tum atra, triplex inuenitur. prima nutritioni dicata: altera ſuperuacanea: tertia innaturalis, vel naturæ inimica. MATHET. Quid eſt bilis alimentaria? GERON, Tenuiſſima ſanguinis portio, quæ per venas diſtribuitur, tum vt particulas naturæ ſuæ affines nutriat, tum vt reliquum ſanguinem

Sanguis ob familiarem vim concreſcit.

Sanguinis permiſtio vbiq;.

Omnium liquidarum materiarum nomenclaturæ veræ.

Communis humoris appellatio.

Propria.

Succi primarij.

Succi ſecundarij.

Primarij ſucci.

Succus naturalis.

Succus non naturalis.

Excrementa ſuccorum.

Naturale.

Non naturale.

Bilis alimentaria.

nem craſsiorem promoueat, quò faciliùs venas penetret: tum vt ſi quid minus vtile reliquum fuerit, id ſimul cum ſudoribus forâs erumpat. MATHETES, Quid eſt ſuperuacanea? GERON, Tanquàm ſanguinis excrementum, quod in veſiculam iecoris relegatur: deinde proprio meatu inteſtinis incidens, tum ea ad deiectionem fecum ſtimulat: (vnde hæ rufo colore tinctæ apparent) tum lentam adhærentemq́ illis pituitam detergit expellitq́: quæ aliâs immoderatius aucta, grauiſsima incommoda induceret: flauo ferè colore, eſſentia caloreq́ mediocri quodammodo prædita. ex quâ tenui quodam humore permiſto, altera pallidiuſcula, & ſubtilior progignitur. quamuis autem ſuperuacanea ſit, tamen naturæ ſeruit, & eius legibus in nobis continetur. Quæ verò ex intemperie, tùm partium in quibus continetur, tum ex morbis grauiſsimis, tum ex vitioſis alimentis gignitur, eas poſtea ſingulatim enumerabo. MATHET. Quid peculiariter melancholiam vocas?

Bilis ſuperuacanea.
Lutea deiectionem alui ſtimulat.
Pallida bilis.
Melancholia peculiariter dicta.

GERON, Id quod veteres Græci μέλανα χυμὸν, hoc eſt, atrum humorem, aliâs melancholicum ſuccum, aut ſanguinem. hic autem duplex exiſtit: primus, qui cum ſanguine in venas tranſiens, alendo corpori eſt idoneus: alter ſuperuacaneus, quem lien illum expurgans è iecore proiicit, & in ſe recondit. Iſte ergò ſanguinis, non corporis eſt excrementum: vt qui tum lieni, tum ventriculo plurimùm conducat: eoq́ naturalis eſt, nondum autem atra bilis, ſed ater humor nuncupari debet. Nam quantum ex huius vel aduſtione, vel caloris à natura alieni vi putreſcens, acidam aut acerbam qualitatem, aut acrimoniam contraxit, id tanquam in cinerem conuerſum, atra bilis rectè appellatur: quæ omnino naturæ eſt aduerſaria, & triplici diſtincta ſpecie. Prima enim ex melancholico ſucco, aut putrido, aut ardentem calorem experto, in cinerem redactus oritur, hæc calida eſt, acris, & rodens, ſic à ſuperuacanea naturali differens, vt fex vſta à non vſta. altera ex bile, quæ lutum ex oui colore repræſentat: tertia ex pituita ſalſa, & vehementiùs torrefacta. MATHETES, Quis ſuccus propriè pituita dici meretur?

Ater humor, ſiue ſanguis melancholicus.
Duplex ſanguis melancholicus.
Primus alimentarius.
Alter ſuperuacuus.
Atra bilis quæ ſit.
Triplex.
Prima.
Altera.
Tertia.

GERON, Crudior totius ſanguinis portio, aut ſanguis ex dimidio coctus. Diffluit hæc in venas, tum vt partes frigidas & humidas, ſicut cerebrum nutriat quodammodo, tum vt ſi quando inopia ſanguinis fuerit in eum conuerſa, reliquis etiam partibus alimentum præbeat. Atq́ hęc quidem alimentaria dulcis exiſtit. MATHETES, Súntne pituitæ ſpecies naturę aduerſantes? GERON, Sunt vtiq́ duæ. vna eſt acida ſummè quidem cruda, quæ præter primam ventriculi concoctionem nullam, aut certè minimam in iecore & venis experta eſt: modicus ei calor ineſt, qui facillimè

Pituita propriè quid.
Pituita dulcis.
Pituita naturæ contraria prima.

dissipatur, & euanescit, eoq́; necessariò illa acescit. eadem nanque ratio in ipsa, quæ in plęrisq; fructuum succis accidit. Si enim non multo calore natiuo præditi fuerint, vbi sponte sua efferuescunt, breui statim tempore coacescunt. qui autem valentiore donati sunt, ij instar vini generosi diutius integri permanent. MATHET. Quæ est altera pituitæ non naturalis species? GERON, Salsa ex dulci nata. quippe cùm nonnullæ ipsius portiones putredinis vi assæ alijs permixtę fuerint, salsum saporem contrahunt. MATHET. Vbi tres hæ species pituitæ consistunt? GERON, In venis: prima sanè naturalis, reliquæ à natura alienæ: materia omnium ex ichore orta est: qualitas ex causis naturę aduersarijs. MATHETES, Vbi superuacanea pituita continetur? GERON, Extra venas, eaq́; quadruplex: prima tenuis & aquosa, qualis sæpe ex naribus aquæ instar stillat, aut ex cerebro in plurimas corporis partes illabitur. altera muco similis est, quam corporis calor ob exiguum eius lentorem ex tenui illa ad eiusmodi spissitudinem coëgit, vt partibus adhærere queat: ac vitrea tunc nominatur. vbi verò sic concreuit, vt lapidis, aut gypsi duritiam repræsentet, tum gypsea dici solet: qualis sæpè in pulmonibus & digitorum articulis deprehenditur. MATHETES, Sinas me, optime Geron, quædam adhuc ex te interrogare, antequam de humoribus differere cesses. GERON, Quid ni? libenter sinam, etiamsi de hoc & alijs iam dicta repetere debeam. MATHETES, Habeo gratiam honorate præceptor, video te nihil, quod studia mea promouere queat, celare. vtinam ego vicissim meum erga te animum gratum aliquando reipsa declarare possem. Dic iterum obsecro, qualis sanguinis est natura?

Altera. — *Pituitæ sedes.* — *Pituita superuacanea quo in loco existat.* — *Vitrea.* — *Gypsea.*

GERON, Mediocris & temperata: imò etiam Galeno temperatissima, quòd nullum ex ijs, quæ inter se contraria sunt, in ipso magnopere dominetur: neque calidum frigido, neq; frigidum calido, neq; humidum sicco, neq; siccum humido. Quoniam igitur sanguis ipse, quatuor qualitates modò recitatas requirit, clarum est, ipsum etiam aliorum mistura opus habiturum: vnde fit, vt temperatissimus quoq; sanguis, nonnihil & pituitæ, & bilis vtriusq; participet. MATHETES, Cur sanguis temperatus potius quàm calidus & humidus, vt semper ab alijs audiui, dicatur, non satis intelligo. GERON, Primùm id sensu licet experiri, eò quòd dulcis existat (dulcedo enim in quouis corpore à moderato fit calore): præterea quòd ipse sit humor optimus, maximæq; naturæ nostræ proprius, & familiaris: qualis dici non posset, nisi esset temperatus. Deinde ratio ipsa, non esse humidum & calidum demonstrat, si consideremus, illum à natura omnibus corporis partibus, aut certè sanguineis nutriendis esse dicatum. Cùm enim hę omni-

Sanguinis natura. — *Sanguis temperatissimus etiam aliorum humorum particeps.* — *Sanguis temperatus cur dicatur*

omnium maximè sint temperatæ, certè sanguis etiam inter reliquos humores membra nutrientes, necessariò erit temperatissimus. Calidum autem & humidum temperamentum omniū pessimum existit, vt quod putredini maximè sit obnoxium. Hinc etiam Hippocrates in opere de morbis publicè grassantibus dixit: Cùm annus calidus & humidus fuerit, magna illum comitari pestilentia solet. MATHETES, Cur ergo optimi quique auctores sanguinem nunc temperatum, nunc calidum & humidum esse prodiderunt? GERON, Quia duplici modo ipsum dijudicant, per se, hoc est, sua ipsius natura, & collatum ad alios. ac primò temperatum esse produnt, quia nullus insignis primarum qualitatum, vel plurium, vel vnius excessus in eo deprehenditur: secundò, quòd hęc duo calidum & humidum, simul in ipso solo non in alijs humoribus nec partibus, nisi sanguineis appareant. MATHETES, Quem Galenus interim calidissimum sanguinem, & cur ita appellat? GERON, Eum, qui à corde veluti foco quodam ignis, calorem suum recipit. nam venis adeoq; ipsi iecori tepidus quidam inest calor: ideo qui sanguineis animalibus sine cordis beneficio insidet, illi persimilis est, qui æstatis tempore in domibus percipitur. sed vt hæ igne in eis accenso calidiores euadunt, ita quoque corpus animalium ex corde maiorem calorem, quàm qui venis, iecori, & nimirum etiam sanguini insitus est, acquirit. MATHET. Nunquid hoc pacto Galenus, dum sanguinem nunc temperatum, nunc calidum & humidum, nunc calidissimum statuit, ipse secum dissentire videtur? GERON, Videtur vtiq;, verùm si rectè verba eius passim intelligas, per omnia sibi constare deprehendes. Nam iecur & venæ, prima sanguinis generandi sunt instrumenta: ac is in iecore ortus, maiorem quendam calorem à corde consequitur: idq; vt vel magis conficiatur, vel vt conseruetur, vel vt in vltimas corporis partes delatus, calorem suum retineat, quem forsan citra cordis auxilium retinere non posset: vel vt hęc omnia modò recitata simul eueniant. MATHETES, Ergò trifariàm sanguis æstimari debet? GERON, Ita est. nam quatenus in iecore perfectè absoluitur, & per se æstimatur, temperatus est: quatenus autem in corde calidior euadit, & cum eo qui in iecore & venis meseraicis inest, confertur, non temperatus, sed calidissimus dicitur. quippe sanguis in illis contentus paulò frigidior, pituitosior, & temperatura inferior existit, modò animal rectè habeat: in corde autem perfectus, calidissimus efficitur: hoc est, cùm in iecore & venis meseraicis frigidior paulò & pituitosior existat, à corde vtpote caloris officina, temperatam naturam consequitur. Quemadmodum rursus qui in iecore generatur, si ex natura

Temperamentum calidum & humidum.

Dissentio authorum de sanguinis temperamento.

Sanguis calidissimus quis.

Ex corde magis incalascimus.

Galeni de sanguine temperato aut calido conciliatio.

Sanguinis instrumenta, iecur, & venæ.

Cur sanguis in iecore ortus, eo qui in corde est, indigeat.

Sanguis trifariàm æstimari debet.

sua æstimetur, temperatus censetur. ita in corde absolutus, si cum eo conferatur qui in meseraicis & iecore inest, calidissimus videbitur, licet natura sua temperatus existat: sin autem cum reliquis humoribus comparetur, calidus & humidus censebitur. Hippocrati natura calidus non esse, etsi multis talis videatur, sed calescere dicitur. MATHETES, Vtrum ergo viscus, iecur, an cor sanguinis ortus principium erit? GERON, Vtrunque: sed alia atque alia ratione. nam iecur, quatenus sanguis in eo gignitur, origo eius nominatur: cor autem, quatenus est officina caloris, quem iecur, dum chylum in sanguinem conuertit, ab illo mutuatur. nisi enim calor à corde in vniuersas partes diffunderetur, nullas actiones ipsę propter frigus obire possent. MATHETES, Qua in corporis parte potissimùm sanguis residet, & moratur? GERON, In venis. nam si ex his in aliam partem effluxerit, statim concrescit. Præterea vsus is venarum est, non solùm vt sanguinem generent, & in omnes corporis partes distribuant, sed etiam vt ipsum contineant, conseruentque. MATHETES, Cur Galenus sanguinem nunc purum, à sero, pituita & bile vtraque secretum, nunc hisce humoribus permixtum scribit? GERON, Arbitror illum intelligere, cùm humores omnes valentiore aliquo medicamento educti fuerint, tunc postremo sanguinem ab alijs segregatum excerni: aliâs permixtus semper in corpore permanere solet, & cogitatione magis, quàm reuera syncerus inuenitur. Quia verò etiam oculis nihil illum habere admixtum deprehendimus, purum eum esse iudicamus: quamuis semper aliquid alterius humoris cum eo sit confusum: adhæc, quòd admixti parua adeò portio existat, vt sensum fugiat, purus censetur. Quod autem cæteris humoribus mixtus sit, tum vena incisa, tum arteria, tum ex quacunque eius eductione cernitur: qualis etiam in grauidis existit, vnde fœtus alimentum recipit. Itaque sanguinem nunc biliosum, nunc pituitosum, nunc melancholicum sæpe euacuatum esse dicimus. nam in tali pituita dulcis & semicocta inest, quæ temporis spatio concoctionem experta, in sanguinem transit, sicut bilis vtriusque, sed naturalis & benignæ portio in sanguine reperitur. Imò nullus humor purus ac verus in venis qualis in receptaculis suis, pręsertim per sanitatem vel ratione, vel sensu deprehendi potest. MATHET. Sanguinis ne & reliquorum humorum permixtorum eadem est portio? GERON, Nequaquam, sed illius amplissima: pituitæ autem & humoris melancholici longè minor, bilis minima. Ex hoc igitur corporis partes alimentum familiare, aliæ sanguineum magis, aliæ pituitosius, aliæ biliosius, aliæ melancholicum, & terrestre magis attrahunt. MATHETES, Quomodo melancholicus humor in

Sanguis Hippocrati calescere dicitur.

Iecur & cor sanguinis principia qua ratione.

Sanguinis sedes præcipua.

Venarum vsus.

Galeni explicatio.

Cur sanguis purus appareat.

Quòd sanguis mixtus sit, demonstratio.

Pituita dulcis in sanguinem mutatur.

Humorum corporis humani non eadem est portio.

Suum singulæ partes alimentum trahunt.

nobis copiosior, quàm bilis esse cognoscitur? GERON, Ex sanguinis missione. nam si is reseruetur, plus crassamenti nigrioris in fundo, quàm biliosi per summa, innatat. MATHETES, Quis sanguis optimus iudicatur? GERON, Multùm ruber, præsertim in venis. nam ex arterijs flauior, calidiorq; fluit, minus quàm in venis temperatus: item dulcis, interq; crassum & tenuem medius. MATHETES, Qualis vitiosus apparet? GERON, Nunc flauior biliosiorq;, nunc ater magis & melancholicus: aliâs aquoso tenuiq; humore mistus, qui vbi ille ex vena missus concretusq; fuerit, in superiore vasculi regione supernatat: aliâs pituitoso humore infectus vel crassior, nigriorq; pici liquidæ similis, cernitur. Iam humor quidam crasso nigroq; similis vomitu sæpe reijcitur, acidus & acerbus, interdum autem insipidus, qualis etiam non rarò per aluum descendit, nunquam concrescens, quamuis diu in aëre versetur. præterea salsus interdum, vt pituita salsa percipitur: interdum amarus, vel alio sapore, quàm dulci præditus. MATHETES, Quæ nunc inter has sanguinis species naturæ familiaris siue naturalis, quæ rursus illi contraria, siue non naturalis dici debet? GERON, Prima, essentia mediocri; & colore rubro prædita, aut magis flaua, tenuisq; essentia, aut crassior atq; nigrior, aut liquidior & albior: altera à pristina natura degenerat, vitiosaq; est, & limites illius excedit, idq; bifariàm. aliâs enim ob exiguam intemperiem paululùm mutatur, non tamen in aliud genus humoris conuertitur: aliâs multùm, vel proprio vitio corrumpitur, vel alieno humore inficitur. atq; hæc non simplex, sed cum alijs varijs permista est. MATHETES, Quem locum sanguis inter alios humores sibi vendicat? GERON, Medium inter crudos, qui à natura nondum concocti sunt, & biliosos: illi quidem ex sanguine imperfecto: hi verò ex concocto nimiùm proueniunt, prout natura vtrunq; magis, aut minus elaborarit. Nam antequam alimentum in accuratum sanguinem transierit, humores primùm crudi, & concoctionis prorsus expertes, mox semicocti: deinde sanguinis formam adepti: postremò veluti vltimam sanguificationis (vt ita dicam) partem consecuti videntur. At eorũ qui excessu caloris proueniunt, alij paululùm, alij plus, alij plurimùm à sanguine ad flauam bilem recesserunt. MATHE. Quot modis humores concoqui dicuntur? GERON, Tribus: mediocriter, parùm, & nimiùm. Primus à natura pręscriptus est, quem etiam naturalis bilis attingit: secundus, qui infra iustum terminum concoctionis subsistit, crudus dicitur: tertius, qui illum excedit, bilem adustam reddit. Ita sanguis, cùm moderatam concoctionem expertus est, concoctus vocatur: cùm imperfectam, crudus: cùm nimiam, adustus. si-

Sanguinis optimi notæ.

Vitiosi ex vena emissi signa.

Humor crassus, niger, acidus, acerbus vomitu reijcitur, & per aluum: item salsus & amarus.

Sanguis medium locum inter humores obtinet.

Alimentum quomodo in sanguinem conuertitur.

Humores qui concoctionis metas egressi sunt.

Humores coquuntur trifariam.

Humores calidiores & ſicciores etiam non concocti dicuntur.

militer de aliјs humoribus dicendũ eſt. MATHE. Cùm igitur iuſtò calidiores & ſicciores fiunt, etiámne fruſtrari concoctione dicuntur? GERON, Maximè: quia concoctio fit à moderato calore, vt vnicuiq; humori conuenit: cùm autem ille æquo minor, vel maior exiſtit, iam non amplius concoquere dicitur.

Concoctio à moderato calore fit.

MATHET. Mutatúrne aliquando in alium humorem verus ſanguis, caloris vel efficacia, vel imbecillitate? GERON, Quid ni? nam omne corpus mixtum, calidum & humidum, qualis ſanguis actione caloris degenerare poteſt.

Sanguis in alium humorem mutari poteſt.

Nam ſubtilior eius pars & pinguior, cùm vltra naturę modum torretur, in flauam bilem, & craſsior in atram, conuertitur: nempè cùm maximus in corpore calor excitatus, ſanguinem ipſum legitimum comburit, & conſumendo tenuiores partes, craſsiores ipſas & ardentes relinquit.

Sanguis in bilem flauam,

In atram,

In ſumma, ex ſanguine plus quàm par eſt calefacto, flaua bilis: ex eodem verò aſſato, aduſtoq;, atq; etiam ex craſſo, atra generatur.

In pituitam quomodo tranſit.

MATHETES, In quem alium præterea humorem ſanguis commutari ſolet? GERON, In pituitam. MATHETES, Quomodo id fieri poſsit audire cupio. GERON, In mammis glandulæ quædam extant, eius quod ad ipſas influit, commutandi facultate præditæ.

Lac non eſt temperatum.

Cùm itaq; exangues ſint & albę, proprium generant humorem lacti ſimilem, quando plus alimenti quod ſanguis eſt, ad ipſas defertur. Quantò enim ipſæ iecoris carne ſunt frigidiores, tantò lac ſanguine. ideo id etiam non eſt temperatum, in temperato licet animante:

Sanguis quomodo recrudeſcit.

quia ſanguis in mammarum glandibus veluti recrudeſcit, & lac inter ſanguinem & pituitam fit medium, ſanguini tamen, quàm pituitæ propinquiùs. Cùm itaq; lac ex ſanguine fiat, & illud ad pituitam inclinet, certè hæc ex ſanguine fieri poterit. quanquam naturæ lege pituita adeò accurata ex illo fieri nequeat, tamen ſi glandulæ iſtæ mammarum, magno frigore contra naturam afficiantur, ſanguis ad exquiſitam perduci pituitam videtur.

Sanguinis boni, auctor.

MATHETES, Quis boni probiq; ſanguinis auctor eſt, & opifex? GERON, Inſitus, ac genuinus ventriculi, inteſtinorum, venarum meſeraicarum, & iecoris calor moderatus, primò cremorem temperatum, deinde ex hoc ſanguinem efficit: ſicut idem imbecillior pituitam & humorem melancholicum, immoderatus autem bilem: id quod animalium temperamenta, vel totius corporis, vel certè iecoris, & cordis oſtendunt. Ea ſiquidem mediocria, vel calida temperata & humida, concoctioni obeundæ aptiſsima, ſanguini generando conueniunt: quemadmodum etiam ſi eadem iam dicta viſcera, & alię partes in quibus ſanguis fieri incipit & perficitur, recrementis vacent: alioqui pro horum natura, vel bilem, vel pituitam, vel humorem malancholicum, ſanguinis loco generant. MATHET. Quę

alia

alia præter calorem natiuum, ſanguinis probi generationem promouent? GERON, Inter ætates, adoleſcentia potiſsimùm, & ex anni temporibus, ver, quod illi temperamento prorſus reſpondet. MATHETES, Cùm iam ſanguinis differentias copioſiùs explicaris, repetas etiam quot pituitæ ſpecies exiſtant: ſuprà, ſi benè memini, quatuor ſtatuiſti.

Sanguini generando apta. *Adoleſcentia.*

GERON, Si tum naturales, tum naturæ aduerſarias, ſiue vtiles & ſuperuacaneas omnes conferam, ſeptem propemodùm inueniri poterunt. MATHETES, Quæ eſt naturalis? GERON, Saporis, odoriſq; expers, quæ Galeno græcè ἄποιον, quaſi careat qualitate, nobis inſipida vocatur, non quòd omni prorſus ſapore careat, ſed parum adeò ſapida ſit, vix vt percipiatur, ſicut aquoſa ferè omnia: quanquam dulcis etiam nominari ſoleat. MATHETES, Quæ naturæ aduerſantur? GERON, Acida & ſalſa. MATHETES, Cur hę non ſunt naturales? GERON, Quia putredinem ſunt expertæ: prior omnino cruda eſt, non ea concoctione, quæ fit in ventriculo, ſed illa, quæ in venis conficitur, fruſtrata: ſine qua ne humor quidem eſſe poſsit. quæ enim pituita in ventriculo creatur, inter humores recenſeri non debet: quæ verò in inteſtinis & venis continetur, dulcis genita, in ſanguinem tandem mutatur. MATHETES, Quæ reliquæ ſunt ſpecies? GERON, Quæ ab eſſentia & cruditate potiſsimùm ſumuntur, numero ſunt quatuor: vna eſt tenuis & aquoſa, quæ ſæpiùs è naribus deſtillat, aut è cerebro in plurimas corporis partes influit. altera eſt craſſa, muco ſimilis, quam corporis ex tenui illa ob exiguum lentorem inhæreſcentem ad ſpiſsitudinem coëgit. hanc ſequitur tertia, quæ guſtu quidem acidę reſpondet, verùm frigidior & craſsior: vitri liquati ſimilitudine gręcis ὑαλώδης quaſi vitrea nominatur: humor ſanè crudus eſt pituita craſsior, ſed minus flatulentur: qualis in vrinis eorum maximè ſubſidet, qui copioſum ob voracitatem ſedimentum fabis elixis ſimile reddunt. atq; talis etiam ſæpe illis cumulatè per aluum deijcitur, qui ab exercitijs abſtinuerunt, cibis autem liberaliſsimè, & balneis ſecundum illos vſi ſunt. ſi is diutius in nobis hæreſcat, lentus fœtiduſq; redditur, quando pus adeò repræſentat, vt in deiectionibus, vriniſq;, & auribus purulentis vix ab illo ſeparari queat: at tunc etiam meritò pus appellari poteſt: aliâs neque grauiter olet, neq; vitioſus eſt perpetuò. Quarta eſt pituitæ ſpecies, quę lenta ac viſcoſa calore adeò concreuit, induruitq;, vt quaſi in tophum ac calculum degeneret, ſicut in pulmonibus & digitorum articulis cernitur: nec non in renibus, quando in anguſtis illorum meatibus diu inhæſit: vnde nonnullis gypſea vocatur. MATHETES, Quid propriè aquea pituita eſt? GERON, Seroſum

Pitnita naturalis inſipida. *Pituidæ duæ non naturales.* *Acida in venis cruda eſt.* *Dulcis pituita in inteſtinis & venis.* *Pituita tenuis et aquoſa.* *Craſſa, mucoſa.* *Vitrea.* *Pituita aquea quid.*

Serosum excrementum. excrementum dici potest: quod per vrinas sudoresq; euacuari solet, & emisso per venæ incisionem sanguini supernatat. quamuis autem vera pituita non sit, tamen cùm id quod in venis continetur, aut humor aliquis sit, aut recrementum ipsius, certè ad nihil aliud quàm ad pituitam referenda videtur: sicut etiam humidum illud, quod in capite colligi solet, ac inde ad nares destillari: quæ etiam superuacanea potius, quàm vera pituita existit. MATHET. *Seri species.* Estné simplex serum, an plures eius sunt species? GERON, Totidem quot humores. nam aliud est sanguinis, idq; mitissimum: aliud atræ bilis, quod molestissimum: aliud flauæ, quod minus molestum: aliud pituitæ, quod mitius existit. MATHET. Quomodo *Naturalis pituitæ notæ & vires.* istæ iam relatæ inter se distinguuntur? GERON, Naturalis, insipida, humida, frigida, alba, pura, & argentea colore existit. *Vitrea.* Vitrea, quæ barbaris albuginea vocatur, longè frigidior est, maximè humida, cruda, lenta, crassa, sed minus quàm humor crudus propriè *Acidæ vires & notæ.* dictus. Acida & dulcis, frigidæ sunt, ac plurimùm humidæ, crudæq;, non autem crassæ propter copiosum humorem, & spiritum *Dulcis pituitæ vires.* flatulentum: dulcis tamen minus frigida, minusq; cruda quàm *Crudi humoris vires.* acida existit. Crudus humor, frigidus quidem & humidus, sed minus quàm pituita, acida, & dulcis, lentoris etiam expers est, crassusq;, sed magis quàm pituita vitrea. MATHETES, *Sedes pituitæ dulcis.* Vbi pituita dulcis siue alimentaria, quæ saporis expers est, generatur? GERON, In venis tum in mesenterio, tum in caua iecoris regione sitis, nec non in ipso ventriculo, qua ille quasi fouetur: deinde etiam in alijs venis, idq; à calore, qui non longè à temperato est, minimùm frigida. *Aquosæ sedes.* Aquosa quoq; ex naturali, aut alia in humidam materiam resoluta in venis gignitur, sicut reliqui succi. *Superuacanea.* Superuacanea extra illas oritur, vt in ventriculo, & cerebro natura frigido. *Pituita syncera.* MATHETES, Inueniturne pituita syncera vspiam in corpore? GERON, Indubiè: verùm non in vniuerso, sed in ventriculo potissimùm. nam quę in iecore & venis est, sanguinem coniunctum habet. MATHETES, Cur in ventriculo magis deprehenditur? GERON, Quia is nec calorem admodum acrem & vehementem habet, qui bilem procreare possit, nec sanguinis officina est: ideoq; ventriculi pituita à sanguine remota est: nisi vas aliquod venosum vel ruptum, vel erosum fuerit. MATHETES, Estné etiam pituita ventriculi ab humore nigro libera? GERON, Maximè, dum hic in venoso genere contineatur, nisi natura fortè impetum in eum faciat, & ad ventriculum vt vomitione expurgetur, vel ad intestina vt deijciatur, emittat. MATHETES, In nulla alia parte quàm ventriculo pura inueniri potest? GERON, Circa neruos, & alias omnes pituitosas partes, quæ simili nutriri alimento desiderant:

rant:

rant: nisi fortè mucum potius quàm pituitam eam nominare velis. ita quoq; excrementum cerebri, si pituita dicendum est, purum & syncerum in nonnullis videre licet. MATHETES, Quis pituitæ auctor est & causa? *Pituitæ auctor.* GERON, Nuper tibi semel atq; iterum dixi, calorem natiuum iusto frigidiorem factum, tum in ventriculo & intestinis, tum in venis meseraicis & alijs. Nam inde ille chylum, minus æquo coctum, aut semicoctum, iecori, & cordi, præsertim ex alimentis natura, vel præparatione, vel alia ratione frigidis & humidis suppeditat. MATHETES, Hoc non assequor: si in ventriculo cruditas fuerit, etiámne in iecore erit? GERON, Maximè. quia primæ concoctionis errorem secunda, huius autem tertia non corriget. *Vitreæ.* Vitrea admodum frigida in ventriculo ex cibis, aut multis, aut pituitosis, aut vtrisq;, & calore natiuo inualido generatur. *Acidæ.* acida eodem modo, nisi quòd minus & frigida & humida. acorem habet à calore, qui multùm abest à temperato. *Salsæ.* salsa ex putredine, vel ex salsi serosiq; humoris, vnde vrina & sudor prouenit, mistura. Arabum medicorum princeps ex bile & pituita mistis gigni illam falsò docet. *Humoris crudi.* Humor crudus ex pituitosis cibis, eisq; vel alijs nimiùm copiosis in ventriculo gignitur, calore admodum debilitato. MATHETES, Pituitáne etiam vt sanguis, in alterius humoris naturam transire solet? *Pituita an in alium humorem degeneret.* GERON, In sanguinem. nam frigidum humidumq; calidum fieri potest, eodem humido remanente, vt in aqua ebulliente vsu venit. MATHETES, Quónam modo hoc accidit? *Pituita in sanguinem quomodo transeat.* GERON, Calor innatus non solùm calidam efficit pituitam, sed etiam sanguinis formam ei introducit, quod Galenus pulchrè indicat: Sanguis inquiens, à moderato fit calore: bilis ab immodico: sicut pituita ab imbecilli. alibi rursus pituita processu temporis coquitur, sanguisq; efficitur. MATHETES, Potéstne illa etiam in bilem flauam mutari? *Pituita in bilem.* GERON, Potest, idq; nullius interuentu: hoc est, ita vt non necesse sit ipsam prius in sanguinem conuerti. nemo siquidem dubitat, quin pituita in sanguinem antea versa, flaua tandem bilis fieri queat. MATHETES, Obsecro qua ratione? GERON, Talis in corpore calor excitari potest, nempe acris & rodens, prorsusq; à natura alienus, qui ad sanguinem procreandum non sit idoneus, quiq; pituitam tum frigida tum humida qualitate exuere, calorem aut siccitatem & colorem flauam in illam natura frigidam & humidam, inducere poterit. quod enim album est, actione caloris flauum euadit. Quapropter si quid siccum & calidum, flauumq; ex pituita gigni potest, sicq; talis est bilis flaua, certè hæc ex illa generabitur. MATHETES, Solétne etiam pituita in atrum humorem degenerare? *Pituita in atrum humorem.* GERON, Quid ni? imò etiam in bilem atram aliquando

transit. Nam cùm pituita frigida & humida sit, tanta in corpore siccitas contra naturam excitari potest, quæ omne eius humidum absumat, reddatque siccum, vt illa non quidem pituita permaneat, sed in alium humorem nempe frigidum & siccum, qui naturalis est, conuertatur. At si calor pituitæ frigus aboleat, & siccitas eiusdem humorem absumat, ita tamen vt color niger sit, bilis atra contra naturam, quæ calida & sicca est, sicut flaua bilis generabitur. In vniuersum pituita simplex calore extraneo in flauam bilem verti solet. salsa autem cùm partim bilis sit, in atram transit, liquidiore eius portione consumpta, & frigidiore magis exusta. ex tali verò adustione, & putredine subnigrescit, & quartanum febrium circuitum excitat. nam humor ille pituitosus atræ bilis, licet non absolutæ naturam induit: pituitæ autem accidentibus subijcitur. Pituita igitur à calore puro, hoc est, febris experte tota quidem colliquatur, sed non in atram bilem transit, nec etiam concrescit, cogiturque, vt in sputis rotundis: in cerebro autem à frigore congelatur; quod extima quidem parte, etiam aëre æstatis feruentissimo calidius: interiore verò adeò frigidum est, vt congelare possit: quod in pituitosis excrementis, quæ ex palato & naribus descendunt, videre licet.

Cerebrum extra calidissimum, intus frigidissimum.

MATHET. Fitne pituitosus iste humor, sic congelatus, atra bilis? GERON. Non, sed ob siccitatem ei simillimus euadit, qualis etiam est pituita, quam superiùs ex Auicenna gypseam nominauimus. MATHETES. Quæ igitur pituita in atrum sanguinem transit? GERON. Quæ in sanguine continetur: quoniam ipsa in vtrunque humorem degenerare potest, nec alio adiumento indiget, nisi vt paululùm denigretur. Quippe eiusmodi humores rubidi, sicut etiam dulces vniuersi, si naturaliter habuerint, ilicò in atrum transeunt: ob quod etiam quotidiana febris in quartanam degenerare solet, maximè in plerisque puerulis & iuuenibus, rariùs autem in adolescentibus & pueris.

Pituita in atrum sanguinem transiens.

Febris quotidiana quomodo in quartanam degeneret.

MATHETES. Hæc ergo sententia tua est, pituitam puram non ex frigore nec calore simplici, sed quacunque in parte adustam, in veram atræ bilis naturam statim commutari? GERON. Ita sentio, quod etiam in sputo nigro experimur. nam id in pectore febris magno incendio, prius glutinosum redditur: mox rotundum & crassum: deinde subnigrum: postea nigrum: & tunc demum ad atræ bilis naturam accedit. quod cùm ab ægro nequit expelli, spiritus iter intercludit, mortemque proximam indicat. MATHE. Post pituitam bilem quoque clariùs exponas, quid sit, & quot constet differentijs.

Sputum nigrum in febris ardore ad atræ bilis naturam accedit.

Bilis differentiæ.

GERON. Tenuior est sanguinis portio, & vt iam dudum audiuisti, veluti ipsius flos, siue spuma: Græci χολὴν, Latini bilem, barbari choleram vocant. Cùm autem simpliciter nomen hoc pro-

profertur, flaua bilis intelligitur, quæ calida & sicca esse potest, aliâs natura tenuis, flauo colore, sapore amaro prædita. Ea quando adhuc in sanguine generando tenuis, humida, & fluida existit, familiaris naturæ: quando autem ad summum excocta, ignea, & luteis ouorum colore & crassitie similis apparet, inimica naturæ censetur: eoq; seorsim ad vesiculam iecori appensam separatur. summatim humor hic à pituita diuersus est, semper amarus, vt vomentibus percipitur, non tamen semper flauus sed interdum alio colore tinctus. MATHETES, Quæ ergo sunt calidi huius, sicciq; humoris differentiæ? GERON, Alia naturalis, alia naturæ contraria est. MATHETES, Quotuplex est naturalis? GERON, Simplex, quæ generis vocabulo Græcis ξανθή, nobis flaua dicitur, quòd flauo colore infecta sit, rebusq; flauis similis. Hæc etiam Galeno alia græca voce appellatur στοιχειώδης, hoc est, elementaris, quòd reliquæ bilis species ex hac tanquam elemento proueniant. MATHETES, Quot sunt bilis naturæ aduersantis species? GERON, Sex, quæ vel essentia, vel colore à naturali differunt: ac prima pallida nobis dicitur, Græcis ὠχρά: quia colore pallidis rebus respondet. MATHETES, Cur hæc non est naturalis? GERON, Quia tenuis ille humor, vnde vrina sudoresq; proueniunt, ipsi admistus est: non autem ex calidissima simul & dulcissima chyli portione constat. MATHETES, Quæ est secunda? GERON, Lutea, siue vitellina, quòd oui crudi luteo similis tum colore, tum essentia existat. MATHETES, Quomodo vocatur tertia? GERON, Porracea, Græcis πρασώδης, quòd porrorum colorem referat, qui viridis est, ex meraciore nigro compositus, vel vt Galenus ait, magis colore brassicæ fuscus. MATHETES, Quo nomine quarta appellatur? GERON, Æruginosa, Græcis ἰώδης, quòd æruginis colorem, vires, & essentiam repræsentet. MATHETES, Quod nomen habet quinta? GERON, Glastea nobis, Græcis ἰσατώδης à glasto satiuo dicitur, quod plantaginis foliorum colorem imitatur, nisi paulò esset nigrius. MATHETES, Quomodo sexta & vltima nuncupatur? GERON, Rubra, græcè ἐρυθρά, eò quòd sanguini tenui similis existat, non autem ipsa sanguis sit: quia extra vasa non concrescit, vt verus sanguis consueuit. MATHETES, Vnde bilis flaua generatur? GERON, Iam dudum indicaui, ex ampliore, acrioreq; ventriculi, intestinorum, venarum meseraicarum, iecoris, lienis, cordis, & totius deniq; corporis calore. MATHET. Quomodo autem id accidit? GERON, Quando calidissima dulcissimaq; chyli pars ad iecur sanguinis generandi causa fertur, & largius ibi assat[illegible], torreturq;, flaua bilis fieri incipit: in vesica autem iecori app[illegible]nsa absoluitur, & naturæ commoditatibus seruit: tenuis vt dixi, humida & flui-

Bilis naturalis quotuplex.

Bilis, contra naturam.

Bilis origo.

da,non qualis ad extremum percocta:flaua,ignea, & craſſa,vitellis ouorum ſimilis. MATHETES, Vnde reliquæ bilis flauę ſpecies gignuntur? GERON, Omnes præter rubram ex flaua, idq; vel ob ipſius putredinem, vel ob maturam aſſationem, vel ob aliarum mixturam: quare etiam elementaris dicitur. MATHETES, Quomodo hoc accidit? GERON, Pallida fit ex flauæ bilis & ſeroſæ vt dixi materiæ miſtura. Lutea cùm tenuis, fluidaq; flauæ bilis materia caloris actione impenſius digeſta, diſcuſſaq; ipſa craſſeſcit. Porracea etiam ex flaua vitellinaq; fit,ſi hæ ita putreſcant,vt porrorem colorem conſequantur, aut certè ſi calor in animantis corpore adeò malè ſit affectus, vt colorem illum in bilem, tum flauam, tum vitellinam introducere poſsit:quanquam etiam ex beta, cæpa,braſsica, & ſimilibus proueniat. Æruginoſa autem tum oritur, cùm hæc magis concoquitur, ac inde colorem æruginis acquirit. nam æruginoſa magis cocta eſt, quàm vitellina, ſed minus quàm glaſtea: ſicut hæc ipſa ex æruginoſa magis aduſta gignitur:nam atræ bili colore,eſſentia & viribus reſpondet. Habes iam ſeptem bilis differentias: quæ autem vocatur Galeno πυῤῥὰ, id eſt ruffa:non alia eſt quàm rubra. nam ruffum idem eſt quod rubeſcens aut fuluum. Cærulea, quam Galenus κυανῆν vocat, & glaſtea,non multùm inter ſe differunt.nam color cęruleus & glaucus,ex viridi & albo vterq; temperatur: in hoc autem fortè differunt, quòd glaucus color velut ignis, penitus flagret, fulgeatq;. atq; ideo bilis glaſtea colore glauco prædita, à cærulea nonnihil diſcrepare Galeno videtur: quanquam omnes hæ bilis differentiæ,cærulea, glaſtea, æruginoſa, & porracea, ſub viridi comprehendantur. MATHETES, Ego ſemper putaui cæruleum & glaucum, quem Latini vocant cæſium colorem, idem eſſe. GERON, Etſi non multùm differant, tamen apud veteres Latinos diſcrimen quoddam habere videntur. Glauci coloris nomen latiùs, quàm cæſij patet, vt quod non tantùm oculis, ſed etiam alijs rebus,vt vlnæ herbæ paluſtri, glaſto, ſalici arbori, caſtaneæ nucis tunicæ,& optimæ aquæ ſpeciei,tribuatur. MATHETES, Cur bilem croceam reliquis non annumeraſti? GERON, Quia Galenus per hanc flauam nimirum intelligit, ſed paulò magis à calore tinctam,vt etiam vitellinam aliquando croco ſimilem colore eſſe dicat:etſi illa concretus ſit humor: crocea verò dilutior. MATHET. Quomodo hæ bilis ſpecies viribus inter ſe differunt? GERON, Pallida omnium moderatiſsima,& minimùm calida, amara, acriſque eſt:glaſtea verò contra calidiſsima & acerrima eſt. MATHET. Quæ mediæ horum exiſtunt? GERON, Quæ magis pallidam accedunt, minus ſunt vehementes; quę autem glaſteæ propinquiores

Bilis ſpecierum vires.

res sunt, hæ sæuiores & maligniores dicuntur. MATHETES, Quo in loco singulæ hæ bilis species, eodémne an in diuersis gignuntur? GERON, Ipsa quidem flaua in iecore inchoata, in vesica illi appendula absoluitur, modò homo sit temperatus. nam si malè fuerit affectus, tunc in iecore etiam & venis creatur. Pallida verò tum in venis, tum in iecore: quia in his serosus humor, ex cuius ad mistione vnà cum flaua in ijsdem hærente, illam prouenire diximus. Vitellina in venis & vesica fellis iecori appensa. in hac enim oriri potest, cùm flaua diutius ibidem immorata, colorem & essentiam lutei ouorum similem nanciscatur. Porracea in ventriculo, simul & in venis, quemadmodum crocea, idq; in his, qui contra naturam sunt affecti, nascitur. in ventriculo sanè ex esculentorum aut olerum quorundam cruditate procreatur, qualis est beta, cæpa, & brassica: in venis autem ex morbo aliquo per adustionem conflatur: à quibus posteà in ventriculum & intestina deponitur. Æruginosa etiam in ventriculo: interdum in alijs corporis vasis nasci solet, vbi flaua eo vsq; aduritur, donec æruginis colorem accipiat. Similiter glastea in ventriculo tum in venis, tum in vesica iecori appensa, vt æruginosa generatur. Flaua nanq; bilis, eum posse colorem accipere videtur, vt glasto satiuo planè similis appareat. De rubra superiùs dixi, quòd in venis tanquam sanguinis serum gignatur. Notandum autem Arabes eam bilem vitellinam vocare, quam Galenus pallidam solet: rursus illos citrinam, hunc pallidam nuncupare. præterea quam quotidie excrementis, citra omne periculum excerni videmus, illos vitellinam appellare, ex pituita crassiore putrefacta nasci eam existimantes. MATHETES, In quem humorem bilis degenerare solet? GERON, In atrum melancholicumq; humorem, & atram bilem propriè dictam, de qua posteriùs agetur. MATHETES, Quæ bilis flauæ largioris causæ referuntur? GERON, Calidum & siccum totius corporis temperamentum. MATHETES, Omnia quæ de bile flaua dici possunt, assequi videor: quartum humorem simili modo repetas obsecro.

Bilis sedes.

GERON, Iste generali nomine apud veteres Græcos atra bilis nominatur, quamuis species quædam sit calida & sicca. MATHETES, Quot sunt ipsius differentiæ? GERON, Varię. sunt enim aliæ naturales, aliæ contra naturam: quædam propriæ, quædam impropriæ: quædam esse possunt, nonnullæ reuera esse dicuntur. MATHETES, Quæ prima ipsius species existit? GERON, Humor crassus & ater, aliorum omnium velut fex subsidens, quę impropriè etiam atra bilis ab Hippocrate & alijs sæpiùs appellatur. nam chylus ad iecur delatus, vt anteà docui, in quatuor humores con-

Melancholici humoris differentiæ

uertitur: pars eius ſubtilior magis cocta, in bilem: mediocris eſſentia, in ſanguinem: craſſa & minus cocta, quàm ſanguis & bilis, in pituitam: craſsior adhuc & fœculenta, in atrum humorem. hunc cùm à iocinore confici nequeat, natura frigidum & ſiccum, lien ad ſe attrahit, vt accuratiùs elaboret, reliquias eius cum alijs excrementis alui expulſurus. Hippocrates neutro genere græcè μέλαν, & multitudinis numero μέλανα, hoc eſt, nigrum, & nigra appellat.

Humor niger.

MATHETES, Quid de eo humore nigro dicis, qui cum ſanguine per totum corpus fertur, nec lentus eſt: & extra vaſa per venę inciſionem emiſſus concreſcit, in ima ſanguinis regione ſubſidens, nullius acidæ qualitatis particeps? GERON, Non multùm à ſanguine uariat, niſi quòd maiorem craſsitiem, & colorem nigriorem à calore naturali conſecutus ſit, modicè calidus & humidus, poteſtq́ dici ſanguis craſſus & melancholicus, quem non paucę animalis partes in alimoniam, ſicut & fibras eius poſtulant. MATHETES, Quę eſt ſecunda atrę bilis ſpecies naturalis? GERON, Quæ ex flaua bile in iuuentute, & magno calore aſſata, generatur, quam deinde ſubſequens ætas, quæ Græcis συστηματικὴ, nobis conſiſtens dicitur, excipit. verùm huius ætatis atra bilis, quamuis à flaua, in iuuentute plurimùm aduſta, prouenerit, non tamen eſt abſoluta & exquiſita, hoc eſt, non tam ſæua & immanis, qualis ea, quæ contra naturam eſt: alioqui declinantes ętate, nulla frui ſanitate poſſent. MATHETES, Qualis ipſa temperamento eſt? GERON, Quantò bilis flaua ſanguine calidior eſt, tantò atra frigidior, quàm flaua exiſtit. ſiccior autem, quòd magis aduſta ſit: ſummatim pituita & atro humore calidior: omnium autem ſiccisſima.

Atra bilis contra naturam vnde.

MATHETES, Vnde bilis atræ ſpecies non naturales fiunt. GERON, Prima ex ſanguinis craſsi aduſti feruore: ſecunda ex incendio & putredine atri humoris: tertia ex bilis flauæ: quarta ex pituitæ generantur. omnis autem calida & ſicca: interdum tenuior etiam quàm flaua cenſetur. In ſumma quicquid nigri ſucci in corpore continetur, quod nondum veluti ebullitionem, fermentationemq́ terrę efficit, naturale eſt: quod autem aduſtum eſt, fermentatq́, id iam naturæ aduerſarium eſt, quia ex caloris non naturalis incendio acrimoniam contraxit.

Atra bilis quæ deterrima.

MATHETES, Quæ eſt inter has deterrima? GERON, Quæ ex flaua bile efficitur, quantò enim hæc deterior humore atro, tantò bilis nigra ex flaua orta, malignior ea eſt, quæ ex humore nigro, & pituita gignitur.

Sedes atræ bilis.

MATHET. In qua corporis parte, tot bilis nigræ ſpecies generantur? GERON, Ater humor [illegible]dem quandam, & impolitam formam in iecore, meatibusq́ illin[illegible] procedentibus acquirit: in liene autem abſoluitur. quæ verò atra bilis ex flaua in iuuentute aduſta prouenit, tum in ve-

in veſica iecori appenſa, tum in venis procreatur: reliquæ autem non naturales, tum in iecore, tum in eius veſicula, tum in venis, tum in liene oriuntur. MATHETES, At ſi ex chylo quatuor humores in iecore naſcantur, vt me docuiſti, cur non etiam niger ille potius in eodem iecore quàm in liene generatur? GERON, Incipit quidem oriri in iecore, verùm in liene abſoluitur: qui ſolus hanc vim & facultatem à natura obtinuit, vt veram humoris nigri formam, & veras qualitates introducat.

Cur humor ater per totum corpus diſpergatur.

MATHETES, Cur humor ater aliquando in totum corpus diſpergitur, ſi non in iecore omnino eſt generatus? GERON, Quia à liene malè affecto, ad iecur remittitur. ſin autem meatus, quibus ad ipſum redit, adeò fuerint interdum obſtructi, vt ille per eos remitti nequeat, corpus autem nihilominus atrum colorem repreſentet, tunc nimirum ille in iecore diutius inhæſit, vt propemodum abſolutus euaſerit: vel iecur temperamento forſan lieni reſpondet. Quòd ſi homo benè temperatus ſit, & nullo vitio laboret, tum humor iſte in liene perficitur.

Atra bilis in quibus locis contineatur.

MATHETES, In quibus locis potiſsimum atra bilis continetur? GERON, Craſſus humor in meatibus, qui à iecore ad lienem tendunt, & in ipſomet liene: reliquæ autem ſpecies, illic etiam ſubſiſtunt, vbi generantur. MATHETES, In quem alium humorem ater ille degenerare poteſt? GERON, In atram bilem verè dictam. MATHETES, In quem autem hæc tranſit? GERON, In nullum alium caloris actione conuerti poteſt, cum & calidiſsimus & naturæ contrarius exiſtat.

Humor atræ bilis quomodo euacuetur, & per quas partes.

MATHETES, Cùm itaq; atræ bilis ſpecies variam habeant originem, quomodo à natura & per quas partes corporis euacuantur? GERON, Per aluum ſemper, ac præſertim id quòd in liene confici nequit, & tranſmutari. Hinc etiam Hippocrates dixit: μέλανα διαχωρήματα, vel μέλανα ὑποχωρήματα, ſeu διαχωρέμενα καλὸν ἐστὶ, quod eſt nigræ deiectiones ſalubres ſunt. ‹‹ Quippe hunc, tum alij tum adoleſcentes in difficultate inteſtinorum, ſępe ſine noxa deijciunt. In peſtilentia die ſeptimo, aut nono aut vndecimo eiuſmodi nigra per aluum excreta plurimos periculo ſubtraxerunt.

Nigra per vomitum quando.

Per vim autem naturæ factam, non rarò talia etiam vomitu reijciuntur, quæ nullius interdum qualitatis ſenſum, interdum acidę ſimul & acerbæ, verùm multò obſcuriorem quàm ipſa atra bilis, exhibent. Eodem conatu natura etiam ad cutem, humorem hunc tempore criſis per febres expellit, & puſtulas, quas Gręci ἐξανθήματα vocant, purpureas excitant: quales etiam ſine febri plurimis oboriuntur.

Puſtulæ purpureæ.

nonnulli has ſanguini craſſo & melancholico, qui aliâs per totum corpus fertur, aſcribunt: nec ego valde illis refragor.

Humorum color cur varius.

MATHETES, Cur humores colore & guſtu inter ſe differunt, cùm tamen omnes ex eiſdem cibis proueni-

ant? GERON, Quia ſingulæ particulæ huc quaſi ſpectare videntur, vt id quod immutant, ſibi aſsimulent. MATHETES, Quo illud modo fit, & ordine? GERON, Ventriculus albus, ex cibis ingeſtis chylum album, aliâs magis, aliâs minus, pro illorum ratione procreat. Huius iam pars temperata ad iecur per venas meſeraicas delata, ab illo natura etiam rubro, paulatim craſsior, & rubicundior euadit. altera incipit flaueſcere, vtpote calidior: in veſica autem fellis magis flaua efficitur. tertia, quæ eſt craſsiſsima, & maximè terreſtris, nigreſcit: in liene autem perficitur. quarta deniq; adhuc albicat, aquę naturam aliquantū imitans. quę cum non poſsit à iecore vinci, candida permanet. MATHE. In iecore ergo, & venis albus aliquis humor vnà cum ſanguine ineſt? GERON, Indubiè, isq; ad partes pituitoſas alendas. MATHET. Nullàne pituitę ſpecies alium quàm album colorem acquirere poteſt? GERON, Temperatior progreſſu temporis in ſanguinem naturæ beneficio conuertitur: aliâs ad flauum, aliâs ad liuidum, aliâs ad viridem colorem quodammodo accedit. verùm illa non eſt ſimpliciter pituita dicenda. nam ſyncera, quæ per ſe ęſtimatur, alba eſt: quę verò alijs admiſta eſt humoribus, varios colores induere poteſt: quanquam etiam pura, & ſimplex diuerſis duplici modo imbui poſsit: vno, quatenus naturalis: altero, quatenus contra naturã eſt. Naturalis enim alba eſt: quæ autem contra naturam varios colores aſſumere conſueuit. MATHE. Quę cauſę ſingulis pituitę ſpeciebus ſapores inducunt? GERON, Inſipidæ, genuinus partium in quibus oritur calor parum efficax: acidæ verò calor temperato longè minor: dulcis cùm ſit minimè frigida, calor temperato proximus: ſalſæ putredo, vel ſeroſi humoris, ex quo ſudor & lotium prouenit, miſtura. MATHETES, Cùm hactenus docueris, quot & quid ſint humores ſinguli, quibusq; ex cauſis proueniant, & augeantur: adhęc qui in quos mutare ſoleant, cupio nunc ex te audire: an etiam interdum inuicem miſceantur.

Pituitæ color.

Cauſæ ſaporum pituitæ.

Miſtura humorum.

GERON, Aliquando bilis cum pituita miſta, aut pituita cum bile apparet: vt in vomitibus & deiectionibus: mucoſa verò in narium excrementis. Eodem modo tum pituitoſus, tum mucoſus in aqua inter cutem, & malo habitu conſpicitur. MATHETES, Vnde miſti iſti humores gignuntur? GERON, Non vna ex cauſa, ſed varijs. Si enim cibis partim ſanguini generando, partim humori melancholico, partim pituitoſo, partim bilioſo, idoneis vſus fueris, non vnus aliquis humor, vel ſanguis ſolus, vel pituita, vel bilis flaua, vel atra proueniet, ſed omnium horum miſcella. MATHETES, Quid ſi omnes vnius humoris (verbi gratia) bilis cauſę effectrices concurrant, ſoláne illa gignetur? GERON, Hoc ſi fieri poſſet,

Miſti humores vnde gignantur.

Solus humor ex proprio alimento generari nequit.

poſſet, homo vno conſtaret humore. verum non poſſunt omnes ſimul humoris alicuius cauſę conuenire, alijs relictis. etſi id quoq; fieri poſſet, non tamen vnus duntaxat humor gigneretur: quia bilioſa quoq; alimenta, vel pituitoſa, vel melancholica, vel ſanguinea per ſe aſſumpta, nonnihil etiam aliorum ſimul humorum, licet vnius plus, alterius minus, producunt. In ijs enim quos aqua inter cutem malè habet, etſi nihil aut ſanguinis aut bilis vtriuſq;, ſed ſolus pituitoſus, aquoſuſq; humor appareat, nihilominus tamen aliorum quoq; humorum portio quædam ipſis ineſt, licet tam exigua, vt à pituitoſo aquoſoq; penitus obſcuretur. MATHETES, Sanitas ergo ex humorum & qualitate & mediocritate, conſtat? GERON, Ita iudico: ſi ea ſit humorum ſingulorum quantitas, vt inde vnaquæq; pars talem actionem exerceat, quæ naturæ ſit accommodata, non vt omnes illi mole & quantitate ſint ęquales. Quemadmodum autem humorum moderatio, ſecundam valetudinem præſentem tuetur, & amiſſam recuperat: ita immoderatio morbos parit fouetq;. MATHETES, In quibúſnam potiſsimùm immoderatio conſiſtit? GERON, In exuperantia & defectu. MATHET. Quot modis humores exuperant, aut deficiunt? GERON, Quinq;, vt quantitate, qualitate, locorum mutatione, connexu inordinato, & putredine. MATHETES, Quando exuperant quantitate, vel deficiunt? GERON, Cùm omnium aut ſolius ſanguinis, aut pituitæ, aut bilis flauæ, aut atræ maior eſt copia quàm requiritur: vel contrà, vbi minus ex illis adeſt, quàm animali conueniat. MATHETES, Quomodo excedunt qualitate? GERON, Si aut calidiores, aut frigidiores, aut humidiores, aut ſicciores, vel ſi calidiores ſimul & humidiores, vel calidiores vnà & ſicciores, vel frigidiores & humidiores, vel frigidiores & ſicciores extiterint. deficiunt autem, vbi minus quàm par eſt, tales fuerint. MATHETES, Quando locorum mutatione ſuperant, aut deficiunt? GERON, Vbi cibus è loco vno in alterum citius quàm conuenit, tranſit: vt ſi chylus, qui in ventriculo horis duabus, vt elaboretur, manere debuit, antea egrediatur: ſicut fit exercitatione ſtatim à cibo obita, aliáue de cauſa: aut contra, ſi humores tardiùs alibi immorentur, quàm ex vſu ſit. MATHETES, Quando humores connexu ac coniunctione inordinata abundant, aut deficiunt? GERON, Cum ordo quidam naturalis, in partis alicuius conſtitutione illis ineſſe debeat, vt ſanguis ſit primus, pituita ſecundus, atra bilis tertius, flaua quartus: nunc autem ſic mutetur, vt primum locum obtineat pituita, ſecundum ſanguis, tertium flaua bilis, quartum atra. Huiuſmodi verò inordinata coniunctio latè patet: ac alia deterior eſt, quàm alia. ſed de his poſtea, vbi de cauſis mor-

Sanitas ex quibus conſtet.

Immoderatio.

Humorum copiæ exceſſus.

Defectus.

Qualitatus immoderatio.

Locorum mutationis exceſſus.

Humorum coniunctio.

borum agendum erit. MATHETES. Súntne alij adhuc humores præter quatuor istos iam commemoratos, eorumq; differentias, qui ipsis adiungi hic possint? GERON, Nulli, qui propriè humores dici debeant, sed reliquiæ, vel excrementa sanguinis adhuc restant explicanda, nempe semen & sanguis menstruus. MATHET. De his nihil aut parum hactenus audiui: ob quod te oro, vt eorum quoq; mentionem facias, quantũ ad medicinam requiritur.

SEMEN.

GERON, Semen est verum, & proximum ortus nostri principium, ex purissima totius córporis alimenti portione reliqua profectum: quod tamen non solum opificis eorum quæ secundum naturam generantur, sed etiam materiæ rationem obtinet. Quamuis autem excrementum alimenti à nonnullis philosophis appelletur, tamen pro reliquijs illius purissimi vtilissimiq; accipiendum est, à quo singula membra nutriuntur & sustentantur. MATHETES, Estné semen in ætate vel morbo imbecillis æquale essentia & efficacia ei, quod validis & sanis inest? GERON, In illis sanè plurimùm inutilis excrementi, seminis autem nihil, vel certè minimum: & quamuis interdum aliquid ipsius è vasis seminarijs emittatur, id tamen omne infœcundum erit, nec quicquam efficere poterit. MATHETES, Vbi semen fit ex sanguine? GERON, In testibus prçcipuè, qui singulari illius conficiendi facultate prçditi sunt: quç inde ad vasorum seminalium implexum procedens, in ipsis simul elaborare incipit: sicut in corporum incisionibus manifestò apparet, dum semen cruentum, aut sanguinem albescentem in vasis iam dictis inuenimus: nec non in ijs, qui rei venereæ nimium indulgent. nam primum quidem semen proprio suo colore, hoc est albo præditum excernunt: postea verò cruentum, vtpote nondum testium facultate absolutum: postremò sanguis ipse, à cuius effluxu plerunq; mors sequitur: vnde constat, semen ex tribus principalibus corporis partibus, cerebro, corde, & iecore, potissimum autem cerebro, secerni. Nam si quis in aliquo horum grauiter offensus fuerit, infœcundus redditur: si leuior noxa infestet, prolem valetudinariam procreabit. vnde venis, & arterijs, quæ circa aures sitæ sunt, præsectis, aut exustis, fœcunditas adimitur. Quod autem nonnulli dicunt, seminis materiam ex toto corpore conferri, sic intelligendum est, quòd ex ipsius principijs & dignioribus partibus necessariò profluat. Alij dicunt illam non modo ex principijs, sed etiam ex omnibus similaribus partibus secerni, non quidem ex quolibet osse vel neruo, sed ex aliquo osse, vel neruo, vel membrana, vel cartilagine, quiddam ad eius materiam conferri. hoc notatione dignum est, quòd testiculi non tantùm seminis materiam ex toto corpore alliceant, sed

Semen quale in morbosis.

Semen vbi fiat.

Semen ex principalibus visceribus descendit.

Interpretatio eorum, qui semen ex toto corpore conferri dicunt.

Teſticuli magnas vires ſemini communicant.

Execti teſtes.

ſed etiam quòd magnas ei vires communicent,& ſemen abſolutè perficiant. MATHETES, Quomodo igitur illi habent, quibus hi execti ſunt? GERON, Neqꝫ veneris appetitu mouentur, neqꝫ vlla eius voluptate afficiuntur, neqꝫ generare poſſunt: præterea neqꝫ animum virilem & maſculum,neqꝫ robur amplius retinent. Temperamentum illorum frigidius euadit: ſanguis vitiatur: facies minus ſpecioſa ac colorata apparet: arteriæ paruum imbecillemqꝫ, vt in ſenibus,pulſum edunt: corpus albeſcit: graueqꝫ,& pigrum, obæſum,minuſqꝫ hirſutum redditur: in ſumma effœtum, molle, & effœminatum fieri ſolet. In animalibus brutis caſtratio tantum mutationis affert,vt carnes eorum gratiores ſuauioreſqꝫ reddat, quæ ante illam fuerant tum odore viroſo, tum ſapore ingrato præditæ. E contrario teſticuli ſi adſint, multum ſubſidij corpori noſtro præbent,vt perfectiorem ſalubrioremqꝫ vitam agamus. adhæc ad generis conſeruationem adeò ſunt neceſſarij, vt meritò in principum partium numerum referri poſsint. MATHETES, Si igitur teſtes primi ſunt auctores ſeminis,& vaſa, quæ hoc ad ipſos deferunt, ac idem quodammodo præparant: quæ verò eiaculantur, id perficiunt, dic amâbo, quomodo in illis elaboretur. GERON, Quemadmodum ſpiritus in arterijs, quæ ambitu quodam teſtibus ſubſtratæ ſunt, quaſi coërcitus ſubſiſtit, ac retinetur: ſic materia ſeminis,quam teſticuli à ſingulis partibus paulatìm magna vi traxerunt, in flexuoſis vaſorum anfractibus,longo itineris tractu hæret diutiùs, immoraturqꝫ. MATHETES, Quid vtraqꝫ vaſa dilatione iſta & mora efficere conantur? GERON, Vt quicquid continent, ceu alimentum in ſimilem ſibi formam pedetentìm conuertant: & ſicut colorem illius, ita quoqꝫ totam eſſentiam paulatìm commutent. MATHETES, Quid fit poſtea, vbi humor hoc pacto præparatus,in poſtremos illos orbes, qui teſticulos inuoluunt ambiuntqꝫ, attractus delatuſqꝫ fuerit? GERON, Concoquitur, aptuſqꝫ ad animalis procreationem redditur, tum vaſorum quæ teſtes circumeunt, robore & calore, tum vi horum ingenita. quia enim glanduloſi ſunt & ſpongi modo rari, complures ex vaſis in eos fiſtulæ ſeminis repletæ propagantur, per quas ſuſceptum humorem propria facultate conficiunt. MATHETES, Quæ illa facultas eſt? GERON, Quæ ſummam ſpiritus & caloris vim obtinet. MATHETES, Vnde id intelligam? GERON, Ex inſectis,quę ſeminis ſunt expertia. nam illorum fœmina, vbi cum mare coit,particulam quandam corporis ſui in hanc immittit,& quaſi materiam opifici affert: ipſe poſtea vitalem vim ac facultatem vapore ſuo in illam conijcit. tam imbecilla autem his animalibus procreandi vis ineſt, vt diu coire cogantur, an-

Caſtratio animalium brutorum quid præſtet.

Semen quomodo elaboretur in teſtibus.

Seminis concoctio.

Teſtium vis ingenita.

tequam aliquid concipiant, & ſi quid veluti medium intercedat, nihil quicquam efficere poſsit, ſed ipſa per ſe animal progignat, & propria cuiuſq; membri natura, ſine vllius ſeminis aut inſtrumenti adiumento, aliud ſibi ſimile effingit. In perfectioribus verò animantibus, maſculus non modò ſemen, ſed etiam vim quandam cum eo in fœminam adeò valenter inijcit, vt ſtatim concipiat, gignatq; prolem. MATHETES, Si rectè ſententiam tuam intelligo, non ſimplex ſemen, quamuis vtile & fœcundum fœtum procreare poteſt. GERON, Non, ſed etiam facultate quadam procreatrice & ſpiritu donatum, vt ipſum quidem ex poſtremi alimenti excremento conflatum materia ſit: facultas autem ipſius opifex totus æthereus, & ſpiritu plenus. MATHETES, Eſtnè hæc vis materię inſita? GERON, Neutiquam. nulla enim in eo (vt vocant) ineſt ſemine, quod in gonorrhæa contra voluntatem effluere ſolet. Quippe id prorſus excrementum eſt, procreationis muneri nequaquam accommodatum. ſalubre autem illi ſuppeditat materiam, & à propria quadam vi & efficacia, quam obtinet, incitatum, per ſe mouet agitq;. MATHETES, Non igitur ſemen, fœtus auctor primarius & inſitus exiſtit? GERON, Non, ſed vis in illius materia reſidens. hæc enim vitam impartit, parteſq; conformat, quæ non ex mole, ſed poteſtate æſtimari debet. MATHETES, Cùm igitur ſemen ex duobus, nempe materia & facultate conſtet, ab omnibúsne partibus ambo ſecernuntur? GERON, Illa quidem non ab omnibus, ſed tamen à quibuſdam neceſſariò detrahitur. hæc autem, quæ prorſus opificis munus agit, ab vniuerſis etiam minimis decedit: vnde id quod nonnulli dicunt, ſemen à toto corpore defluere, non molis, ſed virium ratione intelligendum eſt. MATHETES, In teſtibúſne procreandi facultas conſiſtit, an aliunde prouenit? GERON, Quamuis vaſa quæ ſemen ad teſtes deferunt, ipſiq; illud adeò accuratè concoquant, vt craſsius albiuſq; euadat, non tamen ipſum inde fœcundum fieri poteſt, niſi ſpiritus copioſi ei influant, penituſq; confundantur: ob quod neceſſe eſt, vt naturalis per venas à iecore, vitalis per arterias à corde, animalis per neruos à cerebro & ſpinæ medulla, in teſtes elabatur. MATHE. Quid à cæteris particulis, ex vniuerſo corpore ad teſticulos defertur? GERON, Nonnihil ſpiritus & facultatis, idq; ſubitò per validam corporis agitationem, quę ipſa fit coitione, quia tunc vehemens, titillatio corpus totum eximia voluptate afficit. MATHETES, Ergo teſtes non exhibent ſemini vim procreandi? GERON, Non, ſed facultates, quæ ex ſpiritibus ex vniuerſo corpore, præſertim ex principibus eius partibus confluunt. MATHETES, Cur teſticuli inter principales partes referuntur; quidq; ipſi ſemini

Semen facultate & ſpiritu donatum ad procreationem requiritur.

Opifex æthereus et ſpiritu plenus.

Procreandi facultas ex facultatibus.

Teſtes quid ſemini præſtent.

ſemini præſtant,ſi non materiam,vt dixiſti, eò quòd illa ex corporis alimento ſubminiſtretur, ſi neq; vires illas & facultates,quòd à toto corpore cum ſpiritu deriuentur? GERON, Id ſanè efficacia ſua materiæ ſeminis conferunt,qua quod illam concoquant, ac in aliam ſpeciem conuertant,formamq; ſicut mammæ lacti,peculiarem ei inducant: vnde nomen eſt ſortitum, nec nō quòd ſpiritus, quos ex corpore acceperunt,materię calore ſuo,accuratè commiſceant,vireſq; ac facultates ſemini inſerant, & vnum ex omnium temperatione efficiant. vnde ſemen omnibus numeris abſolutum perficitur. MATHETES, Multa de origine ſeminis,& elaboratione dixiſti:quæ eſt eius natura?

Seminis natura.

GERON, Vbi probè coctum eſt, colore album,& eſſentia craſſum euadit,naturamq; vaſorum eius & teſtium ſequitur. MATHETES, Qua ratione craſſeſcit? GERON, Ingenito & interiore vaſorum ac teſtium calore:cùm autem aërium ſit,aut potius ęthereum,non poteſt,vt lac,ouum,aut alia quacunq; terreſtri eſſentia copioſiore prædita coquendo incraſſari. in his enim craſsior portio, humore per calorem diſsipato remanet.

Semen quomodo albeſcat, cogaturq;.

MATHETES, Quo igitur ſingulari modo cogitur, albeſcitq;? GERON,Quo aqua oleo miſta,aut albumen oui diutius agitatum, à flatu impedito, in magnum ſpumæ denſæ albæq; tumorem attollitur.nam dum teſtium calor ſpiritum vitalem,& reliquos ceu concoctione exagitat, ſemini eos vndiq; permiſcet. cùm autem id ſatis lentum ſit, & cohærens, facilè ab immixto ſpiritu in ſpumam denſiſsimam intumeſcit, cùm tamen bullæ eius vix appareant. Hac de cauſa, ſemen licet æthereum ſit, copioſo calidoq; ſpiritu plenum, calore tamen in ſpumam conuerſum cogitur & albeſcit: vnde ipſum rectè natura calidum humidumq; dici poteſt. Quid multis moror, ſemen, alimenti, quod ſolidis partibus apponitur, vtilis ac ſyncera portio ab illis ſecreta eſt. hanc teſticuli ac vaſa ipſorum calore ſuo elaborant,conficiuntq;,vt fœcunda eſſe poſsit, ſi vitalis ſpiritus copioſus ex toto corpore ad eam confluat, probeq; ipſi commiſceatur.

Seminis eſſentia, & craſsities.

MATHETES, Vnde eſſentia & craſsities ſeminis conſtat? GERON, Ex elementorum temperamento, & calore quodam diuino cœleſtiq;, non ignis aut alterius elementi participe: in quo tota vita & vires animæ, tum vitalis,tum altricis, tum ſentiendi, mouendi, appetendiq; conſiſtunt,& permanent.

Seminis vires in quibus cōſiſtant.

Cùm autem ille efferueſcit, abditæ facultates in actionem erumpunt,& ſeſe exerunt. MATHETES Vnde ſemen haſce facultates acquiſiuit? GERON, A parentis corpore, in quo reuera conſiſtunt, non ab elementorum permiſtione. MATHETES, Ergo homo qui emiſſo in fœminam ſemine generat, omnes quoq; corporis facultates ſimul producit? GERON, Vtiq;.

Animus vnde. *Semen mulieris.* *Morboſa fœmina morboſam prolem gignit.*

nam corporis eſſentiam comitantur. At animus ſiue mens, cùm à corporis natura ſit diuerſa, & elementorum expers, aliunde, hoc eſt, à Deo Opt. Max. homini communicatur. ſed hæc melius à Theologis veris, & pijs docentur, eoq; ad medica me rurſus conuertam. MATHETES, Dic ergo, an fœminæ etiam fœcundum ſemen habeant? GERON, Æquè ac maſculi, ſed tenuius, aquoſiusq; ſicut in anatome illarum manifeſtò apparet. Nam in illarum quę diutius à concubitu abſtinuerunt vaſis, copioſum albidumq; vt in maribus reperitur. imò per inſomnia quoq; illæ, & naturalium contactu frequentius ſimili voluptate ac in coitu emittunt. MATHETES, Eſtné etiam fœminarum ſemen fœcundum? GERON, Quid ni? cùm non aliam in ipſis originem quàm in maſculis ex teſtibus & uaſis accipiat: adhæc quòd mulier morbo comitiali, arthritidi, aut podagrico obnoxia, ſobolem, eorundem vitiorum hæredem procreet: item quòd partus matri plærunq; ſimilis appareat: quorum omnium non ſanguis maternus, ſed emiſſum ex ipſa ſemen auctor exiſtit. Quod igitur ſemen à ſimilaribus fœminæ partibus deceſſit, vim quandam ad ſimiles effingendas conformandasq; obtinet, quamuis infirmiorem quàm à viri ſemine conferatur. Id quod teſtantur etiam oua ſubuentanea, & molę rudiores, quas mulieres interdum ſuo ipſarum ſemine citra viri coitionem concipiunt, quamuis neq; maſculinum ſemen abſq; fœminino quicquam poſſit efficere. MATHETES, De ſemine hoc tempore nihil amplius deſidero: de menſtruo ſanguine, quid ſit, vndéque proueniat, & quem vſum habeat, deinceps addiſcere ex te cupio.

MENSTRVum quid.

GERON, Vt ſemen vltimi alimenti, ita menſtrui, ſanguinis portio exiſtit, vel ſanguinis excrementum. Ideo mulieribus quandiu eo laborant, non hæmorrhoides, non ſanguis è naribus profluit, non varices, aut tale quippiam ſuperuenire ſolet. ſi verò quid ex illis acciderit, minus probè menſtrua fit purgatio, eò quòd huius materia aliò delata, diſſipetur. MATHETES, Cur fœmina potius quàm maſculus menſtruum ſanguinem ſortita eſt? GERON, Quia hic plurimo calore pollet, quo totum id quod aſſumpſit, alimentum optimè elaborat & concoquit. ſin autem quippiam etiam ex ipſo redundet, id validè diſcutit, digeritque. illa verò cùm minus efficaci calore valeat, id quod ſuperfluum eſt, non poteſt euincere, nec diſſipare. Ideò copioſiore etiam abundat, quæ gulæ ventriq; plenius indulget, otioſamq; vitam agit. ſin autem calor huius imminuatur, ſæpè minimum effluit. MATHETES, Solus ergo ſanguis ſuperfluus in viris vt dixiſti ſeminis, in mulieribus autem menſtrui prima fit materia? GERON, Maxi-

Mutationes hominis in pubertate.

Maximè. nam magna corporis vniuersi mutatio, tum masculis, tum fœminis in pubertate accidit: calor natiuus increscit, vegetiorq́ euadit: pubes erumpit: mammulæ turgescunt: corpus ad libidinem incitatur: sanguis exuberans calore tanquam attenuatus, diffunditur: & cum in receptaculis suis vix retineri queat, exitum sibi quærit, quò erumpat. vnde fit, vt ille in masculis è naribus profluat: menstrua in puellis emanent, quandoquidem venæ ad nares sitæ adolescentibus: vtero eiusq́ ceruici insertę puellis tunc faciliùs adaperiuntur. MATHETES, Vbi menstruus ille sanguis colligitur? GERON, In caua vena. quando autem in ea redundat, ad vteri venas defluit, easq́ copia & calore distendens, reserat, vt ab earum osculis in naturalia decidens, forâs destillet. Postquam satis effluxerit, venæ, quę ex caua per totum corpus dispersæ sunt, reliquum ipsis necessarium retinent. quæ autem ad vterum pertinent, vltrò clauduntur, stringunturq́. mense vno exactò tantùm rursus colligitur, accrescitq́, quantùm antea profluxerat. ac rursus id simili modo per vterum naturæ impulsu deponitur excerniturq́. MATHETES, Cur per circuitum menstruum expurgatur? GERON, Vel quia natura sic consueuit, vt quæ aliâs omnia certis legibus exequatur: aut quia luna perpetuus, & immutabilibus suis cursibus in hoc, vt in alijs rebus vim suam exercet. Cùm enim tum crescens, tum decrescens, mensem luminum varietate demetiatur, cur non hominum, vt reliquorum omnium humores firma ordinis constantia regat, ac moderetur? Quod autem nonnulli hanc periodicam menstrui purgationem sanguinis abundantiæ attribuant, verum esse non potest. nam illę quoque mulieres, quæ paululum sanguinis colligere solent, stato tempore menstruum licet parciùs, excernunt. MATHETES, Menstruum igitur non idem est, quòd sanguis vtilior exuperans, quique in venis alimenti vicem gerit? GERON, Nequaquam, sed aliud genus eius vitiatum, quòd naturæ beneficio à puriore sanguine, pręsertim luna decrescēte, aut silente, abducitur segregaturq́. non tamen adeò perniciosum, vt Aristoteles, & eius sectatores de eo scriptum reliquerunt: quanquam suppressum, retentumq́, grauissima afferat incommoda, vt viscerum obstructiones, tabem, cancrum, morbum comitialem: quæ tamen non malignitati ipsius, sed copiæ potius ascribenda puto. MATHETES, Sentisne adhuc, vt in anatomicis dixisti, fœtum in vtero sanguine purissimo suauissimoq́, non autem menstruo, nutriri? GERON, Ea adhuc mea est sententia. nam quicunq́ vitiosus est, nec fœtum nec vterum ipsum nutrire potest. MATHETES, Si nihil alimenti impurus ille sanguis præstare potest, quorsum in grauidis tendit? GE-

Menstruus sanguis vbi colligatur.

Cur menstruus sanguis per circuitum expurgetur.

Menses retenti quæ incommoda adferant.

Sanguis menstruus non potest nutrire.

RON, Modica eius portio vteri venis inhæret: maxima puriori ſanguini reliquo permiſcetur. vnde multa vitia grauidis mulieribus obueniunt, vt corporis grauitas, fœdus faciei color, intemperies, varices, mollicies, quæ Græcis κίσσα dicitur. imò prægnantes hoc retento magis ad omne morbi genus procliues ſunt, quàm quæ vterum non geſtant. MATHETES, Quomodo mulier habet, cùm menſtrua, ſiue lunaris, vt Galenus vocat, impuri iſtius ſanguinis purgatio, adeſt? GERON, Si moderata, meliuſculè: ſi immoderata, deterius, & magnam membrorum debilitatem experitur, ſed non longè poſt, iterum conualeſcit. MATHETES, Quando mulier optimè poteſt concipere? GERON, Quando menſes fluere incipiunt, aut deſinunt. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia tunc vaſorum vteri oſcula, quæ intra ipſum perueniunt, & per quæ menſes purgantur aperta ſunt, illi neq; copioſi, neq; cumulatim effunduntur, ſed moderatè & paulatim, veluti exudantes emanant. Si enim vterus ex nimio menſium fluore humidus eſſet, ſemen in illo manere non poſſet, vt quod copia ſanguinis affluentis elueretur. MATHETES, Poteſtné conceptus ante menſtruum fieri? GERON, Nullo modo. quia tunc ſemen alimento eſt deſtitutum, vterusq; ob vaſa clauſa læuis: cuius gratia ſemen defluit, cum non habeat à quo hærere, tunicæq; aduniri poſsit. aſperum enim ad concretionem magis quàm læue eſt idoneum. MATHETES, Quòd mulier menſtruis incipientibus, aut ceſſantibus, non autem in iuſto eorum profluuio concipiat, apertè ſuperius edocuiſti: addas adhuc, ſi placet, quomodo conceptus fieri ſoleat. GERON, Quanquam te hoc ſcire non multum referat: tamen aliquid de hac re etiam modeſtè, ſicut ætati tuæ conuenit, diſſeram. Cùm mas & fœmina mutuo ſe amore proſequuntur, & concumbere deſiderant, ſuum vterq; ſemen in vterum immittunt: deinde huius os interius adeò occluditur, & obſignatur, vt nihil vel minimum ingredi, aut excidere poſsit. Si verò conceptio futura eſt, mulier vterum voluptate quadam geſtire præſentit, ardentiq; ſeminis virilis deſiderio totum ad naturalia prouolui, vt ei obuius quaſi occurrat, ipſumq; arripiat. vbi iam attraxerit, continet auidiſsimè, ac in ſinus ſuos recondit, adeoq; ipſum comprehendit, vt nullum intus ſpatium vacuum relinquat. At ſi vterus fuerit imbecillior, quòd ex affectibus accidere poteſt, aut ſi quæ minus appetat virile ſemen, vt grauidæ, aut ſi cui libidinis ardor deferbuit, aut ſi quæ venere iam exhauſta ſit, his ſemen viri in vteri ceruice aliquantiſper conſidens, non longe poſt forâs elabitur. Fœcunda mulier facilè id deprehendit retinetq;, modò integra ſit valetudine, pauloq; antè expurgata menſtruis. deniq; ſi vnà cum viro, aut

Quomodo mulier habeat, cùm menſtruo laborat.

Conceptio quando fieri ſolet.

Conceptus ante menſtruum an fieri poſsit.

paulò

paulò post semen emiserit. Sic enim cùm illa eodem, quo vir impetu semen edit, aut cùm paulò ante libidinis ardor incensus est, vterus magna cum voluptate semen allicit, & in se reponit. E contrario, si vir longè post, aut antequam mulier semen emittat, sic vt libidinis impetus in muliere, vel nondum efferbuerit, vel iam cessarit, vterus semen aut non appetit, aut verè non continet: neque si contineret, fœcundum id fieret, eò quòd nimia mora fœmineo destituatur, totusque spiritus euanescat. MATHE. Quid ergo propriè est conceptio? GERON, Peculiaris vteri actio, qua seminis vis excitatur, & munus sibi insitum verè exequitur: non autem seminis attractio, neque retentio sola est. Sæpe enim appetens vterus semen attraxit, quod diu retinere nō potuit, sed biduo aut triduo elabi permisit. Nonnunquam id perperàm retinet, vt fit in illius affectu, qui græcè μύλη, nobis mola dicitur. huius nanque vt carnis informis mole grauatur, laboratque. cùm igitur vera est conceptio, tunc ipse vterus non agitatione corporis venerea (vt quidam opinantur) seminis vim ad actionem excitat. MATHETES, Vterúsne primùm semen attrahit, attractum continet, & contentum concipit? GERON, Simili modo quo ventriculus cibum attractum, contentumque conficit. quippe sicut ventriculi concoctio, sic conceptio vteri peculiaris actio existit. MATHETES, Quænam vt hæc rectè fiat requiruntur? GERON, Initio, vt semen fœcundum sit, quod mas rectè copioseque in vterum immiserit, non tenue, neque serosum, aut aquosum, neque nimis exiguum, sed omnis immoderationis expers, quale à temperatis prouenire solet: deinde vt vterus à menstruis repurgatus semen appetit, idque à ceruice, auidè attrahat, sicut Galenus mulieres prudentiores percipere posse affirmat. postea vt vterus semen quod attraxit comprehendat amplectaturque, & contineat, sic vt osculum eius ex toto conniueat: nouissimè vt vterus sit fœcundus, qui semen facilè concipiat. MATHETES, Qualis is esse solet? GERON, Nulla magna intemperie infectus, hoc est, qui neque insigni frigore densior factus, viri semen refrigeret, oraque vasorum obstruat, nec humore nimio tanquam terra palustris, fœcunditatem seminis suffocet: neque calore immoderato ipsum exiccet: neque iusto siccior, alimenti rorem consumat. At si mas & fœmina modicè intemperati cum aliis intemperatis concumbant, optimè gignunt: nam ita sese contemperant, & certa ratione moderantur. similes autem cum similibus commixti, nihil possunt ex se progignere. imò neque si vnum ex his desideretur, conceptio perficitur. Vbi verò maris ac fœminæ fœcunda semina commodè conuenerint, mo[illegible] occultæ illorum vires excitatæ, materiam ipsorum ad fœtus [illegible]nformationem

Conceptio quid propriè.

Conceptio vera.

Vterus qualis esse conueniat.

Intemperati cum intemperatis congressi gignunt.

varie diſtrahunt, vt in confectione corporis indicauimus. MATHETES, Percepi ſanè ex illis non pauca obſeruatione digna: quia verò plęræque abditę ſunt naturæ functiones in fœtu formando, optarem, vt nonnulla adhuc ſuperioribus adijceres: nempe quæ partes ex ſemine, quæ verò ex ſanguine, & quo tempore formentur. GERON, Quanquam ea quæ nuper audiuiſti, ſatis ad medicinam cognoſcendam eſſe poſsint: tamen vt etiam philoſophis reſpondere queas, obſcuriora quædam hîc tibi explicabo.

Semine igitur tum maris, tum fœminæ in vtero commixto, primùm ſtatim tenuiores illius partes. (non enim vnum quippiam eſt, nec vndiq; ſibi conſimile) calidioresq;, & ſpiritus magis participes, medium ipſius locum obtinent: craſſæ verò & terreſtres, illas extrinſecus ambiunt. atq; ex his durioribus, ex calore & vteri contactu factis coactisq;, membranæ, quibus fœtus includitur, proueniunt. Tenuior ſeminis portio intus incluſa, in ſpiritum conuertitur: qui tanquam caloris & facultatum omnium moderator, auctorq; procreationis, in medium illius ſe colligit, in eoq; perſiſtit, omnium partium opifex, & conformator: qui poſteà aſsiſtens, vitam diu conſeruat. MATHETES, Quid primùm ſpiritus ille præſtat? GERON, Non ſolùm vim procreandi, ſed etiam naturales facultates, quibus nutrimur, augemurq;, omnes ſuſtinet & comprehendit. MATHETES, Quomodo ſingulæ partes formantur? GERON, Omnes initio conformationis ſuæ adumbrationem & rudimentum repręſentant: ſed alię poſt alias perficiuntur. Principio tres quaſi bullæ in ſemine apparent, quæ iecoris, cordis, & cerebri ſunt rudimenta. craſsiores ſeminis partes in oſſa paulatim mutantur: tenues in neruos, venas, & membranas tranſeunt. deinde viſcera prędicta peculiares ſedes acquirunt, figuramq; & ſpeciem induunt: nec non membranę ſimul quæ fœtum inuoluunt, validiores euadunt. non longè poſt venæ, arteriæq; omnes in fœtus vmbilicum efformantur, quarum oſcula vteri acetabulis cohærent. Eo tempore etiam vena portarum, & caua è iecore in pulmonis ramulos diſcinduntur. arteria è corde, ſpinæ medulla è cerebro, trunci modo: nerui autem araneorum filamentorum inſtar tenues, ex illa emergunt. poſtea ventriculus, inteſtina, veſica, cordis inuolucrum, membrana coſtas ambiens, peritonæum, cerebri tunicæ, & cutis, omnia tegens, enaſcuntur. ex eodem ſemine concreſcunt: ex eodem concreto oſſa duritiem acquirunt: ex his ligamenta, tendines, & membrana oſsibus obducenda. atq; omnes hę partes vigeſimo ſeptimo die conformatę apparent: perfectè autem in maribus trigeſimo: in fœminis trigeſimo ſexto. MATHETES, Quę partes ex ſanguine materno in vtero for-

Membranæ fœtus vnde.

Spiritus ſeminis quid præſtet.

Partes quomodo formentur.

Hominis partes.

ro formantur? GERON, Iecur, lien, pulmo, musculi, & quæuis alia caro. aliæ autem citiùs, aliæ tardiùs pro ipsorum dignitate promouentur. nam ea primùm gignitur, quæ dignior est, & motus initium in se obtinet: post hanc cæteræ quæ ei sunt vtiles, & propter ipsam creantur. ita superiores inferioribus, interiores exterioribus, seminariæ sanguineis prius generantur. atque inter has præstantiores cæteris priorem originem habent: quamuis sæpe tardiùs absoluantur. Eodem modo principales partes, iecur, cor, & cerebrum, prius quàm vmbilicus, aut quæuis alia oriuntur: licet ille primus perfectè absoluatur. MATHETES, Quid post fœtus effomationem in vtero fingi putas? GERON, Membranę, nerui, & cutis, vnguesque in exterioribus digitis vi caloris ſicciores, firmioresque redduntur: pili radices agunt: à die trigesimo sexto sensus facultate fœtus donatur: tertio autem mense ossibus iam formatis, & paulò durioribus effectis, moueri incipit ac calcitrare. Siue autem masculum, siue fœmellam gestent vtero grauidæ, aliæ semper quinta septimana, aliæ tertio mense, aliæ non nisi medio prægnationis tempore, fœtum loco dimoueri sentiunt: præterea hæ secundo & quadragesimo die, illæ quarto mense primos motuum insultus, veluti volitantis muscæ excussionem, vel titillationem percipiunt. MATHETES, Cur non eodem omnes tempore sentiunt? GERON, Quia vel prægnans, vel fœtus bono constat habitu. MATHETES, Túncne singulæ partes sunt firmæ & absolutæ? GERON, Nondum, sed ad nonum vsque mensem, quo in lucem prodire solet, perficiuntur, aluntur, & increscunt. MATHET. Qua de causa fœtus nono mense exitum petit? GERON, Quia tunc adeò increuit, easque vires nactus est, vt quasi alimentum per os assumptum conficere possit, idque copiosius quàm anteà expostulet, sicut etiam aërem ampliorem, qui calorem natiuum auctiorem effectum inspiratu refrigeret. MATHETES, Quomodo se ad exitum præparat? GERON, In quinto Dialogo hæc & alia quædam de situ ipsius exposui, eoque non opus est hîc eadem repetere. ne autem me putes laborem subterfugere, paucis ipsa persequar. Diebus aliquot ante partum, interdum mense vno, fœtus sese conuoluit, sic vt caput declinans naturalibus offerat, crura ac reliquos artus in sublime attollat, eleuetque. MATHETES, Quando ita se inuertit, nihílne abrumpit? GERON, Nihil, eò quòd vmbilicus tunc sit laxior, duos plerunque cubitos longus, multis nodis & inuolucris infantem præcingens. Instante iam partu, crebra ille manuum pedúmque impulsione, & calcitratu membranam, quam græcè ἄμνιον vocaui, disrumpit: atque tunc vrina sudori commiscetur. deinde fœtus iterum maiore se impetu commouens, pleraque ex ace-

Partes ex sanguine materno quæ.

Fœtus quo tempore mouatur in vtero.

Quomodo fœtus ad exitum se præparet.

tabulis reſoluit,quando pariens ventris torſiones ſentit, ſanguiſque in vteri ſinum diffluit. poſteà ſecundę ab acetabulis euelluntur, & reliquæ membranæ diſcerpuntur: ob quod aquæ tunc ex vtero profluunt.tandem fœtus vndiq; liber, nuſquam adhuc adhærens,forâs elabitur. MATHETES, Quomodo tam facilè egredi poteſt,cùm os vteri toto geſtationis tempore adeò arctum fuerit,vt vix acicula penetrare id poſsit? GERON, Vterus eo tempore paulatim os ſuum aperit, ac deducit, vt obſtetrices minimum in id digitum immittere poſsint: deinde amplius, vt ille tunicam allantoïdem,& aquas,vt vocant,eis obuias percipiat.vbi verò ab his vteri os fœtui educendo ſatis patuerit, totus vteri fundus ad os ſe contrahit, & infantem forâs propellit, vicinarum partium, ipſiusq; grauidæ ſubſidio, dum muſculos abdominis contrahit intenditq;. Cùm iam fœtus in vteri os delapſus fuerit, capite viam corpori parat, & ſe per ceruicem humore effluente madidam lubricamq; emittit, vt ſuprà oſtendi: quanquam ea interdum ſiccior appareat, vnde partus fit difficilior: interdum vterus tanto impetu infantem excutit, vt ſimul forâs excidat. MATHETES,

Infantes qua forma prodeunt.

Qua ſitus forma infantes per vterum exeunt? GERON, Omnes facie coccygem matris verſus reſpiciunt: nonnulli ſcribunt maſculos tantùm verſus podicem, fœmellas verſus naturalia facie conuerſos prodire, quòd in vtero quoq; diuerſum ſitum habeant. Quàm primùm iam infans editus fuerit, eiulando vociferatur, ac lac è mammis (ſi eis admouetur) ſugit. MATHETES, Vnde lac in illas eſt reconditum? GERON, Ex ſanguine, qui in venis maioribus non in vtero ipſo ſubſiſtit, vt qui illic in grumum concreſceret.

Sanguis maternus triplex.

Diuidunt quidam ſanguinem mulieris trifariàm, ſic vt vna pars ſit (quam fœtus per acetabula vi ſua in alimentum trahat) puriſsima, optimaq;: altera etiam ſyncera, nullo infecta vitio, quę ad mamillas fertur, vbi infans moueri inceperit, vt naturæ viribus in lac conuerſa, nutrimentum familiare & idoneum illi recens nato ſuppeditet: tertia, quæ in ipſo partu, & longè poſt eum largiter è venis in vterum tendentibus emanat: atq; hæc verum eſt menſtruum nutritioni ineptum. quæ mulier hoc non commodè à partu liberatur expurgaturq;, ea de vita periclitari ſolet.

Infans tempore menſium conceptus.

Sunt auctores, qui memoriæ prodiderint, infantem menſtruis profluentibus conceptum, elephantiaſi obnoxium, ſicut eum quem mulier paulò antè illa conceperit, diu valetudinarium morboſumq; futurum.

Infantium & parentum forma & ſimilitudo vnde.

MATHETES, Vnde ſimilitudo infantium & parentum, tum ſexu, tum ſpecie, tum effigie ſiue forma accidit? GERON, Si vtriuſq; ſemen calore & ſiccitate plurimùm excellat, mas: ſi verò frigida & humida qualitas in eo vincat, fœmina procreatur. Diſcrimen

scrimen autem sexus, non solùm ex naturalibus partibus, sed etiam ex alijs quibusdam, vt barba, membrorum amplitudine, & voce, spectatur. Itaq; parentes robusti & calidi, si temperato concubitu fruantur, marem ferè gignunt: idq; ex dextri testiculi semine, & in dextro vteri sinu: contrà ex sinistri, fœminam. Effigies robori, facultatis conformatricis ceu opificis, fertur accepta, dum vehementi grauidarum comprehensione, & firma cogitatione gubernatur. hæc enim tantùm valet, vt vim suam concepto semini conferat, quemadmodum sæpe cogitantis corpus immutat: id quod exemplis quotidie experimur. Quum enim grauidæ vinum, aut aliud quippiam in partem aliquam contra eius voluntatem infunditur, atq; id indignabunda vehementiore animo apprehendit, infanti ibi nota imprimitur. similiter, vbi grauida re aliqua cuius desiderio flagrat, non potitur, infans signum illius in corpore repręsentat. Galenus commemorat in libro ad Pisonem, Æthiopem quendam ipsum consuluisse, quomodo posset formosum infantem procreare: se autem eum iussisse, vt tabulam, in qua puer elegans esset depictus, ad parietem iuxta pedes appendendam curaret, iuberetq; fœminæ cum qua concubiturus esset, vt illam oculis defixis inspiceret: & ex eo consilio accidisse, vt mulier pulcherrimum infantem non patri similem pepererit. Sic aliâs accidit, vt mulier alba nigram prolem genuerit. nam vtriuslibet parentis hausta imago, cogitatioq; subita, sub ipso conceptu similitudinem effingere potest: vnde alijs infantes auis, alijs patribus similes nasci videmus. In animalibus brutis idem accidere deprehendimus: exempli gratia, gallina, quæ oua varijs tincta coloribus fouet, pullos quoq; diuersè coloratos edit. Eodem modo pauo, si albis linteis contectus ouis incumbat, albos quoq; fœtus non sui coloris profert. Attamen plures in homine quàm in cæteris animalibus, differentiæ similitudinum accidere consueuerunt. MATHETES, Qua de causa? GERON, Quia in illo cogitationes animiq; celeres, & ingenia varia, multiformes notas imprimunt: in his sunt immobiles, similesq; omnibus, & singula in suo cuiq; genere. MATHETES, Vnde similitudo speciei contrahitur? GERON, Ex subiecta potissimùm materia. hinc est quòd fœtus ex diuerso genere conceptus, ad fœminæ propiùs, quàm ad maris speciem accedat. Ouis nanq; ex oue, & hirco gignitur, duris longisq; pilis consita: ex capra autem & ariete, fit caprâ pilis mollioribus prędita. eadem ratio est, si canis & vulpes, vel asinus & equa, coëant. Hoc autem ideo accidit, quòd fœmina copiosiorem fœtui materiam, quàm mas conferat. cùm autem mas nihil præter semen suppeditet, rationi consentaneum est, illud quoq; in vicem

Effigies parentum in pueris.

Galeni historia de similitudine infantium & parentum.

Similitudinum differentiæ plures in homine, quàm in brutis accidunt.

Similitudo speciei.

materiæ fœtui subijci: aliâs ipse matrem prorsus exprimeret, speciemq; referret. MATHET. De fœtu abundè mihi satis fecisti: quomodo autem gemelli concipiantur, aut plures, nondum hactenus intellexi.

Gemelli vnde.

GERON, Quamuis vnicus vteri sinus existat, tamen plures in eo fœtus concipi possunt (vt antea dixi) si materia illis adsit idonea: ea verò est semen. porrò dum fœtus delineantur, suis singuli membranis distinguuntur. si hoc non fiat, simul cohærent, & monstra hominum sese contingentium generantur.

Monstra

Hippocrates docet, si viri semen vtero immissum, æqualiter in eius sinum subeat, & in ipso conclusum foueatur, sic vt fœminæ semen tunc affluat, gemellos procreari: si verò inæqualis eius fiat partitio, molam cum fœtu gigni.

Mola.

MATHETES, Ex pluribúsne coïtionibus gemelli, aut plures fœtus concipiuntur? GERON, Non, sed ex vna tantùm. si nanque semen ex altero post primum concubitum vtero concipiatur, quod rarissimè mulieri, canibus autem & alijs id genus animalibus sæpiùs accidit, gemelli non fiunt, sed quæ superfœtatio dicitur: non enim vno tempore, sed interpositis diebus ij fœtus eduntur. sicut igitur illi diuerso concipiuntur tempore, sic quoq; in lucem prodeunt.

Superfœtatio.

MATHETES, Habéntne gemelli in vtero situm inter se consimilem? GERON, Vnius quidem sexus, eisdem licet secundis inuoluantur, simplicíq; membrana disiungantur: suum tamen quisq; vrachum (vulgo cordam dictum) vrinæ receptaculum propriasq; venas & arterias obtinet. diuersi autem sexus, varijs quoq; secundis continentur, eisq; prorsus distinctis. MATHE. Quî fit vt infantes, vbi alijs corpore grandiores existunt, partes similares ampliores proceriorésq; habeant? GERON, Quia hi meliore alimento, & materno sanguine copiosiore quàm alij nutriti sunt: vel quòd ex paterno semine vberiore naturaq; valentiore nati sint. hęc enim artus plerunq; ad iustam, paremq; magnitudinem perducit.

Partes similares cur aliquando ampliores in infantibus.

MATHETES, Possúntne vir & mulier diuersæ molis infantes progignere? GERON, Hæc quidem ex pusillo viro, pusillum: ex procero, procerum. ille autem rarò ex diuersis mulieribus dissimilem magnitudine procreare potest. MATHETES, Facultatum naturalium functiones, humorumq; seminis & menstrui naturas, differentias & vires satis iam intelligo: nunc animales etiam actiones explicandas, vt promisisti, aggrediaris. vtinam eas tam facilè, quàm naturales assequi possem. GERON, Bono sis animo, diligentia tua omnem difficultatem superabis.

Animales functiones.

Sentiens anima in cerebro ipso, tanquam natiuo instrumento residet, vniuersas facultates in se complexa, quas proprijs quibusdam actionibus & munijs testatur, ac varia ipsis obeundis instrumen-

ſtrumenta accommodat. MATHETES, Quodnam omnium iſtorum primum exiſtit? GERON, Spiritus animalis, qui ex vitali (ſicut in anatome didiciſti) vi cerebri ingenita conficitur, probeꝗ elaboratus, ad omnes animæ illius functiones ſe adaptat, interioribusꝗ cerebri ſinibus copioſus inſidet. Ex his tanquam largis fontibus per neruorum canales, tum ſenſuum inſtrumentis, tum muſculis motoribus influit. vbi cum iam inſinuatus eſt, aliam quandam ſpeciem ex partis natura acquirit, qua peculiariter ei addicta eſt, prorſusꝗ inſeruit. Qua de cauſa non vnus, idemꝗ ſpiritus eſſe poterit, videndi, audiendi, odorandi, guſtandi, tangendi, & multò minus mouendi. MATHETES, Quod ſecundum animæ ſentientis inſtrumentum eſt? GERON, Craſsius, terrenumꝗ magis, vt in quo ſpiritus ille animalis, rerumꝗ exteriorum imagines conceptę, ſeruari debeant. MATHETES, Qua id præditum eſt eſſentia? GERON, Non vbiꝗ vna, eademꝗ, ſed multiplici & varia. MATHETES, Exponas hoc planiùs. GERON, Cerebrum interiorum motionum inſtrumentum eſt, quod multifariam conformatum, ad omnes animi functiones ſe accommodat (verbi gratia) oculus eiuſꝗ nerui, aſpectui: auris, auditui: nares & cerebri papillæ, odoratui: lingua, guſtui: neruorum tactilium ſoboles, tactui: duriores nerui muſculis inſerti, motui. Quemadmodum igitur in varijs hiſce inſtrumentis, diuerſi quoꝗ ſpiritus & inæquales habentur: ſic etiam facultates non parum diſsimiles inſunt, quæ omnem agendi vim ab illis acceperunt, neque quicquam ſine illorum ſubſidio præſtare poſſunt, licet vna eademꝗ omnes conſtent eſſentia. Quæ igitur inſtrumenta, familiarem quendam ſpiritum in ſubiecta idoneaꝗ materia, nec non facultatem in illa obtinent, ea ſanè actionibus obeundis apta, accommodáque fiunt. MATHETES, Qua ratione, & modo hæ perficiuntur? GERON, Alię contrectando vti tactus & guſtus, quibus ea tantùm quæ nobis ſunt coniuncta, percipimus: alię medij cuiuſdam interiectu mouentur, vt aſpectus, auditus, & odoratus. MATHETES, Quid vocas medium interiectum? GERON, Aut aërem, aut aquam, vt ex Ariſtotele de anima pleniùs intelligere licet. nam quæcunꝗ animantes terreſtres gradiuntur, aut ſerpunt, colores ſonosꝗ per aërem, aquatiles per aquam percipiunt. Cùm itaꝗ res duræ & ſolidæ in aëre, aut aqua inuicem colliduntur, ſonus editur: in hac quidem obſcurus, in illo autem manifeſtus: præſertim ſi illæ ſint leues, ſolidę, & cauę: in quibus celeris fit ictus conflictusꝗ. Sonus autē reipſa tum elicitur ſemper, cùm alicuius ex alio, atꝗ alio ictus elicitur. itaꝗ ſonus non ex vna re fieri poteſt, aliud enim eſt quod pellit, aliud quod pellitur. MATHET. Quo pacto fit odoratus? GE-

Inſtrumentum primum animalium actionum.
Spiritus.
Varij ſenſuum ſpiritus.
Secundum animæ ſentientis inſtrumentum.
Cerebrum interiorum motionum inſtrumentum eſt.
Facultates vim agendi à ſpiritibus accipiunt.
Quomodo actiones perficiantur.
Tactus.
Guſtus.
Quæ fiant interiectu medij.
Quid medium interiectum.
Sonus.
Ictus.
Odoratus.

RON, Sic, vt odor ſenſim tanquam vapor, aëris inſpiratione in cerebrum, per apertos narium meatus illiusq́; membranas efferatur, permeetq́;. MATHE. Qua ratione fit aſpectus? GERON, Simili propemodum qua odor iam dictus. nam color aërem intermedium, aut aquam, aut vitrum, aut cornu, aut aliud ſimile perluſtrans, oculum ad videndi ſenſum mouet, ſic vt rei aſpectabilis imago, humore cryſtallino per pupillam excipiatur: vnde tandem ſpiritus auxilio in cerebrum, & commune ſentiendi principium, per neruos viſorios perducitur. MATHETES, Aſpectúsne conuenit cum alijs duabus iam commemoratis functionibus, an ab eis aliquantum differt? GERON, Proculdubio. nam in his ſenſus non ſubitò, ſed paulatim ob interiecta quædam mouetur. aſpectus autem non temporis proceſſu, ſed ſtatim aëre intermedio mutato, efficitur. MATHETES, Quibus interiectis guſtus, & tactus fieri ſolent? GERON, Nullis, ſed coniunctione & contactu quodam, ſicut aſpectus: tum denique efficitur, cùm res quædam oculos mouet atque impellit. Nam ſi vel ſapor in neruum guſtandi, vel calor ſtylusq́; pungens in eum neruum qui tactui præeſt, nudum inciderit, inſignis acrisq́; ſenſus mouetur, etiamſi nulla caro media intercedat. nihil enim ſaporis ſenſum mouet ſine humore: hoc autem imbutum, ſi linguæ admoueatur, ſtatim eum mouet, ſpeciesq́; & imago eius, primario ſenſui infertur. Tactus autem fit, cùm quælibet tactiles qualitates, aut carnis, aut etiam nullius corporis interiectu, protinus ad tangendi neruum accedunt. Sed quid longiùs hic moror, cùm iſta in ſcholis ex Ariſtotele didiceris. Tempeſtiuum nunc eſt, vt ad interiores animæ ſentientis actiones pergam. MATHETES, Quænam illæ ſunt?

Aſpectus.

Guſtus.

Tactus.

Sentientis animæ actiones.

GERON, Rerum perceptio atque cognitio, cogitatio, diſcretio, imaginatio, memoria, ſomnus, inſomnium, appetitio. MATHETES, Quomodo hæ fieri ſolent? GERON, Sic, vt formæ ſpeciesq́; rerum inſtrumentis acceptæ, mox per neruorum ductus in cerebrum ſpiritus auxilio permeent. Cùm enim exterior ſenſus rerum, quæ ſunt foris, occurſu feratur, moueaturq́;, ſimulacra illarum interiorem quoque impellunt, excitantq́;. Principales illarum tres ſunt: prima imaginatio, ſiue potius viſum aut viſio Latinis dicitur, Græcis φαντασία, qua res ab exterioribus ſenſibus oblatæ appręhenduntur, non autem diſcernuntur, dijudicanturq́;, num veræ ſint an falſæ. altera ratiocinatio, græcè λογισμὸς, quæ concepta ſub iudicium reuocat, qualiaq́; ſint, diſcernit. tertia eſt memoria, Gręcis dicta μέμνωσις, qua ſenſa conſeruantur, cerebro tanquam ſigillo impreſſa infixaq́;. has actiones ſenſus interior primariusq́;, inter vigilias per facultates ſuas exercet. MATHETES, Quando, & quo-

Imaginatio.

Ratiocinatio.

Memoria.

& quomodo somnus fieri solet? GERON, Cùm spiritus animales vigilijs adeò dissipati exhaustiq; sunt, vt moueri amplius nequeant, recreari autem, refocillariq; & conquiescere desiderant. Similiter etiam somnus obrepere consueuit, cùm multum vaporis, ex cibis & vino per calorem in principem sensum exhalat: id quod in pueris & temulentis manifestò cernitur: item cum larga frigidi excrementicijq; humoris copia, ad cerebrum, vt in veterno elata, primarium sensum veluti laqueis quibusdam sic impedierit, vt nullo se modo expedire possit, vnde non solum exteriores sensus, sed etiam interiores facultates consopitæ iacent. vt quæ neq; discernere, neq; fingere, neq; comminisci quicquam, sicut neq; visionibus commoueri possint. MATHET. Quo pacto fit insomnium? GERON, Si leniter quis obdormit, & nulla vaporis, humorisq; abundantia, discernendi meminiscendiq; vires obtundit, impeditq;. non autem verum statim insomnium esse dicitur, cùm multa forsan ante sensum visa, multæq; motiones obuersantur: sicut neq; is somnus verè est, qui pauxillum à vigilia distat. Cum enim discernendi facultas eo tempore salua sit, & libera, omnes visiones quæ tunc fingendi vim exagitant, internoscit, manifestasq; reddit, neque in illis errat, sed vbi nocturnæ visiones occurrunt, tum dormire se, tum somnia ea esse quæ videntur, agnoscit: non autem tanquam veris, assentitur. Sic afficiuntur, qui leui somno indulgentes, aut canum latratus, aut gallorum cantus excipiunt, de quibus tunc quoq; somnia sibi fingunt. Tum autem verum insomnium esse dicitur, cum placidus moderatusq; somnus, ex medioceribus causis homini obrepit, vt discernendi quidem facultatem obtusiorem, fingendi autem vim impedimentis liberam obtineat: nec non vt visiones plurimas ex rebus, quas per vigilias gessit, sentiat, cogitet, & in somno obuersantes habeat, easq; tanquam res veras, dormiens intueatur, aspiciatq;. breuiter somnium propriè est visum, quod dormienti occurrit, tanquam verum existimatum. eadem est ratio illorum, quæ delirantibus per morbos apparent. MATHETES, Qua ex causa tam magna variaq; visorum copia prouenire solet? GERON, Ex multiplici corporis, humorumq; affectione, & perturbatione. Nam hæc quidem cum ex spiritibus & humoribus corporis proueniat, omnino efficit, vt visiones vehementius agitatæ appareant: non quales veræ sunt, sed distortæ, præposteræ, monstrosæq;, sicut in temulentis, & ijs, qui febri iactantur euenire solet. affectio verò, statusq; corporis, alijs horrenda plenaq; terroris: alijs lites furiosas: alijs amicitias & voluptates iucundas, in somnijs & delirijs ingerunt. At ijs distincta, digestaq; somnia ad veri similitudinem expressa succur-

Somnus.

Insomnium.

Visorum copia vnde.

Affectio & status corporis qualia somnia pariant.

runt, quibus omnia quieta, tranquillaq; insunt, rerumq; visiones non fluctuantes neq; immoderatiùs agitatæ, sed solidæ, & integræ obuersantur. MATHETES, Quæ est appetitoriæ facultatis functio? GERON, Motus, & interior quædam agitatio, quæ Grecis ὄρεξις dicitur, cuius triplex est species. alia nanque ad rationem pertinet, alia irarum ardori seruit, alia voluptate alitur.

Appetitoriæ facultatis functio.

Triplex species functionum appetitionis.

MATHET. Quomodo prima fieri solet? GERON, Cùm ea quæ boni maliue specie nobis occurrunt, ex rationis præscripto imitamur aut fugimus.

Rationalis.

MATHETES, Quo pacto reliquæ duæ obeuntur? GERON, Cùm vehementiùs contra illam incitamur, & delectationi magis quàm menti obsequimur. MATHETES, Id distinctiùs exponas. GERON, Nunc ardore veneris, stimuloq; libidinis in naturalibus ex semine orto impellimur, aut exinanitione ventriculi, hoc est fame, cibum appetimus, sicut ex immodica siti potum desideramus: nunc ex sanguine bileue in cordis sinibus efferuescente, ad iram, odium, aut inimicitiam impellimur.

Cupiditatis actio

Animosa.

MATHETES, Súntne appetitoriæ istæ functiones perpetuæ? GERON, Non omnes, sed ea quæ voluptatis est, vniuersis rebus ita semper insidet, vt nunquam ab eis separari queat. vbi verò aliæ duæ tanquam in venis medullisq; diutiùs inhæserint, tunc in morbos & ægrotationes, vt actio in habitum, degenerant. atq; horum omnium fons, & ueluti genus est intemperantia: vti apud philosophos copiosiùs de hac & alijs functionibus est tractatum.

Cupiditates in morbos & ægrotationes degenerant.

MATHETES, Si interioris sensus functiones, per essentiam illam animæ in cerebro sitam obeunt, per quæ tactum incessumq; fieri existimas? GERON, Per spiritum, qui in omnes sensus exteriores, omnesq; corporis partes extra cerebri regionem sitas, dispergitur. quocirca etiam primum animæ instrumentum, quod ad exteriores functiones accommodatur, censeri debet: mox nerui, deinde sensuum organa, & musculi.

Tactus & incessus.

Spiritus animæ instrumentum.

Nerui & musculi secundaria instrumenta.

MATHETES, Quomodo potest diu perseuerare, cùm assiduè in motibus sensibusq; dissipetur? GERON, Materia ei reficiendo idonea, continuò ex corde per arterias carotides suppeditatur, & primùm in admirabili illo contextu, deinde in plexu choroide, cerebri ambientis facultate sic præparatur, vt in spiritum animalem conuertatur, prioresq; eius sinus prorsus impleat. vbi verò sic immutatus fuerit, nouam speciem, viresq; nouas à cerebro & inuolucris ipsius acquirit. has deinde tanquam actionum opifices, neruis sentientibus, tangentibus, & mouentibus dispensat. atq; semper præsens eis adest, eò quòd perpetua illa cerebri agitatio, de qua meminimus, nunquam non ipsum partibus corporis distribuat.

Vitalis spiritus quomodo in animalem mutetur.

MATHETES, Quomodo potest spiritus in tenuissimos neruos influere, cùm non sint caui, sicut grandiores?

GERON,

Spiritus neruos irrigat.

GERON, Quamuis illi non manifestos habeant meatus ac canales, tamen spiritus, qui subtilissimus est sensim illabens, ipsos irrigare potest. Cùm enim alimentum, crassus & lentus humor, oleumque instillatum eosdem penitiùs subeat, certè etiam subtilis ille spiritus animalis, totam ipsorum essentiam ingreditur: alioqui vires ac facultates animæ in subiectas partes distribui non possint.

An motum semper spiritus efficiat.

MATHETES, Ergo etiam ille semper motum efficere potest? GERON, Non. sed neruorum & musculorum robur, firmitatemque duntaxat tueri & conseruare. MATHETES, Hoc non satis intelligo: si non molestum tibi, planius explices?

Quid spiritus in instrumentis sensuum, neruis & musculis præstent.

GERON, Instrumenta sensuum, omnesque tum nerui, tum musculi, spiritibus, viribusque animalibus aspirati firmantur, & ad munia obeunda simul stabiliuntur, præparanturque. Nam vbi viæ & canales eorum intercipiuntur, obstruunturque, vt in resolutione, quæ græcè παράλυσις vocatur, accidere solet, non tantum sentiendi, aut mouendi facultas tollitur, sed illæ toto prorsus robore soluto languescunt: vbi verò omnino vires suas ex spiritu acceperint, tunc actionibus probè, integreque funguntur, sed non eodem modo. MATHETES, Quamobrem?

Sensus exterior affectione percipit.

Motus actione perficitur.

GERON, Quia sensus exterior perpessione quadam percipit, cùm incidentibus rerum subiectarum qualitatibus mutatur. motus autem actione perficitur, cùm nulla res extrinsecus incidit. Quamprimum enim appetitus, aut voluntas facultati motoriæ, cum spiritu per neruos & musculos diffusæ imperauerit, hæc statim concita, quocunque illa tenderit, motum affert, & obtemperat.

Voluntatis imperium.

MATHETES, Quale hoc est voluntatis imperium? GERON, Promptum & euidens: sed plerunque adeò obscurum ac tenue, vt nos omnino fugiat, quemadmodum in oculorum & palpebrarum motu, in compluribus, tum capitis, tum manuum gestibus, nec non in dormientium respirationibus, corporisque agitationibus, ad quas nihil, aut minimum intenti videmur. in resolutione, cum nerui spiritu & facultate sint destituti, nulla vel efficacissima voluntas motum efficere potest.

Motus causa præcipua.

MATHETES, Quæ ergò præcipua motus causa existit? GERON, Spiritus & facultas potius quàm appetitio ac voluntas: nisi enim huic animi quoque intentio & conatus quidam accesserit, quæ facultatem alioquin torpidam languidamque in particula ad agendum incitet, imperium illius parum erit efficax, siue oculos in diuersa contorquere, aut omnes simul partes commouere, aut sensibus vniuersis simul & perfectè quippiam percipere volueris, etiamsi instrumenta salua & integra extiterint.

Motus causæ quot.

MATHETES, Quot igitur motus causæ sunt? GERON, Facultas cum spiritu, voluntas siue appetitio, & animi intentio. MATHETES, Quo pacto facultas animalis motum

Facultatis animalis motus qui fiat.

affert? GERON, Dum voluntatis imperio,& animi conatu incitatur, illaque neruum primum ac musculum intendit, firmiusque in se contrahit,& ea simul partem adducit,in quam inseritur,siue id os siue membrana sit. quoties enim facultas musculum intendit, & contrahit, simul & os cui insinuatur, & totum membrum, cui id subiectum est, mouet. ac propria musculi actio, est contentio, &

Musculi propria actio.

contractio: extensio autem & relaxatio, ceu quædam remissio. MATHETES, Quis status musculi est laboriosus, quisque naturalis?

Musculi status laboriosus.

GERON, Cùm nimium aut contrahitur, aut extenditur, cumque membrum citra laborem & defatigationem diu multumque extendi aut contrahi nequit. MATHETES, Quis lassitudinis & doloris expers? GERON, Medius inter extremos, in quo musculi omnes remissi sunt. si verò hoc musculi immobiles continentur, sic vt quies non adsit, sed motus dolorque, is græcè τονικός, quasi tensorius appellatur. MATHETES, Quæ mentis & intelligentiæ sunt functiones?

Musculi status naturalis.

Status tonoticus.

Mentis functiones nullo instrumento obeuntur.

GERON, Ex facultatibus ipsius quas modo exposui, discere poteris. omnes intus adeò sunt abditę, vt nunquam forâs prodeant, neque mens ad has exequendas vllo siue interiore, siue exteriore instrumento indigeat. In his rerum simulacris versantur, quæ in principe sensu conseruantur, veræque sunt illorum notiones, sensibus perceptæ: ob quod etiam omnium formarum summa, & præstantissima rectè vocatur, quòd vna reliquas omnes cernat percipiatque: non autem in singulis subsistit, sed ex his generalius quiddam colligit. Ea porrò est notionum simplicium, tum singularum, tum generalium ratio, in quibus veritas, aut falsitas nulla versetur. MATHETES, Ad quid notiones istæ menti seruiunt? GERON, Ad hoc, vt si ipsa illis componendi facultatem adhibeat, temporis coniunctione interposita plurima, quibus veritas aut falsitas inest, rectè possit componere: atque postea de compositis planam ferre sententiam, hoc bonum esse asseuerans, illud honestum esse, negans. Hęc mentis functio, discretio, ac iudicium appellari potest, quod nunc verum nunc falsum ferri solet. MATHETES, Quomodo fit ratiocinationis facultatis actio? GERON, Cùm mens excitata ex notionibus rerum plurima colligit, aut inductione, aut argumentatione, de quibus vel scientia, vel opinio habetur. illa quidem fit, cum argumentum ex principijs, ac Theorematis necessarijs, hæc autem ex probabilibus concluditur. MATHETES, Quæ contemplandi functio est? GERON, Mentis, & intelligentiæ nostræ ad res generales, necessarias, & æternas cognoscendas intentio, quid in illis verum, aut falsum sit, prospiciens. Quod studium si perseueret, sapientia dici potest. sin autem

Mens formarum omnium præstantissima.

Notiones ad quid menti seruiant.

Compositio.

Iudicium.

Ratiocinandi munus.

Scientia.

Opinio.

Contemplatio.

Sapientia.

ad res

ad res caducas declinet, non tamen in totum eas ſectetur, ſed ad hominum commoda & vſus referatur, intelligentia nominatur, quę in actione conſiſtit. cùm autem hominum bona inter ſe differant, meliora deligendi ſtudium, prudentia eſt. Quoniam autem dubia ſunt & incerta, mens de illis conſilium captat, conſultat, & deliberat: cùm autem id accuratiùs peragit, ſolertia, ac ſagacitas appellanda eſt. ars autem, ſi intellectus actioni addictus, Theoremata concepta, notáque, bono conſilio, rectaq; ratione ad opus quoddam perducit. eiuſdem quoque voluntas appetens illorum eſt, quæ rationis iudicio, deliberatione, & iudicio ſemel recepta, & probata ſunt. Ideo intelligentia vocatur appetitio: nam vt cupiditates ſenſui, ita voluntas intellectui coniuncta eſt. vbi verò bonum & vtile opus quoddam faciundum ſtatuerint, tum appetitum rationis participem mouet. Id tandem, quicquid bonum iudicatum elegit, non pura quidem voluntate, ſed bono conſilio & deliberatione confirmatur. Omnes iam mentis functiones habes explicatas, ſi memoriam adhuc adiunxero. MATHETES, Quo pacto ipſa fieri ſolet? GERON, Generales notiones rerum & formæ, ſemper intelligentiam mouent & impellunt, quæ in ſola illius intentione conſiſtunt: ſimulacra verò, omni animi conatu, actioneq; ſedula, & animo prorſus conquieſcente, ſeruantur. atq; ſic mens atq; intelligentia meminiſſe dicuntur. At vbi generales iſtæ notiones aliquando euanuerint, ſingulorum ſimulacra, ex quibus illæ conceptæ fuerunt, quæq; ſenſus communis retinet, rurſus intellectum incitant, impelluntq;, vnde illa ſimiles ac olim notiones generum, eliciet. Quando mens has ſe prius nouiſſe ſentit, intelligentiæ memoria vocatur. Ideo mens & intelligentia non per ſe & primariò meminit, ſed principis ſenſus adminiculo, in quo memoria primariò, non autem in mente reſidet. MATHET. Eſtné idem recordatio, quod memoria? GERON, Non profectò, ſed collapſę memoriæ reuocatio. Nam quandiu conſtans & dilucidum externæ rei ſimulachrum fuerit, id mentem è ſenſu principe impellens, memoriam rei à qua ductum eſt, excitare poterit. ſin id vniuerſum non retineatur, ſed pars eius vel temporis longitudine, vel morbo, vel alia quauis iniuria delata fuerit, pars autem reliqua tàm exigua ſit, vt neq; animum incitare, neq; rem exteriorem integram repræſentare queat, tunc certè memoriam perijſſe dicemus. At ſi exigua illa pars ceu origo & ſeminarium quoddam, animum poterit vel minimum excitare, hæc ſtatim conſecutione quadam & ſerie, in proximum & affine aliquid, mox in tertium, deinde in aliud migrabit, quouſq; admirabili rerum continuatione & ordine priſtinam cognitionem recipiat.

Prudentia. *Sagacitas.* *Ars.* *Voluntas.* *Notiones rerum.* *Simulacra.* *Memoria.* *Memoriæ intelligentiæ.* *Recordatio.* *Memoriæ interitus.*

Recordatio.

hoc pacto mens reminiſcitur, eiusq; actio recordatio exiſtit. Non inſtitueram in his mentis actionibus enarrandis tam prolixus eſſe, cum Ariſtoteles de ipſis copioſè tractauerit. ob quod etiam Galenus & alij veteres medici, nullam ferè mentionem fecerunt. MATHETES, Quamuis ſatis iam de animæ tum facultatibus, tum functionibus ex te audiuerim: tamen adhuc in dubitationem ad-

Facultates non ſimul omnes offenduntur.

ducor, an verum ſit, quòd cùm vna aliqua inter tres iam enumeratas mentis facultates, per morbos offenditur, reliquæ ſaluæ & incolumes permaneant? GERON, Quid ni? ſæpè enim fingendi vis læſa cernitur, ratione ac iudicio conſtante: quo viſa, falſa eſſe ac mendacia agnoſcit: ſicut etiam dormientes, ea quæ in ſomnis vident, non vera, ſed illorum commenta eſſe iudicant, in quibus fingendi imaginandiq; facultas violata eſt, ratiocinatio autem & memoria integra deprehenditur. alij quamuis in delirio perperam iudicent, & ratiocinentur, tamen familiares, & quęcunq; occurrunt, agnoſcunt, & præteritorum retinent memoriam. MATHETES, Credo tibi, & in hiſce, & in alijs plurimis caſibus ſæpiùs verſato. ſed cauſam libenter ex te audirem. mihi enim videtur, niſi ſingulæ proprias ſedes ac diſcretas habeant, non poſſe fieri, vt aliæ lædantur, aliæ maneant integræ. GERON, Ita quidam ſentiunt, qui ſimilem & eandem animæ eſſentiam, omnibus ineſſe putant: non autem pręſtantiorem in his quàm in illis inueniri. ſi verò diligentiùs rem expenderent, indubiè illam quamuis ſimplicem, facultates in alijs abſolutiores exhibere, functionesq; nunc expeditiùs, nunc tardiùs exequi, deprehenderent. quotidiè enim experimur, alios natura, ingenio, & cogitandi facultate valere, qui memoriam & ratiocinationem habeant infirmam: alios contrà memoria pollere, quibus nihil, aut minimum rationis, ac iudicij inſit: alios acri ac ſyncero iudicio valere, qui non expedita co-

Variæ facultates animæ.

gitatione, ac firma abundant memoria. MATHETES, Quid ergò varias haſce facultates efficit? GERON, Diuerſa corporis & inſtrumentorum ipſius conſtitutio, ex temperamento & conformatione profecta. horum nanq; ſtatum animi facultates & mores, (vt Galenus in libello quodam docuit) ſequitur. MATHET. Inſitáne ſola ac ingenita nobis conſtitutio corporis, an etiam acquiſita illas mutat? GERON, Non, ſed vtraq;. corpus ſordibus liberum purumq;, vegetam mentem, moresq; bonos parit: ſordidum impurumq; torpidas animi vires, & mores corruptos generat. Atq; ſi hęc in ſecunda valetudine animaduertuntur, quid mirum erit, ſi corpus morbo grauiore conflictetur, cerebro impedito, animi vires etiam vehementer, aut erroribus implicari aut perturbari (verbi gratia) quando corpus ac ſpiritus per febris ardores

vehe-

vehementiùs iactatur, mens quoq; conſtare non poteſt, ſed turbulentiùs concitata mouetur, viresq́; eius elangueſcunt, vt conuellantur, non quidem protinus omnes, ſed ita vt aliquæ etiam maneant incolumes. hæ cauſis incidentibus minus reſiſtunt, ſed facilius offenduntur: validæ autem magis obſiſtunt iniurijs. Cui igitur comprehenſio infirma obtigit, is in ea ſola delirabit, ſi leniùs delirium inciderit, multaq́; aliena cogitatione finget. cui autem iudicium minus firmum donatum eſt, is perperam tantum iudicabit, & ratiocinabitur. At ſi magnum delirium ſuperuenerit, omnes pariter animi facultates principes perturbantur, modo æquali, modo inæquali iactura: eodem modo in reliquis facultatibus accidit. cum enim aduerſarium quippiam in eas æqualiter irrumpit, ea ſanè quæ imbecillior fuerit, opprimetur. quę autem valentior, irruenti iniuriæ obſiſtit etiam, ſi eadem in ſede reſideant. Sed quid multis te moror, vſu tandem & exercitatione artis, ipſe rem ita habere comperies. nunc ad vitales actiones me conferam. MATHETES, Quot & quales ſunt?

Delirium.

GERON, Multæ, quæ à vitali ſeu animali facultate proueniunt, vt lætitia, ſpes, deſperatio, confidentia, metus, amor, miſericordia, inuidentia, excandeſcentia, quæ Græcè θύμωσις dicitur, iracundia, ira, odium, inimicitia, diſcordia, furor, verecundia, pudor, modeſtia, cunctatio, præcipitatio, & reliqui alij cordis motus, qui ex philoſophis potius quàm ex medicis cognoſcuntur. MATHETES, Qui verò ex medicis?

Vitales functiones.

GERON, Pulſus, & reſpiratio. MATHETES, Quid ambo propriè exiſtunt? GERON, Pulſus ſanè, qui Gręcis à ſaliendo σφιγμὸς dicitur, peculiaris eſt mouendi, primùm cordis, deinde arteriarum ratio, à vitali facultate proueniens: eaq́; duplex. prima cor, arteriasq́; in omnem partem diſtendit, vnde græcè διαστολὴ vocatur: altera vndiq; ſummittit: ob quod Græcis συστολὴ nominatur. MATHETES, Quid eſt reſpiratio? GERON, Septi tranſuerſi & thoracis muſculorum motus, qui ex voluntate inſtituitur, ac gręcis ἀναπνοὴ appellatur. Duæ huius quoq; partes ſunt: quarum vna inſpiratio nobis, græcè εἰσπνοὴ, altera latinè expiratio, græcè ἐκπνοὴ dicitur. MATHET. In quem vſum reſpirationem & pulſum natura condidit? GERON, In eundem, nempe ad vitæ conſeruationem, quamuis diuerſo modo fiat. MATHETES, Id quæſo breuiter mihi explices. GERON, Faciam pro mea virili. Galenus multos de vtraque functione libros conſcripſit, ſed tam prolixas, vt quis longo tempore ad eos legendos, ne dicam intelligendos, indigeat. artificioſa quidem via & ratione, quam methodum vocant, ipſos compoſuit, an autem vſu & exercitatione, ea quæ ab illis tradidit ex-

PVLSVS.

RESPIRAtio.

Vſus pulſus & reſpirationis.

Galenus artificioſe conſcripſit libros de functione animali & vitali.

pertus fuerit, non audeo affirmare. Quare hîc malo esse breuior, & illa tantùm indicare, quæ ego annis iam quadraginta ampliùs, cùm in ægris, tum in sanis obseruaui, sic tamen vt nihil ex ijs quæ adolescenti medico futuro cognitu necessaria videntur, omittam. MATHETES, Nondum satis intellexi, qua ratione pulsus & respiratio vitam nostram conseruent.

Calor natiuus quomodo conseruetur.

GERON, Audiuisti superiùs, calorem nostrum genuinum, aërem frigidum continuè desiderare, quamuis ipse sit æthereus. sin autem eo destituatur, extingui: idq; trifariàm.

Quot modis extinguatur.

primùm, quòd non refrigeretur: secundò, quòd idoneo careat alimento: tertiò, quòd nullus aër sit offusus, in quem fumosa caloris excrementa erumpant.

In balneis, caldarijs, & æstu.

Exempli gratia, in balneis, caldarijs, & æstu vehementi, calor insitus ideo contabescit, quod nullo refrigerio recreetur. Si enim æstus ambiens, immoderatior fuerit, illum vti lucernæ flammam, forâs euocat, dispergitq; adeò, vt vel nihil, vel certè paruulum eius reliquum maneat, ob quę debilitamur, infirmamur, extabescimus, & tandem emorimur. E contrario, sicut frigus moderatum & æquabile, calorem natiuum similiter vt flammam extrinsecus conseruat, tueturq;, ne dissipetur,

Frigus immoderatum vitam tollit.

ita immoderatum, si diu perseueret, illum intrò reuocans, perinde vt calor aduersarius vitam tollit. Porrò hoc tibi etiam animaduertendum erit, circumfluum nobis calorem non modo inde esse noxium, quòd natiuum nostrum digerat, dissipetq;. sed hinc etiam, quòd cor ipsum, visceraq; magis ac magis inflammet, non autem vllo modo refrigeret: vnde propria ipsorum essentia consumitur interitq;.

Calor ambiens cur nobis sit noxius.

Calor inspiratus.

Id calidus feruidusq; aër diutiùs inspiratus, euidenter magis efficit. simili modo in exiguo eodemq; aëre continuò versati, suffocamur, vt in aqua modica pisces. MATHETES, Huius rationem exponas?

Cur in exiguo aëre versati suffocentur.

GERON, Quia paucus aër spiritu reddito, facile incalescit adeo, vt postea refrigerij opem præstare nequeat.

Motio corporis nimia calorem natiuum dissipat.

Simili ratione vehementior corporis motio exercitatioq;, sicut æstus aut balnea, innatum calorem dissipat aboletq;: moderata eum conseruat, & excitat.

Otium.

otium ignauum reddit, sicut mediocris ventilatio flammam auget, nimia dissoluit. Contrà in balneis & solis ardore, calor natiuus extinguitur, quòd refrigerij inopia non recreetur.

Pulsus & respiratio calorem nostrum refrigerant.

Quemadmodum iam per pulsum, ita quoq; per respirationem, calor natiuus refrigerium alimentumq; consequitur.

Respiratio magis quàm pulsus refrigerat.

quantò autem magis respiratione, quàm perspiratu, ad calorem natiuum refrigerandum indigemus: tantò etiam frigidior aër respiratione haustus, commodior, quàm per latentes cutis meatus attractus, existit. Cuius rei indicium est, quòd qui calidum aërem spiritu attrahunt, extrinsecus licet frigido circunfundantur, celeriùs extinguuntur intereuntq;, quàm qui in hypo

causto

causto frigidum inspirant. MATHETES, Quomodo calor natiuus alimenti idonei penuria extinguitur? GERON, Cùm os, & nares, aut fauces ita præcludũtur, vt nihil aëris hauriri possint. Quicunq; enim in aquam demergitur, statim suffocatur & emoritur, nisi aëris refrigerio refocilletur: non quòd refrigeratione, sed quòd idoneo caloris & spiritus alimento, sit destitutus. MATHET. Quæ tertia causa est, cur natiuus calor extinguatur? GERON, Fumosorum caloris & spiritus recrementorum retentio. nam vt flamma à crasso multoq; fumo, sic cor ab illis immodicè congestis opprimitur, suffocaturq;. sic fieri solet, cùm quis copiosum aërem eumq; frigidum attraxerit, & totum pulmonibus ita comprehenderit, vt nihil illius deinceps expiret. Atq; hæ sunt tres istæ causæ, quibus caloris natiui interitus ascribitur, vt eius conseruatio, solius aëris nos ambientis, qualitatis & essentiæ moderationi, fertur accepta. MATHETES, Ergo vis illa, quam cor perpetuis agitare motibus dixisti, ex aëre idoneo arrepto, refrigerium, alimentumq; ipsi suppeditat, & fuliginosa excrementa forâs expellit? GERON, Ita. eadem etiam ex corde in arterias perueniens, has quoq; attollit submittitq;, vt partes quibus dispensatæ sint, refrigerio aëris recreet, earumq; excrementa extrudat. Quandiu autem insitus omnium illarum partium calor, moderatus, exiguusq; fuerit, arteriarum pulsus, satis ipsum tueri ac conseruare poterit. nam vis illa cordi insita, ex ipso in arteriarum tunicas influit, eodemq; modo & tempore ipsas, quo illud attollit, submittitq;. MATHET. Cur arteriæ etiam eleuantur? GERON, Vt sese suaq; ipsarum spiracula aperiant, caloris natiui refrigerandi ventilandiq; gratia, & aërem nos ambientem vndiq;, ad spiritus generandos tenuemq; sanguinis portionem ad se trahant. quippe communes per tunicarum ipsarum spiramenta, & oscula transitus, partim in cutem, partim in viscera & intestina, partim in venas obtinent. MATHE. Vnde hoc cognoscam? GERON, Inde, quòd vniuersus animantis sanguis, arteria magna vulnerata profundatur. MATHE. Cur arteriȩ submittuntur? GERON, Vt fuliginosa halituosaq; recrementa, ex humorum spirituumq; vstione generata, in cutẽ aliasq; partes expellant. MATHETES, Potéstne arteriarum pulsatio, tanto cordis calori ȩquale refrigerium adferre, vt ipse conseruetur? GERON, Non sanè potest, sed maiore quodam auxiliario indiget, nempe pulmone, præsertim in ijs animantibus, quæ copioso sanguine & calore sunt prædita: sicut in piscibus bronchia. Quando enim cor ardoris incendio flagrat, nec satis pulsatione agitationeq; sua refrigerari potest, tunc pulmones, sentiendiq; facultatem vrget, incitatq;: mouẽdi autem vis, necessariò, septum transuersum, tho

Calor alimenti penuria extinguitur.

Excrementa fuliginosa calorem natiuum extinguunt.

Vis cordis agitans quid præstet.

Arteriarum vis ex corde.

Arteriarum eleuationis vsus.

Transitus communes per arteriarum tunicas in alias partes.

Submißionis arteriarum vsus.

Respirationis necessitas.

Pulmones vt reſpirationi inſeruiant.

racem & pulmones huic annexos, frequenter attollit, & ſubmittit. MATHETES, Cur pulmones attolli oportet? GERON, Quia tunc ſpiritus in eos tanquam in follem introducitur: cùm autem ſubmittitur, ille rurſus emittitur. ſic frigidus aër inſpiratione hauſtus, omnia interanea celerrimè penetrat, eaq; refrigerio refocillat. At ſicut arteriarum pulſus reliquarum partium calorem, ita inſpiratio cordis ardorem temperat, expiratio autem illud fumoſis recrementis expurgat. MATHETES, Hac ratione, cordis arteriarumq; eleuatio inſpirationi, ſubmiſsio expirationi reſpondere videtur. GERON, Sic habet. nam ambo ipſa, tum reſpiratio, tum pulſus, ob vnum eundemq; vſum animantibus donata ſunt. MATHETES, Qua in re diſcrepant? GERON, Quòd hic à facultate vitali, illa ab animali proueniat: item quòd hic ſine interuallo, ſineq; voluntate noſtra continuetur, illa plerunq; interrumpatur, libera quidem, ſed arbitrio noſtro ſubiecta. poſſumus enim cùm volumus reſpirare, idq; frequentiùs, aut rariùs, tardiùs aut celeriùs: aut è contrario, intermittere cum libet, & cohibere. At pulſus cordis & arteriarum motiones excitare, nec ſupprimere, imò neque mutare aliter poſſumus, etiamſi velimus. MATHETES, In noſtra igitur voluntate ſitum eſt, reſpirationem prorſus ſedare, continere, & prohibere? GERON, Exiguo quidem tempore, aut certa proportione, perpetuò autem & in totum, non item. ideò reſpiratio non æquè libera eſt, noſtriq; arbitrij, vt locutio, aut ambulatio, ſed vrgente affectu incitatur. ſunt enim inter motus voluntarios alij prorſus liberi, quos quandocunq; & quantumlibet efficere poſſumus, nulla nos ad eum vrgente neceſsitate: alij liberi quidem, ſed ab affectibus quibuſdam corporis incitati, vt reſpiratio, vrinæ & alui excrementorum retentio.

Motus voluntarij duplices.

MATHETES, Etſi iam audierim ex te, qua ratione pulſus & reſpiratio fiat, tamen oro te, vt eadem iterum repetes, ne quid cognitione dignum mihi excidat.

Idem opus & vſus pulſus reſpirationisq;.

GERON, Quemadmodum cordis & arteriarum pulſus calorem noſtrum natiuum fouet, ſic etiam reſpiratio, ad quam perficiendam pulmones à natura ſunt conditi. MATHETES, Quis huius

Reſpirationis auctor.

auctor eſt? GERON, Motus voluntarius, cui ſeptum tranſuerſum & thorax, varijs muſculis agitatus, tum interioribus tum exterioribus intercoſtalibus, nec non ijs qui in abdomine habentur, inſeruiunt, ſicut etiam aſpera arteria reſpirandi via, pulmoq; aëris receptaculum, quem & per os, & per nares attrahimus. Quan-

Quibus muſculis ad reſpirationem indigeamus.

do igitur ob nimium calorem reſpirare cogimur, eorum muſculorum ope indigemus, qui thoracem & conſequenter pulmones, attollunt. quum autem hi rari leueſq; exiſtant, facilè obtemperant, quocunque ducantur. ſi ergo modica eſt reſpirandi neceſſitas,

ſitas, ſolius ſepti tranſuerſi eleuatio ſatis illi fecerit: ſi maior præter ſeptum, thorax quoque modicè attollitur, idque interiorum muſculorum intercoſtalium ſubſidio. At ſi maxima requiratur inſpiratio, muſculi thoracem ambientes extrinſecus, & qui ab humeris ad ſuperiorem eius regionem deſcendunt, opem ſuam ferunt, ſic vt omnes ſimul illum attollant. Quòd ſi expirationis vehementis vſus fuerit, quæ efflatio dicitur, intercoſtales exteriores muſculi valdè thoracem ſubmittunt, & alij, qui huius inferiora extrinſecus tegunt.

Reſpiratio modica, aut maior quibus partibus auxiliarijs abſoluatur.

Inſpiratio maxima quibus muſculis fiat.

Expiratio, quibus perficiatur.

MATHETES, Quomodo aër inſpiratus per os nareſque præparatur, vt ex eo ſpiritus vitalis generetur? GERON, In aſperam arteriam, eiuſque ramos per pulmonem diſperſos delatus, primùm in illo elaboratur, & vi carnis illius natura tenuis, mollis, & aëreæ, concoquitur, abſoluiturque. Non enim rudis ille aër exterior, frigidus & impurus, ilico idoneum ſpiritus interioris pabulum fieri poteſt, ſed antea ipſum qualitatem quandam innato ſpiritui, familiarem induere oportet. Hac iam præditus elaboratuſque, vnà cum ſanguinis vapore ex dextro cordis ſinu egreſſo, in ſiniſtrum defertur, & inſita illius vi, magnoque caloris incendio in vitalem commutatur, & tandem per arterias diffuſus, calorem toti corpori impertit. porrò ex hac aëris inſpirati concoctione, complures fuliginoſi vapores naſcuntur, ac forâs rurſus tum cordis, & arteriarum pulſatione, tum pulmonis expiratione depelluntur, vt iam antea recitaui.

Spiritus vitalis quomodo ex aëre inſpirato fiat.

Aëris elaboratio.

MATHETES, Excidit mihi ferê, quomodò aër ſpiritus & ſanguis per pulmones diſtribuantur, quare ne te pigeat eadem rurſus mihi in memoriam reuocare. GERON, Quando thorax attollitur, aſperæ pulmonis arteriæ, per inſpirationem aëre, læues autem pariter fumoſo excremento replentur. atque id ex ſiniſtro cordis ſinu extruditur, ne ipſum vitioſitate ſua ſuffocet. ex dextro autem ſinu, ſanguis per venam arterioſam ad pulmones fertur, ibique attenuatur: deinde ſimul cum aëre per venalem arteriam ad ſiniſtrum cordis ventriculum, defertur. atque inde pulmoni nutriendo tranſmittitur. Cæterum fumoſum excrementum per aſperas arterias expiratur, quando pulmones ſubmiſſo thorace in ſe collabuntur, idque omnibus illis vaſis quodammodo coarctatis. aër autem elaboratus, quaſique concoctus in pulmone, in ſiniſtrum cordis ſinum per læues arterias, (quas venoſas appellaui) immittitur. tenuis verò ſanguis qui in venis illis continetur, non amplius, cùm pulmo ſubmittitur, in dextrum cordis ſinum reuertitur, ſed à ſingulis illius partibus, familiaritate quadam arreptus, in eius carnem alimenti loco impellitur.

Quomodo aër ſpiritus, & ſanguis per pulmones diſtribuantur.

MATHETES, Poſſuntne etiam venæ iſtæ arterioſæ expirando ſubmitti? GERON, Admodum parum, ſicut neque attolli inſpi-

Venæ arterioſæ an ſubmittantur in expiratione.

ratione, vt quæ duplici constent tunica. verùm hos motus illæ potissimum arteriæ edunt, quæ propria spiritus sunt instrumenta. MATHETES, Quo situs ordine tria ista vasa collocata sunt? GERON, Aspera sanè arteria vndiq; media est, nempe inter læuem arteriam, atque venam arteriosam posita. MATHETES, Súntne illa extremis suis inuicem coniuncta? GERON, Non sunt, neq; aër qui asperæ arteriæ inest protinus in læuem traducitur, sed vbi extremæ omnium fibræ, in totam pulmonis carnem distributę fuerint, quicquid in eis collectum est, id omne in illam illabitur, pérque eandem (cùm sit mollis & valdè rara) aër, & fuliginosum excrementum transit, expirationeq; in idonea vasa relabitur. Atqui sanguis, vbi è venis in carnem influxerit, in ipsammet degenerat, nec potest nisi per vlcus in tabe in asperas arterias redire: quamuis recrementa, quæ ex pulmonis nutritione quotidie proueniunt, per eas simul cum sputis reddantur. MATHETES, Vnde fit, quòd singulæ istæ materiæ sic distribuantur? GERON, Ex pulmonis respiratione, cui etiam cordis motus ac pulsatio, admodum validè opitulatur. MATHETES, Quo pacto? GERON, Quia vbi cor attollitur, aërem præparatum in sinistrum eius sinum per læues arterias assumit, & sanguinem ex caua vena in dextrum arripit, membranis seu valuis horum vasorum adapertis. vbi verò submittitur, sanguis ex dextro sinu per arteriam venosam in pulmonem effunditur: spiritus autem iam vitalis effectus, in magnam arteriam (quam aortam vocaui) paritérq; in minores emittitur: quando omnes illas dilatari oportet. MATHETES, Cordísne & arteriarum motus, siue pulsus, ex toto inter se conueniunt? GERON, Similitudine quidem aliqua magnitudinis, velocitatis, & frequentiæ, sibi inuicem respondent, adeò vt ex illarum contactu, cordis motum deprehendere liceat: verùm vbi cor submittitur, illæ attolluntur: vbi verò hoc attollitur, illæ submittuntur. Nam quando cor submissum, spiritum illis immittit, ipsæ attolluntur: non solo autem spiritu & sanguine vaporis instar attenuato repletę, sed etiam pulsandi facultate donatę sunt: aliâs non possent omnes eodem temporis momento, pulsum edere: eò quòd spiritus per arterias statim in corporis extrema, peruadere nequeat. Quum igitur vniuersę simul pulsare deprehendantur, rationi consentaneum est, eandem illam vim attollendi, submittendíq; motus effectricem, vt cordi, sic arteriarũ tunicis inesse: quanquam origo eius illi tantum accepta referri debeat. MATHETES, Estné eadem pulsus, quæ vitæ facultas? GERON, Nullo modo. hæc enim tum spiritus, tum caloris efficax est, atq; in solo corde sita: illa verò arterijs & cordi simul communis est. MATHETES,

Aspera arteria media inter læuam arteriam, et venam sita.

Pulmonis respirationi pulsus cordis opitulatur.

Cordis & arteriarum motus quare differant.

Vitæ facultas non est pulsus.

Quibus

Quibus vitalis iſta diſtribuitur? GERON, Oſsibus, cartilaginibus, carni, & deniq; vniuerſis corporis partibus, quibus vitam & calorem ſalutarem largitur. ac nullum membrum illius beneficio & fauore deſtitutum, manet incolume & ſuperſtes. Nullum etiam præter cor & arterias extat, quòd pulſandi motu agitetur. MATHETES, Inferior igitur pulſus vis eſt, quàm vitalis? GERON, Procul dubio. hæc enim illius veluti formula eſt, quæ tum ſpiritum eius tum calorem diſtribuit, tum modum quendam innato calori adhibet, & certa ratione gubernat. MATHETES, Magnam pulſuum neceſsitatem & vſum explicaſti, num verò vna eorum ſit ſpecies, an plures, ignoro.

Vitalis vis quibus diſtribuatur.

Pulſus inferior, quàm vitalis facultas.

GERON, Complures inueniuntur, nempe aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ, aliæ quæ ad alias referuntur. Simplices quinque conſtant generibus. in primo arteriæ vel multùm, vel mediocriter, vel parum attolluntur: vnde pulſus magnus, aut mediocris, aut paruus dicitur. in altero idem ex qualitate motus, celer, vel mediocris, vel tardus appellatur. in tertio ex tempore quietis creber vel mediocris, vel tardus vocatur. in quarto ex virium ratione alius vehemens, alius mediocris, alius languidus cenſetur. in quinto & poſtremo ex arteriæ quam attingimus tunicæ ſtatu durus, aut mollis, aut mediocris percipitur. Atq; hi ſimplices pulſus exiſtunt, qui nuſquam ſeorſum, ſed in compoſitis reperiuntur. MATHETES, Qui ſunt compoſiti? GERON, Qui ex quinq; ſimplicium generibus conſtant, ſuntq; numero ſeptendecim. primus eſt magnus, celer, creber, vehemens, mollis. ſecundus eſt in omnibus ſimplicium generibus mediocris. tertius eſt paruus, tardus, rarus, languidus, durus. quartus in primo ſimplicium genere magnus, in reliquis mediocris. quintus magnus, tardus, rarus, imbecillis, durus. ſextus in omnibus ſimplicium generibus mediocris. ſeptimus mediocris, celer, creber, vehemens, mollis. octauus mediocris, tardus, rarus, languidus, durus. nonus paruus, celer, frequens, vehemens mollis. decimus paruus, & in reliquis generibus mediocris. vndecimus magnus, celer, & in aliјs generibus mediocris. duodecimus magnus, celer, rarus, languidus, durus. decimus tertius in magnitudine & celeritate mediocris, frequẽs, vehemens, mollis. decimus quartus magnitudine, & celeritate mediocris, aliàs rarus, languidus, & durus. decimus quintus paruus, tardus, frequens, vehemens, mollis. decimus ſextus paruus, tardus, in reliquis generibus mediocris. decimus ſeptimus languidus, durus, & in aliјs mediocris. Præter has compoſitarum ſpecies, adduntur pulſus ordinati, & inordinati, proportionem ſeruantes, vel eius expertes, ęquales & inęquales. Notandum au-

Pulſuum differentiæ.

Simplices.

Pulſus compoſiti.

tem plures tum ſimplicium, tum compoſitorum pulſuum eſſe differentias. quia verò non admodum medicis ſunt neceſſarij & vtiles, conſultò hîc prætermiſi. MATHETES, Poſſuntne omnes ſimplicium ſpecies quibuslibet coniungi? GERON, Nequaquam.

Qui pulſus coniungi nequeant.

quædam enim conſiſtere inuicem nequeunt, vt magnus & durus, eoq́ rariſsimè connectuntur: maximus & duriſsimus nunquam. quum enim arteriæ duæ in omnem partem attolli nequeunt, certè nec magnus pulſus fieri poteſt: multò minus maximus, vt poſteà audies.

Pulſus laudatiſſimus quis.

MATHETES, Quis inter compoſitos iſtos pulſus omnium eſt laudatiſsimus? GERON, Sextus numero. is nanq́ omnium aliorum ceu regula exiſtit, & nullo in corpore quàm in temperatiſsimo, & optimè habito, quod vocant quadratum, inueniri ſolet.

Pulſus æqualis.

MATHETES, Quos pulſus æquales & inæquales appellaſti? GERON, Primos voco, qui priſtinam magnitudinem, celeritatem, frequentiam, vehementiam, & mollitiem retinent. alteros, in quibus omnia iam dicta genera immutata ſunt, inæquales. In quibus autem non omnia ſimul, ſed vnum aliquod, vel duo, vel tria, variantur magnitudine, aut celeritate, aut alio genere, inæquales dicuntur.

Inæqualis.

MATHETES, Quis pulſus eſt ordinatus? GERON, Qui diuerſitatem ſuam in multis ictibus ſeruat, vt ſi octo ſint continuè vehementes, nonus autem languidus: deinde ſi iterum octo vehementes ſequantur, & nonus rurſus languidus, & ſic deinceps alij. is quidem pulſus vehementia licet inæqualis, tamen ordinatus appellatur: quoniam eandem diuerſitatem retinet: eoq́ poſt octo pulſus validos, nonus imbecillis continuò ſequitur.

Pulſus ordinatus

at ſi diuerſitas illa immutetur, ordoq́ perturbetur, tunc fortitudinis ſeu vehementiæ ratione & inæqualis, & inordinatus erit. Pari modo, ſi vndecim pulſus magni fuerint, duodecimus autem paruus: iterumq́ vndecim magni, duodecimus item paruus: ac tertio vndecim magni, duodecimus paruus, is magnitudine quidem collectitia, quæ Græcis συστηματικὴ dicitur, erit inæqualis, ſed ordinatus. Sin autem iſte pulſuum proceſſus interturbetur, ſic vt quidam ſint magni, quidam parui: nunc octauus, nunc ſextus, nunc quartus: ea pulſandi ratio tum inæqualis, tum inordinata exiſtit.

Inordinati & inæquales pulſus.

Eadem ratione in reliquis omnibus differentijs ſimul inęqualis, ita vt eadem diuerſitas in proceſſu non continuè reſeruetur, is pulſus abſolutè inordinatus, ſicut etiam ſimpliciter inæqualis erit. Obſeruandum autem inter contrarios omnium generum pulſus, medios ſiue mediocres quoſdam exiſtere. inter ęqualem verò & inæqualem, ordinatum & inordinatum nullos, niſi forte is etiam dicatur medius, qui circuitibus ordinem ſeruat. verbi gratia, quando quatuor pulſus magnitudine continuè impares

pares ſunt,& alij rurſus totidem proportione paruos illos ſequantur, idq́ ea ratione, vt quintus primo, ſextus ſecundo, ſeptimus tertio, octauus quarto reſpondeat. tales enim pulſus, ſi ordinem continuum amittunt, inordinati ſunt: ſi verò circuitus ſimiles ſeruant, hiſce inordinati vocantur, qui inter ordinatos & inordinatos medij quodammodo exiſtunt. MATHETES, Quæ ſunt aliæ pulſuum differentiæ?

GERON, Quæ ex qualitatum proportionibus ſumuntur, cùm celeritas & tarditas, ſubmiſsionis & eleuationis arteriarum inuicem conferuntur, hoc eſt, quando obſeruamus, num arteriæ æquali tempore, tum eleuentur, tum ſubmittantur: an inæquali vel mediocriter, quæ ratio Grȩcis ῥυθμὸς vocatur: vnde pulſus qui pari eleuatione & ſubmiſsione conſtat, ἐυρυθμὸς: qui impari, παρυθμὸς dicitur. atq́ alius rhythmus æqualis, alius inæqualis exiſtit. Æqualis tum in eleuatione, tum in ſubmiſsione triplicem habet ſpeciem, nempe vt in vtraque ſit vel celeris, vel immoderata, vel tarda qualitas. inæqualis ſex conſtat differentijs, vt ſubmiſsio ſit prima celeris: ſecunda iterum celeris: tertia moderata. aut initio moderata: deinde tarda: poſtea iterum tarda. MATHETES, Quid indicant nouem iſtæ rhythmorum differentiæ? GERON, Morborum motiones bonas, malásue illorum ſolutiones, quas Græci κρίσεις nominant. Galenus curioſè multa de his tradidit. quia verò ad philoſophos magis quàm ad medicos pertinere videntur, non opus eſt diu hîc illis immorari. MATHETES, Quotuplex eſt inæqualis? GERON, Duplex: vna in multorum pulſuum congerie reperitur, quam συστηματικὴν, quaſi collectitiam Græci appellant. altera in vno tantùm pulſu deprehenditur, ac ſingularis dici poteſt. Syſtimatica rurſus duplex eſt. alij nanque pulſus æqualiter inæquales fiunt, alij inæqualiter. MATHETES, Declara quomodo inæqualiter fiant?

Rhythmicus pulſus, aut pararhythmus.

Pulſus inæquales quot.

GERON, Si pulſus ſecundus paulò minor ſit primo, tantoq́ tertius ſecundo, & quartus tantò etiam tertio, & pari modo reliqui, donec ad plures veniatur, is pulſus Græcis à cauda muris μυοῦρος, eò quòd paulatim decreſcit, & illius modo extenuatur, latinobarbaris decurtatus vocatur. MATHETES, Simpléxne eſt pulſus iſte myurus? GERON, Non, ſed duplex. hic enim non ceſſat imminui, donec deficiat: atque is myurus deficiens appellatur: alter imminui ante defectionem deſinit, priuſquam arteria moueri ceſſet. Hi duo rurſus bifariàm diuiduntur. alius nanq́ non ceſſat imminui, donec deficiat: atq́ is deficiens myurus nominatur. alius ceſſat imminui antequam defecerit, hoc eſt, priuſquam arteria moueri deſiſtat. Illi rurſus bifariàm diuiduntur. alij nanq́ in ea-

Myurus pulſus.

dem paruitate perseuerant, ad quam gradatim deciderunt. alij non item, sed rursus augentur, & reciproci myuri nuncupantur, redeuntque ad primam magnitudinem, aut ad maiorem, aut ad minorem. qui verò pulsus non sensim, nec æquali inuicem distantia feruntur, ægrotis sæpissimè superueniunt. MATHETES, Quis pulsus intermittens dicitur? GERON, Inæqualis ob raritatem: quia pulsatio vna, vel duæ, vel tres desunt. MATHETES, Quis dicitur intercurrens? GERON, Inæqualis frequentia. nam inter duas pulsationes, tertia veluti superuacua interuenit. MATHETES, Quis est deficiens? GERON, In quo arteria motu destituitur, sicut etiam in myuris deficientibus accidit. is si intus agitari incipiat, reciprocus deficiens appellatur, intermittenti affinis, nisi quòd post longius fiat interuallum, quo arteria permanet immobilis. at intermittens, vno, vel duobus, vel tribus, summum quatuor, raró quinque pulsibus omissis, alios repetit. atque hæc systimaticę collectionis est diuisio. MATHETES, Quæ est singularis inæqualitas? GERON, Quæ in vno fit pulsu, ac duas in celeritate & tarditate differentias obtinet. primam in vna arterię parte, alteram in pluribus, qua plures digiti attingunt. quæ in vna parte, sub vno est digito, tres habet species: prima est, cùm motus fit interruptus, quiete interpellante, vnde fiunt pulsus vna pulsatione intermittentes. secunda, in qua motus est continuus, nulla quiete intercisus, à celeritate in tarditatem transiens, aut contrà qui nobis inæqualis citatus, græcè ἀνισοταχὺς vocatur. tertia est, quæ motu retrocedente, & redeunte, pulsus facit bis pulsantes, quos Græci δικρότους appellant. MATHETES, Quæ est inæqualitas vnius pulsus? GERON, Quæ in diuersis fit arteriæ partibus, quas plures digiti contingunt, nempe duo, vel tres, vel quatuor. MATHETES, Quot reliquæ sunt inæqualitates? GERON, Quot in qualitate motus fiunt, tot etiam in genere qualitatis virium existunt, vt alius sit vehemens, alius mediocris, alius imbecillis. nam vnam partem aut plures occupat. vnam sanè trifariàm, nempe aut motu continuo, aut interciso, aut dicroto. Atque hinc totidem fiunt, quot in genere celeritatis, aut tarditatis existunt. totidem inæqualitatis species habet etiam qualitas arteriæ, præterquàm quòd in vna arteriæ parte, huius generis inæqualitas esse non posit, sicut nec illa simul & mollis, & dura. in diuersis autem arteriæ partibus inæqualitas in vno pulsu sæpiùs percipitur. non potest enim inęqualitas in qualitate eleuationis arteriæ, vna in parte consistere: quia neque magnus & paruus pulsus in eadem parte fieri potest: in diuersis autem partibus, arteriæ tot sunt differentiæ inæqualitatis secundum magnitudinem, quot in genere celeritatis & tarditatis

sunt

Pulsus intermittens. *Intercurrens pulsus.* *Pulsus deficiens.* *Inæqualis singularis.* *Pulsus vnius inæqualitas.*

ſunt inuentæ. nam tum interrupto, tum continuo motu æqualiter & inæqualiter fiunt: quales vocantur myuri in vno pulſu, & qui dicuntur prominuli. Si nanq; pulſus ſub primo digito ſit magnus, ſub ſecundo minor: item ſub tertio adhuc minor, qui eſt ad ægroti pollicem, æqua proportione imminutus, myurus in vno pulſu, ſeu decurtatus nuncupatur. ſi verò media pars arterię magna ſit, vtrinq; verò parua, tales prominuli vocantur. Pręter has inæqualitates, vltimum pulſuum genus ex tempore quietis ſumitur, quod pulſus frequentes, mediocres & raros efficit. In hoc etiam apparet inęqualitas collectitia, quę in multorum pulſuum congerie ſita eſt, dum quietis interualla partim maiora ſunt, partim minora & ſingularia, non vno quidem in pulſu, ſed in diuerſis arteriæ locis, dum videlicet non omnes ſimul mouentur, nec ſimul quieſcunt: ſed alij prius, alij poſterius moueri incipiunt, aut finiunt. Præter iam dictas inæqualitates, accedit etiam alia quædam multis morbis communis, ex ſitu arteriæ prognata, in qua partes illius aliâs trahi ſurſum, aliâs deorſum, prorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum ſolet: pulſus qui in his fiunt, nobis tenſi gręcis τείνοντες vocantur. MATHETES, Quæ aliæ extant præter ſimplices illas inæqualitates?

Myuri in vno pulſu.

Pulſus prominuli.

Pulſus tenſi.

GERON, Complexæ, ſiue ex ſimplicibus compoſitæ, quarum magnus eſt in re medica vſus. MATHETES, Quomodo connectuntur? GERON, Collectitia iungitur ſingulari, non in diuerſis tantùm partibus, ſed etiam in ſingulis ſimul, nec vnius generis, ſed duorum quoq;, trium, quatuor, & deniq; omnium quinque, quæ abſoluta inæqualitas eſt dicta. exempli gratia: cùm pulſus fiunt inæquales, tum in magnitudine, tum in celeritate, tum in frequentia, tum in vehementia, tum in mollicie, idq; vno in pulſu & in multorum congerie. At rarò vnica in pulſu inæqualitas reperitur, quin alias ſibi aſciſcat, interdum omnes: qualis Antipatro medico accidiſſe apud Galenum de locis affectis legitur. MATHETES, Quæ propria habent nomina tales pulſuum connexiones? GERON, Nulla, ſicut neq; febrium, præter hæmitritęos. Veteres autem medici appellant vndoſum, vermiculatum, formicalem, caprizantem, ſerrantem, ſpumoſum, vibratum, tremulum, palpitantem, hecticum, ſtrepentem. MATHETES, Quis eſt vndoſus, qui Galeno vocatur κυματώδης?

Pulſuum inæqualitates compoſitæ.

Pulſuum nomina.

GERON, Quem duæ potiſſimum inæqualitates ſimul coniunctæ efficiunt, ſic vt diuerſæ tum magnitudo eleuationis arteriarum in diuerſis partibus, tum frequentia com[illegible]iſceantur: ob quas non omnes ſimul partes mouentur, ſed in[illegible]ò prima, hinc ſecunda, deinde tertia, poſtea quarta, idq; motu non interrupto, ſed

Pulſus vndoſus quis.

continuo: cui altitudo partium quarundam accedit. aliarum ſubmiſsio ac humilitas, vndarum ſeſe attollentium modo, ſic vt altera priorem ſemper excipiat: ſuperiùs proficiſcens, vſq; ad arteriæ finem verſus ægri pollicem, vnde pulſus ille vndoſi nomen accepit. MATHETES, Quid aliud huc accedit? GERON, Inæqualitas etiam in remiſsione virium. nam aliæ partes validiùs, aliæ debiliùs manum tangentis feriunt, nec celeritatis æqualis eſt progreſſus, ſed aliæ partes celeriùs, aliæ tardiùs cientur: præcipua tamen duo illa, magnitudo & frequentia diuerſa, huic pulſui nomen peculiare dederunt. MATHETES, Quis eſt vermicularis?

Inæqualitas in remißione virium.

Pulſus vermicularis quis.

GERON, Cùm vndoſus totus in paruitatem & tarditatem delabitur, ſic vocatus, quòd vermis inceſſui ſit aſsimilis, vnde etiam Græcis σκωληκίζων dicitur. nam vermes illi quos lumbricos terræ nominamus, vndarum modo progrediuntur, rependo, non currendo. MATHETES, Qua in re differt vndoſus à vermiculari? GERON, Eleuationis arteriæ imminutione & tarditate: quamuis quibuſdam ſuis partibus frequens ſit, tamen etiam alijs rarus. hæ nanque partes longiùs quieſcunt, illæ breuiùs. MATHETES, Quis vocatur formicans pulſus?

Vndoſi & vermicularis differentia.

Pulſus formicans.

GERON, Qui eiſdem conſtat inæqualitatibus, quibus vermicularis, quamuis tardus appareat, quòd admodùm ſit exilis ſeu paruus, imbecilliſq;, adeò vt imperiti homines ſæpe affirment ægros pulſum non habere, in quibus modicè frequentem deprehendunt. MATHETES, Vnde formicans dicitur? GERON, Quòd tardum & minutum formicæ motum repræſentet, vnde etiam Græci illum μυρμηκίζοντα nominant. eſt enim omnium minimus, tardiſsimus, languidiſsimus: nonnulli falſò celerem eſſe arbitrantur. quemadmodum enim formica frequenter pedes mouet, ſed parum promouet, eoq; ſpatium exile vix iuſto tempore tranſcurrit: ita pulſus formicans exiguum motum difficulter, licet frequenter, conficit, falſam celeritatis ſpeciem referens. poteſt motus ille tremori manuum conferri. Nam vt in hoc vis imbecilla breuiſsimo ſpatio manum valdè frequenter effert, ita in pulſu formicante ob paruitatem & frequentiam, nulla quies ſenſibilis inter contrarios motus percipitur. Non rarò hi duo pulſus, formicans & vermicularis in ſe mutuò conuertuntur. huius enim extremi in paruitatem delapſus, formicantem parit: illius primi ad magnitudinem incrementum, vermicularem gignit. non tamen neceſſariò formicans ſemper vermicularem præcedit: aut vermicularis formicantem ſequitur. MATHETES, Quis caprizans & quare ſic dicitur?

Pulſus caprizans.

GERON, Ex duabus conſtat inæqualitatibus diuerſis à ſuperio-

perioribus. annumeratur generi vno in pulſu intermittentium, quos intercedit quies. non poteſt autem ſola celeritatis inæqualitas caprizantem efficere, niſi etiam ſecundi motus vehementia priore maior, accedat. MATHETES, Cur ſic appellatus eſt pulſus? GERON, Quia arteria inſtar capræ, gemino motu ſalire videtur. cùm enim hæc aliam aggreditur, primò ſe effert: priuſquam verò impetum abſoluat quem incepit, paulùm ſe retinet: vbi verò à motu deſinere videtur, ſtatim altero longè celeriore & fortiore irruit. MATHETES, Quem vocas grçcè ἐμπριῶνα, latinè ſerratilem?

Pulſus ſerratilis dictus.

GERON, Qui inæqualitatem in vno pulſu, præſertim in diuerſis arteriæ partibus, motu interciſo ſortitur: ac quatuor eius ſunt differentiæ. vel enim primus digitus & tertius motum ſentiunt. ſecundus non item, nec quartus: aut primus, ſecundus, & quartus, non autem tertius: aut primus & quartus, non autem ſecundus & tertius. præterea alteram quoq; habet in tunica inæqualitatem: eſt enim inæqualiter durus. Inſuper tertiam quoque inęqualitatem ex ſitu mutato habet: quoniàm eſt tenſus. MATHETES. Quò tenditur? GERON, Surſum & deorſum, hoc eſt, à pollice ægri, & ad illum. neceſſe autem eſt in his omnibus ſimul coniunctis, vt is qui pulſum eiuſmodi tangit, imaginem rei cuiuſpiam quæ pulſum ſecat, ſerræ inſtar comprehendat. ſic enim & ſerræ ſecant, dum tenduntur. Galenus hunc pulſum inter differentias omnium, omiſit. MATHE. Quis eſt ſpaſmodes, ſiue conuulſorius?

Pulſus ſpaſmodes, ſiue conuulſorius.

GERON, Qui duplicem ex mutato ſitu arteriæ inæqualitatem obtinet. nam ſurſum & deorſum, hoc eſt, à pollice ægri, & ad pollicem tenditur. Adhæc effertur, ſeu flectitur in altum, ſicut tendines & nerui, in conuulſione manuum vel pedum efferri, ſiue eminere dicuntur. atq; hæ duæ ſitus mutationes ipſis ſunt peculiares: accedit interdum etiam tertia dextrorſum, vel ſiniſtrorſum deflexio. MATHETES, Perge obſecro reliquos abſoluere.

Pulſus vibratus, ſiue turbulentus, ramoſus aut arcuatus.

GERON, Qui vulgo vibratus, aut turbulentus, aut ramoſus, aut arcuatus, Græcis κλονώδης dicitur, eaſdem habet ſitus arteriæ variationes, quas etiam conuulſorius: ſed maior eſt in conuulſorio tenſio ſurſum & deorſum, quàm in vibrato: rurſus in hoc maior eſt eminentia in altum, quàm in conuulſorio. MATHETES, Quid ſurſum & deorſum intelligis? GERON, A pollice ad ægri pollicem: cùm autem in altum pono, eminentiam quæ cutim verſus eſt, intelligo. Sunt aliæ quoq; inæqualitates compoſitæ in vibrato, præter duas priores iam dictas: nam alia pars vehementius, alia remiſsiùs, alia celeriùs, alia tardiùs pulſat: propriè autem partes quædam in altum tendunt, quædam vno eodemq; tempore, demittuntur: quod ſic accipias: Arteria in vibrato pulſu ſu-

prà exilit, nempe ad cutim, quam etiam ſecum ex ſede effert, atq; iterum retrò trahitur, quòd nec continuò ſeruet, nec per interualla, ſed vno eodemq; momento. altera eius pars ſuprà ad cutim fertur, velut eiaculata: alia intrò ferri videtur, veluti à quopiam retracta: atq; vna validiùs ferit, alià remiſsiùs, alia tardiùs, alia celeriùs. Conuulſorius pulſus cùm diſtenditur, lineis immutatis medijs vtrinq; tenſis, vt in hac figura —^— apparet. Vibratus autem lineis multùm inflexis in altum, & acuminatis, —Λ— vt Struthius annotauit. Aliquando vna arteriæ vibratio, vel duæ, vt in ijs qui ſubitò expergiſcuntur à ſomno videtur. aliâs plures: vnam in diuerſis arteriæ partibus, quarum non eſt conſtans eleuatio & contractio, ſed aliæ partes exiliunt, aliæ eodem modo diſsiliunt.

Pulſus tremulus MATHETES, Quid de tremulo & palpitante pulſu dicis?

GERON, Cor arteriæq;, eleuatione & ſummiſsione, ex quibus pulſus conſtat, non alio motu agitantur: in ægris autem cor & arteriæ ſæpiùs tremunt & palpitant. aſcribimus autem tremulum & palpitantem pulſum inęqualibus compoſitis: quia tremor & palpitatio inæquales variationes, magnitudinis, vehementiæ, & frequentiæ efficiunt. Plærunq; accidit, vt corde palpitante & tremente, arteriæ nec tremant, nec palpitent: & contrà, arterijs palpitantibus aut trementibus, cor nihil tale percipiat.

Pulſus hecticus. Hecticus pulſus eſt, qui perpetuò idem mouet: febris hectica ſemper ſui ſimilis, neq; nouas per interualla mutationes, neq; acceſsiones excitat. nam continua & perſeuerans arteriarum eſt agitatio, cuiuſcunq; ſpeciei ſit. Sunt autem tres compoſitorum pulſuum differentiæ, quæ ſæpiùs in ægris quibuſdam hecticæ, hoc eſt, perſeuerantes eædem, & ſemper ſui ſimiles fieri ſolent. MATHETES, Quem vocas ſtrepentem pulſum?

Pulſus ſtrepens. GERON, Galenus ſcribit eum nunc in contuſione arteriæ, nunc ſine illa fieri, non tamen abſq; duritie: maior & vehemētior, cum quodam veluti ſtrepitu ſub digitis percipitur. MATHE. Quid per ſtrepitum intelligis? GERON, Idem ferè quod ſonos: & quamuis diuerſus ſit à motu, tamen motui ſuperuenit. MATHETES, Súntne aliæ adhuc pulſuum differentiæ? GERON, Sunt quidem à Galeno plures excogitatæ, ſed parum ad medicinam vtiles, ſicut Ioſephus Struthius in Sphygmico ſuo opere deſcripſit. MATHETES, Rogo igitur te, vt quomodo differentias illius dignoſcere poſsim, breuiter me edoceas.

Pulſuum differentiæ quomodo dignoſcendæ. GERON, Non admodùm facile eſt omnium pulſuum notas habere perſpectas, niſi ex longo vſu & exercitatione. tibi adhuc veluti in rudimentis medicinæ verſanti, pauca ſufficiunt, quę viam tantùm & rationem ad maiora conſequenda, indicent. Primùm

mum igitur temperati hominis, tanquam aliorum normæ & regulæ, pulſum cognoſcere oportet, ſi de alijs iudicium proferre volet, ad quod Hippocratis docendi methodus, quam ὅμοιον πρὸς ὅμοιον vocat, adducitur. non obiter autem, ſed diligenter explorari debet: idq; dum arteriæ proprium ſuum motum à nulla cauſa exteriore immutatum ſeruant. MATHETES, Quale corpus eſſe oportet? GERON, Quod nec diu antè in otio vixerit, nec recens exercitatum ſit, nec diu à cibo abſtinuerit, nec iam cibum ſumpſerit: in aëre temperato verſetur: liber ab animi affectibus, mente quieta, ætate iuuenili. MATHETES, Qualis huius erit pulſus? GERON, Inter omnia genera medius, ſiue mediocris. ſi huic aliorum hominum pulſus comparaueris, magni vel parui, celeres vel tardi, frequentes vel rari, molles vel duri, imbecilles vel vehementiores eſſe videntur. quare moderatum pulſum ſemper in memoria habere, frequenter explorare ſiue attingere conuenit. Quamuis autem rarò corpora ad amuſsim temperata naſcuntur, tamen etiam quæ parum ab illis differunt, ſæpiùs examinanda ſunt. MATHETES, Quid præterea agendum erit? GERON, Aliorum quoq; tum ſanorum, tum ægrorum pulſus, frequenti manuum attactu experieris, vt quantũ à moderato diſtent, cognoſcas. At ſatiùs eſt naturalem ac proprium ægri pulſum anteà cognouiſſe, quàm in morbum inciderit. nam arteriæ alijs aliter moueri ſolent. MATHETES, Quomodo quis proprium naturalem cuiuslibet hominis pulſum accuratè noſſe poterit? GERON, Si per ſanitatem integram in quiete crebrò pulſum attingat. MATHET. Id mihi fieri non poſſe videtur, cùm medicus non omnium pulſum ante ægritudinem experiri poſsit. nam plęriq; ægri medicos ſæpè deſiderant, cum quibus dum eſſent ſani, nullam haberent notitiam. GERON, Rectè dicis. ſed quia medicus non omnes nouit, à quibus conſulitur, communium arteriarum notitiam habere oportet, quas communitates appellant: quarum quantò quis peritior fuerit, tantò plus alijs præſtabit. MATHET. Eius rei exempla referas. GERON, Communis eſt natura virorũ: communis item fœminarum: adhæc communis calidiorum: communis frigidiorum temperamento: nec non communis craſſorum, communisq; gracilium: ac rarum eſt in ſingulis communitatibus, quod non priuatim inſit hominibus. Qua de cauſa qui commune pernouerit, rariùs in priuato errabit, niſi forſan in monſtroſis. Quidam enim à natura aliquid ſingulare habent, ob quod tamen communitates minus verę dici non debent. MATHETES, Non ſatis aſſequor, quem pulſum magnum aut paruum propriè dixeris? GERON, Is propriè magnus vel paruus eſt, quem non ex mole arte-

Norma cognoſcendi pulſus.

riarum,ſed motus quantitate metimur. atq; ille quidem ſic dicendus eſt,cùm arteriæ ſic in omnem partem attolluntur, ſiue extenduntur,vt nulla partium laxitas in eis deprehendatur. hic autem, nempe paruus,vocari debet,quando partes laxæ in arteria adhuc adſunt,quæ attolli poſsint. In ſenibus igitur quando arteriæ parùm eleuantur,paruus pulſus exiſtit:in pueris quando arteriæ plurimum attolluntur,pulſus magnus eſſe dicitur: etſi illi multò maiores arterias obtineant. Porrò vt verè & propriè, magnos vel paruos pulſus tactu cognoſcas,variè manus adhibenda eſt, nunc vt comprimatur,nunc vt ſuſpenſa ſit,nunc vt medio modo habeat. Longitudo autem pulſus, ſuſpenſa manu faciliùs percipitur. nam ſi ad eam explorandam comprimentes digitos applices, in validis quidem parum aut nihil deprehendes:in imbecillis verò, arteriæ motus magna ex parte interit, interdum totus aboletur. Sin autem medio modo adhibeas, nihil nocebis: imbecilles verò ſupprimes & obſcurabis. Suſpenſa itaq; manus ad longitudinem percipiendam,omnium eſt aptiſsima, quòd nullum in ea pondus arteriæ incumbat,nec vlla vis ei inferatur. MATHET. Quo manus applicandæ habitu, altitudo ac latitudo pulſus inueſtigatur? GERON, Faciliùs medio & comprimente, niſi obſcuritas pulſus obſtet, quæ preſsionem non admittit. At non ſolum manus applicandæ ratio, ſed etiam figura, qualis in eo eſſe debeat,cuius pulſum attingimus cognoſcenda eſt. nam prona meliùs longitudinem & latitudinem indicat:ſupina verò altitudinem. quia ex hac cutis ſuperiùs incumbit,& denſior reddita,in arteriam delabitur: atq; ita cutis in ſeſe collecta, illam grauat, eleuationiq; obſiſtit,ſicut in prona ab arteria recedit,laxiorq; euadit: ob quod eleuationem arteriæ non impedit. At ſi arteria in prona figura edendo motui, & perficiendo,magis oportuna fuerit, altitudo non tam accuratè,ut longitudo & latitudo in ea percipitur.quia dum iſtæ augentur, altitudo celatur. vt autem eam percipias, opus erit,ut digitis arteriam premas,vel medio modo attingas: ad quod nihil adfert auxilij ſi cutis recedat. nam cùm ea premitur, rurſus ad arteriam aſtringitur. Itaque pulſus quem attingis, ſi moderatum quantitate excedat,magnus erit:ſi verò moderatus illum ſuperet, paruus exiſtet. hæc ſanè pulſuum collatio cum moderato facta, in ſanis locum habet. quæ verò cum naturali fit pulſu, per integram valetudinem conſueto in ægris, & qualitatum mutationem expertis, eſt accommodatior. MATHETES, Quem ergò vocas magnum, aut paruum ægri pulſum? GERON, Illum qui naturalem ipſius eleuatione arteriæ ſuperat: hunc qui à naturali vincitur. Quòd ſi arteria ob carnem copioſiorem,vel adipem,vel humo-

Manus in cognoſcendis pulſibus magnis & paruis quomodo adhibenda.

Pulſus longitudo qua manu percipiatur.

Pulſus altitudo & latitudo.

Manus figura.

Prona.

Supina.

Magnus pulſus.

Pulſus magnus & paruus in ægris qui dicatur.

humores locum illius obsidentes, attolli prohibeatur, non facilè pulsus aliquis deprehendi potest. MATHET. Quomodo celer & tardus pulsus dignosci possunt, quos secundo generi attribuisti?

Pulsus celer & tardus quomodo dignoscantur.

GERON, Si in sanis moderato conferas; si in ægris, naturali, per locorum arteriæ immutationes, sic vt manus suspensa adhibeatur, si pulsus est imbecillis: comprimens autem, si validior. vbi enim ex tactu senseris arteriam non multùm in locis suis immorari, dum attollitur, sed velociùs à superficie vna in alteram impetu ferri, quàm in pulsu temperato vel naturali, is celer dicendus est: si verò tardiùs superficiem mutat, diutiùs in locis cunctando, is tardus vocabitur. Sunt qui hos pulsus non ex locorum commutatione, sed ex tempore duntaxat metiantur, id quod Galenus non approbat. Ne autem mireris, quòd Galenus non vno in loco celerem pulsum esse dicat, in quo arteria vnico tempore eleuetur: tardum, in quo multo: moderatum, in quo mediocri. Nam paucum, vel multum tempus non simpliciter intelligendum est, sed ita vt spatij per quod motus fit, ratio habeatur: hoc est, vt cùm celer motus fit, paucum tempus magni spatio comparetur: cùm autem tardus fit motus, vt longum tempus cum exiguo spatio conferatur. MATHETES, Quo pacto tertij generis pulsus, vt frequens, rarus, & inter hos moderatus, cognosci poterunt?

Celer pulsus quis.

Tardus.

Pulsus frequens, rarus & moderatus quomodo cognoscatur.

GERON, Facilè, si quietem quæ motus est priuatio tactu perceperis. duplex autem est illa, vt anteà dixi, nempe exterior & interior: eoque raritas & frequentia similiter gemina est: vna quæ exteriorem, altera quę interiorem quietem respicit. Si igitur tunica arterię in vltimo loco (quem eleuatione ingressa est, antequàm submitti incipiat) diutius moretur, quàm pulsus moderatus, aut naturalis, rarus pulsus secundum exteriorem quietem dicetur: si breuiùs moretur, frequens erit. MATHETES, Qua manus applicandæ ratione explorari debet? GERON, Suspensa. hæc enim ad quietem exteriorem cognoscendam tam in languidis, quàm in validis pulsibus est aptissima: vt quæ nullam motus partem impediat. MATHETES, Cur non in hisce pulsibus arteriam digitis comprimis? GERON, Ne motus illius arceatur, impediaturque, quò minus totus perficiatur, neque aliquando in totum aboleatur. MATHETES, Quando motus arteriæ supprimitur? GERON, Cùm ipsa digitorum onus non tolerat, atque tunc falsa quies necessariò apparet, qui motus aboletur. MATHETES, Quousque arteria quiescere solet? GERON, Quandiu in loco moratur. diutiùs autem moratur: quia dum illam digitis comprimimus, violentia prohibetur ne ascendat. MATHET. Arteriáne cutim motu suo digitosque medici reijcit, ac eo vsque se attollit, donec motum suum finiat, ac

Rarus pulsus.

Frequens.

Arteriæ motus quando supprimatur.

tunc primùm in digitis conquieſcit, vbi motum ſuum abſoluerit? GERON, Minimè, niſi arteria vehementi motu ſit prædita. nam in pulſu imbecillo non ſolùm non digitus medicantis, ſed ne cutis quidem manus ægroti attolli poteſt, eò quòd arteria pro virium robore grauiora vel leuiora onera ſuſtinet, attollitq;. Si verò folium aliquod, vel membranam, vel linteolum, aut aliud ſimile quippiam arterijs extrinſecus appoſueris, id ipſum vnà cum illis moueri attolliq; videbis. Si rurſus tandiu priori appoſueris, iam motus amborum multò obſcurior erit: ſi tertium addas, adhuc multò erit languidior: nouiſsimè tandem motum abolitum cernes. ita ſi motus vehementior fuerit, arteria plurium corporum grauitatem ſuſtinebit: ſin minus vehemens, paucorum: ſi nequaquam vehemens, nullum onus ferre poterit: ſi languidus fuerit, ne ipſam quidem cutim loco mouere, tantùm abeſt, vt pondus cuti foris impoſitum eleuare poſsit. Bona igitur ratione manu ſuſpenſa, quietem exteriorem cognoſcere licebit: quanquam etiam comprimenti in validis pulſibus vti poſsis, ſi caueas ne motui obſis, hoc eſt, ne exterior motus pars ſenſum ob preſsionem fugiat. Contrario modo interior, raritas & frequentia comprimente manu meliùs percipitur: ſuſpenſa nequaquam. id notes etiam, interiorem quietem nunquam ſynceram deprehendi, ſed vnà cum partibus eleuationis & ſubmiſsionis, quę ſentiri nequeunt. MATHETES, Non ſatis intelligo, quid ſit raritatem & frequentiam inferiorem manu comprimente dignoſcere. GERON, Si tantùm arteriam comprimas, quantùm per pulſus vehementiam præſentem licebit, tactuq; proſequaris ſubmiſsionem quouſque poſsis, vt ſcias, vbi ille deſeratur. Nam ſi tactus diutiùs quàm in moderatis aut naturalibus pulſibus deſeratur, rarus: ſi verò breuiùs, frequens pulſus eſſe, inferæ ſcilicet quietis ratione dicetur. MATHETES, Quæ vera quies inferior exiſtit? GERON, Quæ inter eleuationis principium & ſubmiſsionis finem intercedit: ac media eſt, quæ neq; in imbecillis, neque in vehementibus pulſibus ſyncera vnquam percipi poteſt. MATHETES, Quomodo validus ſeu vehemens pulſus, languidusq; ſeu imbecillis, aut debilis dignoſci poterunt?

Exterior quies ſuſpenſa manu percipitur.

Interior quies.

Pulſus raritas & frequentia inferior.

Pulſus quies inferior.

GERON, Si pulſus digitis comprimentibus tactum noſtrum euertit, vehemens dici debet: ſi verò à tactu ſic applicatis digitis euertitur, languidus: ſi pulſus neq; tactum euertit, neq; ab eo euertitur, medius vocabitur. non autem hic eſt ille, qui in corpore temperatiſsimo reperiri ſolet, quale valida opera efficit, fortésque pulſus edit. medius autem imbecilles vires habet. quamuis enim eo valentior ſit, qui à tactu euertitur: tamen illo qui tactum euer-

Pulſus validus, debilis, & medius quomodo dignoſcendi.

Corpus temperatiſsimum.

euertit,eſt imbecillior. MATHETES, Quis ergo in hoc genere virium qualitate medius,ſiue moderatus erit? GERON, Qui in optimo corporis ſtatu eſt: in quo omnes magnæ commotiones deſunt, vehemens reuera eſt: ſic tamen vt non excedat naturam. Proinde pulſus temperatiſsimi hominis, alia ratione eſt medius, alia extremus. quâ enim alij hoc ſunt validiores (quales in iratis, exercitatis, vini potoribus, & criſes morborum experiuntibus deprehenduntur) alij rurſus illo minus ſunt validi, hâc exiſtit medius. MATHETES, Quot ſunt qualitatis virium differentiæ? GERON, Tres, vt vehemens, inualidus, & vtrinq; medius. MATHET. Quis ergo temperatiſsimi hominis pulſus medius? GERON, Qui non ex media, ſed extrema differentia ſumitur. MATHET. Exemplum eius adferas. GERON, Pulſuum qui ex virium qualitate æſtimantur, alius eſt vehemens, tactum medici euertens: alius medius, qui nec euertit, nec euertitur: alius imbecillus, ſiue inualidus. At vehemens rurſus trifariàm diſtinctus eſt. primus magis validus: alter medius, ſeu temperatus, qui in corpore temperatiſsimo deprehenditur: tertius minus validus eſt, & in hominibus multum variare ſolet. MATHETES, Quis in hoc genere naturalis cenſetur? GERON, Galeni teſtimonio medius, in altera extrema differentia. cura autem vt diligenter vehementem, ſeu validum pulſum examines: aliâs facilè errabis. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia magnum pro vehementi ſæpe accipies. nam ille quoque, ſicut etiam velox, & altus, durus, vibratus, conuulſoriusq; tactum euertit. MATHETES, Non ergo vehemens pulſus ex eo quòd tactum euertit, cognoſcitur? GERON, Non adeò quàm ex eo quòd tactui reſiſtat, & renitatur, licet euertere illum & reſiſtere ei debeat. MATHETES, Cur alij pulſus quos etiam tactum euertere manu ſuſpenſa dixiſti, non vehementes dici poſſunt? GERON, Quia tactu non renitantur manui comprimenti (quod ſoli vehementi proprium eſt) ſed aboleantur deijcianturq;. Magnus in omnem partem arteriam eleuat: celeres velocitate tactum impellunt: alti ſubeunt intrantq;: tenſorij difficulter cedunt: duri premunt tenduntq;: vibrati & conuulſorij, tenſionis & duritiei gratia hoc idem efficiunt: non tamen in qualibet manus explicatione, ſed ſuſpenſa, vel media: comprimente autem nunquam: & ſi in hac quoque idem efficiunt, id vt vehementes, vbi virium robur adeſt, præſtabunt. MATHETES, Quomodo quinti generis pulſus, durus, mollis, & medius dignoſcuntur?

GERON, Ex tunicæ arteriæ qualitatibus, cùm tactu per ſe occurrunt. vel enim dura, vel mollis, vel moderata digitis applicatis deprehenditur. MATHETES, Quibus ſignis qualitates iſtæ

Pulſus moderatus.

Temperatiſsimi hominis pulſus.

Virium qualitatis differentiæ.

Medius naturalis.

Vehemens pulſus quomodo cognoſcatur.

Pulſus durus, mollis, & medius quo pacto deprehendantur.

Mollitiei nota. cognoscuntur? GERON, Mollities quidem, cùm locus in quo pulsus exploratur, humidus & carnosus percipitur, nec non tangenti cedit. *Duritiei nota.* Duritia verò, cùm idem locus corij instar siccus & macilentus apparet, & tactu renititur, siue digitos premit. *Pulsus durus & vehemens quomodo dignoscantur.* MATHETES, Dixisti superiùs, durum pulsum cùm vehementi magnam habere communionem: quomodo igitur alter ab altero dignosci poterunt? GERON, Proprio affectu. vehemens enim digitos comprimentes tolerat, in eoq; tactum euertit: durus autem premit tactum: vehemens non premit, nisi duritiem simul habeat coniunctam. atque hęc duo etiam in rebus exterioribus experimur. Nam fluuiorū quoq; decursus, flatusq; ventorum vehementes sunt, vt non facilè eis resistere possimus, sed ipsi nos attollunt euertuntq;. lapides autem, ferrum, & æs, dura sunt: quæ digitos eis admotos premunt, & post se vestigium pressionis relinquunt: pàrtem corporis nostri, quam attingunt, magis cauam, & interdum liuidam reddunt. venti autem aut fluuij tanquam molles ex facili, circa corpus diffunduntur, circunfluuntq;: nos autem sępè detrudunt, euertuntq;: sic tamen, vt nullum vestigium relinquant, nec partem attractam magis cauam reddant, quod ex pressione fieri solet. MATHETES, Alióne modo præter hunc, vehemens pulsus & durus inter se discernuntur? *Vehementis & duri discretio.* GERON, Vtique. nam vehemens simul etiam magnus, aut certè altus esse: durus, non item potest. Habes iam rationes, quibus singula pulsuum genera dignoscere poteris: vt autem vniuscuiusq; naturam accuratè addiscas, eum quem attingis, cum temperato conferas: & si duriorem illo inueneris, eum durum esse censebis: si verò molliorem, mollem esse iudicabis. suspensi autem vel medij digiti erunt, quos pulsui applicabis. quòd si pulsus tum durus, tum vehemens fuerit, etiam pulsum comprimere digitis licebit. MATHETES, Súntne aliæ adhuc pulsuum differentiæ, præter eas quæ in quinq; generibus prædictis continentur? GERON, Nullæ. nam quæ ab Auicenna & aliis numerantur, vt plenus, vacuus: crassus, tenuis: grauis, lęuis: calidus & frigidus, nullius sunt ad medicinam momenti, ob quod non opus erit, vt tempus in illis diutiùs teramus. satiùs est nunc ad compositorum pulsuum differentias accedere. MATHETES, Quótnam illorum sunt?

Pulsuum compositorum differentiæ. GERON, Superiùs ex numero simplicium satis intellexisti. quia verò ex quinq; generibus commisti sunt, primi compositi dicuntur, magnus, celer, frequens, validus, mollis: secundi, moderati per omnia: tertij, parui, tardi, rari, languidi, duri. at non solùm hi inuicem coiunguntur, vt in simplicibus apparet, sed etiam excessus, defectusq; eorum cognosci debet. non enim tantùm magnus,

gnus, moderatus, & paruus exiſtit, verumetiam maior & maximus, minor & minimus deprehenditur. Similiter in altero genere, non ſolùm celer, mediocris, & tardus exiſtit, ſed etiam celerior & celerrimus, tardior & tardiſsimus. eodem modo in reliquis generibus inuenitur frequentior & frequentiſsimus, languidior & languidiſsimus, durior & duriſsimus, mollior & molliſsimus. MATHETES, Quid ſibi volunt iſti excellentiores aut inferiores pulſus? GERON, Moderatum vel excedunt, vel eo inferiores ſunt. nam maior, magnus, & maximus, moderatum magnitudine excedunt & ſuperant: minor autem, paruus, moderato inferiores ſunt, vt maximus & minimus, extremitates dici poſsint, vel ſuperæ, vel inferæ. harum autem proprij ſunt pulſus minimus, tardiſſimus, rariſsimus, languidiſsimus, duriſsimus: illarum maximus, celerrimus, creberrimus, vehementiſsimus, molliſsimus. MATHE. Quid de rhythmis cognoſcendis habes? GERON, Nihil ferè: præterquam quòd ipſi non cognoſci poſsint, niſi integra tempora eleuationis & ſubmiſsionis arteriarum percipiantur. Galenus rhythmos ex celeritate & tarditate temporum, in eleuatione & ſubmiſsione cognoſcere docet. MATHETES, Quomodo pulſus inæquales diſcernuntur?

Rhythmi quatenus noſcantur.

GERON, Vt totum motum ſenſibilem conſequi poſsis, & tactum pro pulſus magnitudine & vehementia variè adaptare, interdum primus digitus ſubleuari debet, vt num poſt eius ſubleuationem ſimilis pulſus ſub ſecundo & tertio perſeueret, exploremus: an verò maior, vel vehementior deprehendatur. nonnulli enim pulſus faciliùs duobus quàm tribus digitis: alij vno commodiùs inueniuntur. Porrò ſyſtematica ſiue collectitia inæqualitas, duplici ratione cognoſcitur. prima omnes interdum digiti ſubmoueri: deinde exigui temporis ſpatio interpoſito iterum admoueri debent, idq; aliquoties agendum erit. altera pars, quamcunq; tangimus, ita componenda eſt, vt digiti noſtri arteriæ ſubſint, manus autem ægri prona. ſic enim arteria quàm minimùm digitis & cute grauatur, cui non modò digiti noſtri ſæpiùs, verumetiam cutis ipſa onerosa eſſe ſolet. MATHETES, Quo pacto myurus cognoſci poteſt?

Pulſus inæquales quomodo cognoſcantur.

Inæqualitas ſyſtematica.

GERON, Si pulſus digitis arteriæ ſuperiniectis, leuiſsimè dureſcere videtur. ſi verò rurſus increſcunt, & ad priorem ſtatum reuertantur, myuri reciproci vocantur. ſin autem in eadem paruitate perſiſtant, myuri ſunt, nominis expertes. porrò ſi nec ad priorem ſtatum redeant, nec in paruitate perſeuerent, ſed deficiant omnino, & aboleantur, myuri deſinentes. Quòd ſi digitis remotis, & deinde rurſus admotis, nullum pulſum deprehendas,

Myurus.

Myuri reciproci.

Myuri anonymi.

Myuri deſinentes.

Pulſuum aboli-tio, & defectus.

priuatio pulſus exiſtit. MATHETES, Quid differt abolitio à defectu pulſuum? GERON, In hoc quidem ipſi deſinunt, & digitis grauati abolentur: ſed ijs rurſus amotis, iterumq́ applicatis, redeunt ac percipiuntur. in illa neq́ digitis amotis, neque iterum applicatis, neq́ in ſupino, neque in prono manus habitu, pulſus ſentitur: quia eius defectus eſt conſtans & perſeuerans. MATHETES, Quę notæ ſunt pulſuum intermittentium?

Pulſuum intermittentium notæ.

GERON, Quòd poſt vnum, duos, paulóue plures motus, in vna eademq́ manus applicatione deficiant, ac iterum tactui occurrant. contrarij his ſunt, cùm medius aliquis intercurrens tactui inſperato obijcitur: qui etiam intercedens dictus eſt. MATHE. In quo deficientes reciproci, ab intermittentibus differunt? GERON, In eo, quòd non, dum digiti admoti ſunt continuè: ſed vbi amoti fuerint, & deinde rurſus applicantur, ad priorem ſtatum redeunt. MATHETES, Qui ſunt inæquales ſyſtematici pulſus?

Intercedens.

Pulſus ſyſtematici inæquales qui.

GERON, Varij. nunquam enim ſolam & ſingularem vnius generis inæqualitatem, vel in toto corpore, vel in vna tantùm parte gignunt: ſed præter vnius generis inęqualitatem, alia ſimul tria genera immutantur: quæ etiam ſunt inæqualia. Nam (exempli gratia) inęqualitati vehementię & debilitatis, accedunt etiam inæqualitates magnitudinis & paruitatis: celeritatis & tarditatis: frequentiæ & raritatis. At compoſiti inæquales, vt vndoſus, vermicularis, formicans, & alij eodem modo quo ſimplices, cognoſcuntur. MATHETES, Quot pulſuum differentiæ extant, & quibus modis dignoſci inter ſe poſſunt, iam ex te audiui: quæ autem eorum cauſæ ſint efficientes, deinceps me edoceas.

Pulſuum cauſæ quæ exiſtant.

Continentes, ſiue primariæ.

Secundariæ.

GERON, Pulſuum cauſæ aliæ ſunt principes, ac continentes, quas Græci vocant συνεκτικὰς: aliæ ſecundariæ. illæ ſanè vires validæ, aut imbecillæ: nec non arteria mollis, vel mediocris, vel dura: adhæc vſus magnus, vel mediocris, vel exiguus. MATHET. Quæ ſunt cauſæ ſecundariæ? GERON, Quæ ex natura ſumuntur, & quæ non ex hac, ſed aliundè proueniunt: adhæc quæ naturæ aduerſantur. Sub naturalibus continentur temperamenta, ſexus, ætates. ſub ijs quæ non ex natura prodeunt, comprehenduntur aër, ſomnus, vigilia, exercitatio, cibus, potus, animi affectus, excretiones, regionesq́, & anni tempora. naturæ aduerſantes cauſę ſunt, morbi cauſa, morbus ipſe, & ſymptoma, hoc eſt, quod morbo ſuperuenit. MATHETES, Quos pulſus cauſæ primariæ, ſiue continentes edunt? GERON, Aliæ proprios, & inſeparabiles, nec non familiares: alię familiares tantùm & proprijs carent. MATHETES, Quid vocaș proprios, qui ſeparari nequeunt? GERON, Qui ab vna eademq́ cauſa continente proueniunt. MATHETES, Quos fami-

Cauſæ primariæ quos edant pulſus.

Pulſus proprij ac inſeparabiles qui dicantur.

Pulsus familiares.

familiares? GERON, Qui à pluribus causis continentibus, duabus aut tribus proficiscuntur. quamuis autem ab vna quandoq; oriantur, non tamen ab eadem perpetuò fiunt. MATHETES, Qualem pulsum facultas seu vis cordis edit? GERON, Robusta quidem proprium, vehementem: familiares autem preter hunc magnum, celerem, & rarum, imbecilla verò proprium, languidum: cum hoc autem alios familiares, paruum, tardum, frequentem.

Facultates robustae pulsus.

MATHETES, Quem pulsum arteria mollis gignit? GERON, Proprium, mollem: deinde etiam cum hoc familiares, magnum, celerem, rarum: sicut dura proprium quidem durum, familiares autem paruum, tardum, & frequentem.

Arteria mollis.

MATHETES, Qualem vsus, siue calor increscens, vel spirituum penuria? GERON, Nullum quidem proprium, sed familiarem tamen magnum: nunc magnum & velocem, nunc magnum, velocem simul & frequentem. sicut vsus seu calor decrescens etiam nullum habet proprium, sed familiarem ei paruum, vel paruum simul & tardum: vel paruum, tardum simul & rarum.

Caloris augescentis pulsus.

MATHETES, Quomodo hoc intelligam? GERON, Cùm vsus augescit, primùm pulsus magnitudo gignitur, si hæc non facit satis, accedit etiam velocitas: si neq; hæc cum magnitudine necessitati respondet, ob nimium calorem incrementumq;, adiungitur etiam frequentia. E contrario, cùm vsus siue calor imminuitur, primùm frequentia, deinde velocitas, postremò magnitudo recedit. quippe pulsuum familiarium recessus, aduentui est contrarius. Primùm itaq; raritas apparebit: deinde si maior adhuc vsus fuerit, succedit etiam tarditas: si maius adhuc frigoris incrementum fiat, paruitas quoq; subsequitur.

Decrescentis caloris pulsuum ordo.

MATHET. Hæc sempérne ita habent? GERON, Non, sed quousq; pulsus ob solum vsum auctum, aut decrescentem immutatur, sic vt nulla alia continens causa à natura degeneret. vbi enim non solum vsus, sed etiam aliæ causæ mutantur, & à mediocritate recedunt, alio modo habet. MATHETES, Qui pulsus apparent, si facultas & vsus à mediocritate recedant? GERON, Si illa sit valida, & calor augescat, pulsus erunt magni, celeres, crebri, & vehementes: si plurimùm calor increuerit, nascuntur maximi, celerrimi, & frequentissimi: quoniam celeres, & crebri cum magnis necessitati non satisfaciunt.

Facultatis validioris, & caloris aucti pulsus.

At si facultas sit inualida & vsus imminutus, pulsus parui, tardi, frequentes, & languidi edentur. si valdè languescat facultas, minimi pulsus intermittentes & deficientes percipientur. Rursus si facultas valida quidem sit, vsus autem siue calor decreuerit, pulsus erunt moderati magnitudine, tardiores, & euidenter rari. si frigus excellat, vehementes. nam magnitudo moderata cum vsui respondeat, efficit, vt arteriæ cauis quiescant, non

Pulsus contrarij superioribus.

autem celeriter moueantur, quamuis non tardè. MATHETES, Cur magnitudo in his moderata est? GERON, Quia valida facultas naturalem motus mensuram seruat, licet vsus ea non indigeat. nam vt pulsus manifestò minor euadat, vsum valdè dissolutum esse oportet, sic vt frigus modum excedat. Quòd si vsus seu calor increuerit, vis autem imbecilla euaserit, supra naturæ modum, pulsus eduntur parui, tardi, creberrimi, & imbecilles. in modico autem naturæ excessu, moderati magnitudine, & celeritate crebri languidiq́. MATHETES, Cur superiùs pulsus magnos, celeres, frequentes, ac vehementes proposuisti, cùm facultas robusta sit, & vsus increuit, non autem maximos nec vehementissimos? GERON, Quia si facultas vsusq́ ita haberet, & arteria sit mollis, præsertim cùm habitus corporis non multùm à natura recessit, non maximis nec vehementissimis pulsibus opus erit, sicut etiam Galenus existimat. MATHETES, Qui pulsus eduntur cùm vsus increuerit, & instrumentum molle fuerit? GERON, Magni, celeres, frequentia moderati, molles. quando multùm à mediocritate recessum est, frequentes quoq́, cùm indubiè calor nimiùm increuit, & magnitudo ac celeritas non satis ei respondere possunt. tunc enim frequentia id explet, quod magnitudo & celeritas præstare non potuit. Contrà, vbi necessitas minor euaserit, & instrumentum durum, minores pulsus, tardiores, & frequentiores apparent (præsertim si durities arteriæ nimiùm excedat) frequentia autem moderati, si & instrumenti durities, & vsus imminutio æqualiter à natura recedant: quippe fit, vt etiam rari existant, cùm frigus præpollet. At si vsus incrementum, & durities arteriæ parùm à natura recedant, pulsus magnitudine moderati, celeres, & crebri prodeunt. si vtrunq́ multùm à mediocritate declinarit, minores, celerrimi, frequentissimi. quòd si etiam facultas infirma sit, minimi quoque apparebunt. Adhæc si vsus nimiùm à naturali statu excesserit, durities autem minus, pulsus maiores, celerrimi, & frequentissimi prouenient. cæterùm si calor decreuerit, & arteria mollis sit, pulsus magnitudine moderati, tardi & rari erunt. MATHETES, Qua de causa moderati? GERON, Quia quantùm mollities instrumenti, familiarem sibi pulsum ad magnitudinem promouet, tantùm refrigeratio ad paruitatem. ac cùm vtriusque causæ vis sit æqualis, effectus quoque communis vtriq́ respondebit. non enim pulsus magnus erit, quem mollities postulat, neq́ paruus, quem calor imminutus desiderat: sed medius, cum neutra causa alteram in eo, quo recedit à natura, antecellat: aliâs, si mollities præcellat, maiores fierent: si frigus, minores. MATHETES, Cur in tali causarum recessu à natura moderatos fieri

Pulsus in calore aucto, & arteria molle.

fieri dicis? GERON, Bona ratione. hi enim non semper à natura sunt comparati, sed reuera tum à causis naturalibus, tum à non naturalibus, tum à contrarijs naturæ fieri possunt: quando nimirùm duæ causæ continentes, quę in contrarias partes distrahunt, æqualem vim obtinent. MATHETES, Vniuersæ tres causæ sicut duæ vt modò retulisti, inuicem conspirant? GERON, Omnino, idq; octo modis. In primo facultas valida, calorq; auctus, & arteria mollis, pulsus magnos, veloces, & frequentia mediocres. quamuis autem neq; vehementes, neq; molles apponantur, notandum tamen illos à facultate robusta, hos ab arteria molli prodire: & si vsus cæteris causis valdè prępolleat, fieri etiam frequentes pulsus. In secundo facultas robusta, calor auctus, instrumentum modicè durum, pulsus maiores, celeriores, & frequentiores generantur. sin autem vtraq; causa, nempe facultas & vsus, æquali interuallo, eoq; modicè à natura declinârit, fiunt magnitudine moderati, siue naturales: cæteri velociores & frequentiores. In tertio facultas imbecilla, calor decrescens, arteria mollis, pulsus minores, tardiores, & frequentia moderatos gignit. at si facultas plurimùm sit debilitata, & magis quàm reliquæ, paruos, tardiores, & frequentiores efficit. In quarto facultas inualida, calor decrescens, arteria dura, pulsus paruos, tardos, & frequentes reddit. MATHETES, Súntne semper æqualiter parui, aut tardi, aut frequentes? GERON, Nequaquam, sed pro vario vnius causæ, vel duarum, vel trium excessu diuersis modis immutati, intensi, vel remissi. si nanque duæ, vel tres causæ plurimùm à natura degenerent, & facultas sit languida, calor remissus, instrumentum durum, pulsus vtiq; erunt minimi, tardissimi, frequentissimi. Notatu autem dignum est, quòd ijdem pulsus ex vna caussa, longissimè à natura aberrante, & reliquis duabus saluis noscantur. si enim facultas sola maximè offendatur, pulsus etiam erunt minimi, tardissimi, & frequentissimi. contrà si facultas imbecilla, vsus imminutus, arteria dura sit, non autem omnia excellenter, sed extremè talia, minimum fieri pulsum in hoc casu non est necesse. MATHET. Quid de extremitatibus pulsuum sentis, de quibus suprà mentionem fecisti?

Pulsuum extremitates quomodo habeat.

GERON, Id quod aliquæ ipsarum non generentur, nisi omnibus tribus causis inter se conspirantibus. maximus enim pulsus non à sola facultate robustissima, citra reliquarum causarum opem fieri potest. aliquæ interdum ab vna sola causa, valdè læsa nascuntur: interdum ab omnibus. nam minimus pulsus nunc ob solam imbecillitatem, nunc ob duarum, aut trium causarum extremum à natura excessum, prouenit. In quinto facultas, calor de-

creſcens, arteria mollis, pulſus magnitudine moderatos, tardiores, rariores efficiunt, vſus autem nimiùm imminutus, minores, tardos, raros producit. In ſexto facultas valida, vſus decreſcens, arteria dura, pulſus minores, velocitate & frequentia moderatos gignit. ſin autem valdè vſus & inſtrumentum à natura diſceſſerit, minores, tardiores, & rariores eduntur. ſi verò durities inſtrumenti, magnum vſus à natura receſſum ſuperet, parui erunt pulſus, tardiores, frequentes: idcirco autem frequentes, quòd paruitas neceſsitati non reſpondeat. In ſeptimo facultas infirma, vſus augeſcens, arteria mollis, ſic vt illa alias duas cauſas præcedat, pulſus erunt maiores, celeriores, frequentiores. ſi mollities alias duas cauſas antecedat, fiunt moderati magnitudine, celeritate, frequentia. vbi verò facultas cæteras cauſas præcedat, parui pulſus erunt, tardiores, frequentes. In octauo facultas inualida, vſus increſcens, inſtrumentum durum, pulſus paruos, tardos, & crebros parit. omnes tres cauſæ inſigniter læſæ, minimos, tardos, creberrimos: tardos quidem ob infirmam facultatem, minimos ob eandem quoque cauſam, vt arteriæ duritiem: creberrimos autem, quia vrget neceſsitas. quæ etiamſi non vrgeret, tamen facultatis ipſius imbecillitates, duritiesque inſtrumenti minimos & creberrimos pulſus efficere poſſent. quòd ſi vſus alias duas cauſas præcedat parum aberrantes, pulſus erunt maiores, aut magnitudine moderati, velociores, crebri. MATHETES, Cur dicis maiores & non magnos eſſe? GERON, Quia durities inſtrumenti, magnitudini multùm reſiſtit: celeriores, quia licet facultas valdè imbecilla celeritatem non gignat, tamen paulò infirmior, motus celeriores, quomodocunque poteſt, non tamen celeres efficit. MATHETES, Cur crebros pulſus addidiſti? GERON, Vt neceſsitati faciant ſatis. quantò verò maiorem vſum illa requirit, facultas autem labaſcit, tantò magis frequentia expetitur. at paruitas hoc eſt inſignior, quò inſtrumentum durius, facultasque inualidior. atque hæ ſunt primariæ omnium pulſuum tum ſimplicium, tum compoſitorum cauſæ. MATHETES, Reſtántne aliæ? GERON, Simplices quidem pulſus, alias quaſdam peculiares præter tres illas continentes ſortiti ſunt, vt qui ex eleuationis arteriæ quantitate ſumuntur, vt altus, humilis, latus, anguſtus, longus, breuis, gracilis, turgidus. quarum cauſarum notitia, medico tum ad res præſentes, tum ad futuras cognoſcendas eſt commodiſsima. MATHET. Quę ſingulorum horum pulſuum cauſę exiſtunt? GERON, Vnius, vel duarum cauſarum continentium receſſus: quibus additæ ſunt quædam adiuuantes, quas Græci συναίτια nominant. MATHETES, Quas vocas adiuuantes?

GERON,

GERON, Sine quibus nihil fieri poteſt. quamuis ipſæ nullum effectum præſtare queant. MATHETES, Quótnam ſunt tales cauſæ in pulſibus hiſce generandis? GERON, Quinq;, vt craſsities corporis, gracilitas, locus arteriæ, grauitas eorum quæ arteriæ incumbunt, & formæ proprietas. MATHETES, Id clariùs exemplis reddas. GERON, Alti pulſus cauſa eſt facultas robuſta, vſus augeſcens: adiuuans autem, mediocris corporis craſsities, locus circa arteriam arctus. At ſi facultas valida, vſus auctus, locus autem circa arteriam amplus appareat, non altus, ſed magnus pulſus noſcetur, quo arteria in altum, longum, & latum liberè diſtenditur: id quod in macilentis cernere licet, quando iraſcuntur, & alia de cauſa incaleſcunt, commouenturq;. MATHETES, Quæ cauſa continens eſt pulſus humilis? GERON, Facultas imbecillis. adiuuans cauſa, corporis craſsities, nam adeps & caro profundiùs arteriam, quæ imbecilliter ſe attollit, deprimunt. MATHETES, Fitne etiam aliunde pulſus humilis? GERON, Sepiùs quoq; ex naturali formatione tum in craſsis, tum in macilentis corporibus: eò quòd natura arteriam profundiùs inſeruit, vt extima eius pars vix attingatur: obliqua nequaquam. MATHETES, Quæ lati pulſus cauſa exiſtit? GERON, Facultas non nimis languida: adiuuans cauſa, locus amplus, & onus partium incumbentium: humor autem plus iuſto copioſus, pulſuum latitudinis cauſa (vt quidam opinantur) non eſt. plenitudo enim vaſis magnum potius, vel altum efficit. MATHETES, Quæ gracilem pulſum gignunt? GERON, Facultas infirma, arteriæ durities. adiuuans autem cauſa, corporis gracilitas, cutiſq; tenuis & ſicca. hæc enim ſi omnia ſimul concurrant, pulſum tribus, interdum quatuor etiam digitis occurrentem efficiunt, nempe longum, piliq; extenſi modo anguſtum ac ſubtilem. languida nanque facultas arteriam duram in latum & altum attollere nequit. Itaq; humilis & anguſtus pulſus fiet, cuius longitudinem macilentus corporis habitus, & cutis tenuis manifeſtat, quam tactus eò magis percipit, quò arteria eſt durior. MATHETES, Quis propriè pulſus longus appellatur? GERON, Ille, qui ipſa longitudine excellit, ſic vt aliæ duæ dimenſiones nihil à moderato recedant. gignitur autem, vel ex corporis gracilitate, vel à facultate formatrice, ſi talis ab initio conformatus fuerit. MATHETES, Quæ turgidum pulſum generant? GERON, Vſus auctus, craſſus corporis habitus, & gibba arteriæ figura. ſæpe enim natura paruam arteriæ partem, ſola cute contegit: vtrinque verò partes eius profundiùs in carnem & adipem deflectunt. parua igitur pars illa ſublimis ſola, motum edit: reliquæ, cùm penitiùs ſint immerſę, occultant. MATHETES, Quis propriè breuis pulſus

Pulſus gracilis.

Pulſus longus.

Pulſus turgidus.

Pulſus breuis.

k

eſt? GERON, Ille, qui ipſa gracilitate ſola à moderato recedit, ſic vt latitudo nihil augeatur. talis magna ex parte à natura formatur, vel craſsities corporis eius longitudini nonnihil adimit. MATHETES, Quæ cauſæ rhythmorum eſſe poterunt?

Rhythmorum cauſæ.

GERON, Continentes, quæ ſecundum naturam habent, atqꝫ optimè ſunt commoderatæ: proferunt autem æquales, moderatos in optimo corporis ſtatu, ſeu quadrato: & qui proximè hunc accedit. qualis eſt arteriæ eleuatio, talis etiam ſubmiſsio exiſtit. MATHETES, Qualis eſt in huiuſmodi corpore eleuatio? GERON, Moderata tum celeritate, tum tarditate. in eo autem corpore continentes pulſuum cauſæ immutantur, quod à moderata illa temperie deflectit: vnde rhythmus non moderatus, ſed æqualis tamen efficitur. MATHETES, Quot rhythmi æqualis ſpecies numerantur?

Rhythmi æqualis ſpecies.

GERON, Tres. nam vſu aucto vtriuſqꝫ motus, eleuationis ſubmiſsioniſqꝫ rhythmus æqualis celer naſcetur: immimuto autem vtriuſqꝫ motus vſu, tardus, æqualis fiet. MATHETES, Poſt rhythmos inæqualitatis cauſas etiam rogo exponas.

GERON, Syſtematicæ inæqualitatis cauſæ continentes hæ ſunt, inſtrumentum vitiatum, aut facultas inualida, aut vtrunqꝫ: vſus autem immutatio nunquam cauſa eius exiſtit. nam fieri non poteſt, vt tam ſubitò pulſus neceſsitas varietur, quàm inæqualitas pulſuum tactu percipiatur, idqꝫ ſiue creſcat calor, ſiue decreſcat, ſiue ſpiritus animalis augeatur, ſiue imminuatur: nunquam tamen prior pulſus ideò magnus, celer, vel vehemens fuerit: alter verò ſtatim paruus, tardus, & languidus. Quòd ſi, dum vſus pulſuum immutatur, inter plurimos, poſteriores, qui nunc fiunt, conferas cum ijs, qui paulò antè præceſſerunt, videbuntur tibi poſteriores impares eſſe prioribus, vt reuera accidit in balneis, exercitijs, viniqꝫ potu, quibus pulſus pro caloris incremento ad magnitudinem, celeritatem, & frequentiam conuertuntur. MATHETES, Quot modis inſtrumentum vitiatur, & vſui inutile redditur?

Inſtrumentum vitiatum.

GERON, Varijs. primò cùm humores diffuſi ea loca occuparunt, in quibus arteriæ mouentur, illoſqꝫ moleſtos facultas vehementibus, magnis, ac celeribus motibus conatur propellere è loco vno in alterum: è parte nobiliore ad ignobiliorem: vel ex hac ad illam: ſi facultas illis non dominetur, paruis, tardis, languidis motibus priorum vice vtitur: idqꝫ nunc his, nunc illis, donec aut meatum aliquem reperiant, per quem fortè effluent, aut ſpatio temporis attenuabuntur digerenturqꝫ in halitum, aut hominem interiment facultate oppreſſa. ſecundò, cùm inflammatio, abſceſſus, ſcirrhus, membra arterijs plena obſident, maioribus tamen interuallis & lentis circuitibus, tunc inæquales pulſus æqualibus ſucce-

succedunt: quia hi quoq; tumores tardiùs immutantur. MATHE. Quánam alia ratione instrumentum fit idoneum? GERON, Qua crassi viscosiq; humores arterijs incidunt, magisq; insignibus eorum oris quæ illic habentur, vbi diuersi rami ex magnis arterijs propagantur, præsertim verò prope cor, aut in ipso. tunc enim spiritus per meatus suos liberè transire nequeunt, eoq; variam inæqualitatem nasci oportet. MATHETES, Vnde canales isti replentur? GERON, Ex copia sanguinis in venis, aut arterijs contenti. si enim in venis comprehenditur, arteriæ quæ illis vbiq; adiacent, necessariò comprimuntur. non minùs enim venæ distentæ premunt, quàm tumores. MATHETES, Quid si in arterijs sanguis superfluus contineatur? GERON, Tunc certè ille spiritibus liberum transitum impedit, sic vt etiam obstruat. MATHETES, Cur facultatem inualidam etiam inæqualitatis collectitiæ causam esse dixisti? GERON, Quia illa vel nimio onere grauatur, quamuis ex se satis sit robusta: vel quia est imbecilla, ob temperamenti resolutionem: vel quia est distracta: grauata autem, pulsus efficit inæquales: imbecilla debiles, paruos, tardos, & quædam inæqualitatis genera. distracta etiam inæquales generat. robusta nanq; & integra, integras quoq; actiones perficit. cùm autem robusta quidem est, sed onere impeditur, corruptas & inæquales, sicut infirma minùs perfectas edit. MATHETES, Quo pacto facultas distrahitur? GERON, Duplici cordis intemperie, vel alijs diuersis affectibus, qui illam molestant. interdum enim aliæ cordis, vel aliorum membrorum partes calidiores, aliæ frigidiores existunt: illæ magnos pulsus, celeres, vehementes, raros: hæ contrà paruos, tardos, frequentes, languidos requirunt. MATHETES, Vnde facultas elanguescit? GERON, Ex temperamenti cordis, vel membri, cuius pulsum attingis dissolutione, cuius multi ordines seu gradus esse possunt: & quò superiores, tantò deteriores existunt. ex modica siquidem intemperie pulsus fiunt parui, tardi, frequentes, languidi: in maiore, myuri reciproci: in maxima, myuri non reciproci. vltra quam si adhuc recedatur, intermittentes prodibunt: si longinquiùs recesserit intemperies, deficientes: nouissimè pulsuum abolitio, siue priuatio accidit. atq; hæc duplici modo fit. Primò, cùm motus arteriarum verè perit, idq; per totum animal, vt nulla vspiam arteria moueatur, quod in nullum corpus viuum cadit, cùm ipse sit interitus. secundò, cùm arteriæ motus nusquam sanè tactui nostro occurrit: sed totus in omnibus membris celatur. in hoc autem sicut in reliquis, pulsus & respiratio proportione sibi respondent: quippe neutrum saluo & superstite animali funditùs aboleri potest: quanquam propter paruitatem interire videan-

Canalium repletio.

Inæqualitas systematica.

Facultates pulsus.

Grauatæ.

Imbecillæ.

Distractæ.

Robustæ.

Robustæ & grauatæ.

Quomodo facultas distrahatur.

Facultas vnde elanguescat.

Asphyxia bifariam fit.

Pulsus quando verè perit, quando non verè.

Pulſus proprij. *Pulſus familiares.* *Myuri pulſus deficientes.* *Intermittentes.* *Intercurrens.*

tur. Atq; hæ ſunt ſyſtematicæ inæqualitatis cauſæ ſimplices, quæ alios pulſus ędunt inæquales, ſibi proprios, hoc eſt, qui ex vna & eadem cauſa ſemper proueniunt: alios familiares, qui non ab eadem ſemper cauſſa oriuntur. MATHETES, Qui ſunt imbecillæ facultati proprij? GERON, Myuri deficientes & motu deſtituti: intermittens autem familiaris ei non proprius eſt. nam iſte fieri poteſt vel ab inualida facultate, vel à magna inſtrumentorum obſtructione, vel aſtrictione. At intercurrens ſeu intercedens, robuſtæ facultati proprius eſt, quæ vel copia humorum, vel inſtrumentorum obſtructione grauatur. cùm enim facultas valida noxia ſibi nititur expellere, non ſolum magnos, celeres, & vehementes motus adhibet, ſed etiam plures. atq; eiuſmodi pulſus alti, fiunt excretionum futurarum in criſi indices. MATHETES, Quæ

Inæqualitatis collectitiæ cauſæ compoſitæ quæ.

compoſitæ cauſæ inæqualitatis collectitiæ dicuntur? GERON, Quæ ex ſimplicibus conſtat. nam ſiue arteriæ comprimantur, ſiue obſtruantur, pulſus inæqualitas gignitur, etiamſi facultas ſalua ſit, quòd ſi & copia grauetur, & ex intemperie langueſcat, varioq; malo diſtrahatur, omnigena certè pulſuum inæqualitas inde proueniet. MATHETES, Quænam ſunt intermittentium pulſuum ſingularium cauſæ?

Pulſuum intermittentium ſingularum cauſæ.

GERON, Duplici continentur differentia. prior in vna parte arteriæ, altera in pluribus fieri ſolet. in vna ſanè, quam vnus attingit digitus, tres pulſuum ſpecies apparent, nempe intermittens in vno pulſu, impar citatus, & dicrotus. principalis eſt dum prior eleuationis pars velox exiſtit: poſterior ſecundum quietem interſecantem tarda. altera eſt, dum vtraq; eleuationis pars velox eſt. tertia, velox moderata. MATHETES, Quæ omnium ſunt cauſæ? GERON, Eædem genere quæ & inæqualium ſyſtematicorum, ſed multò efficaciores & deteriores. nam ſi quæ compreſsiones, obſtructiones, grauitates, variæ intemperies, infirmitatesq; illis adſunt, has maiores & inſigniores eſſe oportet. MATHET. Quamobrem? GERON, Quia hę non ſinunt ne partes quidem pulſuum integras confici, tantùm abeſt vt integros pulſus, quales inter ſyſtematicos intermittentes cernuntur, abſoluant: quia eleuationes

Pulſuum intermittentium inæqualitas.

eorum quietibus admixtis interſecantur. At licet omnes intermittentes ſingulares praui exiſtant, alius tamen alio minùs magiſue tales cenſetur. quorum nanque motus vterq; ante quietem, & poſt illam celeres fiunt, optimi ſunt: qui tardi, peſsimi: qui moderati, medij bonitate. Porrò qui inter medios & extimos vtroſque intercedunt, tantùm bonitate, aut vitio excellunt, quantùm

Facultatis humorum copia grauatæ indicium.

cum ijs participant. poſterior nanq; pars motus ſi tarda fuerit, prior autem velox, facultatem humorum copia, ſi hæc eius cauſa fuerit,

fuerit, plus aggrauari ostendet, quàm si vterq; motus celer fuerit: vt qui facultatem humorum copiæ reniti, ac sese aduersus eam attollere testetur: quippe celeritas facultati robustę, cui præsens adesse solet, amica existit. tarditas è contrario imbecillæ se associare consueuit. Maius autem facultatis bonum indicatur, si pulsus non solùm fuerint celeres, sed etiam magni & vehementes: adhæc si quies quæ eos interstinguit exigua fuerit, vt quæ facultatem strenuè cum morbo eiusq; causis contendere declaret. prauitatem autem causæ auget pulsus paruus, debilis, quies longa eos intersecans. nam si hæc vni pulsui intermittenti adfuerint, facultatem ab humorum copia grauari: si hi inæqualitatis auctores fuerint, vel insignem obstructionem prope cor infestare, vel plurimas easq; maximas arterias comprimi significant. semper autem comitatur, intermittentes singulares vrgens pulsuum necessitas. Nisi enim calor augescens facultatem compelleret, ipsa nunquam humorum copia ingrauescens, aut obstructione impedita, aut compressa, aut ex resolutione languida, secundum motum, post intersecantem quietem aggredi tentaret, sed quamprimùm esset prohibita, tunc eleuari desineret, paruumq; pulsum qui partis eleuationis loco esset, ante quietem intersecantem efficeret. MATHETES, Quos pulsus impares citatos vocas?

Facultatis bonitas quando indicetur.

Prauitas causæ quibus augeatur.

GERON, Qui inæquales sunt singulares in vna arteriæ parte, absq; quiete intersecante: vbi scilicet priores motus partes fuerint celeriores, posteriores autem tardiores: vel contrà, vbi priores tardiores, & posteriores celeriores extiterint, motu continenter perseuerante, non per intermediam quietem intersecto, ac bina eorum genera. nam alij inæqualitatem suam æqualiter conficiunt, quorum sex sunt differentiæ: alij inæqualiter, quorum species multò sunt plures. MATHETES, Quæ eorum sunt causæ? GERON, Eædem, quas intermittentes singulares habent, sed pauciores minusq; sæuę & insignes, vt quæ ex obstructionibus, vel compressionibus, sed multò leuioribus quàm intermittentes oriantur: nec non à facultate grauata: quanquam minus quàm intermittentes. MATHETES, Qualis est imparium citatorum inæqualitas? GERON, Leuior quidem, quàm intermittentium singularium: peior autem quàm systematica. Porrò inter impares citatos, alij quoq; praui, alij deteriores, alij pessimi: nonnulli optimi sunt, quorum easdem causas esse, sed non tam multas quot intermittentium, diximus. MATHETES, Cur? GERON, Quia facultatis imbecillitas sæpè causa est intermittentium: imparium autem citatorum nunquam. nam si debilitas facultatis, pulsus facit inæquales, paruos eos esse oportet (paruitas enim debilitatem sequitur)

Pulsus impares citati qui.

Pulsuum citatorum imparium genera & differentiæ.

Pulsuum imparium citatorum inæqualitas.

Pulsuum intermittentium, & imparium citatorum causæ diuersæ.

inæquales autem citati omnes ſunt magni, eò quòd eleuatio ipſorum in duas, tres, aut quatuor interdum partes diuerſas, diſtingui poſsit: quod paruis nullo modo conuenit. MATHETES, Cùm ex imparibus citatis quoſdam eſſe dixeris, qui eleuationis motum ſubitò in contrarium mutent, nempe cùm prior pars motus celeris fuerit, ſecunda tarda: vel contrà prior tarda, poſterior celeris: ſimplicéſne cauſas inæqualitatis habent? GERON, Nequaquam, ſed compoſitas: hoc eſt, non ſolùm facultatem grauatam illas efficere, ſed adeſſe etiam ſimul obſtructionem, vel inſtrumentorum aſtrictionem, non quidem firmam, ſed quæ facilè permutetur. non enim tam magna & ſubita mutatio, ex ſolo facultatis onere fieri poteſt, quod exiguo tempore deponi nequit. MATHETES, Quæ dicrotorum pulſuum cauſa eſt?

Pulſus impares citati an ſimplices æqualitatis cauſas habeant.

Pulſuum dicrotorum cauſæ.

GERON, Inæqualis cordis intemperies, vel arteriarum: non tamen ſimplex, ſed varia. Nam quædam corporis partes calidæ multùm & puræ ſunt: quædam multis fumoſis vaporibus refertæ: vnde contrarij motus prouocantur. calidæ enim partes cordis ac purę, refrigerationis indigę, attolli: aliæ nempe impurę, eodem tempore ſubmitti deſiderant, vt ſeſe expurgent. MATHET. Ergo eleuatio & ſubmiſsio cordis & arteriarum, diuerſis modis fiunt? GERON, Indubiè, pro diuerſa alterutrarum partium victoria. nam dum calidæ partes puræ ſuperant, eleuatio conficitur: nihilominus modica etiam ſubmiſsio in puris partibus conceditur. MATHETES, Quando partes vincere dicuntur? GERON, Cùm vel plures ſunt, vel multò intemperatiores. ſubmiſsio autem retrahit diſtentam arteriæ tunicam, vel antequàm perfectè eleuetur, vel, vbi iam eleuata eſt, vel toto eleuationis tempore aliæ cordis partes variè affectæ ſeſe eleuant, aliæ eodem tempore ſe ſubmittunt, arteriarumq; tunicas eleuari & ſummitti cogunt, prout refrigeratione, vel expurgatione indigent. MATHETES, Cur magnam eſſe inæqualis intemperaturæ cordis varietatem dicis? GERON, Quia præter calidam, puram, & impuram dicrotorum cauſam, alia non ſimplex, ſed duplex reperitur. nam dum cordis partes aliæ ſunt calidæ, aliæ frigidæ, hæ paruos, tardos, & raros pulſus: illæ maiores, celeres, & crebros edunt. Quare plures & multò validiores, totum cor & arterias pro ſua ratione moueri cogunt. at ſi frigidę ipſę fuerint, ſemper paruos, tardos, raros motus excitabunt: ſin autem calidæ, plures & valentiores extiterint, motus ampliores, celeres, & crebros nunquam non efficient. MATHETES, Ecquid ſi non multò efficaciores aliæ alijs fuerint, ſed hę illas modicè excedant ſuperentq;? GERON, Tunc mutua contentione viciſsim alię alias vincunt, & vincentur, fietq; inde

Eleuationis & ſubmiſſionis diuerſi modi.

Dicrotorum cauſæ.

inde inæqualitas pulsuum, nominis expers, quæ Græcis ἀνώνυμος dicitur, tam singularis, quàm collectitia siue systematica: ob quam ideo pulsus fient nunc maiores, celeres, & frequentes: nunc parui, tardi, & rari. MATHETES, Estné alia adhuc inæqualis temperaturæ cordis causa? GERON, Est sanè, quæ tertia numero dici potest, duplici distincta specie: vna nempe cùm essentia cordis est calida, materia verò in eius finibus contenta, frigida: vel è contrario, essentia cordis frigida, contenta autem calida. atque hoc genus intemperaturæ cordis inæquale, modò pulsus inæquales systematicos, & singulares: modò per omnia genera moderatos producit. cùm enim cordis essentia tanto calore prædita est, quanto contenta frigore: vel è contrario, quando cor tanto frigore donatum, quanto calore contenta, pulsus magnitudine, celeritate, & frequentia moderatus generabitur. Si verò intemperies cordis, & eorum quæ in eo sunt contenta, non æquales contrariorum qualitatum gradus habeant, sed vel cor exuperet modicè, vel ea quæ in ipso continentur, pulsus inæquales systematici, & singulares fient. sin autem supra modum exuperet, pulsus continuus pro eius quod vincit ratione, progignetur. Porrò quæ de materia in corde contenta dixi, etiam de illis quæ ei vicina sunt, intelligi debent: qualis est tunica pericardios, pulmo, arteriæ, & membranæ prope cor in thorace consistentes. si namque hæc omnia, vel nonnulla ex eis in aliquam intemperiem incidant, eosdem pusus quos & materia cordi indita, vt sanguis, spiritus, & humores procreabunt. MATHETES, Dicrotorum pulsuum causam, nempe inæqualem, cordis, vel arteriarum intemperiem explicasti: nondum autem ex te audiui, continentésne illa sit, an secundaria etiam nominari debeat? GERON, Dico igitur inæqualem istam intemperiem continentem esse, siue coniunctam causam dicrotorum. nulla enim alia inter hanc & effectum intercedit, quæ continentis causæ est natura. MATHETES, Quænam continens est ex tribus commemoratis? GERON, Inæqualis intemperies, modò est facultas imbecillis, modò calor immutatus, modò vtrunque. MATHETES, Quod reliquum singularis inæqualitatis genus superest? GERON, Id quod nimirùm in vno quidem pulsu, sed diuersis arteriæ partibus consistit, idque duplex. Fiunt enim quidam huiusmodi pulsus motu continuo, quidam interrupto. causæ eorum sunt aut imbecilla facultas, aut humorum copia, aut extrema instrumentorum mollities. MATHETES, Cur facultatem inualidam singularis inæqualitatis diuersis in partibus arteriæ causam esse statuisti? GERON, Quia vis pulsandi, quæ ex corde imbecillo in arterias deriuatur, vt lumen à sole in hunc inferiorem orbem,

Inæqualitatis causæ.

Pulsus moderatus vnde.

Dicrotorum causa.

Inæqualitas in vno pulsu.

Causa inæqualitatis in diuersis arterijs.

non poteſt totum vas æquali robore attollere, ſed viciniorem cordi, ceu fonti ſcaturienti partem magis eleuat, citiusq; & vehementiùs: remotiorem autem tardiùs, minùs & imbecilliùs: quouſque vis quæ in priore parte erat, etiam ad poſteriorem veniat. quæ robuſtior facta, motũ maiorem pro minore, celeriorem pro tardiore, fortiorem pro debiliore acquirit. Si nanq; vis pulſatrix illa, æquali ſemper incremento ad arterias influeret, vt in ſanis fit hominibus, partes arteriarum eodem tempore ſimul eleuarentur: vel certè propinquiores ampliùs, remotiores minùs. In ægris autem hoc non ita ſæpè accidit: in quibus cordis temperamentum continuè ſanè vaſis ei annatis, ſed inæqualiter, aliâs liberaliter, aliâs parciùs communicatur. At cùm vis illa copioſiùs in arterias influit, priores quidem partes valentiorem motum acquirunt: vbi autem minùs, poſteriores, idq; breui tempore. quandiu ſcilicet eum virium tenorem retinent, quem à prioribus fuerant conſecuti. MATHETES, Impeditúrne aliquando arteriarum facultatis motus? GERON, Quid ni. humores enim ſæpè motum non ſinunt eſſe æqualem. ob id in nonnullis partibus maior, celerior, & vehementior: in nonnullis minor, tardior, languidior: in nonnullis etiam minimus, qui ſenſu percipi nequeat, ac quiete veluti interruptus, apparet. MATHETES, Quæ cauſa prẹter dictas alia pulſus tales efficit? GERON, Interdum quoq; nimis molle inſtrumentum. vbi enim arteriarum tunicæ multò humore fuerint imbutæ, non poſſunt æqualiter, vt omnes partes eleuari, eò quòd corpora flaccida ad æqualem motum minùs ſint accommodata, vt quorum partes principio mouenti proximẹ eleuentur, aliẹ verò interim flectantur, non autem eleuentur. MATHETES, Quæ tandem myurorum ſingularium, eminulorum & prominulorum cauſæ exiſtunt?

Arteriarum facultatis motus impedimentum.

Inſtrumentorum conditio.

GERON, Facultas inualida, quæ partibus à corde remotioribus parciùs influit, magis propinquis largiùs. qua de cauſa partes cordi viciniores magis eleuantur, diſtantiores, minùs: & quò illæ à principio longiùs abſunt, eò minores motus parient. at hæc quidem continens ſeu coniuncta eorum cauſa eſt: adiuuans autem dicta, corporis eſt gracilitas, quæ in longum arteriam detegit, ad caudæ muris ſimilitudinem. MATHETES, Quid eminulos, ſeu prominulos efficit? GERON, Aliquando inæqualis partium arteriæ intemperies. nam facultas à corde ſeu principio in tunicas arteriarum infuſa, temperatis ſanè partibus meliùs expeditiusq; ad motum vtitur: intemperatis autem peiùs. nam pars arteriæ temperata, quæ congruum & calorem, & humorem obtinet, ab eadem & æquali facultate faciliùs magisq; mouetur: ſicca verò nimiùm

Pulſuum myurorum, eminulorum, & prominulorum cauſæ.

Eminulos prominulóſue pulſus quid pariat.

nimium vel humida, vel calida, vel frigida difficiliùs minusq;. Cùm igitur media inter digitos tangentes arteriæ pars meliùs temperata fuerit, vtrinque verò sitæ intemperatæ: illa magis eleuabitur, quàm tres vtrinque locatæ. Accedit altera quoq; eminulorum pulsuum causa, quæ in ægris sepiùs quàm prior inuenitur, nempe facultas inualida, & membrorum vicinorum macies. Vbi igitur admodum tenuis lenisq; est, ibi pulsus magis conspicuus apparet: vbi verò non sola cutis, sed caro quoq;, licet marcida subsit, magis delitescit arteria, vtpote carnis onere grauata. MATHETES, Cur myurorum singularium, & eminulorum pulsuum easdem esse causas retulisti, cùm adeò sint inuicem diuersi? GERON, Quia multi & varij imbecillitatis sunt excessus, diuersos quoque pulsus efficiunt. adhæc omnia myurorum singularium & eminulorum causa, sæpè est naturæ formatio. hæc enim interdum alias arterię partes profundiùs collocat, ob quod parui pulsus apparent: quasdam elatiùs effert, quarum conspicui & maiores motus esse solent. MATHETES, Quæ inæqualitatis in arteriæ situ boni & mali ordinis causæ existunt?

Myurorum eminulorumq; pulsuum cur eadem causæ.

GERON, Arteriæ. cùm non solùm tunicæ ipsarum, sed etiam partes eis vicinæ, ab omnibus naturæ contrarijs inflammationibus, scyrrhis, abscesibus, tuberculis crudis, φυματα Græci vocant, nec non sicca duritie, frigore immodico, conuulsioneq;, & calida siccaq; intemperie trahuntur. quemadmodum autem æqualitas semper adiunctum sibi ordinem, sic inæqualitas nunc ordinem, nunc eius priuationem sibi assumit. MATHETES, Quæ res pulsus vndosos, vermiculantes, formicantesq; pariunt?

Inæqualitatis causæ in situ arteriæ boni & mali ordinis.

GERON, Vel infirma facultas, vel humorum copia, vel summa instrumentorum mollities, eaq; vel omnia, vel quædam ex eis. vndosum, copia humorum: vermiculantem, facultatis imbecillitas gignit, quæ arteriam vno eodemq; tempore totam nequit attollere, sed partes eius paulatim. fit interdum vt vndosum facultas, quæ prius erat in eo grauata, nunc autem & grauata, & dissoluta in vermiculantem transmutet, id tamen non semper. at vermiculans in formicantem degenerat, cùm facultas hoc magis dissoluta est, quantò formicans minor vermiculante est, & tardior. Summatim eadem formicantis quæ vermicularis causa est, sed huius efficacior. MATHETES, Similésne sunt inter se vermiculantes? GERON, Non: sed alij magis tardi, alij minùs: qui etiam non ita mali sunt. non semper autem formicans ex vermiculante generatur. Nam in acutis & malignis febribus, formicantes sæpissimè nascuntur, etiamsi vermiculares non præcedant. & è contrariò, in cholera, alui profluuijs, alijsq; magnis euacuationi-

Pulsum vndosum, vermiculantem formicantemq; quid pariat.

Vndosus quando in vermiculantem mutetur.

Vermiculans in formicantem degenerat.

Pulsuum vermiculantium differentia.

bus, & menſtruis ſuperfluis, vermiculares in eos qui intermittunt & deficiunt, non in formicantes deſinunt ac immutantur. Imò rationi contrarium eſt, vermiculantem pulſum, qui omninò tardus eſt, & aliqua ex parte frequens, aliqua rarus exiſtit, in acutis febribus & malignis inueniri. nam immodicus calor febrilis & ſpirituum defectus, rarum non admittit. ideo neceſſarium non eſt, vt vermicularis ſemper formicantem præcedat, aut formicans vermicularem perpetuò ſequatur. MATHETES, Quæ tandem eius pulſus, qui capræ modo bis ferire dicitur, cauſa exiſtit?

Pulſus vermiculans in febribus acutis non inuenitur.

Pulſum caprizantem quid efficiat.

GERON, Robuſta facultas, quę aut humorum copia, aut arteriarum compreſsione, aut obſtructione impeditur, quò minùs continuum motum edere poſsit. cogitur enim paululùm remorari, ac in ipſo motu conſiſtere: recollectis autem viribus dum impedimentum ipſius conatur ſuperare ac expellere, vehementiorem motum ſecundum quàm priorem adhibet, ędere vrgetur, idq́ ſæpiùs. Nam ſi alterum ſaltum adhibeat debiliorem, pulſus hic deterior caprizante erit. hic etiam inæqualem caloris intemperiem, quæ eleuationem impedit, interdum comitatur. MATHETES, Quid de pulſu ſerram imitante ſentis?

Pulſus ſerrantis cauſæ.

GERON, Cauſæ eius ſunt facultas grauata, inſtrumentum durum, calorq́ increſcens. nam ſi facultas non grauaretur, neque ipſa inæqualitas ſingularis, quæ in pulſu ſerram imitante reperitur, adeſſe poſſet. MATHETES, Vnde inſtrumentum in eo durum eſt? GERON, Ex tenſione, non ex arteriæ ſiccitate: quippe eam in hoc pulſu ob inflammationem neruoſarum partium tendi oportet. habent autem hę magnam arterijs ob fibras, quę ex neruis ad illas propagantur, communionem. At quia aliæ arteriarum partes ſecundum rectitudinem magis ſunt inflammationi addictæ, aliæ minùs: hæ etiam plus, illæ minùs tenduntur. cùm autem calor augeſcens arteriam multùm attolli cogat, id verò ob duritiem fieri nequeat (nam dura ægrè attolluntur) partim etiam ob facultatem affectam fieri ſolet. quia verò vniuerſę eodem tempore tenduntur, imago illa tactus ſerrati apparet, nonnunquam & vibratio. MATHETES, Quid pulſum conuulſorium generat?

Pulſum conuulſorium quid generet.

Arteriarum cum neruis ſocietas.

GERON, Neruorum contractio. dum enim hæc fit, arterię quoque contrahuntur. nam magna inter has & illos eſt ſocietas, non modò quòd arteriæ fibras à neruis accipiant, ſed etiam quòd ſingulę amborum propagines inuicem ſint coniunctę. nulla enim ferè arteria extat, cui non etiam neruus ſuperiùs, aut inferiùs, vel ad latus, vel circa hoc adhæreat. Qua de cauſa nerui affectionem ſuam arterijs facilè communicant: id quod in morbi comitialis acceſsionum initio videre licet. in hac enim pulſus conuulſorij

palàm

palàm deprehenduntur, eò quòd totius corporis contractio immineat. MATHETES, Quot causæ vibratum pulsum gignunt?

Pulsus vibrati causa.

GERON, Tres simul coniunctæ, vt facultas robusta, arteria dura, calor ingens, vel spiritus animalis exhaustus. cùm enim alterum horum adfuerit, vel vtrunque, maxima arteriarum eleuatione opus est: vbi verò nihil aliud obstat, quò minùs arteria valdè eleuetur, quàm ipsius durities, necesse est, vt in altum ipsa flectatur. MATHET. Quam causam tremulo & palpitanti pulsui tribuis?

Pulsum tremulum quid faciat.

GERON, Flatum in membro inclusum, qui aliàs exitum quærit, & membra ipsum continentia secum tandiu agitat, donec vel dissipetur, vel explosus violenter in cognatum sibi aërem expiret. Frequenter autem cuti & subiectis ipsi musculis, nec non ventriculo, vesicæ, vtero, intestinis, iocinori, lieni, septo transuerso, & breuiter omnibus quæ distingui possunt, vt arterijs, cordique ipsi, & vniuerso interdum corpori accidit. MATHETES, Quid momentanea palpitationis celeritas, dum vel exoritur, vel dissoluitur, indicat?

Pulsum palpitantem quid efficiat.

GERON, Aëream essentiam, hoc est, vaporem crassiorem & copiosum, quæ arterias & cor à seipsis distinguit. nam & statim gignitur, & citò conquiescit, quod in nullum humorem cadit. MATHETES, Quomodo cordis fit palpitatio? GERON, Pulsibus arteriarum sæpè nihil mutatis, ac contrà, cùm illæ sæpè palpitant corde conquiescente, nempe cùm vapores, partes, in quibus ipsi occluduntur, inflant attolluntque, ita vt causa pulsus palpitantis nihil aliud sit, quàm flatuosa instrumenti repletio. at tremor motus est compositus, nempe ex naturali, quem facultas innata efficit, & altero naturæ contrario, qui à membri grauitate gignitur, quę deorsum magis vergit, ita vt vtraque inter se pugnet. facultas nanque membrum erigere conatur: grauitas autem resistit. MATHETES, Cur membrum graue redditur? GERON, Quia facultati infirmæ oneri est. quemadmodum enim senes, & ij qui ex morbo conualescunt, facili ex causa tremunt, eò quòd ob vires imbecillas sub proprio corpore quasi onere grauentur: ita cor & arteriæ debilitatę, ob quemlibet morbum vires infestantem facilè contremiscunt. interdum tremor etiam musculis cubitum mouentibus superuenit, vt ex pulsu ægrorum qui periculosè laborant, experimur. Quòd si ille ante morbum non accidat, mortem in propinquo esse denunciat: quamuis in pulsu nullus interim motus tremulus contingat. MATHETES, Idémne palpitationem & tremorem esse existimas? GERON, Nequaquam. qui enim hoc sentiunt, valdè errant. nam illa, motus est admodum breuis: tremor verò diutiùs affligit, vt qui ex causis plurimùm diuersis, quæ facultatem violare solent, exoriatur. palpitationis autem

Palpitatio cordis quomodo fiat.

Membrum quomodo graue reddatur.

Senes tremuli vt ex morbo.

Tremor ante morbum.

Palpitationis & tremoris differentia.

vna tantummodò causa inuenitur, nempe flatuum materia: quam quam etiam arteriæ mollities adiungi posset. dura nanque corpora ideò non palpitant, quòd ipsa difficulter inuicem separari per flatum queant. hinc ossa & cartilagines nunquam palpitare cernuntur. ATHETTES, Quid trementem pulsum efficit?

Pulsum trementem quid efficiat.

GERON, Facultatis imbecillitas: nec non gracilis corporis habitus, veluti causa adiuuans. MATHETES, Quales in trementibus pulsus apparent? GERON, Languidi necessariò, & parui: eoque in crassis deprehendi nequeunt. quòd si cor tremat, inæquales fiunt magnitudine, celeritate, frequentia, & vehementia. sin autem arteriæ tremant, quod raro accidit, cordis motum immutari non est necesse, nisi id vitij penitiùs feratur inualescatque. Sed facilè erit dignoscere, córne an aliæ partes tremant, si manum thoraci adhibeas. MATHETES, Quis hectici, & strepentis pulsus auctor tandem existat, explices?

Tremoris pulsus.

Pulsus hectici causa.

Pulsum strepentem quid faciat.

GERON, Affectus solidis partibus infixus, qualis est marcor, tabes, siue pulmonis vlcus, puris collectio in pectore, & febris hectica. Pulsus strepentis causa est arteriæ durities eiusque inanitio, & facultas robusta. eum autem adiuuat spatium, in quo arteria mouetur, aëre refertum, non humore. Porrò arteriæ spiritibus, aëre & sanguine tenuissimo (quamuis aliæ magis, aliæ minùs) repletæ sunt. quòd si parum sanguinis in se contineant, spiritus aërque internus amplum habebunt spatium. At facultas valida, quę pulsum vehementem, aut certè non languidum edit, dum aërem & spiritum concutit, strepitum excitat. Hactenus primarias, seu continentes pulsuum causas, nec non eorum, quæ has iuuant consensus, explicaui: post hæc secundarias tibi cognoscendas esse puto. MATHETES, Tu ergo ordine omnia pergas recensere, quę tibi necessaria ad illorum notitiam esse videntur. GERON, Faciam, sed ita, vt à singulorum temperamentorum pulsibus exordiar: deinde reliqua, quanta potero breuitate, persequar. MATHETES, Dic igitur quos pulsus temperamenta calida edant.

Pulsus temperamenti calidi quales.

GERON, Multò maiores, velociores, frequentiores, non autem vehementiores. Hoc autem aduertendum est, non in quolibet corpore natura calido, necessariò tales pulsus fieri. MATHET. Qua de causa? GERON, Quia corpora quæ calore à temperato modicè declinant, maiores pulsus habent: quæ longiùs ab illo recedunt, maiores, & celeriores: quæ autem longissimè, multò maiores, velociores, & frequentiores. quia dum calor augescit, magnitudo pulsus requiritur: & si hæc sufficere vsui nequit, etiam velocitas desideratur: si neque hæc duo coniuncta necessitati respondeant, accitur quoque frequentia. MATHETES, Cur eiusmodi

tempe-

temperamento non attribuis etiam vehementiorem? GERON, Quia is â robusta facultate efficitur, eiq; proprius est, & perpetuò adhæret, nulli aliâs continenti causę familiaris. Quòd autem Galenus non multò vehementiorem calidis attribuat, in rudiorum gratiam facit, qui illum pro magno & veloci pulsu accipiunt. MATHETES, Quibus pulsibus sicci natura donati sunt? GERON, Sicciores, siue graciliores maiore, multoq; rariore, paulò vehementiore, & duro.

Sicci & graciles qualem habeant pulsum.

cùm autem gracilitas vel naturalis, vel ascititia ex victu, aut morbo existat, nihil refert, si vtranq; hîc intelligas. MATHETES, Cur ob solam gracilitatem pulsus fiunt multò maiores? GERON, Partim propter spatia, in quibus arteriæ mouentur, multò ampliora purioraq;: partim quòd sola cutis arteriam superiori parte contegat. quia verò in crassis adeps & caro, multiq; humores illas obducunt celantq;, minores. ob eandem rationem etiam paulò vehementiores pulsus gracilibus asscripsi: non quòd ipsi propter gracilitatem sint robustiores, sed quia in ijs arteria, quæ sub cute celatur, magis tactum euertat ac illa, quam caro, adeps, & humores conteguunt, ita vt ne tactum propè feriant, eumq; subintrent. Gracilium igitur pulsus plus vehementiæ repræsentat, quàm obtinet. MATHET. Quid roboris ex gracilitate pulsui accedit? GERON, Nihil, sed ea permittit, vt medicorum digiti proximè arteriam attingant, atq; hi ideò altiùs euertantur, quòd crassities non concedit. MATHETES, Cur rariores multò illos esse dixisti? GERON, Quia cùm magnitudo sola vsui satisfaciat, frequentia opus non est, nec celeritate. si verò etiam multò maiores fuerint, calor autem nihilò auctior, tantò erit rarior, quantò maior extat. Nam cùm magnitudo augescit, raritas quoq; increscit: si calor non augeatur. At in ijs qui natura graciles sunt, etiam largior est calor, eoq; venæ & arteriæ amplę, ossaq; magna existunt: in crassis autem natura, contraria cernuntur. MATHETES, Quia igitur vasa ampla sunt, calorem naturalem copiosum esse colligis? GERON, Maximè, vt qui illa extendere & dilatare soleat: vnde graciles natura, pulsus multò maiores, non solùm ob causam nuper dictam, sed etiam ob auctum eorum calorem habebunt.

Graciles cur ampliora vasa, & maiores pulsus habeant.

MATHETES, Quid si corpus temperamento simul calido & sicco prędìtum sit? GERON, Tunc vtranq; ob causam pulsus multò maiores obtinebit: si verò sicco tantùm, in qualitatibus autem efficientibus moderatum, aut frigidum fuerit, tunc pulsus inde solùm magnus euadet, eò quòd arteria nullis tegumentis carnis aut adipis contegatur, sed nuda appareat, amplumq; intus habeat spatium.

Temperamenti calidi & sicci pulsus.

At qui graciles ex morbo sunt, in ijs facultas, vsus, & instrumentum alio modo concurrunt, & singulæ hæ causæ pro sua ra-

Graciles ex morbo.

tione pulſum in eis immutant. MATHETES, Habétne etiam ſexus vterq; diuerſos inter ſe pulſus?

Pulſus in vtroq; ſexu quales, & quæ eius cauſæ.

GERON, Indubiè: maſculus magna ex parte multò maiores vehementioresq;: fœmina autem tardiores, & rariores. MATHET. Quot, & quæ eius ſunt cauſæ? GERON, Quatuor potiſsimùm. prima temperamentum calidius & ſicciùs, ob quod in illo calor auctus eſt: in hac imminutus. aucto autem calori magnus pulſus, imminuto paruus familiaris eſt. Secunda cauſa eſt facultas validior in viro, quàm in muliere. atque illius proprius pulſus eſt vehemens, familiaris autem magnus. Tertia, quòd in viris ampla ſint arteriarum ſpatia, in quibus ipſæ eleuantur: in mulieribus anguſta, propter adipem & humores pituitoſos, qui ea obſident. ſpatium verò ſiue locus amplior, non primaria magnorum pulſuum cauſa eſt, ſed auxiliaria: anguſtum autem paruorum. Quarta, quòd maſculi laboribus & exercitijs robur vitale augeant, & corpora calfaciant. atq; ea principaliſsima cauſa eſt, cur pulſus in viris non ſolùm maiores & vehementiores adſint, ſed etiam multò maiores & vehementiores. Quòd ſi mas effœminatus ſit, viuatq; in otio, & delitijs, pulſus non multò maiores habebit: adeò poteſt exercitatio tempeſtiua calorem natiuum, roburq; vitale augere. MATHETES, Cur maxima ex parte addidiſti? GERON, Quia viri maiore ex parte robuſtiores calidioresq; fœminis: hæ verò calidiores illis rariſsimè exiſtunt. MATHETES, Quid igitur iudicas, ſi fœmina gracilis, nigra, & hirſuta occurrat, mas autem craſſus, albus, & glaber? GERON, Profectò illa mea ſententia calidior, & bilioſa: hic autem frigidior, & pituitoſus cenſebitur. atque eadem meritò pulſus maiores & vehementiores, præſertim ſi laboribus exercitata fuerit, quàm mas otio deditus, habebit: quanuis id rarò accidat. MATHETES, Cur mulieribus pulſus paulò tardiores & rariores, quàm viris aſſcribis? GERON, In viris pulſus magnitudo neceſsitati reſpondet, eoq; velocitate & frequentia non indigent: mulieres quoq; tardiores & rariores pulſus frigidæ naturæ gratia haberent, niſi id impediret, quòd multò minorem pulſus magnitudinem, retineant. Qua de cauſa id quod propter tam inſignem eleuationis paruitatem vſui deeſt, velocitas & frequentia compenſat. MATHETES, Sexus, & temperamentorum pulſus intelligo, qui deinceps ſingularum ætatum proprij exiſtant, eodem modo interpreteris.

In viris cur pulſus maiores, & vehementiores.

Fœmina, quando maſculo calidior.

In mulieribus cur pulſus tardiores & mitiores.

Pulſus ſingularum ætatum quales.

GERON, Pueritiæ magnus, celerrimus, creberrimus, & medius: iuuentutis maximus, vehementiſsimus: ſenectutis minimus, tardiſsimus, rariſsimus, imbecillimus, cui rhythmus inæqualis ſit adiunctus. MATHETES, Cur puerorum pulſum magnum

num eſſe dixiſti? GERON, Quia calor natiuus in ipſis auctus eſt, copioſa quoque aëris eſſentia indigent, quæ per arteriæ eleuationem non modò ad ſpiritus animales nutriendos, ſed etiam ad augendos attrahitur. adhæc quia arteriæ eorum ſunt molles, facilè eleuationi cedunt. Quinetiam puerorum pulſus non ſolùm magni, ſed etiam maximi eſſe poſſent, niſi id arteriæ circundatæ, per ſuccorum abundantiam, & vires imbecillæ impedirent. MATHETES, Quare horum pulſus magnos eſſe dicis, cùm ipſorum arteriæ ſint paruæ? GERON, Aliud eſt magna arteria, aliud magna eius eleuatio. illa igitur ſi paruæ arteriæ comparetur, meritò magna: ſi verò eleuatio arteriæ in pueris, illi, quæ eſt in iuuenibus, conferatur, parua eſſe dicetur. nam magnum maiori comparatum, eius reſpectu paruum dici ſolet. MATHETES, Cur puerorum pulſus velociſſimus eſt, & frequentiſſimus? GERON, Quia magna parui vaſis eleuatio, vſui non ſatisfacit. imò longè minus ſuppeditat, quàm neceſſitas requirit. quare velocitas & frequentia in auxilium vocatur, vt magnæ eleuationis loco (quæ quidem eſt neceſſaria, ſed perfici nequit) ſumma ſit velocitas, & frequentia.

Pulſus puerorum cur magni exiſtant.

MATHETES, Cur medius etiam puerorum pulſus inter iuuenes, & ſenes, in quarto pulſuum genere vocatur? GERON, Quia vires illorum non ſunt tam magnæ, quàm in adultis, nec tam imbecillæ, vt in ſenibus. MATHETES, Propter quid iuuenum pulſus maximi dicuntur? GERON, Quia calor magis adhuc quàm in pueris auctus eſt. ſunt enim natiuo calore calidi: aſcititio autem, qui acris eſt, & quaſi igneus, calidiſſimi. præterea facultas eſt validiſſima quæ vehementiſſimos pulſus progenerat, adiuuatque vt magnitudo increſcat.

Pueri quale temperamentum.

MATHETES, Cur iuuenum pulſum ex duobus tantùm generibus conflatum eſſe protuliſti: qualis autem in ſecundo aut tertio genere ſit, omiſiſti? GERON, Quia in hoc non degenerat à moderato. quando autem aliquod ex quinque generibus aliâs in compoſitis etiam pulſibus omittitur, illud nihil à naturali, vel à moderato tunc receſſiſſe intelligendum eſt. MATHETES, Quæ eius mediocritatis ratio in iuuenibus exiſtit? GERON, Quia ſumma magnitudo calori ſatiſfacit, non aliorum pulſuum auxilio indigens.

Pulſus iuuenum qualis.

MATHETES, Quos pulſus ſenes obtinent? GERON, Contrarios his qui pueris conueniunt. ſunt enim frigidiſſimi, eoque pulſus tardos & raros edunt, vel tardiſſimos, rariſſimosque, ſi alias ætates reſpiciamus. Quia verò temperamentum eorum collabitur, eoque facultates ipſorum debilitantur, non immeritò etiam pulſus eorum ſunt imbecilles, vel potius imbecilliſſimi, ſi cum cæteris ætatibus conferantur. MATHETES, Cur rhythmi inæqualitatem ſenum pulſibus apponis? GERON, Quia ſummiſſio arteriæ

Senes quos pulſus habeant.

tardior in ipsis est, quàm eleuatio. parum enim aut nihil recrementi ex adustis humoribus prouenit, eò quòd calor eorum sit debilitatus, ipsiq; non multùm nutriantur. At quia vsus eleuationis licet non magnus, mediocris tamen in ipsis remanet (natiuus enim ipsorum calor refrigeratione, seu euentilatione indiget, & spiritus animalis nutritionem desiderat) bona quoque ratione velocior in illis eleuatio, quàm summissio existit. vsus verò summissionis in omnibus alijs ętatibus ante vltimam senectutem, eleuationis vsui respondet, eoq; rhythmi æquales prodeunt, hoc est celeris summissio, sicut & eleuatio. MATHETES, Quales reliquarum ætatum pulsus existunt? GERON, Quantò ætates quædam pueris, vel senibus viciniores, tantò propiùs quoque senum, vel puerorum pulsum accedunt. MATHETES, Quos pulsus anni tempora & regiones gignunt?

...et regiones quónam pulsus gignant.

GERON, Ver medium in omnibus generibus moderatos efficit: æstas paruos, celeres, frequentes, & languidos: hyems paruos, tardos, raros, & languidos: autumnus diuersos, & languidos. MATHETES, Quis alius præterea in vere, cùm aër est temperatissimus, pulsus prouenit? GERON, Vehemens. quia tunc corpora sunt saluberrima, & facultas pulsuum effectrix robustissima, instrumenta pura, calor temperatus. MATHETES, Cur veteres pulsus maximos & vehementissimos medio veri asscribunt? GERON, Quia licet magnitudine & vehementia moderati sint, nulla tamen anni pars, tantos, tamq; vehementes habet. Ob quod si eos ad alia anni tempora conferas, omnium maximi sunt & vehementissimi: quibus tamen maiores & vehementiores in alijs statibus corporis reperiuntur. hîc verò pro anni solùm temporibus eos describimus. MATHETES, Súntne ex æquo pulsus omnium medio vere maximi? GERON, Nequaquam, sed singuli cuiq; pro sua natura respondent. non enim calidi & adusti natura, aut pituitosi & frigidi medio vere pulsus maximos obtinent: calidiores & sicciores temperamento, longè ante medium ver eos sortiuntur: humidiores & frigidiores natura, post medium ver, ineunte iam æstate, tales acquirunt. Qui verò optimum corporis statum consecuti sunt, soli medio vere maximos pulsus repræsentant.

Pulsus veris medio cur maximi.

Pulsus in æstate & hyeme quales.

MATHETES, Quales æstate & hyeme pulsus oriuntur? GERON, Cùm facultas ob aëris intemperiem debilis sit, parui, & languidi gignuntur. quia verò æstate calor increscit, hyeme autem imminuitur, illi, quod ob defectum magnitudinis deest, velocitas & frequentia suppeditat: huic autem tarditas raritasq; imminuti caloris comites adsunt. MATHETES, Quos pulsus autumnus producit? GERON, Cùm inconstans, & naturæ nostræ inimicus sit, vi-

Pulsus autumni.

resq;

resq; debilitet, languidos generat, in primis autem tribus generibus diuersos. MATHETES, Quos vocas diuersos? GERON, Qui per temporis interualla sibi inuicem succedunt. preterea aliud est diuersitas, quę Græcis ἑτεροσφυξία, aliud inæqualitas, quæ ἀνωμαλία illis vocatur.

Pulsus diuersi qui dicantur.

MATHETES, Quando igitur pulsuum diuersitas esse dicetur? GERON, Cùm pulsus parui, celeres, & frequentes aliquandiu perseuerant: postea autem magni, tardi, rari, paulatim eis succedunt: qui licet diuersi sint & inæquales, nunquam tamen in suo ordine tactu æquales existunt.

Pulsuum diuersitas quando.

MATHETES, Cur potissimùm diuersi pulsus in autumno reperiuntur? GERON, Quia ipse quoq; diuersus est, ac vno eodemq; die, nunc vt circa meridiem, calore æstuat: nunc, putâ manè & vesperi, frigore infestat. non autem medij veris pulsus consequitur, sicut Galeno placuit, qui illũ mixtam calidi & frigidi naturam habere vt hoc, existimauit.

In autumno cur diuersi potissimùm pulsus.

MATHE. Quot menses singulis anni temporibus attribuendos censes? GERON, Secundum medicinæ professores certus eorum numerus obseruari non solet. nam ipsi pro aëris ratione partes anni iudicant, vocantq; tunc ver, quando ille temperatus est: æstatem autem vbi calor & siccitas excellit: autumnum verò, cùm frigus & siccitas: sicut hyemem, cùm frigidus & humidus aër dominatur, qui ordo à natura institutus est.

Menses singulis anni temporibus qui tribuendi secundum medicos

MATHETES, Hæc anni temporum partitio ab astrologorum ratione discrepare videtur, si bene memini. GERON, Rectè meministi. nam illi omnia tempora anni æquè longa statuunt, singulisq; tria signa circuli zodiaci attribuunt: medicus autem ex sensu illa distinguit. In regione Hippocrates Thaso ver ab æquinoctio, quod hyemem sequitur, ad vergiliarum ortum, siue ad septimum Maij diem perdurat. æstas inde incipit, & ad arcturi, siue ad decimum quintum Septembris diem continuatur, duratq; ad menses quatuor, & dies decem. autumnus ab arcturo exoriens vergilijs occiduis desinit, sic vt duos ferè menses absoluat. hyems ab occasu vergiliarum, siue calendis Nouembris incipiens, quatuor menses, diesq; decem, vt ęstas, absoluit. Quid opus est verbis, alia regio hæc anni tempora longiora: illa breuiora pro ipsius situ habet.

Anni tempora quomodo varient apud astrologos & medicos.

MATHETES, Manéntne semper singuli anni temporum status similes? GERON, Non, sed sępius admodùm mutantur. nam vt Hippocrates docet, æstas interdum etiam veri, & hoc nonnunquam hyemi simile apparet. atque id nonnunquam calore æstuanti respondet. Si igitur quodlibet anni tempus frigidum fuerit, pulsus, quales in hyeme: si verò calidum, quales in æstate, apparebunt. atq; ita de alijs anni temporibus, vbi natiua sua temperamenta non seruarint, censendum erit. MATHETES, Quid de varietate regionum adfers, ea-

Anni temporum status dissimiles.

démne in his quæ in anni temporibus ratio ſeruanda eſt?

Pulſus pro regionum diuerſitate quiſiant.

GERON, Quidni? ſiquidem in vehementer calidis, pulſus ſicut in media ęſtate producuntur: in valdè frigidis, quales in media hyeme: in temperatis, quales in medio vere. idem iudicato etiam de aliȷs aëris circunflui ſtatibus. nam calidæ, regionibus calidis: frigidæ, frigidis: temperatę, medio veri conſimiles exiſtunt. MATHETES, Perge obſecro reliquos pulſus cauſarum ſecundariarum enumerare.

Pulſus ſomni quales.

GERON, Somni incipientis pulſus minores, rariores, & languidiores deprehenduntur. vbi iam alimentum fuerit elaboratum, maiores, tardiores, rariores, & vehementiores. At ſi diutiùs æquo ſomnus protrahatur, pulſus item imbecilles, & parui euadunt: tardi autem & rari permanent. MATHETES, Cur initio ſomni pulſus tales gignuntur, quales iam retuliſti? GERON, Quia tunc calor naturalis ad interiora viſcera, exterioribus membris relictis, defertur, vbi ciborum, quos in alimentum ſibi conficere nititur, materia obruitur grauaturq́ꝫ. quanuis autem vitalis facultatis officium non ſit cibos concoquere & tranſmutare: tamen hæc & aliæ omnes, quæ corpus inuicem gubernant, conſortiȷ lege afficiuntur. MATHETES, Ob quid pulſus maiores ac vehementiores fieri dixiſti, vbi alimentum iam per ſomnum eſt elaboratum? GERON, Ob calorem rurſus augeſcentem, & facultatem confirmatam. nam calor innatus, quem cibi per initia ſomni grauarant, iȷs modò paulatim confectis, & in alimentum aſſumptis, valentior euadit. MATHETES, Cur tardiores & rariores ponis? GERON, Id Galeni ſententiæ non eſt conſentaneum: quanquam ſic eſſe videatur iȷs, qui arteriæ ſummiſsionem percipere nequeunt. nam pulſus dormientium velociùs ſummittitur, minùs autem & tardiùs eleuatur. quare partim eſt celer, nempe ſummiſsione: partim tardior, putâ eleuatione. nam maior in illis ob fuliginoſa excrementa eiȷcienda neceſsitas ingruit, quæ tunc redundant, quando concoctiones in ventriculo, iecore, venis, arteriȷs, ac in toto corporis habitu obeuntur. calor autem adeò magnus in illis non eſt, qui refrigerari poſtulet, cùm aucta pulſus magnitudo ei ſatisfacere poſsit. MATHET. Cur rariores exiſtunt? GERON, Quia exterior quies in pulſu dormientium, externæ vigilantium ſimilis exiſtit, nec quicquam in ea variat: ob quod rarior dici non deberet: quanquam illis talis videatur, qui ſummiſſionem arterię non percipiunt. nam omne tempus ſummiſsionis, quæ maior eſt quàm eleuatio, in dormientibus, tempori quietis adiungunt, eoq́ꝫ falſa raritatis ſpecies apparet. Adhęc eidem quieti etiam tempus eleuationis partis latentis addunt. nam exiguam eleua-

Pulſus dormientium qualis.

eleuationis partem ſentiunt: maiorem, tanquam minus exercitati ignorant. quanuis etiam in tangendis pulſibus periti, non omnes eleuationis & ſubmiſsionis arteriarum partes ſentire poſsint, vt qui illas non attingant. MATHETES, Súntne pulſus in quouis ſomno conſimiles? GERON, Non, quia hic non vnius eſt generis, ſed alius ſalubris, alius inſalubris. ſalubris autem dicitur, vbi calor innatus, ad interiora, alimenti acquirendi gratia, vtpote defatigatus, & ſiccatus, fertur: tandiu verò iſte perſeuerat, donec ſucci, quibus calor ſeſe recreat, elaborentur. Notandum autem duos caloris innati motus eſſe peculiares: vnum magis ei proprium & primarium, cùm forâs mouetur, vt perficiendis animalium muneribus ădſit: alterum dum intrô fertur, & ſe alimenti recipiendi gratia in ſeipſum colligit. MATHETES, Qui ſomnus eſt inſalubris? GERON, Qui diutius perſeuerat, grauis, profundusq;, in quo calor natiuus intùs diutiſsimè retinetur, non alimenti cauſa, ſed quia imminutus eſt exhauſtusq;, vt vix tuendis viſceribus ſatis eſſe poſsit: vel quòd humore copioſiſsimo, qui ipſum remoratur, & forâs prodire non permittit, impeditus ſit. MATHET. Quomodo Græci hunc ſomnum appellant? GERON, κῶμα, Latini ſoporem. in hoc igitur parui, tardi, rari, & imbecilli fiunt, eò quòd facultas obſeſſa ſit, & calor decreuerit. Quòd ſi minores, tardiores, rariores, & imbecilliores euaſerint, totus motus ferè interit, & mors in propinquo eſt, quæ comaticis, & carum experiuntibus frequenter ſuperuenit. MATHETES, Quid propriè per carum intelligis? GERON, Omnium motionum ſenſuumq; præter ſpirationem, priuationem. MATHETES, Quales pulſus ſunt eorum, qui ſubitò ex ſomno expergiſcuntur? GERON, Magni, celeres, frequentes, vehementes, vt nonnihil vibrent, ſed mox ad mediocritatem reuertantur. Eſt autem expergefactio duplex, vna ſpontanea, altera violenta. hæc fit dum homo euigilare cogitur ex vociferatu, inſomnio terrifico, attactu moleſto, vel ex re alia ſimili. Cùm itaq; violenta iſta expergefactio corpus inflammet, quando facultatem ſubitò irritat, caloremq; naturalem ab interioribus ad malum, ſi quod accidat, propulſandum euocat, pulſus magni, celeres, crebri, & vehementes eduntur. nam calor eſt auctus, & facultas irritata. Vibratio autem ſimul euenit, eò quòd calor vniuerſè cieatur, ſed protinus deſinat. vibrati enim pulſus ob ſummum caloris incrementum euenire ſolent, præſertim ſi arteriæ non fuerint molles. At in eo qui ſponte eſt experrectus, pulſus non tam magni, celeres, crebri, & vehementes fiunt: vibrati autem rariſsimè, quanquam exercitatos non lateat. MATHETES, Quando ſpontanea & naturalis fit expergefactio? GERON, Cùm

Somnus alius ſalubris, alius inſalubris.

Caloris natiui motus duo.

Inſalubris.

Sopor, & quales in eo fiant pulſus

Carus quid propriè.

Pulſus ſubitò expergiſcentium.

Expergefactio duplex.

Violenta.

Pulſuum vibratorum cauſa.

Spontanea eiusq; pulſus.

natiuus calor humore satiatus, quo per somnum in visceribus nutritus est, temperie sua recuperata (nam humidior ex sicciore euasit) proprio suo motu ad exteriorum membrorum officia iuuanda, reuertitur. Quia verò intereà dum alimenta conficiuntur, copiosa humidorum fuliginum materia, in ipsummet calorem natiuum, meatusq́ꝫ, & partes, quæ ad extimam cutim vsque habentur, surrepsit, non ipse adeò expeditè & facilè ad exteriora transit. Vt igitur fumosos hosce vapores excutiat, dissipetq́ꝫ, & meatus expurget, ac totum deniq́ꝫ corpus sibi peruium faciat, primos pulsus magnos, celeres, crebros, & vehementes sibi adhibet: atq́ꝫ hos cùm maiori impetu elaborat, corpus recalescit, facultásque irritatur.

Exercitia quos efficiant pulsus.

His similes pulsus exercitia moderata initiò efficiunt: immoderata paruos, celeres, creberrimos, & imbecilles. valdè autem immoderata admodùm paruos, tardos, raros, & imbecilles. si continuata fuerint, donec facultas resoluatur, ei peculiares oboriuntur. MATHETES, Quare labores moderati pulsus vehementes excitant? GERON, Quia facultas omnes vires eis perficiendis adhibet, exequiturq́ꝫ. nam ipsa irritata, vehementiores motus profert. Prætereà pulsandi necessitas partim ob caloris incrementum, partim ob spiritus exhaustos augetur, eoq́ꝫ magni, celeres, & crebri fiunt. Immoderati verò, quia vires exoluunt, pulsus languidos, paruos, & caloris augmenti gratia creberrimos, non tamen velocissimos. nam summa celeritas facultati resolutæ non accommodata est, eóque celerrimorum loco frequentissimi succedunt. At labores immodici nimiùm (in quibus is qui se exercet, sæpè & diu quietem desiderat, iterúmque ad laborem, quem vix exequi potest, redire compellitur) pulsus valdè paruos, & languidos, tardos autem & raros tum propter hanc, tum propter caloris innati decrementum efficiunt, quod ex euacuatione nimia, & spirituum exhalatione est subsecutum. MATHETES, Quid si facultas omninò fuerit resoluta? GERON, Tunc vermiculares, & deficientes pulsus huic proprij nascentur. MATHETES, Quæ hactenus dixisti, de puris intelligo, quid si impura immodicè exerceantur? GERON, In ijs plurimi succi ad ventriculos eorum confluere, pulsusqúe pro diuersis qualitatibus & casibus, qui tunc eueniunt, immutare solent. Porrò si ei qui omnibus ex æquo succis scatet, Græcis πληθωρικὸς dicitur, pulmo & thorax affectus sit, quàm primùm velociter exerceri ceperit, in spirandi difficultatem incidet, & pro huius ratione pulsus eiusdem quoq́ꝫ variabuntur, quos alij fortè ob exercitationem prouenisse putarent. MATHETES, Quales pulsus ex balneis calidis fieri solent?

Labores moderati cur pulsus vehementes excitent.

Labores immoderati quos faciant pulsus.

Pulsus facultatis resolutæ.

Pulsus ex exercitijs corporum impurorum.

GERON,

Pulsus ex balnearum vsu quales.

GERON, Ex moderatis magni, celeres, crebri, imbecilli: ex valdè immoderatis, nimiùm tardi, creberrimi & languidi. MATHETES. Non miror quòd magni, celeres, crebri inde proueniant: sed cur vehementes generentur, ignoro. GERON, Id inde accidit, quòd balnea alios calefacere, alios refrigerare soleant: alios rursus humectare: alios exiccare: hos euacuare, illos replere. MATHETES, Quánam re calefaciunt? GERON, Aëre & aqua calida, sicut eodem aëre, eademq; aquâ refrigerant, dum innatum calorem resoluunt, spirituumq; essentiam exhauriunt. Cæterùm balnea humectant lauacris, & aquę irrigatione, ijsdemq; contrà exiccant. nam si quis diutiùs ijs vtatur, corpus siccum euadit, eò quòd calor aquę, casu id præstet. Replent autem balnea, eò quòd alimentum ad partes exteriores trahant, si quis statim à cibo eis insideat. euacuant autem ieiunos, dum sudores eliciunt. Cæterùm alia commoda balneæ præstant, dum sudores abstergunt, densata aperiunt, meatus recludunt, expurgantq;, temperiem inæqualem corrigunt, lassitudinem tollunt. His si quis opportunè & mediocriter fruatur commodis, temperamentum moderatum acquiret, vires augebit, & vehementes inde pulsus consequetur. contrà si abutatur, vel intempestiuo ingressu, vel longiore insessu, facultatem offendet, quę languidos & paruos pulsus, ob calorem verò auctum, celeres, & crebros gignet. Quod si abuti illis pergat, minimos, tardos, creberrimos, & languidos edet: quia per nimiam euacuationem resolutionemq; viribus destituetur: vnde etiam animi defectiones, quæ συγκοπαὶ Græcis dicuntur, accidunt, quas pulsus formicantes præcedunt. Vbi quis ex balneo quo immodicè abusus est, exierit, corpusq; refrixerit, tales fiunt pulsus, quales calor imminutus, & facultas imbecillis gignere consueuit. MATHETES, Quos pulsus frigida balnea efficiunt? GERON, Paruos, tardos, raros, imbecilliores, aut magnos, vehementes & moderatos. MATHETES, Quæ causa est eiusmodi pulsuum? GERON, Calor imminutus, & facultas affecta, quæ imbecilliores quidem, non tamen accuratè languidos efficit, idq; si frigus aquæ, cui insidetur, intra corpus penetrauerit, immutaueritq; viscera. quòd si illud interiora non penetrauerit, sed potiùs lauantem calefecerit, id casu fieri dicemus. Coniuncta autem facultas, quæ validior est quàm dispersa, auxilio erit, vt pulsus magni & vehementes fiant, non autem celeres & crebri, eò quòd magnitudo sola vsui satis potest facere. MATHETES, Quos pulsus cibus & inedia efficiunt?

Balneorum commoda quæ.

Pulsus formicantes defectiones præcedunt.

Balnea frigida quos faciant pulsus.

Pulsus ex cibo & inedia qui fiant.

GERON, Copiosus facultatem grauans, inæquales & immoderatos: moderatus autem magnos, celeres, crebros, frequentes. exiguus immutat pulsus, sicut moderatus, sed minùs, nec

Cibus abundans.

diu. MATHETES, Cur abundans cibus eiusmodi pulsus inæquales generat? GERON, Quia facultas valdè impeditur premiturq́;, sicut anteà est explicatum. MATHETES, Cur inordinatos edit? GERON, Quia ordo perturbatur ideò, quòd facultas nunc sese erigat, nunc declinet, ac iterum collectis viribus exurgat: quod non stato, nec certo tempore agit: quia onere prohibetur. MATHETES, Cur moderatus cibus calorem augeat, non possum satis præceptor intelligere. GERON, Quia nunc qualitas caloris in nobis intenditur: nunc essentia eius in nobis crescit. vnde animal bifariàm quoq́; calidiùs fieri contingit: vel quòd plus calidorum humorum, vt sanguinis, aut bilis contraxerit: vel quòd eos calidiores quàm anteà habeat. MATHETES, Magni igitur pulsus celeres & crebri fiunt, quòd cibi calorem promoueant, atque ea de causa nos excalefaciant? GERON, Sic existimo. non solùm autem calor auctus in ijs, qui mediocriter cibum assumpserunt, sed etiam facultas robusta pulsus tales efficit. MATHETES, Cur ipsa ex cibis inualescit? GERON, Quia illi temperamentum corporis attemperant. hæc enim dissolueretur, eò quòd calor corporum mixturam depascatur, nisi per cibos iterum reficeretur. atque hæc est altera magnitudinis pulsus & vehementię occasio. Sic porrò de crudis succis intelligendum: quòd dum concoquuntur, vertuntúrque in alimentum, robur facultati addant, augeantq́; calorem. MATHET. Parcúsne cibus etiam pulsus reddit maiores, celeriores, crebriores, & vehementiores, sicut moderatus? GERON, Non adeò manifestè, licet periti deprehendant: citò autem abolentur. quia pauci cibi celeriter absumuntur. atq́; sic pulsus ex cibis immutantur cùm nutrire incipiunt. qualitates enim ciborum, antequàm in nutrimentum vertantur, aliter pro sua ratione pulsus immutant. Quippe lactuca tandiu refrigerat, quandiu coquitur: cùm autem nutrire inciperit, caloris natiui essentiam auget. Item potus & cibi frigidi eousq́; refrigerant, pulsusq́; pro frigoris ratione immutant, donec euincantur, fiantq́; alimentum. MATHETES, Quos pulsus cibi penuria adfert? GERON, Quia facultatem dissoluit, primo fiunt parui, celeres, crebri, & languidi: deinde paulatim minores, tardiores, rariores, & languidiores: posteà minimi, tardissimi, creberrimi, languidissimi: nouissimè formicantes, qui falsò veloces videntur, vt anteà de his proditum est. MATHETES, Quales pulsus ex vini potu fiunt?

Moderatus.

Facultas cur fiat robustior ex cibis.

Pulsus ex cibi penuria qui.

Pulsus ex vini cereuisiæq́; potu quales.

GERON, Quales ex cibo. sed in hoc differunt, quòd qui ex vini potu proueniunt, statim fiant, citoq́; desinant. prætereà celeriores & maiores, quàm vehementiores & frequentiores existant. MATHETES, Cur ex vino maiores pulsus fiunt, quàm ex cibis?

bis? GERON, Quia illud magna ex parte calidius est, quàm cibus. ea de causa etiam pulsus ob calorem auctum maiores & celeriores fiunt: ex cibo autem magis vehementes. Nam essentia alimenti ex cibis quò est densior, ac solidis membris similior, eò temperamentum gratius est, & firmius. Porrò ex cibis maior est pulsus frequentia, eò quòd magnitudo & celeritas tanta non est, quanta ex vino, quæ necessitati satisfaceret. MATHETES, Quid de potu cereuisiæ adfers, cuius loco vini in multis regionibus vsus est. GERON, Eodem modo pulsus illa variat, quo & vinum: sed hoc magis, illud minùs. Nam quæ cereuisiæ tenuiores, non autem adeò calidæ sunt, minùs magnos & celeres pulsus efficiunt: vehementes autem, paulò postea. quæ verò sunt calidiores, quàm nonnulla vina, vt amaræ, acres, crassæ, largiùs calefaciunt corpora, eoque magnum, & celerem pulsum magis excitant. Id autem obseruandum erit in omni potus genere, paruúsne sit, an moderatus, vel superfluus, MATHETES, Quos tandem pulsus faciunt animi perturbationes obsecro?

Cereuisiæ potus quos faciat pulsus.

GERON, Ira altum, magnum, celerem, crebrum, & vehementem: lætitia magnum, tardum, rarum, moderatum: tristitia paruum, tardum, rarum, languidum: timor recens celerem, inordinatum, inæqualem: inueteratus eundem habet, qualem tristitia. MATHETES, Cur ira pulsus illos quos iam recitasti, generat? GERON, Eò quòd per eam spiritus citò effundantur, sanguisque ad exteriora erumpat: atque hæc eò magis agitatione accendantur. quòd autem vehementes edat, facultatis irritatio efficit. MATHET. Quid eam irritat? GERON, Quod ipsam infestat, siue humores sint noxij, quos perferre nolit, sed potiùs eijcere conetur, vt in morborum solutionibus, quas κρίσεις Græci nominant: siue motus coactus, ut in exercitijs: siue dolor, cum quo natura pugnat: siue aduersi quippiam, quod primùm facultatem rationalem, deinde vitalem consortij lege afficit, vt hostes, & terrores. MATHET. Cur non similes iam dictis in lætitia quoque statuisti? GERON, Quia, etsi in hac etiam spirituum & sanguinis ad exteriora motus fiat: tamen non tam velociter, sed lentiùs obitur, vt in quo non adeò feruidi spiritus, & humores, sicut in ira, reddantur. atque ideò sola pulsuum magnitudo in ea augetur, celeritatis & frequentiæ expers, vt quæ sine his vsui satis esse posit. MATHETES, Cur non vehementem, sed eius loco moderatum posuisti? GERON, Quia facultas non incitatur, nec inualescit, eoque in mediocritate perseuerat: sin autem lætitia ingens fuerit, in qua multi spiritus digerantur, pulsus sequentur contrarij, nempe pauci, crebri, & languidi: nouissimè formicantes, & mors ipsa. MATHETES, Quæ tristi-

Pulsus perturbationum quales.

Iræ.
Lætitiæ.
Tristitiæ.
Timoris.

Facultatem quid irritet.

Pulsus lætitiæ.

Pulsuum tristitiæ causæ. tiæ pulsuum causa est? GERON, Motus contrarius, qui spiritus & sanguinem tardè introducit, exteriora membra calore, & viribus *Timoris.* destituens. MATHETES, Cur timoris pulsus magnitudine potiùs & vehementia, quàm in totum à tristitiæ dicatis differentes, & iræ contrarios protulisti? GERON, Quia ille spiritus & sanguinem subitò ad interiora reuocat: id quod pallor, tremor, & extremarum partium frigus testatur, præsertim in effœminatis timore perculsis. MATHETES, Ob quid in eo pulsus inæquales, & inordinati deprehenduntur? GERON, Quia copia humorum facultatem premit, affluxuque tumultuario grauat, perperàm vibratus pulsus minori asscribitur, cùm is ex calore aucto, & valida facultate forâs prorumpente, duroque simul instrumento procreetur. atque hæc de recenti timore intelligi debent. nam inueteratus non subitum ad interiora motum, sed lentum, vt tristitia reddit, cui etiam similes pulsus repræsentat. MATHETES, Possuntne animi affectiones commisceri? GERON, Possunt. nam ira sæpè cum timore hominem inuadit: quando etiam pulsus inæquales habet, non quidem sua sponte (semper enim tales haberent) sed quia hic illi adiunctus est. Meritò igitur tunc varij & inæquales apparent, cùm non solùm à diuersis causis, sed etiam à natura contrarijs immutentur. nam pulsus alti, magni, celeres, & vehementes ob vindictę cupiditatem existunt, vtpote facultati forâs celeriter prodeunti irritatęque familiares: humiles autem parui, tardi, & languidi intermiscentur, quia timor accipiendi, quàm spes dandi maior est. Quamobrem vtrique pro causæ vincentis natura, variari inuicem videntur, ac nunc ira, nunc metus superat. MATHE. Cuius alterius animi affectionis pulsus habes, & quales ipsi sunt? GERON, Amoris, cuius inęquales, nominis expertes, & inordinati existunt. MATHE. Quare tales habet? GERON, Quia alię quoque perturbationes animi, vt tristitia, & gaudium, ei adiunctæ sunt. si melancholica etiam sollicitudo accedat, multò molestior erit affectio, quæ hominem macilentum, cogitabundumque, de hominum, vel rerum quas amat elegantia, reddit: aliâs nullus proprius amori pulsus est Hippocrati. quia arteriæ nihil amatorij in pulsu, sed perturbatum amantis animum indicant. In verecundis siue fœminis, siue puellis vtriusque sexus pulsus fiunt inæquales, sicut etiam in timentibus: sed hoc intercedit discriminis, quòd timor naturalis quamprimùm desinat: formido autem penè perseueret, pulsusque mutatio in ea continuetur, etiamsi frequentiùs arteriam explores. MATHETES, Solentne etiam pulsus proprij concubitus inueniri?

Pulsus quales edantur, si affectiones commisceantur.

Amoris pulsus qui.

Concubitus pulsus proprij. GERON, Ita, eiusque mediocris, existunt magni moderati, & vehementes moderati. quia cùm superfluum seminis recrementū

excernit,

excernit, vires alleuat, mentem exhilarat, vapores fuliginosos excutit. MATHETES, Quales immodicæ coitionis pulsus sunt? GERON, Parui, celeres, crebri, & languidi. nam vires post laborem, aut motum validum, aut grauem animi perturbationem, debilitantur: celeres autem, & crebri, tum propter spiritus exhausti penuriam (sic enim pulsus necessitas augetur) tum quòd ex motu incalescat, in illa apparent. MATHETES, Qui pulsus nimiùm immodicæ proprij sunt? GERON, Parui, tardi, crebri, languidi. quia enim ipsa plurimos spiritus euacuat, vires resoluit, corpusq; siccat. Atque hæc de pulsuum origine, differentia, causisq; hoc loco suffecerint: nunc ad respirationem, quam eundem vsum & rationem ac illos habere dixi, reuertar, repetamq; nonnulla nuper dicta vt sequentia melius intelligantur.

Respirationis partes.

Respiratio duplex est: propria, & accidentaria: illa inspiratio vocatur, qua aër in pulmones, eiusq; asperas arterias & priores cerebri sinus, thorace dilatato, attrahitur: hæc expiratio, qua aër & vapores fuliginosi, ex iam dictis membris, thorace submisso (vt suprà docui) efferuntur. atq; ea duplici quiete constat: cuius prior per inspirationem breuis est, altera per expirationem longior. MATHETES, Quot sunt respirationis differentiæ? GERON,

Respirationis differentiæ.

Tres ab essentia aëris inspirati, vel spatio quod thorax respirando percurrit, sumuntur. vnde alia magna, alia parua, alia mediocris vocatur. Tres item à temporis spatio petuntur, quo ipsæ perficiuntur, vt velox, tarda, mediocris: & totidem à quietis tempore, vt frequens, rarior, illi contraria, & mediocris: sed cùm tardiorem à singulis differentijs ademeris, sex tantum remanebunt. MATHETES, Quæ magna est? GERON, In qua thorax in omnem dimensionem multùm eleuatur, vel copiosus aër partibus respiratorijs sanis trahitur: nec non thorax, magna vi musculorum intercostalium attollitur, aut multus aër fuliginoso vapore mixtus, expellitur. MATHETES, Quæ parua? GERON, In qua omnia iam dicta contraria eueniunt. MATHETES, Quæ velox siue celeris vocatur respiratio? GERON, In qua thorax pauco tempore multùm spatij perficit. MATHETES, Quę tarda nuncupatur? GERON, In qua contrarium accidit. MATHETES, Quæ frequens seu crebra dicitur? GERON, In qua thorax breuissimo tempore quiescit. rara, in qua longissimo. MATHETES, Quot, & quæ sunt respirationis causæ continentes, optime præceptor?

Respiratio magna. Parua. Velox. Tarda. Crebra.

Respirationis causæ.

GERON, Tres. ac prima vsus est, seu vrgens necessitas, eaq; maior & minor: illa sanè, qua natiuus calor in corde per ipsam refrigeratur: hæc autem, qua spiritus animalis in cerebro (vt antea docui) ex aëre per nares ad illud inspirato, & vitali spiritu in plexu

reticulari plenius elaborato, nutritur. Altera eſt, idonea facultatis animalis vis, ſiue robur, quo thorax & aliæ partes reſpiratoriæ mouentur. tertia, thorax & aliæ partes reſpiratoriæ, dum facultati obediunt, eò quòd temperata, & ab impedimentis libera exiſtant. MATHETES, Hæc ita habere credo. ſed quæ magnam & velocem reſpirationem efficiunt? GERON, Neceſsitas alterutra, vel vtraqꝫ vrgentior, facultas animalis robuſta: quanquam ea quoqꝫ imbecilla, magna & celeris reſpiratio fieri poſsit: multùm autem imbecillę, ſi vſus poſtulet, in vicē magnæ & celeris, frequens ſubſtituatur. necnon inſtrumentum facultati obediens. MATHET. Quid efficit reſpirationem paruam, tardam, frequentem, & raram? GERON, Vna ex cauſis contrarijs, vt ſolus vel calor natiuus valdè imminutus, vel ſola inualida facultas, vel ſola inſtrumenti inobedientia, reliquis duabus non immutatis. Ex tribus iam dictis, nunc duæ, nunc tres concurrunt: non tamen neceſſe eſt, vt omnes cauſæ contrariæ ſimul adſint. At frequentiorem reſpirationem, partium hinc dicatarum anguſtia, & dolor, auctusqꝫ calor natiuus gignit: raritatem autem delirium, aut calor imminutus. MATHETES, Quid magna reſpiratio indicat? GERON, Calorem natiuum, vel aſcititium adauctum, vel mentis alienationem teſtatur. MATHETES, Quid parua? GERON, Dolorem partium, quæ reſpirationi ſeruiunt, vel caloris natiui refrigerationē. MATHET. Quid rurſus velox notat? GERON, Calorem naturalem increuiſſe, vel partes reſpiratorias anguſtiores euaſiſſe, vel eaſdē dolore cum febri infeſtari. MATHET. Quid ſignificat tarda reſpiratio? GERON, Calorem inſitum decreuiſſe, vel partes reſpiratorias ſine caloris incremento, dolere. MATHETES, Frequens, aut rara tandem quid oſtendit? GERON, Calorem natiuum auctiorem eſſe factum, partis reſpiratoriæ dolorem, citra caloris incrementum: ſicut rara, calorem refrixiſſe, vel mentem eſſe alienatam portendit. Porrò nullæ ex his ſex reſpirationis ſpeciebus, ſeu difficultatibus ſpirandi, affectum aliquem abſolutè & firmiter declarant: eò quòd ſingulæ ſeorſum duabus, vt paucisſimis ſint communes. MATHETES, Quomodo igitur certò affectus ex reſpiratione potero cognoſcere? GERON, Si compoſitas inuicem diligenter obſerues. de quibus poſtea audies, vbi de affectuum ſignis tractabimus. nunc me quieti committam. Cras tempeſtiuiùs me accedas.

Magnæ & velocis reſpirationis cauſa.

Paruæ, tardæ, frequentis & raræ cauſa.

Reſpirationes compoſitæ certò affectus ſignant.

Ioannis

Ioannis Guintherij Andernaci Medici

DE VETERI ET NOVA MEDICINA COGNOSCENDA, COMMENTARII PRIMI

DIALOGVS SEPTIMVS.



ERON, Cùm iam omnium corporis humani partium naturam eiusꝗ facultates, & actiones, ſeu officia, ex quibus vita noſtra, bonaꝗ valetudo conſiſtit, intellexeris: proximum eſt, vt nunc ea tibi recenſeam, quæ aduerſam facere ſoleant. Nam ſine illorum notitia & obſeruatione, reliqua omnia, quæ hactenus audiuiſti, parùm aut nihil ad inſtitutum tibi profutura eſſent. Tu ergo diligenter animum aduertas, ijs, quæ deinceps ſum tibi communicaturus. ſi æqualis ſimilarium partium eſſentiæ, ſeu qualitatum primarum temperatio, & decens compoſitarum ſtructura, aptaꝗ ambarum connexio, bonus corporis ſtatus, ſanitas, ſeu proſpera valetudo exiſtit, ac dicitur: certè inæqualis, ac illi contrarius, malus erit, aduerſaꝗ valetudo, & morbus iurè à nobis, ſicut Græcis νόσος, ſiue νόσημα, ſiue διάθεσις παρὰ φύσιν nominabitur. Ac ſummi medicinæ authores, tria mali huius ſtatus corporis genera conſtituerunt: nempe morbum ipſum, cauſas eiuſdem, & quæ illi ſuperueniunt acciduntꝗ: Græci συμπτώματα, Latini caſus vocant, quæ actionem eius partis quam obſident, impediunt. MATHE. Quot igitur ſunt morborum genera? GERON, Duo. vnum, quod ex intemperie primarum qualitatum, tum ſimplicium, tum compoſitarum, in ſingulis partibus prouenit: alterum, quod in compoſitis, ſeu inſtrumentarijs ex vitiata conformatione, magnitudine, numero, & vnione contrahitur, vel (ſi mauis dicere) quod ex ſtructura naturali contraria generatur. MATHETES, Qui morbi ſimilarium proprij ſunt? GERON, Qui ex calidi, frigidi, humidi, & ſicci intemperie proueniunt, ſi Galeno credimus. Sin autem penitius rem perpendamus, non ſolùm illi ex hac, ſed etiam ex ipſarum ſtructura oriri ſolent: vti ſi quæ malè ſit effecta, hoc eſt breuior, vel maior euaſerit, quàm conuenit. nam ſi vnaquæꝗ illarum non ſolùm temperiem ex quatuor qualitatibus, ſed etiam iuſtam magnitudinem, certámque figuram à natura accepit, certè ex his quoque violatis morbi ipſis obuenire poſſunt. nec non etiam ex peculiari partium forma læſa proueniunt. cùm enim hæc actionum

Mali ſtatus corporis tria genera: morbus, cauſa, ſymptoma.

Morborum genera duo.

Similarium proprij morbi.

Non ſolùm ex intemperie, ſed etiam ex mala ſtructura morbi ſimilarium.

Morbi ex peculiari partium forma.

causa sit, & illi eam impedire ac offendere soleant, cur non etiam morbus ex forma, quæ læsa est actio, ex vitioso temperamento contracta illis annumerari debeat? Præterea morbi similaribus partibus adueniunt non solùm ex primis qualitatibus, sed etiam ex secundis. MATHETES, Quomodo id fieri poterit? GERON, Im-

Morbi ex secundis qualitatibus.

presiones rerum, ob duritiem in partibus difficiliùs recipiuntur, & factæ pertinaciùs retinentur: vnde duro præditi cerebro imaginibus & simulacris suscipiendis inepti apparent, quamuis memoria plurimùm valeant. cum autem partes duriores flecti non facilè posint, molliores autem, non firmam satis naturam habeant, vtræque ad motiones sunt inhabiles. Iam etiam cerebri

Morbi ex cerebri essentia.

essentiæ natura vitia similarium procreare potest. nam quibus crassa illa obtigit, ij tardum, hebesque ingenium consequuntur, vt qui tenuem ipsam ab initio sortiti sunt, acre & fœlix consequuntur. Ex raritate cutis, humores immodicè disipantur, sudoresque largiùs digeruntur. Ex densitate cutis, parciùs quàm expedit, euacuantur. Vbi cornea oculi membrana proprio colore destituta est, visionem offendit. cùm autem ventriculus acriori quàm expedit sensu præditus est, vomere & singultire solet, alioque modo in actionibus suis turbari, vt Galenus quoque docet. Hæc autem vitia non in morbis partium instrumentariarum ab illo comprehenduntur, sed ad similares pertinere videntur: non tamen eiusmodi sunt, quales primis qualitatibus attribuuntur. aliud nanque

Actionem offendi non solùm ab intemperie.

est actionem à crasitie partium offendi, aliud à temperamento vitioso, aliud à raritate, vel densitate, aliud à calido, vel humido. Qui dicunt morbum esse non solùm intemperiem ipsam, sed etiam quod intemperiem sequitur, à Galeno dissentiunt. nam is cùm de similiarium partium morbis disputat, solius intemperaturę ex primis qualitatibus mentionem facit. MATHETES, Ergo aliunde etiam morbi similarium partium, quam ex primis quali-

Morbi maligni non ex primis qualitatibus.

tatibus proueniunt? GERON, Indubiè, sicut paulò antè dixi: vt febres pestilentes, morbus gallicus, & qui maligni vocantur: nec nō quos venena toto genere lethalia concitant. propterea hi quoque auxilijs non calidis, frigidis, humidis, siccis, oppugnantur: sed ijs quæ tota essentiæ suæ natura agunt, ac singulares vires, non

Morbi ex vitiata forma, temperie, & materia.

euidentes qualitates obtinent. Præterea cùm hæc tria, nempe propriæ formæ, temperies, & idonea materia singulas partes constituant, rationi consentaneum est, vt morbi quidam singulis illis attribuantur, quorum beneficio illæ rectè valent, & officia sua probè exercent. MATHETES, Quæ materiæ vitia dicuntur? GERON, Si pars laxior, aut astrictior: tenuior, aut crasior: rarior, aut densior: mollior, aut durior: vel alieno quodam colore infe-

cta red-

ćta reddatur, aut ſi acutiore, vel obtuſiore ſenſu ſit prædita. hæc enim non ſemper intemperiem, ſed etiam ſæpiùs materiæ paucitatem, & abundantiam ſequuntur: quemadmodum etiam magnitudo, & conformatio ob diuerſam illius conditionem variantur.

Morbi formæ.

MATHETES, Qui morbi ad formam referendi videntur? GERON, Omnes qui maligni dicuntur, ſicut ij qui ex primis illis qualitatibus oriuntur, ad intemperiem pertinent. Porrò nonnulla vitia ex prædictis ad ſimilares partes non ſpectant: nonnulla morbos his partibus proprios excitant, ab illis, quos primæ qualitates gignunt, omnino differentes. MATHETES, Quamobrem? GERON, Nam quæ mala ex magnitudine, conformatione, duritie, mollitie, colore, ſapore, craſsitie, tenuitate, raritate, denſitate, laxitate, & aſtrictione in ſimilaribus partibus generantur, non ad illarum ſtructuram, ſed ad inſtrumentarias ſpectant. MATHET. Similarium compoſitio, prædictorúmne vitio corrumpitur? GERON, Minimè. quia illarum actiones integræ permanent, quocunqꝫ ex illis affecto. MATHETES, Maligni igitur diuerſi generis ſunt ab illis, qui ex primis qualitatibus concitantur? GERON, Sunt vtiqꝫ. ſiue autem eos ad formam, ſiue ad temperamentum, ſiue ad occultas qualitates referre velis, nihil refert: quanuis tamen meliùs formæ quàm alteri cuipiam attribuantur. ſiquidem partium ſimilarium natura vniformis exiſtit, quæ maximè mutari per huiuſmodi morbos ſolet, quod febres peſtilentes indicant, in quibus ægrorum cutis vario colore, & omni alia qualitate perinde afficitur, vt ſibi ſimilis, & vndequaqꝫ ſimplex, ſicut in alijs morbis dici nequeat.

Forma ſimilarium actionum cauſa.

Eſt itaqꝫ ſimilarium partium forma actionum earundem cauſa, eaqꝫ magis quàm temperies: & ſicut actionum vis & robur ei aſſcribuntur, ſic vitia quoqꝫ in illa eſſe poſſunt, quę morbi ex tota, vel in tota eſſentia partium Galeno appellantur.

Morbi ex tota eſſentia.

MATHETES, Duo morborum genera ſimilaribus partibus propria numeraſti, atqꝫ vnum ex intemperie, alterum ex tota partium eſſentia prouenire dixiſti, nunc oro qui, & quot in vnoquoqꝫ genere inueniri ſoleant, exponas.

Octo morbi ſimilarium.

GERON, Qualitatum primarum exceſſus, octo morbos in hoc genere progignit: ſimplices quidem quatuor, cùm ſingulę qualitates exuperant: compoſiti verò etiam totidem, ſic vt duæ qualitates inter ſe iunctæ, calor & frigus, cum humore & ſiccitate excedant.

Morbi ne ex ſolo calore & frigore.

MATHETES, Poteſtne morbus aliquis ex ſolo calore aut frigore contrahi? GERON, Galenus ſanè modò videtur id negare, cùm febrem ſuapte natura calidam & ſiccam affectionem eſſe, eoqꝫ frigida & humida remedia poſtulare tradit: nunc autem affirmare id videtur, cùm febrem in ſolo calore conſtituit.

Galenus varius.

MATHETES, Quid tu ſentis? GERON, Id quod rei

natura docet, nempe ſolius caloris exceſſu morbos naſci poſſe. quòd enim veteres quidam dixerunt, facultatem calori excedenti, humorem autem frigori vincenti ſuperuenire, ſimilitudinem quidem veri habet, ſed aliqua ex parte falſum eſt. quamuis enim calor ſiccitatem ſibi aſciſcat, non tamen ilicò, ſed poſtquàm vis ipſius diu inualuerit, id efficit: nec omnis ſiccitas, quæ ex caloris efficacia prodit, talem generat intemperiem, qualis inter morbos recenſeri debeat. MATHETES, Quantùm igitur illam exuperare oportet? GERON, Vt partis affectæ actionibus inſigniter incommodet: aliâs morbi autor eſſe nequit. Idem de frigidis morbis intelligas. licet enim frigus vitiata concoctione humores procreet: non tamen celeriter, aut ita eximiè ſemper, vt propter illos intemperies morboſa putari queat.

Intemperies composita quot modis fiat.

MATHETES, Quot modis compoſita ſit intemperies? GERON, Duobus: vno, cùm ſolæ ipſæ qualitates exuperant: altero, cùm humor quoque affluit, in quo duplex vincat qualitas. At hoc morbi genus, quod ex humorum collectione naſcitur, tumoremq́; contra naturam excitat, ad inſtrumenta refertur, de quibus poſteà agemus.

Summa morborum genera.

MATHETES, Vt omnia quæ iam dixiſti, meliùs retineam, paucis repetas. GERON, Prima ac ſumma morborum genera tria exiſtunt, quæ diuerſas corporis partes infeſtare ſolent: vnum quod ſimilares: alterum quod inſtrumentarias: tertium quod vtraſque communiter affligit.

Propria ſimilarium.

propria verò ſimilariū etiam in tribus conſiſtunt, nempe in materiæ immoderatione, vel in temperamenti intemperie, vel in totius eſſentiæ, aut formæ corruptela.

Materia immoderata.

MATHETES, Quæ materia dicitur immoderata? GERON, Mollior, aut durior: laxior aut aſtrictior: tenuior, aut craſsior: rarior, aut denſior quàm naturæ conuenit.

Intemperies morbos parientes quot.

MATHETES, Quę & quot intemperies ſimilarium partium morbos pariunt? GERON, Primarum qualitatum tum ſimplicium, vt calida, frigida, humida, ſicca: tum compoſitarum, vt calida humida: vel calida ſicca: item frigida humida, aut frigida ſicca. MATHETES, Quæ nomina vniuſcuiuſq; intemperiei morbis induuntur? GERON, Nulla ferè propria, ſed quodammodo circunſcribuntur:

Calida. *Frigida.* *Humida.* *Sicca.*

vt calidæ, febris, exuſtio in igne, aut in ſole, aut calor nimius ex motu, aut alia cauſa excitatus: frigidæ, maximus totius corporis vel partis algor, quo homo nonnunquam emoritur, vel pars à corpore decidit, vel morbum attonitum, comitialem, tremorem, aut conuulſionem experitur: humidæ, cùm pars quædam adeò reſoluta eſt, & mollis apparet, vt actionem ſuam obire nequeat, idq; cùm nulla materia extrinſecus affluit. ſiccæ, marcor: quo vel totum corpus, vel pars aliqua, vt os, velut in ſabulum putredine reſolutum contabeſcit. MATHETES, Quomodo appellantur mor-

tur morbi qualitatum compositarum, quos nuper retulisti? GERON, Soli absq; humoribus difficulter cognosci possunt, nisi valdè sint insignes, eóque nullis certis nominibus donati sunt. Qui autem materiam habent coniunctam, neminem latere possunt, vt qui tumorem edant, vnde etiam sua habent nomina: verbi gratia, Intemperies calida & humida, cui sanguis est additus, inflammatio, Græcis φλεγμονὴ dicitur. Calida, sicca, quæ bilem habet coniunctam, græcè ἐρυσιπέλας, sicut ἕρπης vocatur, latino caret nomine. Frigida & humida, pituitæ particeps, οἴδημα græcè nuncupatur, qui laxus tumor est, prementi digito cedens. Frigida & sicca, qualis bilis atra est, scirrhus, hoc est, tumor induratus, & cancer. At si huiusmodi tumores non ex vno humore, sed ex mixtis generentur, tunc etiam nomen ab eo, qui in ipsis vincit, appellationem sortiuntur. interdum enim phlegmone erysipelatodes vocatur, hoc est, inflammatio ex sanguine, & copiosiore bile contracta: aliâs œdematodes, in qua pituita magis quàm sanguis abundat: aliâs scirrhodes, quando humor melancholicus magis quàm sanguis vincit. Sic de erysipelate phlegmatode, aut œdematode, aut scirrhode dicendum est, cùm aut sanguis, aut pituita, aut atra bilis, flauam superat. Rursus œdema phlegmatodes, aut erysipelatodes, aut scirrhodes, tumor vocatur, in quo sanguis, vel bilis flaua, vel atra pituitam vincit. Cùm autem scirrhus plegmatodes, erysipelatodes, aut œdematodes dicitur, tumor est, in quo sanguis, aut bilis, aut pituita copiosior est quàm atra bilis, quàm flaua, quàm pituita. atq; hi tam simplices, quàm compositi similarium partium morbi existunt: nunc ad instrumentarias me conferam. MATHETES, Antequam id facias, obsecro explices quid essentiæ totius partis nomine comprehendas. GERON, Spiritum & calorem ipsius genuinum, facultates, & ipsarum formam. MATHETES, Qui sunt essentiæ, seu formæ ipsius morbi? GERON, Maligni, qui partium essentiam primariò, & per se oppugnant, vtpote venenosi, partim ex veneno intus genito, sicut est morbus comitialis, strangulatus vteri ex putri semine, animi defectiones ex grumo putrido, singularis cordis palpitatio: partim ex assumpto veneno, aconito, taxo, ephemero, cantharide, lepore marino, & similibus. Huius generis sunt contagiosi, qui ex virulentarum bestiarum occursu affligunt: nec non pestilentes, ex aëre syderum viribus infecto prouenientes, sicut febris, & bubo pestilens, carbunculus, & id genus alij similes: nonnulliq; minus graues, vt exanthemata, rubræ purpureæq; cutis maculæ, pituitæ eruptiones quædam consuetæ: insuper morbi quidam insoliti & noui, calores ardentes, graues difficultates spirandi, febris sudorifera, morbus gallicus,

Morbi absq; humoribus.

Phlegmone.

Erysipelas.

Oedema.

Scirrhus.

Essentia totius partis quid.

Morbi essentiæ seu formæ.

Maligni ex veneno intus genito vel assumpto.

Contagiosi.

Pestilentes.

Morbi insolidi.

& elephantiaſis: nec non qui ſequentibus temporibus ex nouis ſyderum concurſionibus, & permiſtionibus ſuperueniunt. Atq; hæ omnes differentiæ ad vnum ſimilaris morbi genus referuntur. miror veteres medicos illas prætermiſiſſe. MATHET. Qui, & quot morbi ſunt partium inſtrumentariarum? GERON, Sicut quinq; ad illas conficiendas integra requiruntur, nempe congrua conformatio, magnitudo, numerus, coniunctio, & ſimilarium continuitas: ita ſi vitientur, totidem morbi emergent. imò plures, ſi illæ magis diuidantur. Conformatio, quæ Græcis διάπλασις vocatur, deprauata, tria morborum genera nomine ſuo comprehendit. vnum quod in figura: alterum quod in aſperitate & lęuitate: tertium quod in ſoliditate, & meatibus conſiſtit. ac in ſingulis hiſce alij morbi proueniunt. Figura nanq; partium multis modis variare ſolet: recta curuari, curua dirigi, omnesq; flecti, reflecti, diſtorqueri, inæqualiter creſcere, aut minui: & quæ rotundæ, interdum quadratæ fiunt, & hę alias figuras aſſumunt. MATHETES, In quibus variatæ huiuſmodi figuræ apparent? GERON, In ſimis natura, aut ictu, aut caſu: nec non in varis, vacijs, plancis: item in ijs quibus caput rotundum, vel oblongum, vel quadratum nimis exiſtit: in fractura malè curata, luxatione, callo eminentiore articulis innato: adhæc in corde, pulmone, & alijs partibus malè figuratis. Notandum autem figuram in alijs partibus primariò, ac per ſe corrumpi: in alijs ſecundariò, ac caſu: ſicut pulmo, cùm thorax anguſtior eſt redditus, formam rectam ſeruare nequit. MATHET. Quot vitia in læuitate & aſperitate ſtatuuntur? GERON, Vnicum duntaxat genus, nempe quo partes quæ lęues eſſe debent, exaſperentur: quæ verò aſperæ, lęuigentur. Quando enim aſpera arteria nimis exaſperata eſt, raucedinem adfert: lingua autem & fauces, tuſſim excitant. aliàs interdum oſſa quædam exaſperata magis quàm par eſt, alio modo infeſtant. idem vitium etiam apparet, cùm ventriculus natura aſper, aut vterus, nimiùm læuis & lubricus euaſit, ſicut etiam oſſa nonnulla. MATHETES, Quos morbos partes meatibus quibuſdam, ſeu cauitatibus donatæ, & natura ſolidæ experiuntur? GERON, Meatus quidem, per quos contenta diſtribuuntur, multis ſunt oportuni, dum vel plures, vel pauciores apparent: latiores, vel anguſtiores, vel omnino ſunt aboliti. ſolidæ autem partes, cùm nimiùm excauatæ fuerint, & meatus aliquos acceperint. MATHETES, Exempla vitiorum perçenſeas. GERON, Dilatatio nimia, vt in oculo, pupillæ, venæ in varice, arteriæ in aneuriſmate: aut huic in eodem genere contraria, aſtrictio, & obſtructio. MATHETES, Quomodo fit aſtrictio? GERON, Si meatus anguſtiores ob cauſam exteriorem reddantur:

Morbi inſtrumentariarum partium.

Conformationis morbi.

Læuitatis & aſperitatis vitia.

Dilatatio.

Aſtrictio.

tur: veluti ſi cutis meatus ex ſiccitate denſiores fiant, conniueantq;:aſpera verò arteria & gula, ex angina premente coarctentur. MATHETES, Quo pacto fit obſtructio? GERON, Cùm meatus materia influente, intusq; hærente, quaſi infarcti, anguſtiores euadunt, ſicut frequenter in cute, venis, arterijs, inteſtinis, omnibusq; ductibus euenire ſolet. MATHETES, Qui morbi ſunt partium earum, quę finibus ſuis ac receptaculis recipiunt continentq;. GERON, Nimia capacitas, vt ventriculi, thoracis, & ſcroti: rurſus immoderata coarctatio, vt thoracis ſummiſsio, quæ ad tabem deducit, tantaq; ventriculi aſtrictio per medicamentorum vim inducta, vt conuenientem cibi copiam excipere nequeat. Huc etiam ſpectat repletio, præſertim ventriculorum cerebri, vt in apoplexia: vteri, in mola: veſicæ, in calculo: quamuis hic morbus dici non debeat, ſed morbi cauſa. MATHETES, Quot morbi vitio magnitudinis naſcuntur? GERON, Duo. nam partium moles vel ſupra modum excedit, vel imminuitur plus quàm ratio poſtulat. MATHETES, In quibus? GERON, In capite amplo, oculis magnis, lingua grandi (ſalua tamen eius eſſentia) in mammis, teſtibus vtriſq;, vel altero ipſorum, in ſtruma, & cæteris tumoribus contra naturam ſic adauctis, vt actionem offendant. Ea verò magnitudo naturalem ſtatum excedens, rarò poſt natalem diem obtingit, ſi pars eam ſuſtinens, propriam ſeruet figuram. MATHETES, Quando minor partium moles, quàm par eſt, apparet? GERON, Cùm vel tota partium eſſentia, vel membrum aliquod alimenti defectu contabeſcit, vt caput, oculus, & lingua, ſingula exigua: digiti, cruraq; imminuta. atq; hęc vitia vel ab origine ſunt nobis annata, vel ex alimenti copia, ſiue inopia contrahuntur. quæ verò ex humorum affluxu procreata ſunt, non illis, ſed tumoribus contra naturam annumerari debent. MATHETES, Quando morbi ex corrupto partium numero prouenire ſolent? GERON, Cùm videlicet vel plures, vel pauciores æquo exiſtunt. MATHETES, Quales illæ eſſe ſolent. GERON, Vel naturales, ſed non neceſſariæ, vt ſextus digitus, tertius teſticulus: vel naturæ in totum aduerſantes, vt verrucæ, calli. MATHETES, Quando numerus partium minor eſt, quàm debet? GERON, Cùm ipſæ vel natura ab origine deficiunt, vt in eo qui mancus naſcitur: vel poſteà detrahuntur, ſicut in illo, cui manus amputatur, ſiue partim, ſiue ex toto. At cùm portio quædam ab inſtrumento prorſus tollitur, vt oſſa, digitus, pes, vena varicoſa, glandula indurata, ſolius numeri morbus vocatur. cùm autem non ex toto, ſed ex dimidio adimitur, non ſolùm numeri, ſed etiam magnitudinis vitium exiſtit. MATHETES, Quomodo morbi ex vitiata compoſitione fiunt? GERON, Situ & con-

Obſtructio.

Morbi receptaculorum.

Morbi ex magnitudine.

Morbi ex numero.

Compoſitiones morbi.

nexu contrario. partes enim vel sedibus suis recedunt, peruersoq; ordine collocantur, vel perperàm connectuntur, colligunturq;. Fit nanq;, vt quod superiorem locum obtinere debet, inferiorem occupet: &, vt quod in sinistra consistere decet, ad dextram vergat: nec non, vt quod anteriorem sedem postulat, in posteriore situm sit: aut, vt id longiùs distet, quod natura propinquiùs esse cupit: aut, vt quod mediam regionem obsidere oportet, lateri adhæreat: aut, vt quod intus subsistit, extrinsecus extet, sicut cum pulmonis fibræ per thoracis vulnera exeruntur. MATHETES, In

Morbi ex situ.

quibus situs ita variat? GERON, In quibus artus luxati sunt, aut omentum, siue intestinum in scrotum prolapsum, manus scapulis admotæ, siue brachijs. MATHETES, Quando vicinę partes non benè inuicem consentiunt, connectunturq;? GERON, Quando linguæ & penis vincula, ligamentaq; articulorum laxa nimiùm, intenta, aut rupta fuerint, vel longiora, breuiora: crassiora, tenuiora: latiora, aut angustiora: item cùm vel oculorū palpebrę, vel labra oris, uuluę, aniue: nec non cùm digiti, alięue partes siue ab origine, siue ob vlcus contra naturam coalescunt. Ad hoc genus morbi pertinent etiam prauæ articulorum iuncturæ, vt cùm is qui alium excipit, sinum vel angustiorem, vel latiorem quàm alter requirit, habeat: vel contrà, cùm is qui alteri inseritur, crassior iusto fuerit. Quot igitur modis instrumenti structura corrumpitur, tot in hoc genere morbi exoriuntur. atq; hi etiam sicut alij omnes iam commemorati, instrumentis simplicibus asscribuntur. Sunt enim hæc duplicia, nempe prima & secunda: illa ex similaribus proueniunt, vt musculus, vena, arteria: hæc ex primis bonam vel malam compositionem sortiuntur, vt digitus: prosperamq; valetudinem, vel aduersam ex eisdem obtinent. MATHETES, Qui morbi instrumentariarum partium compositi vocantur? GERON, Qui primariò plures simul partem vnam obsident. Sunt autem ex his alij proprij: alij accidunt.

Morbi compositi instrumentariarum partium.

MATHETES, Quando proprij dicuntur? GERON, Cùm duo, aut plures morbi instrumentariam partem vel eandem, vel diuersas infestant, vt suffusio, & vnguis, vel rhyas oculi. nam huic morbi isti sunt peculiares: sic nimia magnitudo & asperitas naturę contraria, linguę. MATHETES, Quando morbi accidere solent? GERON, Cùm plęriq; similarium partium simplices, vel aliquis compositus, vt inflammatio vnam instrumenti particulam, aut singuli singulas obsident. Casu hic morbus compositus, aut plures simul morbi ad totum instrumentum referuntur. quia similariū partium morbi simplices aut compositi toti instrumento ex accidenti attribuuntur. sicut lippitudo, tunicæ cohærentis inflammatio, proprius ei morbus est, oculi verò acci-

accidentarius. ſic ceratoïdes tunicę eroſio tanta, vt rhagoïdes per eam excidat, eóque pupilla torqueatur. hi ſanè affectus oculi ſunt vitia: licet eroſio, ceratoidis mēbranæ: prolapſus rhagoidi, contorſio pupillæ ſit peculiaris. Poteſt etiam in hoc genere proprius morbus, & accidentarius ſimul incidere, vt luxatio pariter & inflammatio: ſic quidem vt illa primarius inſtrumenti, hæc autem ſingularum inſtrumenti partium morbus exiſtat, inſtrumenti verò non primarius, nec proprius, ſed accidentarius. Quinetiam morbus inſtrumentarius ei qui ex diuortio, ſeu diſſolutione continui accidit, coniungi poteſt, ſicut in tumoribus contra naturam fieri ſolet. MATHETES, Quid de quinto morborum genere habes, quod vtriſq; partibus tum ſimilaribus, tum inſtrumentarijs commune eſſe retuliſti. GERON, Si Galeno credimus, vtrarumq; continuitatis diuortium ſolutioq; exiſtit. ſin autem rem penitiùs, ſicut Argenterius & alij quoq; præclari viri inſpiciamus, huiuſmodi vitium ſiue morbum inſtrumentarijs duntaxat propriũ, non ſimilaribus pariter communem eſſe dicemus. MATHET. Quę res & quomodo vnitas corporis partes diuidunt ſoluuntq;? GERON, Primùm tenues, & ad incidendum accommodatæ, vti enſis, telum, ac ſagitta: deinde acres & rodentes: poſtea graues, duræ & obtuſæ: tandem, quæ rumpendi facultatem obtinent. non autem vno genere comprehendi poſſunt. nam quædam ex eis replendo, quędam alio modo vires ſuas exercent: omnia tamen tendendo rumpunt. MATHETES, Quibus nominibus quatuor illa morborum genera ſimplicia, in continuitatis ſolutione appellantur? GERON, Diuiſio, quę tenuibus & ſecantibus efficitur, vulnus nobis, Græcis τραῦμα, quæ potiſsimùm in carne & vera cute accidit: quæ autem in ſumma, quam ἐπιδερμίδια ſuperiùs appellaui, excoriatio nuncupatur: quæ ex acribus accidit, latinè vlcus, ἕλκος græcè dicitur. quæ ex grauibus & duris fieri ſolet, generali quidem nomine caret, ſpeciali autem contuſio appellatur. quæ à tendinibus prouenit, ruptura, Græcis ῥῆγμα ſeu ῥῆξις dicitur. His porrò inferiora quædam genera ſubijciuntur, quæ ſingulis partibus propria nomina recipiunt. nam quælibet diuiſio, ſiue in oſsibus, ſiue in carne, ſiue in neruo, ſiue in alia quauis parte facta, vulnus appellatur. cùm autem quædam ſolutio punctim, quædã ceſim fiat, illa propriè punctura, àb actionis modo vocatur. hæc etiam vulneris nomen accipit. quæ verò ab acuto & ſecante alio modo fit, in oſsibus capitis, Græcis ἐγκοπὴ, διακοπὴ, & ἕδρα nominatur. At quæ ſolutio ex erodentibus prouenit, commu[illegible] in omnibus nomine vlcus nobis nominatur: in oſsibus autem peculiariter caries, Græcis τερηδών. Interdum vlcera quoque ipſa à materia ro-

Argenterius. *Quæ vnionem ſoluant.* *Vulnus.* *Vlcus.* *Ruptura.* *Caries.*

dente, quæ partes exulcerat, erosiones vocantur. MATHETES, Quomodo partis diuortium vocatur, quod à grauibus & duris rebus extrinsecus accidentibus contrahitur? GERON, Eius sanè, quæ ictibus cedere, cogique in seipsam & comprimi potest, contusio: sic enim caro, nerui, & molliora puerorum ossa affecta, contusa dicuntur: durioris autem partis, vt ossis comminuti, fractura. Quòd si id leuiùs affectum fuerit, quamuis non propriè contusio, appellari tamen non facilè aliter potest. Porrò si caluariæ os frangatur, Græcis ῥωγμὴ, & ῥῆξις, quasi fissura seu rima nuncupatur. si à tendentibus fiat diuisio, ruptio dicitur: solutio vnionis in neruis Galeno conuulsio vocatur: licet id nominis tensioni illorum magis conueniat, qua ipsi ad originem suam trahuntur, neque id tamen propriè. MATHETES, Quàm ob causam? GERON, Quia conuulsionis nomen motum vitiatum, non vnionis diuortium medicis significat: in ligamentis, aut partibus instrumentarijs diuisio ex tensione facta, auulsio nominari potest: quæ verò in membranis, tunicis, & alijs partibus tensioni aptis, si carnem & musculos excipias, à tendentibus prouenit, nullo peculiari nomine donata est: quæ in musculis & carne fieri consueuit, generali nomine ruptura, à Græcis ῥῆγμα nominatur. MATHETES, Quæ aliæ sunt solutionis species? GERON, Hæ simplices quidem sunt vniuersæ: quę verò à Galeno interdum adijciuntur, ex illis sunt compositæ, aut eorum numero adscribuntur. verbi gratia: si, cùm sanguis vel ore venæ alicuius patefacto exit, quod malum Græci ἀναστόμωσιν appellant: vel cum ille in venam quandam magno impetu irruit, eamque copia adeò distendit, vt disrumpatur, ῥηγμαχασμὸν Græci vocant: vel cum sanguis parte aliqua ob acrem materiã exesa exit, quę solutio continuitatis nominari debet, certè ad vulnus, aut rupturam, aut vlceris vitia, illa reducenda sunt. MATHET. Adapertionem igitur vasorum, propriè ne vnionis solutionem dici posse iudicas? GERON, Non, sicut nec illud vitium, quo sępiùs ob tenuitatem ipsius, & vasorum tunicarum raritatem exilit, græcè διαπήδησιν vocant. Porrò affectus ex contusione & corruptione mixtus, gręcè ἐκχύμωσις quasi humorum in partem aliquam effusio nobis dicitur. cauitas autem, quæ ab ictu inducta, citra aliam diuisionem remanet, contusionis species est, & nobis illisio, Græcis ἔνθλασις, nuncupatur. Quando exterior partis affectę sedes non diuisa, nec compressa apparet, interior autem pleraque exigua diuortia indicat, vitium est ex contusione & fractura mixtum, & Græcis θλάσμα appellatur. Aliud ex ijsdem compositum malum, in quo pars contusa non modò introrsum recedit, sed etiam extrinsecus diuisiones quasdam repræsentat, proprij nominis expers

Contusio.

Contusa.

Fractura.

Conuulsio quid signet.

Auulsio.

Membranis solutis nullum nomen peculiare inditum.

Ruptura in musculis & carne.

Anastomosis.

Solutio continuitatis.

pers est. Hęc de morbis simplicibus ex vnitatis diuortio cōtractis, satis esse poterunt: eoq; nunc ad compositos tum similarium, tum dissimilarium partium, accedam. MATHE. Qui similariū existunt?

Partium similarium morbi compositi.

GERON, In quibus diuisio altera alteri coniuncta, vt fractura cum vlcere, aut vlcus cum auulsione, vel erosione, vel ruptura. adhæc vnitatis solutio simplicibus vel compositis similarium, aut instrumentariarum partium morbis associata, vt si vlcus cum calida, frigida, humida, & sicca intemperie absq; humoribus infestet: vel si id vnà cum calore & humore, vel cum frigore, & siccitate affligat: vel si idem vlcus simul cum herpete, aut oëdemate, aut scirrho molestet. MATHETES, Quot modis pars in his à naturali statu recedit? GERON, Tribus. nam vlceris causa vnionem suam amittit: ob alia verò calidior, & humidior, siccíorue, aut frigidior, & humidior, siue siccior quàm natura postulat, euadit. Adhæc compositus est morbus, cùm etiam alia quæuis vnitatis diuisio, alteri morbo, siue similaris, siue instrumentariæ partis, connexa fuerit.

Alius morbus compositus.

Quare si tumor in his postremis tam magnus inhęreat, vt actionem vitiet, is morbus existit: atq; tunc pars affecta quatuor morbis tentatur, aliâs casus tantùm morbi est, aut affectio, & dolor. Eodem modo, si erysipelas interdum cum vlcere infestet, carbunculus semper cum illo consistit. Cancer & herpes frequentiùs adiuncta habent vlcera, aliquando sine his consistunt. MATHETES, Quid si omnes hi morbi vlceris expertes sint? GERON, Nihilominus compositi sunt, sicut etiam in intemperie, cui materia affluxerit. MATHETES, Quot in totum morbos partium similarium compositos esse dixisti? GERON, Quatuor ex Galeni sententia numerantur, nempe calidus simul & humidus, calidus pariter & siccus: item frigidus & humidus: frigidus atque siccus, dum scilicet ambæ qualitates supra naturæ modum excellunt.

Similarium partium morbi compositi quatuor.

Quòd si etiam humorum affluxus his adauctis accedat, totidem quoq; morbi prouenient, ab illis diuersi, qui citra humorum alluuiem inuadunt. At si omnes partes inflammatæ simul & vulneratæ fuerint, tres sanè necessariò, interdum quatuor morbos sustinent.

Morbi cum humorum affluxu.

MATHETES, Tumores, quos suprà nominasti, simplicésne morbi, an compositi censendi sunt? GERON, Compositi. quia nullus eorum purus ac sincerus existit. MATHETES, Qui dissimilarium partium compositi morbi sunt? GERON, Qui plures, atq; diuersas partes simul infestant: accidentarij verò, qui vnam tantùm sedem instrumenti occupant. nam cùm omnis inflammatio partis, compositus sit morbus, lippitudo autem inflammatio, hæc sanè etiam compositus morbus erit, tunicæ quidem annatæ proprius, vniuerso autem instrumento accidentarius. MATHET.

Dissimilarium partium morbi compositi.

Genera morborũ intelligo: quę sunt illorum differẽtię & species?

Morborum differentiae.

GERON, A compositionis natura, vel excessu, vel defectu, alij dicuntur magni, hoc est vehementes seu validi, alij parui: quidam maximi, minimi, & extremi seu acutissimi. simplices, qui ex vna causa conflati sunt: nonnulli compositi, qui cum alio morbo à natura sua alieno iunguntur, & inter hos complicati, qui confusi dicuntur, & propria naturæ suæ ab alio distincta retinent, vt tertiana quotidianæ coniuncta, sed diuersis horis inuadens. Adhęc ex causis propinquis quidam morbi vocantur calidi & frigidi, aut humidi & sicci: alij in numero, vel magnitudine, vel conformatione, vel coniunctione, vel vnione vitiata consistunt. Cęterùm alij morbi à remotioribus causis, aut proximis petuntur: vnde biliosi & pituitosi appellantur, qui à bile aut pituita nascuntur: quanquam etiam biliosi vocentur, in quibus bilis redundat, vel obstruitur. At æstiui nominantur, qui in æstate gignuntur, vt quartanę æstiuæ, eiq; sunt proprij: hyemales, qui per hyemem generantur: sicut vernales & autumnales, qui vere & autumno proueniunt. quanuis etiam omnes illi autumnales nominentur, qui sicut in autumno aliâs generati, inconstantes sunt, & incerti. Similes illis sunt hi, qui ab ira, tristitia, timore, exercitio immodico, somno, vigilia, otio, vel labore contrahuntur. Iam nonnulli morbi nomina habent à causis, quæ aut ipsos gignunt, aut augent, aut fouent, aut tollunt. sicut etiam nonnulli à causis euidentibus solùm oriuntur, vt febris diaria: nonnulli ab occultis, vt putridæ: quidam ab externis causis, vt vulnera: quidam ab internis, vt vlcera. Insuper alij morbi ex primaria causa, alij ex accidentaria, alij à putredine, sicut alij ex alijs causis fouentur incendunturq;. Adhæc quidam ex propinqua materia excitantur, vt inflammatio ex sanguine: quidam ex bile, vt erysipelas, & herpes: quidam ex pituita, vt oëdema, & alterum scirrhi genus. Ex remota materia, vt tumores, alij ex cibis biliosis, vel pituitosis, vel melancholicis, vel ijs qui sanguinem copiosum gignunt. ex materia subiecta alij morbi similares, alij instrumentarij vocantur: alij singulares, alij generales. sic quidam communes, quòd omnes naturas inuadant: quidam proprij dicuntur, quia singulares corripiunt. nonnulli solidis partibus dicati sunt, qui ab habitu, in quo consistunt, vocantur, vt febris hectica. Præterea morbi nonnulli pueriles, nonnulli seniles, quòd in illis solùm, vel magna ex parte gignantur, dici solent. Similiter morbi muliebres, cutis, neruorum, capitis, cordis ventriculi ex propinquiore, vel remota materia nominantur. Adhæc à fine morbi alij leues, alij lethales, alij medij, qui nec solui, nec suapte natura accidere possunt. præterea

terea

terea quidam paulatim, quidam ſubitò gigni dicuntur: quidam primogenij, quidam ſecundarij, & ex conſenſu naſci feruntur. Sunt qui per criſim ſubitò, aut paulatim, idq; per ſudorem, vel per vrinam, vel alio modo ſoluantur. alij ſunt communes, & generales, Græcis παγκοινοὶ & κοινοὶ νόσοι, ſeu νοσήματα dicti. ſicut autem communes illi multos inuadunt, ita qui græcè σποράδες, hoc eſt, ſparſi nominantur, ſeparatim homines corripiunt. Ex communibus autem græcè ἔνδημοι appellati, certum ſemper locum aliquem obtinent, vnde patrij vocari poſſunt. ἐπιδήμιοι verò, ſeu ἐπίδημοι aliquo anni tempore in regione hac, aut illa graſſantur. horum perniſioſiſsimi, qui multos occidunt, peſtilentes vocantur. alij in locis calidis, vel frigidis, vel humidis, vel ſiccis fouentur: alij ſolidas partes occupant, & in habitu eſſe dicuntur, vt febris hectica: alij humores, vt febres putridæ: alij ſpiritus, vt diariæ. Cæterùm à tempore generationis nonnulli recentes, & noui, nonnulli inueterati vocantur: quidam innati, quidam poſt natalem diem oriuntur. aliqui in ætatis principio, aliqui in augmento, vel in vigore, aut declinatione conſiſtunt. Quinetiam à tempore, quo ad finem perueniunt, hi breues, illi longi, quidam producti nuncupantur.

MATHET. Quę aliæ ſunt morborum differentiæ? GERON. Quę ex proprietatibus, vel accidentibus ſumuntur. illę enim mores ipſorum indicant: vnde quidam benigni, quidam maligni dicuntur, nec non hi legitimi & accurati, græcè ἀκριβεῖς: illi ſpurij, ſiue illegitimi, græcè νόθοι. Præter hæc omnia morbi exiſtunt, quorum alij actiones animales, alij vitales, alij naturales offendunt. atque hi delirium, aut vigiliam, aut laſsitudinis ſenſum, vel dolorem: illi defectiones virium, aliqui ſitim excitant. Extant etiam morbi, qui ex corporis qualitatibus nunc arquatū pariunt, nunc inflammationes, & iecoris obſtructiones: nunc naturalem colorem in nigrum vertunt, vt lienis obſtructiones. Ab operibus quoq; nonnulli dicuntur, qui excrementa retineant, vel nimium expellant, vel ſanguinem corrumpant, vel pituitam, vel bilem copioſam gignant, vel aliud quid efficiant. A noxa etiam quam inferunt morbi, alij vehementes, alij languidi: hi graues, illi leues dicuntur. A motus ratione quidam acuti, hoc eſt, celeres, quidam tardi nominantur: aliqui continui, vel intermittentes: ordinati, vel inordinati: æquales, vel inæquales: increſcentes, vel decreſcentes, vel eundem ſemper tenorem ſeruantes: aliqui redeuntes, recidiumq; faciuntes: nonnulli in alios tranſeuntes, vt ſi laterum dolor in peripneumoniam degeneret: nonnulli immobiles, vt qui ex atra bile: nonnulli motu faciles, vt qui ex flaua oriuntur. Poſtremò aliqui morbi quatuor tempora obtinent, vt qui pau-

latim finiuntur: alij duo vel tria, quales per crisim soluuntur. Atque hæ sunt veræ & necessariæ morborum differentiæ. MATHETES, Quot sunt accidentariæ? GERON, Quæ à rebus externis, siue hominum nomenclaturis, siue alijs captantur, vnde morbi chironij & telephij, vlceraque chironia, & telephia, vel regius morbus, vel comitialis appellantur. Ita ex loco, vnde originem habuerunt, dicuntur Gallici, Anglici, vel similes. Iam omnia morborum genera, differentias, quantùm tibi necesse fuerit, explicatas habes. si quid adhuc de his ampliùs desideres, apud Argenterium, & alios quosdam recentiores copiosiùs tractatum comperies. Ego breuitati in hac institutione, quæ iuuentuti potissimùm dicata est, studere volui. Cuius rei gratia nunc doctrinæ ordo postulare videtur, vt morborum causas simili compendio tibi exponam. Nulla enim sine harum notitia, & obseruatione, ægris remedia: nulla viuendi ratio commoda præscribi potest: quibus morbi vel curari, vel præcaueri debeant. MATHETES, Quot igitur sunt causarum morborum omnium genera?

Accidentariæ morborum differentiæ.

GERON, Quatuor Aristoteli, vt materia, forma, efficiens, atque finis. Galenus his addit vtilitatem, scopum, instrumentum, exemplar, voluntatem, & eam sine qua non potest quicquam fieri. sed non omnes istæ superioribus adiunctæ, præter instrumentum, & eam sine qua non, dictam, necessarias esse puto. MATHETES, In qua materia morbus consistit? GERON, In ipsius ægri corpore, cui penitus insidet, sicut imago ceræ impressa, non autem in vitioso humore, licet is efficiendis illis materia quodammodo existat. MATHETES, Quid formalis morbi causa existit? GERON, Species ei impressa. MATHETES, Quæ finalis dicitur? GERON, Ob quam actiones, vel corporis totius, vel partium offenduntur, abolenturque. MATHETES, Quę efficiens vocatur? GERON, Omnium princeps & summa, vt quæ corpus nostrum inuadat, optimumque eius statum corrumpat. MATHETES, Quam causam instrumentum nominas? GERON, Ea, quæ assumuntur siue medicamina, siue alimenta, per quæ morbus promoueri solet. MATHE. Quæ denique est, sine qua non potest morbus consistere? GERON, Quæ ei quod fit, præstat, vt actio sine illa nequaquam, cum illa verò faciliùs, aut citiùs, aut vehementiùs fiat. Solet hæc sæpiùs sub efficiente includi. neque enim hoc efficiens dici potest, quod ad agendum qualitatem ac quantitatem non habet, neque modum ac ordinem seruat. MATHETES, Qua ratione, & modo causæ istæ nos infestare solent? GERON, Aliæ internis, aliæ externis iniurijs: ex quibus illæ abditæ, obscuræ, cognatæ naturæ sunt, & insitæ, Græcis προηγούμεναι, quasi præcedentes dicuntur, quas iam

Morborum causarum genera.

Morbus in qua materia.

Causa formalis.

Finalis.

Efficiens.

Instrumentalis.

Sine qua non.

inde

inde ab origine contrahimus: hæ manifestæ, euidentes, accessoriæ. Inter insitas rursus aliæ naturales, aliæ naturæ aduersariæ existunt. MATHETES, Quæ naturales? GERON, Quæ temporum & ætatum decursu paulatim nos immutant, & ad extremum vsque senium, mortemq; ipsam perducunt, vix vt percipiamus. calor enim natiuus, etsi nos, quousq; viuimus, alat, tueatur, regatq; tamen etiam temporis processu, hos velociùs, illos tardiùs mutat, ac pro suo cuiusq; vitæ termino conficit, ad quem vix vllus peruenire solet.

Causæ morborum naturales.

MATHETES, Quæ sunt extra naturam causæ? GERON, Semen, matrisq; sanguis ab initio vitiatus. semen quidem, præsertim patris temperatum, similares quoq; prolis partes temperatas efficit: calidum verò atq; siccum, aut frigidum & humidum, similiter quoq; eis temperaturam naturalem seu genuinam inducit: cuicunq; etiam vitio pater dum prolem generaret obnoxius fuit, illud huic per semen iniectum communicat, vt quod ex vniuerso detractum corpore, tum morbi, tum causæ eius vim in se contineat. Hac ratione senes, valetudinarij, debilesq;, nec non morbis quibusdam laborare consueti, liberos sibi similes ijsdem vitijs obnoxios progignunt.

Non naturales.

Morbi hæreditarij.

MATHETES, Quid maternus sanguis ad morborum generationem confert? GERON, Cùm ille primum fœtus sit alimentum, certè altera temperamenti statusq; ipsius causa est, & sua quoq; vitia, etsi leuiora quàm semen, ei impertit inseritq;: vnde etiam grauida summam temperaturæ vim & naturam fœtui suggerit. Cui nanque cibo, aut potu mater plurimùm assueuit, is quoq; fœtui gratus est: vnde mulier vinolenta, liberos vino deditos, pharmacorum studiosa, ad medicamenta procliues pariet. Quòd si ipsa gestationis tempore quartana febri laboret, fœtum edet, qui postea diu illa quoq; conflictabitur: si nono mense laterum inflammationem experiatur, prolem quoque huic vitio opportunam gignet: si octauo mense parotide afflicta fuerit, liberi etiam purulentas aures per totam vitam habebunt. MATHETES, Mirum est fœtus non solum prima conformatione ex semine, sed etiam toto gestationis tempore, tum ex materia sanguinis, tum ex alijs humoribus, atq; alimentis ad morbos hosce, aut alios procliuiores generari. GERON, Non est quòd mireris, si originis nostræ vim & similitudinem, familiaritatemq; cum fœtibus perpendas. Tanti momenti est, ex sanis robustisq; parentibus procreari. MATHETES, Quid præstant causæ accessoriæ extrinsecus? GERON, Alias sæpè in nobis morborum effectrices excitant.

Causæ morborum accessoriæ.

MATHETES, Quot sunt, quæ morbos in nobis efficiunt? GERON, Duæ, quarum prima exterior, altera interior est. Atque hæc rursus bifariàm scinditur, nempe in antecedentem,

Causæ morborum effectrices tres.

& continentem, quæ etiam proxima vocatur. MATHETES, Sunt ergo tres numero causæ omnes, morborum effectrices? GERON, Indubiè, nempe exterior seu euidens, quæ foris corpori, aut ijs quæ in illo continentur, aduersatur: deinde continens, quæ in corpore morbo proximè adhæresit: postea antecedens, quæ etiam intra illud fixa prior quàm continens, hanc efficit, excitatq;. MATHET. Quæ omnium primæ sunt summeq; necessariæ? GERON, Euidentes, vt ex quibus cæteræ proueniant. Ita verò omnes inter se cohærent, vt continens ex antecedente, hæc ex euidente deriuetur. cùm autem inter se connexæ sunt, euidens primum locum obtinet, postremum continens, medium antecedens. MATHETES, Omnis igitur morbus ex tribus'ne causis progignitur? GERON, Nequaquam, sed aliâs ex duabus, aliâs ex vnica. MATHETES, Si immodicus cibi potusq; vsus, venas adeò diduxerit, disruperitq;, vt pleuritis inde secuta sit, quæ euidens huius causa dicenda erit? GERON, Cibi immoderatio. MATHETES, Quæ antecedens? GERON, Venarum ruptio, vel diductio, vel sanguinis effluxio, vtraq; in corpore posita. MATHETES, Quæ causa copiæ sanguinis lateri impacti, & putrescentis existit? GERON, Continens, sed non solùm illius, sed etiam febris, quæ ipsam comitatur. MATHETES, Quòd si febris putrida ex balneorum astringentium vsu accendatur, quam eius causam esse censes? GERON, Euidentem, sicut cutis astrictæ, prohibitæq; transpirationis antecedentem: & putredinis hinc exortæ, continentem proximámq;. Atq; in his tria causarum genera connexa videntur. MATHETES, In quibus duæ causæ simul apparent? GERON, Cùm destillatio ex tempestate austrina in pulmonem defertur, quæ arterias obstruat, & anhelationem excitet: vel vbi calculus è rene, motu nimis immoderato delapsus, meatum vrinarium obstruit, euidens & continens. MATHETES, Quando vna tantùm causa adesse dicitur? GERON, Cùm vulnus gladij ictu infligitur. At exterior euidensq; causa in omni morbo est necessaria: eò quòd firmus interiorum habitus, sine graui illius impetu neque labefactari, neq; naturalem statum vnquam amittere potest. adhæc maior continentis quàm antecedentis causę vsus existit. MATHE. Súntne aliæ causarum morbos efficientium species & differentiæ? GERON, Procul dubio. nam singulæ interdum sua ui, interdum aliena seu fortuita operantur: verbi gratia, scamonia natura sua corpus nostrum calefacit: cùm autem biliosum humorem calidum ac feruidum educit, casu ac fortuitò refrigerat. MATHETES, Quotuplex ergo est causa efficiens? GERON, Triplex. nam vel principalis seu perfecta est, vel adiutrix, vel sine qua nihil effici potest. primo loco dicta, propria

Morbus quando ex singulis causis accessorijs gignetur.

Causa euidens.

Antecedens.

Continens.

Euidens & continens.

Singularum causarum vsus & excellentia.

Causa efficiens triplex.

propria vi id,cuius cauſa eſt,etiam ſola efficit:ſecunda,per ſe quidem nihil pręſtat,ſed efficiendo operi adiumenta ſuppeditat,vnde Græcis rectè συναίτιον quaſi adiutrix, & ſocia nuncupatur: tertia nullam licet efficiendi vim obtineat, neque quicquam in opus conferat,tamen nihil ſine ipſa fieri poteſt. MATHETES. Exemplis hoc illuſtres? GERON, In purgationibus arte petitis,princeps cauſa, medicamentum peculiari facultate præditum exiſtit: adiutrix autem vocari debet, temperamentum calidum, quod vniuerſis catharcticis inditum eſt,vt quod illorũ vires confirmet augeatq;. huiuſmodi ſunt etiam odorata, quæ illis admiſceri ſolent, virium exacuendarum gratia. At cauſa ſine qua nihil fieri poſſe dicitur,natiuus noſter calor eſt, citra quem medicina eſſet inefficax. Similiter cùm frigida tempeſtas deſtillationem in articulis concitat, illa ſimul cum recrementorum capitis abundantia princeps cauſa eſt, humorum autem tenuitas, adiutrix: articulorum verò imbecillitas, & meatus per quos humor influet laxiores, eius cauſæ vicem agunt, ſine qua nihil præſtari poteſt: huic etiam locus, tempus, & iuſtrumentum adiungi conſueuit. Id porrò obſeruatione dignum eſt, omnem cauſam efficientem opus ſuum,quod ei aſſiſtit, conſeruare, augereq;: vbi verò deceſſerit, nihil ampliùs fieri poſſe: quod autem effectum fuerit,vel breui,vel longo pòſt tempore aboleri. MATHETES, Vt cauſarum efficientium genera iam abſoluiſti: ita quoq; ſpecies ipſarum deinceps enumeres.

Princeps cauſa.
Adiutrix.
Cauſa ſine qua non.

GERON, Petitioni tuæ acquieſcam,vbi te priùs admonuerim, alias ipſarum ad vitam degendam eſſe neceſſarias, alias non item. In illis comprehenditur aër, in quo verſamur, cibus, potus, motus, quies, ſomnus, vigilia, quæ excernuntur, aut retinentur, & animi perturbationes. MATHETES, Quæ cauſæ non ſunt neceſſariæ? GERON, Omnes res quæ fortuitò incidunt,vt telum,gladius, lapis, beſtiæ, & id genus aliæ. hæ autem cauſæ præcaueri arceriq; nequeunt: illæ verò obſeruatione poſſunt. Ex his moderatæ bonam valetudinem conſeruant: immoderatæ aduerſam faciunt: contrariæ amiſſam reſtituunt. MATHETES, Qualis igitur aër natura valetudinem bonam tuetur? GERON, Qui ſerenos reddit dies,tenuis,purus,& temperatus. MATHETES, Qualis aduerſam? GERON, Craſſus,denſus,impurus,contagioſus: multò autem maior efficaciorq; eius vis ad morbos excitandos, quàm ratio victus exiſtit. id quod in anni temporum,& tempeſtatum mutatione, nec non in peſtilentia, & alijs contagioſis morbis ſæpiùs experimur. MATHET. Quánam de cáuſa aër morborum auctor eſt? GERON, Vel qualitatum, vel eſſentiæ vitio, vel ſubita itinerum, & locorum mutatione. ſiue enim ille calidior, frigidior,

Cauſarum aliæ neceſſariæ, aliæ non item.
Aër natura valetudinem conſeruans.
Aër quare morborum auctor.

humidior & siccior, vel à regione, vel à loci situ, vel ab anni tempore, vel à cœli statu fuerit, spiritus, humores, ipsumque corpus immutat. MATHETES, Quomodo? GERON, Omnis calor æquo maior, & iecur & lienem inflammat, mentem hebetat, efficitque vt anima dificiat, & sanguis prorumpat. siccitates, acutas febres, lippitudines, tormina, vrinæ difficultatem, articulorum dolores faciunt. per hymbres, longæ febres, alui deiectiones, anginæ, cancri, morbi comitiales, resolutio neruorum, oriuntur. veris quidem status æqualis, naturæque suæ similis, cœlum mite, placidum: regio temperata, locus editior, & apricus, quem perflant Fauonij, salubritatem adferunt. His contraria minùs tuta sunt, vt ex quibus complures morbi generentur. MATHETES, Si tot modis aëris temperies vitiatur, quot essentia ipsius corrumpitur? GERON, Varijs. nunc enim vaporum exhalationibus nimiùm humectatur: nunc terræ, aquæ, cadauerum, & aliarum rerum putridarum expiratione graui inficitur: nunc pestilentiæ seminibus, vel è syderibus demissis, vel in ipso genitis inquinatur: atque ita per inspirationem attractus, in totum corpus distribuitur, spiritusque & humores contagione inficit, ac varios inde morbos, eosque occultos procreat. sicut etiam in peregrinantibus accidit, cùm vel graui tempore è sedibus suis discesserint, vel vbi in grauiores regiones venerint. Fit quoque sæpè, vt ex incluso aëre, in liberum, apertumque, & salubrem transitus, imbecillis, & iam recens à morbo conualescentibus pericula afferat. quia aër non solùm qui ventis nimiùm agitatur, sed etiam qui nullis perflatur, valetudini bonæ aduersatur. MATHETES, Quomodo cibi potionesque morborum auctores esse solent? GERON, Si tum qualitate, tum copia naturalem modum excedant, siue tempore intempestiuo, aut ordine præpostero ingerantur. Calida quidem & acria, allium, cœpa, porrum: adhæc vinum vetus, & id genus similia medicamenta, si liberaliùs assumantur, febrem excitant. Frigida verò, lactuca, cucurbita, melones, pepones, cucumeres, & potus aquæ frigidæ, cereuisiæ, niuis. nec non medicamenta frigida, altercum, papauer, cicuta, mandragora, similes morbos pariunt. Non solùm autem vitiosi natura cibi potusque, sed etiam saluberrimi nimis abundantes frigidos affectus generant. vini enim, licet natura calidi, plenior potio, apoplexiam, morbum comitialem, torporemque producit. MATHETES, Defectúsne alimenti etiam frigidos morbos, vt excessus concitat? GERON, Sunt qui id affirment ex Galeno persuasi, sed reipsa ille primùm siccos parit, deinde vel calidos, vt in his, qui facilè accenduntur, & ex inedia in febrim incidunt, vel tandem frigidos & siccos. humore siquidem deficiente, caloreque debili-

Aër quomodo corpus humanum immutet.

Aëris essentia quot modis corrumpatur.

Cibus, potusque quomodo morborum auctores existant.

debilitato,corpus frigidum & siccum deniq; euadit, non tantùm frigidum. Nam quæ potestate calida existunt, nisi priùs vincantur,eorumq; vis,quæ in illis latet, caloris nostri beneficio excitetur,non calefaciunt, sed restincto calore refrigerant. Quòd si etiam multi cibi non probè concocti lienem obstruant, via caloris natiui intercluditur,& pars ipsa refrigeratur, vt in ijs accidit,qui angustiores meatus ab initio fuerint consecuti. MATHETES, Quę alimenta ac medicamina siccos morbos procreant? GERON, Quæ exiccandi vim habent, vt acerba,austera, & in nonnullis etiam amara, salsa, & acria. adhæc parcior humidioris cibi & potionis vsus, nec non inedia corpus exiccant. Cùm enim humor perpetuò innati caloris vi digeratur, si minus humidæ materiæ reponi possit, quàm absumatur, siccos tandem morbos sequi necesse est.

Quæ siccos morbos gignat.

Interdum alia quoq; ratione forsan alimenta siccos morbos pariunt,si ipsa ob duritiem,meatus obturent,per quos ad omnes corporis partes distribui deberent. Sic enim corpus minùs fœliciter nutriri potest,eoq; extenuari,tabescere, siccariq; cogitur,sicut accidit,cùm iecur crassis viscosisq; humoribus obstruitur. MATHE. Quorum alimentorum medicaminùmq; vsus humidos morbos producit? GERON, Similium,pręsertim aliquantò liberalior: multò autem abundantior etiam frigidos inducit, restincto videlicet calore.

Humidi morbi vnde proueniant.

Ita quoq; fit, cùm plus humoris gignitur quàm dissoluatur,& humida quæ excerni consueuerunt,retinentur. MATHET. Quibus morborum causis excreta retentaq; corporis recrementa subijciuntur? GERON, Quandiu in illo hæreſcunt,interioribus: cùm autem immoderatiùs expelluntur, aut retinentur, euidentibus.

Excreta retentaq; quibus causis subijciantur.

MATHETES, Quænam sunt illa excrementa? GERON, Aluus, vrina,sudor,bilis flaua è fellis vesicula,atra ex liene in ventrem infusa, mucus è naribus & palato,sputum è pectore, lac è mammis.

Excrementa siue superflua quæ.

Hæc sanè salubritatem corpori adferunt, si naturę legibus quotidie euacuentur: sicut etiam sanguis per ora venarum in ano extantium,& menstruus ex vtero, semenq; è vasis genitalibus,stato tempore, aut ex consuetudine effluens. Si verò minùs moderatè & intempestiuiùs, aut non larga satis, nec qualia conuenit erumpant,aut in totum,vel aliqua ex parte supprimantur, varijs morbis causam præbent: quamuis ipsa his tanquam symptomata superuenire, ac comitari soleant. Nam superfluitates eorum, quæ toto genere naturæ aduersantur, cùm molestæ ipsi,atque graues existant,morborum materiam suggerunt: vnde cùm plærunque natiuus calor vel grauatur,vel opprimitur, omnes eius actiones periclitantur. Est,dum excrementa copiosiora, putredinem, & alienas à natura qualitates grauesq; experta corrumpantur: in-

terdum vias meatusq; corporis sic obstruunt, vt alimenta quidem in illud totum distribui, non autem inferiùs per aluum deiici posſint. Sic in morbo iliaco, aut in intestini prolapsu (quoniam id tanquam vinculo constringitur) excrementa infrà transmitti nequeunt, sed mole sua corporis partes adeò sæpe onerant, vt vomitione reddantur. Quòd si hæc prætereà putrescant, ita totum corpus fœtore & praua qualitate inficiunt, vt licet illa rursus deiiciantur, homo tamen sæpè mortem subeat. Similia eueniunt, quando vrina, aut menses, aut hæmorrhoides supprimuntur, quibus grauisſima succedunt pericula. sic cùm aliæ excretiones necessariæ cohibentur, varij, & omnigeni morbi prodeunt. Prætereà tum subita ciborum suauisſimorum repletio, tum immodica repentinaq; excretio, etiam illorum, qui toto genere naturæ aduersi sunt, grauisſimos morbos adfert. Ideò suppurati vstionem, aut hydropici incisionem experti, si pus, aut aqua simul ac vna vice effluxerit, omnes, vt Hippocrates docuit, commoriūtur. multò magis periclitantur, quibus aluus sine modo fusa sit, aut vrina largiùs æquo profluit, aut qui sudore resoluuntur. horum enim vires sæpè adeò conuelluntur, vt anima simul deficiat, eò quòd non parum spiritus calorisq; cum excrementis digeratur, vnde tum naturales, tum animales functiones languescant, crudiq; ac frigidi morbi exoriantur. Quare larga & subita vacuatio periculosa, & naturæ inimica existit, præsertim *insuetis*: cui respondet etiam sanguinis ex vtero, ex hæmorrhoidibus, ex naribus, aut ex vulnere ampla profusio, vt quæ spiritus, caloremq; natiuum, & vires longè celeriùs quàm quiduis aliud disſipet, exhauriat, digeratq;. MATHETES, Satis de excretis, retentisq; iam disseruisti: quomodo motus, & quies morbos possunt excitare?

Morbus ex motu & quiete quomodo fiat.

Motus differentiæ.

GERON, Alius motus naturæ, alius voluntati est dicatus. primo alimenta in ventriculum, intestina, venas, & id genus alias partes attrahuntur: excrementa eorum depelluntur: cor verò & arteriæ continuò pulsitant. altero, qui nobis exercitatio dicitur musculi & nerui primariò ac voluntate: deinde ossa, ligamenta, venæ, arteriæ, carnes, cæteræq; partes ex consecutione, eoq; fortuitò agitantur. MATHETES, Quid secundus peragit? GERON, Moderatus quidem, calorem natiuum internis in partibus quasi sopitum torpidumq; excitat, diffundit, forasq; educit, & per vniuersum corpus distrahit digeritq;: immoderatus autem dissoluit, sicut eius intermisſio illum extinguit. MATHETES, Quæ sunt secundi motus seu exercitationis differentiæ? GERON, Alia est velox, vt saltatio, pilæq; vsus, digladiatio: alia est robusta & valida, vt fosſio, grauis ponderis gestatio, vel sublatio, luctationes:

neſ:alia vehemens, vt teli ponderoſi iaculatio, diſci iactatio. MATHETES, Quas ſingulæ iſtæ exercitationes, ſiue labores, aut operæ, mutationes in corporibus edunt? GERON, Velox, corpus denſum, & tenue: tarda, rarum & auctum reddit: robuſta, firmum durumq; : imbecilla, molle & laxum: lenis & parua, craſſum, languidum & molle. Atq; hæc quidem illę in ſuo genere mediocres præſtant: naturæ autem vires egreſſæ, ſiue perpetuæ ac contitinentes, morbos concitant. Nam magna defatigatio ſpiritus, vireſq; exhaurit, diſsipat, & corpus deniq; refrigerat. eadem muſculorum, neruorum, & ligamentorum robur reſoluit, membranaſq; nonnunquam adeò relaxat, diuellitq;, vt ramicem inteſtinorum generet. quinetiam viſcera concutit plerunq;, vt tenuiores venas diſrumpat: vnde vrinæ profuſio, vomitio & nauſea, ſpuitiones, laterum dolores, aliiq; affectus ſubſequuntur. Item ſanguis vniuerſus ex motu vehementi ita ſæpè diffunditur, vt excalfactus liquatúsque propriis ſedibus coërceri nequeat, ſed his adapertis forâs erumpat, inflammationeſq; illis adferat: aut ſi cohibeatur, capitis dolores, pulſationeſq;, & continuas febres concitet. Præterea humores corruptos, qui aliâs quieti, loco ignobili continebantur, & proceſſu temporis à natura concoqui & euinci, tandemq; expelli poterant, irritat, adeoq; agitat, vt poſtea corpus fœtido vapore inquinent, & huc illuc effuſi, ſcabiem, tubercula, varios abſceſſus, febres putridas, alui profluuia, vomitiones, & id genus alia vitia producant. Qua de cauſa conſilium eſt, ne impura corpora, & omnibus ex æquo ſuccis plena, exercitationem, aut labores ſubeant. MATHETES, Quæ vitia diuturnius otium & quies longa contrahunt? GERON, Cruditates humorum, viſcerum obſtructiones, excrementorum collectiones, calorem noſtrum ignauum, ad omneſq; ſenſus, & mentis actiones ſegnem: corpus graue, languidum, torpidumq;, & morbis quàm plurimis opportunum reddit. Poſtremò hoc aduertendum eſt, quòd Celſus ex Hippocrate dixit: ſubitum otium ex nimio calore, & ſubitum calorem ex nimio otio, ſine graui noxa non eſſe. MATHETES, Quomodo ſomnus morborum auctor eſt?

Exercitationes.

Motus immodici incommoda.

Otium & quies

GERON, Si vel longior, vel breuior, vel intempeſtiuior fuerit. MATHETES, Quem vocas longiorem? GERON, Qui vltra ſeptem, aut octo, aut ſummùm nouem horas durat: breuiorem, qui infra ſeptem finitur: intempeſtiuiorem, qui interdiu, & ſtatim à cibo captatur. MATHETES, Quare tales ſunt inſalubres? GERON, Quia longior, cùm mouendi, expellendiq; vis in eo diutiùs conquieſcat, efficit, ne excrementa opportunè forâs poſt concoctionem propellantur: ſed cùm in cerebro aliiſq; corporis parti-

Somnus quomodo morborum exiſtat auctor.

bus coaceruentur, spiritus obscurantur, sensus mentisq́ vires torpescunt & debilitantur. vnde qui natura, aut vitio vltra debitum somnolenti sunt, rarò ad plenam senectutē perueniunt. Breuior autem noxius est, quòd concoctio in eo perfici nequeat: vnde cruditates superueniunt, quæ multiplices & varios morbos generare solent. At qui non conuenienti tempore capitur, nempe interdiu, & præsertim à cibo statim, ideò valetudinem offendit, quòd cerebrum humidis vaporibus repleat: vnde capitis grauitates, alijq́ frigidi affectus procreantur: adhæc quia ille plærunq́ interrumpitur, concoctio ciborum absolui nequit, eoq́ ventriculus acidos ructus edit, & flatibus distenditur. MATHETES,

Somni mediocris commoda.

Quis ergo mediocris somnus, & quid commodi ad salubritatem præstat? GERON, In quo omnes totius corporis eiusq́ partium motus & sensus, animalis functio, ipsaq́ mens conquiescit: naturalis autem facultas, maximè concoctio, & retentio corroboratur, vt valentiùs officium suum obire posit. In hoc enim calor natiuus visceribus se inserit, vt cibis & humoribus concoquendis non solùm in ventriculo, intestinis, & iecore, sed etiam in totius corporis habitu acritèr incumbat: per eundem etiam spiritus labore & vigilijs dissipati reficiantur, donec alij ad actiones continuandas sufficiantur, nec non vt vitia coërceantur, quæ naturam opprimere consueuerunt, sicut sanguinis eruptio, alui profluuiū, vomitio, omnesq́ aliæ pręter sudorem, immodicę euacuationes.

Sudor.

MATHETES, Cur sudor emanat per somnum? GERON, Quia humores, vbi alimentum probè concoctum distributumq́ fuerit, in extimas summásque corporis partes erumpunt. quamuis illæ etiam in eo frigescant, tegmentisq́ simul indigeant. MATHETES, Quid vigilia immodica detrimenti corporibus accersit? GERON,

Vigilia.

Spiritus exhaurit, corpus & præsertim cerebrum exiccat, sensus obtundit, animum perturbat, calorem natiuum, humidumq́ primogenium dissipat: vnde læsa concoctione, multæ cruditates proueniunt, bilis inflammatio, phrenitis, & continuè febres, acutiq́ morbi excitantur. MATHETES, Cur animi perturbationes inter euidentes morborum causas retulisti?

Animi perturbationes cur euidentes morborum causæ.

GERON, Quia cùm spiritus turbidi, motusq́ à recta ratione auersi sunt, corpus nostrum valdè immutant, & natiuū calorem nunc intrà ad cor: nunc extrà ab illo transferunt. At nullus ferè eorum vsus, etiamsi moderati sint, præterquam gaudij apparet. hoc enim cor exhilarat, spiritusq́ lętitia recreat, calorem natiuum excitat, sanguinem & humores extenuat, quibus salubritas acquiritur, sanitasq́ conseruatur. MATHE. Quot numero sunt affectus animi? GERON, Sex, vt metus seu timor, mœstitia seu mœror, sollicitu-

Animi affectus quot & quas excitent mutationes.

licitudo ſeu anxietas, gaudium, ira, & verecundia. MATHE. Quid ſingulę efficiunt? GERON, Timor ſeu metus ſpiritus, & ſanguinem ad interiora viſcera contrahit, defertꝙ ſic, vt extremę partes refrigerentur, corpus expalleſcat, trematꝙ, vox interrumpatur, & vires deniꝙ conuellantur. Eodem modo mœror ſeu mœſtitia, anxietas & verecundia, calorem & ſpiritum genuinum intrò reuocant: ille quidem ſubitò, hæc autem paulatim & leuiter. extremas igitur partes refrigerant, non tamen vt ſomnus & aëris circumflui frigus: interiores calfaciunt: eò quòd is calor, ac ſpiritus in cor ſolùm recurrant. Gaudium ingens, & inſolitũ, ſpiritum caloremꝙ natiuum tam largiter è corde in extremas corporis partes profundit, vt id omnino refrigeratum, vel animi defectionem, vel mortem ſubitam experiatur, ſicut nonnullis etiam accidit, qui omnino vel ſenes, vel languidi, vel imbecilles eſſent. Ira verò ſimiliter, calorem & ſpiritum è corde forâs educit, non quidem vt gaudium paulatim, ſed repentè permouet. nemo tamen ex omnibus ob illam ſubitò interijt, nec calore diſsipato exanimatus fuit. MATHETES, Quidnam fit, dum in corde ira aggregatur, exardeſcitꝙ? GERON, Calor inflammatus in omnes partes defertur, vt homo extra ſeſe commotus feratur. ira quidem primùm ſpiritus, deinde humores, corpusꝙ calfacit, inflammat, & ſæpè in diariam, vel continuam febrem rapit: vel ſi vitioſus humor ineſt, in putridam, alióſue affectus ex bile feruida, & humoribus confuſis perducit. Si ſollicitudo & anxietas infeſtat, ſpiritum caloremꝙ tum intrò tum extrà vehementer compellit, motu tamen inæquali. Quæ porrò aliæ reſtant perturbationes animi, ad ſuperiora referri debent. nam omnes hæ immoderatè ſpiritum, & calorem ſimul conſumunt. atque hæc de neceſſarijs & euidentibus cauſis, quæ nos immutare poſſunt, indicauimus. reſtant adhuc quædam non neceſſarię, de quibus nunc pauca ſolùm tibi adferam, ne iuſto ſim prolixior. MATHET. Quænam illæ ſunt? GERON, Quæ potiſſimùm declinari poſſunt, veluti ſunt, primum caldaria, quæ nos immodicè calefaciunt, exiccántque, tandem autem calore diſsipato refrigerant: deinde etiam balneę, quæ vel refrigerant & humectant, vel calefaciunt & humectant, vel calefaciunt & exiccant, ſicut vel arte factæ ex herbis, ad affectus curandos efficacibus, vel naturales, vt ſulfureę, nitroſæ, aluminoſę, ſalſulæ, ferratæ, bituminoſæ, æratæ, plumbeæ, auratæ, chalcanthinæ, marinæ. Nam quacunꝙ prędite qualitate fuerint, eadem corpus noſtrum afficiunt. idem vnctiones, emplaſtra, oleaꝙ agunt, dum vires ſuas calore noſtro excitatas, per cutis meatus altius corpori inſerunt. quinetiam veſtimenta fomentaꝙ corpori admouentur, ne inſi-

Timor. *Mœror.* *Anxietas.* *Verecundia.* *Gaudium.* *Ira.* *Cauſæ morborum non neceſſaria.*

tus corporis calor exhalet. præterea florum, aromatumq; odores, fumi, aut vapores, siue manifesta, siue abdita vi præditi, dum spiritu excipiuntur, interiores quasdam partes euidenter immutant. Eodem modo medicamenta, vel imprudenter à nobis, vel consultò assumpta, primis, vel secundis, vel tertijs qualitatibus, vel tota essentia spiritus, humores, & corpus imbuunt. Ex his autem, quæ corpori extrinsecus eueniunt, sanguinis è naribus, aut è vulnere profusio ad valetudinem corporis necessaria non est: vt quę copiosior calorem natiuũ, spiritus & vires corporis exhauriat. *Concubitus quæ mala adferat.* Concubitus etiam nulli vtilis est, nisi cui antea consuetus, nunc diu sit intermissus. huic enim moderatus conducit, non frequens numero, sed natura, pro ætatis & corporis ratione: quia sic naturam semine, quasi onere grauatam leuat. MATHETES, Quid immoderatus incommodi affert? GERON, Spiritus calorem, humoremq; primogenium consumit, concoctionem perturbat, mentem atq; sensus debilitat conuellitq;: corpus eneruat, soluit, torpidumq; efficit. eodẽ modo cibi: quanquam minùs periculi ex illo, quàm ex his immoderatioribus accedere videatur. His motibus etiam clamores & vociferationes adiungi debent: ex quibus interdum venæ, arteriæ, & membranæ diuelluntur. Huc quoq; dolores acerbissimi, & intollerabiles, motusq; exteriores pertinent, vt nauigatio, vectio, gestatio, inequitatio, & id genus alij: quibus humores & spiritus grauiùs exagitantur. Eiusdem generis sunt frictiones vehementes, duræ, siccæq;: nec non contusiones, casus, attritus, vulnera, ferarum morsus, bestiarum virulentarum ictus, aliaq; fortuita, & quasi fatalia: quibus corpora nostra varijs modis subijciuntur. MATHETES, Soléntne etiam morbi ab internis quibusdam causis, sicut ab exterioribus, quas hactenus enumerasti, prouenire? *Morbi ex causis internis.* GERON, Maximè. ijq; ex spiritu, sanguine, humoribus, excrementis, & ijs quæ in partibus corporis continentur. Atq; hæ sanè quandiu intra naturę leges perseuerant, salubritatis causæ nnncupantur: si verò illas excedant, morborum effectrices. MATHETES, Quibus modis id fieri solet? GERON, Abundantia & defectu. quanuis autem spiritus exuperare nequeat, tamen deficere per magnam eius penuriam consueuit. Porrò calculus, lumbrici, & alia id genus, quæ toto genere naturæ aduersantur, semper, dum adsunt, exuperant: nunquam autem deficiunt. At sanguis, humores, & excrementa, siue excellant nimiùm, siue pauciora sint, quàm conuenit, vitiosa existunt. Cùm solus tantùm sanguis alijs humoribus copiosior est, Græcis πληθώρα: cùm reliqui humores redundant, κακοχυμία appellatur. Porrò omnium etiam quæ nobis contenta dicuntur, intemperies, tum simplex, tum

tum coniugata, nec non crassities, tenuitas, durities, mollities, lentor, & acrimonia: item putredo & totius essentiæ corruptela, ad vitiositatem pertinent. atque in hac omnes interiores morborum causæ consistunt, quas euidentes hoc pacto producunt. Calor sanè ingens aëris nos ambientis, spiritum caloremque natiuum imminuit: sic balnea & medicamenta dissipandi facultate prædita, alimenti parcioris vsus, & inedia, excretio immodica, labor, motusque omnis vehementior, vigiliæ, gaudium insolitum, concubitus intempestiuus, dolor intolerabilis, sanguinem & humores tandem consumunt, spiritus caloremque innatum debilitant, & humores coarctant. Sic aër crassus, nebulosus, aut nubilus, frigidusque, alimentorum abundantia, excrementorum vberior prouentus, otium diuturnum, somnus largior altiorque, metus, tristitia, & id genus alia, si modum excesserint, genuinum calorem suffocant, extinguuntque. Aër putridus, & grauis odoris, alimenta corrupta, putridaque, & sine ordine assumpta, excrementorum suppresio, meatuum obstructio, atque inde perspiratus impeditus, spiritus, humores, contentaque inficiunt. otium & somnus si præter debitum protrahantur, idem præstant, sed fortuitò, & quia excrementa augent. Adhæc aër pestilens, & alio modo infectus, venena hausta, seminis putridi, aliorumque superfluorum retentio, venenatorum contagio, et bestiarum virulentarũ morsus ictúsue, spiritum caloremque natiuum, & totam sanguinis humorumque aliorum essentiam corrumpunt, et morbis obnoxios reddunt. At calor nimius aëris nobis circumflui, & eorum quæ nos circundant, quæque cutim densant, nec non ciborum potionumque, & medicamentorum calidorum vsus: item excrementorum suppresio, meatuum obstructio, putredoque inde nata, exercitatio motusque vehemens, ira & vigilia, calidam intemperiem spiritibus, sanguini, aliisque contentis inferunt: sicut frigidam inuehit contrarius superiori aër, & alia quæ nos extrinsecus ambiunt, suprà recitatis contraria: item similium alimentorum parcior, vel liberalior vsus, medicamenta frigida, larga excretio, magna superfluitatum suppresio, otium, motus immoderatus, somnus, metus atque tristitia, sicca aëris tempestas, & ea quæ nobis occurrunt, siccandi vi prædita, cibus potusque tenuis, & inedia, medicamentaque extenuantia, euacuatio immodica, motus vehementior, vigilia, mœror, sollicitudo, siccam intemperiem promouent: humidiorem autem dies pluuii, balnea ex dulci aqua, præcipuè secundum cibum, potio liberalior, alimentorum humidiorum esus, minor excrementorum euacuatio, vita otiosa, somnus largus, animus hilaris & quietus. MATHETES. Qualitatum primarum vitia ex quibus proue-

Calor natiuus quomodo suffocetur.

Spiritus & humores inficiunt.

Sanguinem corrumpunt.

niant,& augeantur percenſuiſti:quæ aliarum ſunt cauſæ euidentes? GERON, Craſſæ cibi & potus materiæ, vt panis fermenti & ſalis expers, caro maiorum animantium, piſces, vinum rubrum, ſpiritus humoresq; craſſos, & ſimilis naturæ excrementa proferunt. ſimiliter etiam, ſed fortuitò, quæcunq; refrigerare & denſare docuimus. Alimenta verò ſubtilis materiæ, potusq; ſimilis liberaliùs aſſumptus, tenues illos generat: ſicut lentos, aut acres, ſimilia tum alimenta, tum medicamenta. Eadem ratione humores ſiue excrementa, cibis aut medicamentis proprijs indureſcunt, aut molliuntur, ſicut etiam calidis & ſiccis, aut valdè humidis, vaporoſisq;.

Spiritus, & humores quæ exagitent.

MATHETES, Quæ ſpiritus & humores exagitant? GERON, Ea quæ illos valdè extenuant, aut inflammant. MATHETES, Quæ ſubitò comprimunt, aut vehementer commouent? GERON, Dolor acerbus, nimia exercitatio, ira, timor, & omnes tum corporis, tum animi perturbationes.

Cauſarum euidentium vires diuerſæ.

MATHETES, Euidentes cauſæ diuerſáſne vires obtinent? GERON, Ita. aliæ nanq; materiam morbis ſuppeditant, vt alimenta, & excrementa: aliæ illam immutant, ſolasq; ei qualitates impertiunt, ſicut aëris & eorum quæ nos ambiunt, intemperies, motus, quies, ſomnus, vigiliæ, & animi perturbationes, quæ rariùs morbos excitare ſolent. MATHET. Quomodo interiores morborum cauſæ ab euidentibus promoueantur, clarè expoſuiſti: dic nunc ex quibus ſinguli morbi procreentur?

Morbi ex quibus cauſis procreentur.

GERON, Cùm alij à ſolis euidentibus, externiſq; cauſis originem ſuam habeant, alij non ſolùm ab his, ſed etiam ab internis, ijsq; vel antecedentibus, vel continentibus, primam vniuſcuiuſq; cauſam condiſcere oportet.

Similarium partium vitium ex quibus cauſis.

MATHETES, Ex quibus igitur ſimilarium partium tum ſimplex, tum compoſita intemperies, putredoq; earum, & totius eſſentiæ corruptela prouenit? GERON, Ex euidentibus plerunq;. nam hæ dum leniter, & ex æquo totum corpus inuadunt, primùm ſpiritus, qui tenuiorem ſortiti eſſentiam, omni patent iniuriæ: deinde humores, & reliqua contenta, denicq; ſolidiorum partium eſſentiam, vi aut qualitate afficiunt, quacunq; ipſa pollent. Quare ſi validiores cauſæ diu infeſtent, & pars ijs opportuna, vicina ſit, eaq; iam affectui obnoxia (nam quatuor iſta in omni rerum actione concurrere debent) vitium quoq; ſeu morbus proximè in illam migrabit, nonnunquam etiam morbi iſti ſimilares à ſolis internis, & antecedentibus cauſis exoriuntur. MATHETES, Quamobrem obſecro? GERON, Quia vitioſus putriduſq; humor, firmiùs parti adhęreſcens, eſſentiam eius tandem corrumpit, ſicut pulmonem & iecur putreſcere ſæpius deprehendes: ita ſuppreſsi ſeminis, & excrementorum quorundam prauitas, in veneni naturam degenerans, pręcipuè

cipuè partium eſſentiam contaminat. At ſpiritus, ſanguis, humores, & excrementa, quacunq; intemperie, aut aliena qualitate afficiantur, mox eadem partes corporis inficiunt, nunc leui, nunc firmiùs permanente. Proinde ſimilares morbi, interdum à ſolis euidentibus cauſis, interdum præter has, etiam ab antecedentibus ſimul, & continentibus contrahuntur. MATHETES, A quibus inſtrumentalium partium morbi fiunt? GERON, A naturalis earum figuræ, aut ſeminis, conformandiq; facultatis vitio, aut à membris in partu, aut poſt eum, dum ipſa adhuc mollia teneraq; eſſent, contortis: aut inde quòd multò pòſt colliſa, aut confracta vitioſè, ſiue medici, ſiue ægrotantis culpa & errore coaluerint. quanquam etiam interiores cauſæ figuram plerunq; inuertant: quales ſunt tumor contra naturam, inciſio, conuulſio, & neruorum reſolutio. adhæc multa cauitatis & meatuum vitia, quando ſinus exulcerati, non benè curati inter ſe conglutinantur, committunturq;. Eodẽ modo figura vitiatur, vbi interior canalis, aut meatus à caruncula, aut duro tuberculo, aut tumore, aut callo, aut grumo, aut humore craſſo, viſcoſoq; oppletur. item cùm meatus comprimente aliquo foris coarctantur, aut hi ipſi in ſe rerum frigidarum, aut exiccantium interuentu concidunt. adhæc cùm retentrix facultas meatuum ora impetu quodam conſtringit. E contrario etiam figura partium corrumpitur, cùm medicamenta aperiundi, incidendi, detergendi, expurgandiq; vim ſortita, partes vehementer emolliunt & laxant: idq; expultrice facultate valida, aut retentrice imbecilla. Figuræ aſperitatem pariunt, medicamenta, humores, & excrementa nimis acerba, quales ſunt fructus immaturi, aliaq; acria, abſtergentiáue, interdum adeò valida, vt partes ipſas vel erodant, vel exulcerent: læuitatem, cibi, potus, humores, ijq; tum vtiles, tum ſuperuacui, pingues ac glutinoſi. MATHETES, Quid ſi pars aliqua deſideretur? GERON, Ea ratione à conformationis vitio, aut inciſione, aut vſtione, aut putredine, aut frigore periјt. MATHETES, Quid ſi ſuperflua quædam accreſcat? GERON, Id valida natura efficit, quæ naturale quippiam ex vtili, eaq; abundantiore materia progignit, qualis eſt in conceptu ſextus digitus, in adultis tuberculum carnoſum. Porrò ex inutili materia faui, ganglia, ſteatomata, atheromata, verrucæ, atq; id genus alia tubercula conflantur. MATHETES, Quid magnitudinem partis immodicam auget? GERON, Vtilis materia copioſior, robuſtaq; natura, quæ frictione, calore, pice, alijſq; trahentibus medicamentis adiuuatur. MATHETES, Quæ molem partis alicuius imminuit? GERON, Vis imbecilla, alimenti penuria, & aliæ cauſæ ſimiles. MATHETES, Quæ partes propria ſede atq; ſitu depellunt?

Compoſitarum partium morbi vnde.

Figura quomodo vitietur.

Partium maior aut minor numerus à natura.

Magnitudo partis aucta.

Imminutio.

Depulſio è ſede. GERON, Ligamentorum ſolutio, aut laxitas, vt in luxatis, vel motu repentino, vel vehementi: aut mollientium vſus, aut partium continentium diſruptio, vel laxitas, qualis in ramicibus inteſtinorum aliịſq́; & in deſciſſo abdomine, pulmoniſq́; elapſu, pectore vulnerato. *Diſſolutio.* MATHETES, Quid vicinarum partium connexionem diſſoluit? GERON, Cùm illæ inter ſe cohæreant, aut communia illarum vincula laxantur, intenduntur, vel abrumpuntur. *Diuiſio.* MATHETES, Quæ vnionem diuidunt? GERON, Flatus, tumorq́; copioſus, vel acer, vel pungens, vel erodens, nec non motus inter cauſas euidentes immoderatior: item quę contundunt frangúntque, vulnerant, perforant, vruntq́;. MATHETES, Suúmne ac ſingularem morbum quęq́; cauſa ſimplex producit? *Morbus nullus per ſe ſolus.* GERON, Non, ſed plerunq́; varios. ſolus enim ardor frigidam deſtillationem è capite concitat, ex qua ſpirandi difficultas ac corporis reſolutio ſubſequitur: adhæc iecoris bilem accendit, irritatq́;, vnde febris procreatur. quin & contrariæ cauſæ eundem morbum ſimul plerunque pariunt. ſicut enim ſolus calor cerebrum dilatans, eiúsque meatus patefaciens, excrementa diffundit, fluidaq́; reddit, ita frigus immodicum, quaſi comprimens ipſum, & coarctans, illa exprimit depellitq́;. MATHETES, Cùm igitur complures morbi fuerint, quid agendum erit? *In morborum concurſu quid agendum.* GERON, Vniuſcuiuſq́; cauſa interior ſeorſum inueſtigari debet: quòd ſi multæ reperiantur, obſeruandum, ſintné implicitæ, an connexæ, vel diſiunctæ: ſiquidem earum obſeruatio, non minùs quàm morborum, ad curationem conducit: implicitæ autem vix vnquam ſeorſum tolli poſſunt: ex connexis priùs antecedens, quàm conſequens ſubtrahi debet: diſiunctæ ſeparatim tollendæ ſunt. MATHETES, Quæ defluxiones mouent, & in certam aliquam partem deducunt? *Defluxionum cauſæ.* GERON, Cauſæ euidentes, vt iam dixi, caput infeſtantes, deinde interiores, partiúmq́; vires robuſtæ, vel infirmæ. Fluxionis autem materiæ ſunt humores illi quatuor, ſanguis, bilis tum flaua, tum atra, pituita, aquoſa materia, flatus, & quicquid ex his permiſtis conficitur. *Materiæ defluxio qualis.* MATHETES, Quomodo omnis mareria fluit? GERON, Vel ſuapte natura & ſponte, vel aliunde impulſa. ſponte quidem, cùm vel copioſior eſt, vel colliquefacta, vel iactata vehementiùs: talis nanq́; propria ſede coërceri nequit, ſed ſuopte ipſius impetu effluit, elabiturq́;. impulſa verò fluit, aut viribus partis expellentis ea, quæ tum qualitate, tum quantitate moleſta ſunt, aut refrigerantis, aut aſtringentis cuiuſdam, aut comprimentis efficacia, quæ defluxionis à cerebro cauſæ ſunt effectrices. MATHETES, Cur in hanc potiùs quàm in illam partem ea fluxio decumbit? *Defluxionis decubitus.* GERON, In cauſa eſt pars corporis, quæ vel recipit, vel attrahit. illa ſanè, quia imbecilla

cilla est, aut prona, subiectaque ei, quæ illam mittit. MATHETES, Quæ imbecillis est naturæ? GERON, Cutis, alæ, inguina, glandulæ, & aliæ quæcunque laxæ & molles, natura vel morbo sunt: sicut contusa, contrita, vulnerata, & alio modo id genus vitiata. nam prona fluxioni obnoxia est, si vias amplas latasque ad se vergentes, spectantesque, & ingredientes obtineat, angustas autem, quæ ab ea egrediuntur. Eadem ratione humores facilè ad renes, pulmones, articulos, & alias partes defluere consueuerunt. Præterea ad eam partem, quæ inferiùs sita, influxioni subiecta est, eò quòd materia grauis faciliùs deorsum, & in procliue feratur: quanquam etiam flatus, vapor, & bilis tenuißima facilè in omnem partem excurrat. Adhęc singulæ partes, dolore, motu, frictione, & calore, siue hęc ab externis causis prouenerint, irritatę, fluxiones ad se attrahunt. Colligitur autem humor in parte bifariàm, nempe collectione vel defluxione. MATHET. Quónam modo? GERON, Partis vitio & imbecillitate. dum enim alimentum ad ipsam allatum neque conficere, neque absumere potest, copiosa deinde recrementa & superflua colligit: aut cùm ipsa valentior, plura quàm poßit concoquere allicit: aut cùm densior & astrictior fuerit, excrementa neque facilè depellere, neque dißipare potest. Hęc de morborum causis breuiter tibi indicare volui. deinceps ad ea quæ illis superuenire soleant, interpretanda aggrediar. MATHET. Metuo ne difficiliora sint, quàm vt intelligere poßim.

Partes imbecillis naturæ.

Collectio humoris.

GERON, Ne metuas, facilè assequeris. sunt enim eiusmodi quæ non intus, sicut morbi & complures causæ, omnino latent abditæ, sed foris, sicut etiam signa, apparent, & nobis sunt conspicua: Græci συμπτώματα quasi cum morbo incidentia: Celsus casus appellat. MATHETES, Quid illa esse dicis? GERON, Affectus minùs naturales, vbiuis in corpore consistentes. duplici autem modo nomen ipsorum vsurpatur: primo generatim, cùm pro omni eo accipitur, quod corpori minùs naturaliter accidit, siue morbus, siue eius causa interior existat: altero speciatim, seu propriè, quo id, quod in corpore, morbo eiusque causa excepta, minùs naturæ idoneum reperitur, intelligi solet. MATHETES, Quomodo symptoma à morbo causaque ipsius differt? GERON, Sic, quòd morbus quidem primariò, & per se functionem corporis offendat: causa autem fortuitò: symptomata verò neutro modo: quia nondum ex toto naturæ aduersantur, sed minùs quàm par est, ei sit idoneum: vel quòd morbus in parte quadam tantùm, causa in contentis, symptoma ipsum tum in vtrisque, tum in functionibus consistat. Summatim, quicquid in corporis essentia, vel in contentis minùs naturaliter consistit, si nondum actionem pa-

Morborum casus.

Symptoma quid.

Symptoma verum.

lam offendit, symptoma censendum est, quacunque ex re trahat originem. Proinde etiam nigrities ex insolatu contracta, & vrinæ, aliorumq; excrementorum color, seu odor minùs naturalis, citra morbum grauis, aliiq; id genus affectus adeò leues, vt actionibus nondum incommodent, symptomata dici possunt. At si alius morbus ex alio proueniat, vt cùm iecur æstuans calidam ventriculo intemperiem impresserit, non simpliciter hæc symptoma, sed morbus appellari debet: eò quòd in parte hærescat, cuius actionem per se euidenter offendit, quanquam non primarius, sed consequens potiùs dici mereatur. MATHETES, Potéstne vitium aliquod, & morbi, & symptomatis appellationem consequi? GERON, Nequaquam, diuersa licet ratione: quia nihil functionem lædere, & simul non lędere potest. nam quando facultas sanguifica in iecore languida est, & deinde vitiati humores in toto corpore subnascuntur, qui febres aliosq; morbos generent, quamuis humorum corruptio affectus sit minùs naturalis ex morbo factus, non tamen symptoma, sed illius causa censenda est, eò quòd in contentis subsistat, & actionem fortuitò offendat. MATHE. Potéstne idem affectus, morbi causa, & symptoma dici? GERON, Non vtique, licet symptoma alterius esse causa posit, sicut accidit, quando complura ex eodem morbo symptomata continenter exoriuntur. nam cùm frigida intemperies ventriculi concoctionem offendit, sic vt ex hac cruditas ciborum sequatur, indeq; aluus magis soluatur, ac tandem alimentum minùs in corpus distribuatur: tunc causa morbi antecedit: symptoma verò proximè comitatur: non symptoma morbum antecedit, neque vlla causa protinus sequitur. MATHETES, Potest igitur idem affectus interdum & morbus & eius causa simul existere? GERON, Potest, sed neutrum symptoma appellari debet? MATHET. Quamobrem? GERON, Quia morbus, quamuis interdum alterius morbi, & symptoma quoq; alterius symptomatis causa esse posit, tamen illud neq; morbus, neq; proxima eius causa vsquam esse deprehenditur. MATHETES, Quot symptomatum genera extant? GERON, Tria summa. primum est læsa partium actio ex morbo procedens: alterum simplex corporis affectus: tertium immodica tum excretio, tum retentio: quæ duo posteriora ex functione offensa proficiscuntur, inter se planè promiscua: vt quę aliâs corporis affectibus, aliâs functionum noxis succedant. MATHETES, Quomodo ista duo symptomata cognoscuntur? GERON, Cùm bilis in vesicula fellis obstructa est, atq; ideò à reliquo sanguine expurgari nequit, sed cum eo propter actionis illius noxam permanens, in vniuersum corpus diffunditur, tunc cutis fœdo co-

Alia symptomata.

Morbus consequens.

Morbus & symptoma nullum vitium esse potest.

Affectus, morbi causa, & symptoma non idem.

Morbus & causa cur idem affectus.

Symptomatum genera tria.

do colore inficitur, regiusq; morbus simplex fit symptoma. vrinę etiam crassescunt, flauescuutq;, & alui excrementa albicant, bilis expertia. Ita simplices corporis affectus, & excrementorum vitia ex actione læsa proueniunt. MATHETES, Quarum actionum offensæ corpori accidunt? GERON, Animalis & naturalis: ac inter illas sensilium, motricum, & principum. Inter sensiles actiones visio vel aboletur, ac cæcitas dicitur: vel imbecillis est, ac hebetudo: vel deprauata, ac hallucinatio & error vocatur. Cùm autem auditio prorsus amissa est, surditas: cùm imbecillis est, grauitas: cùm deprauata, tinnitus nuncupatur. Totidẽ differentię sunt in odoratu, gustatu, & tactu. MATHETES, Quibus in rebus sensus prædicti offendi falliq; solent? GERON, Visus in colore, figura, & magnitudine: auditus in sono: odoratus in odore: gustatus in sapore: tactus in qualitate tactili, calida, frigida, humida, & sicca, ex illis orta. Nam videndi facultas per suffusiones ea foris cernere videtur, quæ oculo insunt: audiendi vis per tinnitum aurium ea sonare extrinsecus putat, quę intus circa membranas cerebri mota, sonant: odorandi verò, eos odores à vicinis corporibus attolli opinatur, qui ex interiori quadam vitiositate humorum in naribus contenta, & alijs rebus fœdis exhalant. Gustandi verò facultas offenditur, cùm lingua alio quodam humore imbuta, sicut amaro, in ictericis omnia quæ gustat, tali sapore prædita existimat. Nam humor qui antea quietus in lingua delitescebat, nunc à re gustata motus, vel absq; hac percipitur, non autem res gustata. Tangendi facultas fallitur, vbi cutis scabra, arida, & rugosa, symptomatis vitiatur. MATHETES, Quę actionum motus voluntarij offensiones seu noxæ apparent?

Offensæ actionum.

Sensilium.

In quibus rebus sensus fallantur.

Gustus noxa.

Tactus noxa.

GERON, Cùm motus tactusq; vel abolitus, vel debilitatus, vel deprauatus est, isq; vel in parte aliqua, vel in toto corpore accidit: in illa tum neruorum, tum musculorum. neruorum autem qui respirationi seruiunt, resolutio est, gręcè ἄπνοια dicitur: voci dicatorum, ἀφωνία vocatur: linguę peculiarium, sermonis vitium. MATHETES, Qui musculi resolui solent? GERON, Ceruicis vesicæ, & ani. vnde vitium illorum inuita, vrinæ & alui excretio appellatur. MATHETES, Quo nomine hoc malum in toto corpore nuncupatur? GERON, Solo paralyseos: cum principum autem facultatum resolutione, apoplexia. MATHETES, Quæ noxa actionis in motu debili, & tactu existit? GERON, Stupor, difficultas spirandi, vitiosus vocis sonus, vrinæ difficultas, idq; pro neruorum affectorum differentia. MATHETES, Quæ in deprauato motus actione consistit? GERON, Conuulsio, nempe inuita musculorum & neruorum ad originem suam retractio, nunc in vna parte, vt mu-

Motus voluntarij noxæ.

Paralysis.

Noxa actionis in debili motu.

sculis, nunc in toto corpore fiunt, sicut tetanos, emprosthotonos, opisthotonos: cum principum facultatum noxa, epilepsia.

Singultus.

singultus ferè & aliquo modo conuulsio est, qua facultas expultrix humores ventriculo infarctos expellere conatur. Sic etiam seminis profluuium, quod cole fit erecto: quod laxato illo accidit, retentricis facultatis imbecillitati ascribendum est. MATHETES, Quid in eo vitiatus motus existit? GERON, Tremor partium voluntati contrarius, quo illæ seorsum & deorsum vicibus mutatis feruntur: item horror, inęqualis totius corporis concussio, turbatióque: adhæc rigor, similis quidem motus, vt in horrore, sed maior. præterea sternutamentum quod vehemens est efflatio, qua nares interioris cerebri sinus, & ossa ἠθμοειδῆ expurgantur: ita etiam tussis, quæ vehementissima quædam est efflatio, qua spiritus copiosissimus simul & celerrimus foràs actus, ea impetu suo attrahit ac propellit, quæ vias ipsius obstruunt. pandiculatio, qua omnia membra ad vapores ex eis discutiendos distenduntur. oscitatio, qua vis expultrix ad flatuosos maxillæ spiritus dissipandos mouetur. MATHETES, Quę principum animæ functionum noxæ sunt? GERON, Imaginatio abolita, vt sopor, qui κάρος & κατάληψις græcè vocatur: aut debilis, vt somnus grauior, qui Græcis κῶμα siue λήθαργος nominatur: aut deprauata, vt delirium. sic cogitatio prorsus abolita, quæ dementia, siue stultitia: debilis, quæ fatuitas: aut deprauata, quæ delirium existit. memoriæ vel abolitio, vt obliuio: vel imbecillitas, vt torpor: vel deprauatio, vt delirium. MATHETES, Quæ vitalium actionum læsio existit? GERON, Pulsatio abolita, vel imbecillis, vel deprauata, de quibus postea rursus audies. MATHETES, Quæ tandem naturalium functionum noxæ nominantur? GERON, Eadem ferè, quæ in animalibus ratio dicta est, in his quocy tenenda erit. nam cùm singulę partes similares, quatuor tum facultatibus, tum functionibus donatæ sint, si trifariàm ipsas lædi contingat, quòd vel nullo modo, vel leuiter, vel deprauatè obeantur, erunt certè vniuscuiusq; ipsarum, quatenus similaris est, symptomata duodecim. Quòd si eadem quoque ex naturalium instrumentorum ordine existat (quoniam præter eas quibus se alit & tuetur, alias quocy toti corpori communes vires accepit) alijs symptomatis duodecim erit obnoxia. MATHETES, Exemplis ea mihi explices. GERON, Cùm ventriculus concoctionis instrumentum, nullum familiare alimentum appetit, nec gula resoluta attrahit, vel id difficulter ac longo tempore facit, vel inter attrahendum, veluti palpitans, aut tremens conuellitur, ac concutitur. His symptomatis accedit interdum immoderata cibi & potus cupiditas,

Tremor. *Horror.* *Rigor.* *Sternutamentum.* *Tussis.* *Pandiculatio.* *Oscitatio.* *Principum functionum noxæ.* *Vitalium actionum læsio.* *Ventriculus concoctionis instrumentum.*

vt in

vt in grandi fame, quæ græcè vocatur βούλιμος, & canina, vel alienæ qualitatis desiderium, vt in vitio mulierum, græcè dicto κίττη, accidit: vel cùm alimentum nullo modo, aut parum, aut corruptè in corpus distribuitur. id nanque partium fit attractione. Similiter ventriculo accidit, vt vel nequaquam cibos concoquendos retineat, vt in lienteria: vel vt minùs quàm par est, eos amplectatur, donec perfecta sit concoctio assimilatioque: vnde fluctuationes excitari solent: aut si amplectitur, non retineat, donec conficiantur: vel vt vitiosè retineat, dum ipsos apprehendit cum conuulsione, quam singultus indicat, aut cum concussione, vt rigor febrium in toto corpore ostendit, vel cum palpitatione, quam sensus manifestant: vel cum tremore, quem non facile deprehendes, nisi insolitam & obscuram ventris à cibo molestiam animaduertas, quæ illi accidit, dum onus, quo grauatur, supra vel infra cum ructibus, & magna spirandi difficultate conatur expellere, sic tamen, vt nulla fluctuatio, inflatio, palpitatio, ac singultus infestet.

Retentrix facultas offensa.

MATHETES, Qualis actionis ventriculi noxa censetur, cùm cibi in qualitatem animali familiarem nullo modo immutantur? GERON, Nobis cruditas, Græcis ἀπεψία vocatur: qua cibus talis permanet, qualis assumptus est: sicut cùm difficulter, & longo temporis spatio consumitur, βραδυπεψία, quasi tarda concoctio vocatur: cùm autem vitiosè obitur, cibus in alienam qualitatem, & naturæ minùs familiarem in ventriculo commutatur: ex qua forma corporis corrumpitur, vti in morbo elephantiaco, & leuce. Huic vitio etiam id adiungi potest, quod sanguinis confectionem prorsus impedit, aut imbecillem, aut vitiosam reddit, sicut in aqua subter cutem: nec non aliarum partium singularum concoctiones, à quibus illę nutriuntur, abolitæ, aut imminutæ: aut vitiatę, quas leuce, ophiasis, alopetia, & similia symptomata sequuntur.

Ventriculi noxa.

Cruditas.

MATHETES, Quæ læsio expultricis functionis est? GERON, Aut eius abolitio, qua nihil expellitur, sicut in morbo iliaco, quo stercus vomitu reijcitur, & in arquato, siue flauo, siue nigro: aut debilitas, qua excrementa tardiùs expelluntur: aut deprauatio, qua vel citiùs quàm par est ante concoctionem absolutam, vel tardiùs post illam protruduntur: vel cum aliquo symptomate prædicto, vel vbi venter inæqualiter, vel immoderatè in cibos irruit. Atque tot sunt symptomatum genera.

Expultricis facultatis læsio.

MATHE. Quomodo illa inter se differunt? GERON, Cùm quinque sensibus percipi soleant, alij visioni subijciuntur, vt mali colores, quos morbi inuexerunt, qualis est flauus in arquato, pallidus, in eo aquæ subter cutem genere, quòd græcè λευκοφλεγματία dicitur, & vitiligine: niger in elephantiasi. MATHETES, Quęnam odo-

Symptomatum differentia.

ratui obueniunt. GERON, Inſuaues, grauesq; odores, qui ab alis, auribus, naribus, ore, aut corpore vniuerſo ob affectum aliquem putreſcentibus feruntur. MATHETES, Quæ ad auditum pertinent? GERON, Soni minùs naturales, vt aurium tinnientium, narium, faucium, aſperæ arteriæ, thoracis, & pulmonum ſtertentium: item dentium ſtridores, ventriculi rugitus, & inteſtinorum crepitus. MATHETES, Quæ ad guſtatum referuntur? GERON, Sapor ingratus, vel ſudoris dulcis, amari, ſalſi: vel ſanguinis, qui per os, aut alium meatum reijcitur, dulcis ſalſi, amari: aut eorum quæ ex pulmone, aut ventriculo excernuntur, dulcium, amarorum, ſalſorum, auſterorum, & acidorum. MATHETES, Quæ deniq; tactui ſunt peculiaria? GERON, Calor, frigus, humor, & ſiccitas. vnde mollities, duritia, vel alia qualitas tactilis, vt in cute dura, arida, intenta, laxa, & rugoſa prouenit. Atque hæc ſecundi generis ſymptomata, nempe ſimplices corporis affectus habentur. MATHET. Quod tertium genus illorum exiſtit?

Tertium genus ſymptomatum.

GERON, Excrementa quæ aut eſſentiæ, aut qualitatis, aut quantitatis vitium contraxerunt. MATHETES, Quid vocas eſſentiæ vitium? GERON, Id quod cùm excernitur, toto genere naturæ aduerſatur, vt calculus, arena, lumbrici: aut cùm illius excretio minùs naturalis eſt, vt ſanguis, qui è naribus, auribus, ore, ſiue ſputo, ſiue vomitu, è veſica vel aluo profluit, & quomodocunq; contra naturæ leges erumpit.

Excrementorum qualitas vitioſa.

MATHETES, Quæ vitioſa excrementorum qualitas eſt? GERON, Cùm eorum color à naturæ modo recedit, veluti ſi vrina, aluus, menſtruum, ſputum, aut vomitio nigra ſit, liuida, aut viridis: nec non grauis odoris, ſaporis amari, ſalſi, acidiq;. vel ſi lentorem, aut acrimoniam, craſsitiem, aut tenuitatem, ſiue aliam qualitatem minùs naturalem, tum his, tum alijs, quæ in corpore excernuntur, ineſſe deprehendimus.

Quantitatis vitium.

MATHETES, Quod eius quantitatis vitium eſt? GERON, Cùm minimè iuſtus naturæ modus in his ſeruatur, ſed illa copioſiùs, vel minùs profluunt. MATHETES, Propriéne hæc excrementorum vitia ſymptomatis annumerari debent? GERON, Maximè, ſi originem ex morbis ſumpſerint: quæ verò non inde, ſed ex alimentis prouenerunt, quorum vel qualitas vitioſa, vel immoderata quantitas perſeuerat, impropriè ſymptomatis aſcribuntur.

Recrementorum retentio.

MATHET. Quid ſi excrementa intus contra naturam coërceantur? GERON, Nouos pleroſq; morbos excitant, eoſq; longè plures, quàm vllæ aliæ cauſæ potuerint.

Symptomatum cauſæ.

MATHETES, Generibus ac differentijs ſymptomatum enumeratis, iam obſecro edoceas, vnde ſingularium illorum cauſæ proueniant? GERON, Cùm multa de his in morborum explicatione ſuperiùs audieris, non opus eſt, vt hîc ſim proli-

prolixior. Symptoma, siue læsa quarumlibet partium actio, ex morbo suapte natura, sine vllius rei adiumento, suboritur. MATHETES, Vbi morbus consistit, qui ex animalibus functionibus sensum, motumq; offendit? GERON, In cerebro, propria facultatis illorum sede, vel in horum instrumento. MATHETES, Quis morbus illam impedit? GERON, Intemperies, aut continui solutio, aut astrictio, aut obstructio, quæ vel ex tumore minùs naturali, vel humore influente contracta sit. his nanque impedita facultas sentiendi, mouendique instrumentis influere nequit: qui instrumentum occupat, modò partem eius principem, & primariam, modò cæteras, quæ illi subsidium adferunt, aut quauis ratione vtiles sunt, infestat. ac in illa sanè, qualis crystallinus oculi humor est, intemperies, continuitatis diuisio, & situs mutatio affligit. hic siquidem de sede sua peculiari sæpe decedit. MATHET. Qui morbi in cæteris instrumenti partibus molesti sunt? GERON, Non solùm intemperies, & continuitatis diuisio, sed etiam instrumentorum vitia, vt pupillæ dilatatio, vel angustia, humorum defectus, vel excessus, eorumq; tunicarum crassities, aut color alienus, suffusio, vnguis, & quæcunq; pupillæ succrescunt: deinde vlcera, inflammationes, alijq; tumores, qui totius oculi simul & morbi, & symptomatum causæ existunt. eodem ferè modo etiam aurium obstructio, ex tumore, vel tuberculo, vel sordibus, vel ijs quæ in illas incidunt, nascitur. MATHETES, Vnde narium fit obstructio? GERON, Ex attritu, vel tumore, vel polypo, sicut ossis, quod græci vocant à colo ἠθμοειδὴς, obturatio ex grauedine. MATHET. Quæ odoratum corrumpunt? GERON, Fœtores ei insidentes, quemadmodum sapor salsus, acidus, aut amarus gustandi iudicium linguę subuertit. MATHETES, Quomodo tactus motusq; symptomata, stupor, vel resolutio fiunt? GERON, Neruis refrigeratis, aut ligamento, aut alio quodam extrinsecus premente, aut crasso lentoq; humore obstructis. Atque ista spiritum & vim animalem prohibere solent, ne latiùs transmitti, distribuiq; possit. MATHETES. Quæ causæ sunt offensionum actionum naturalium? GERON, In similari quidem parte, ac priuata, intemperies, & essentię corruptio: in dissimilari, seu instrumentaria, aliæ. nam ventriculus, iecur, aut aliud instrumentum, erysipelate, inflammatione, ac similibus tumoribus interdum peruertuntur: vnde concoctio imbecillis, aut deprauata subsequitur. MATHETES, Qui morbi vim attrahendi interpellant? GERON, Non modò similares, sed etiam instrumentarij. ita tuberculum carnosum, vel alius quiuis tumor, in gula subnascens: quo via cibis pręcluditur, intercipiturq;: vnde vel omnino nulla attractio, vel difficilis, vel deprauata quasi

Situs functionum sensilium & motricum.

Narium obstructio.

Odoratus corruptio.

Gustatus.

Tactus & motus symptomata.

Naturalium functionum noxæ causæ.

Attractricis facultatis noxæ vnde.

ſaltu quodam, aut tremore obitur. MATHETES, Quæ cauſæ retentionem alimenti impediunt? GERON, Eædem, & flatus: ſicut etiam accidit, cùm ventriculus non arctè illos complectitur, neq; firmiter adhæreſcit. MATHETES, Quæ excretionem offendunt? GERON, Morbi ſimilares, viarumq; anguſtia, atq; obſtructio. accelerat autem illam excrementorum copia, vel acrimonia: ſicut craſsities, aut viſcoſitas remoratur. MATHETES, Quæ interiores ſimplicium ſymptomatum cauſæ exiſtunt? GERON, Siue in partibus corporis, ſiue in excrementis, citra functionum noxam inhęreſcant, coloris ſanè minùs naturalis auctor eſt ſuccus, et humores à ſalubri ſtatu alieni, qui vel in cutim ſe extulerunt, vel cum excrementis exciderunt. At grauis & fœdus odor, ex putredine contrahitur. Sapor extraneus, ex humore, qui in os influit, aut qui excrementis permiſcetur. Sonus minùs naturalis, vt rugitus, murmur, ex inſtrumentorum anguſtia, vel copia flatuum, vel cùm ipſi huc illuc impelluntur. Atque hinc conſtat morbos tum horum, tum ſuperiorum ſymptomatum cauſas exiſtere. MATHE. Ad quas referenda eſt, vitiata naturalium excretionum, vt alui, vrinæ, menſtrui, & ſudorum qualitas? GERON, Ad eas, quas ſimplici affectui attribuendas eſſe dixi. porrò augent illam permultùm ingens ciborum copia: vel eorum corruptio, & acrimonia, quæ vim excernendi incitat: vel lubrica, fluxiliſq; materia: vel contentricis facultatis imbecillitas: vel ſenſus corporis exquiſitior: vel impedita alimenti diſtributio: vel excrementorum aliunde affuſio: vel vniuerſi corporis colliquatio. ſic enim vrina, aluus, ſudor, & menſtruum valentiùs, vberiùs, & frequentiùs erumpunt. MATHET. Quæ excrementa minuunt? GERON, Alimenta pauciora, craſſa, aſtringentia, excretricis vis imbecilla: obtuſior partium expellentium ſenſus, meatus anguſti, & obturati: cutis perſpiratus immodicè ſolutus. MATHETES, Quas cauſas excretionum minùs naturalium eſſe putas? GERON, Alias, vt ſanguinis profuſionem, quæ vena ſanguinis officina, vel rupta, vel exeſa, vel adaperta fieri ſolet: vti ſuperiùs abundè eſt explicatum. quanquam etiam ſanguis ita interdum extenuatus, vt ſeri ſpeciem repræſentet, ex tunicis venarum rarioribus, ac laxatis emanet. MATHETES, Quæ vomitiones cient? GERON, Cibi liberaliùs aſſumpti, bilis acris, vel quę pondere grauant, vt ſanguis, pituitaq; copioſa, aliquo in loco ſubſiſtentes. Atque hęc tria, cerebri deſtillationem, oculorum lachrymas, ſputorum editionem, ſeminis profluuium, & omnem deniq; ex quacunq; parte euacuationem, naturę contrariam incitant. Nam in his retentrix facultas excrementorum pondere grauata, vniuerſa tandē elabi concedit. expultricis autem vis irritata,

eadem

Retentionis noxæ cauſæ.

Excretionis noxæ author.

Excretionum naturalium vitiata qualitas.

Excretionum augentia.

Vomitiones cientia.

eadem omnia impetu deturbat. MATHETES, Vndénam dolor sensibus quibuscunque accidere solet?

Dolor sensuum unde.

GERON, Ex rei obiectæ vehementia: visionis sanè ex nimio lucis splendore: auditui ex aspero, & valido strepitu: odoratui ex odore fœdo: gustatui ex sapore ingrato. At dolores tactus ideò sunt grauissimi, quòd hic in crassa admodum, & solida materia positus sit, primus, omniumque animantium communis, & in valdè efficacibus qualitatibus versetur. MATHETES, Vnde dolor tactus generatur? GERON, Ex quolibet immoderato calido, frigido, duro, acuto, graui, & eo, quod subitò in illum qualitatis vi & efficacia irruit: quæ proxima doloris causa est, putâ calefaciens, refrigerans, contundens, incidens, erodens, diuellens. Nam instrumentum tactus, non vnum ac simplex est, sed quod in extremitatum caloris, frigoris, humoris, & siccitatis mediocritate, formaque conuenienti, & situ consistit: ob quod etiam neque à temperatis, suique similibus, sed à dissimilibus & contrarijs variè afficitur: sic tamen, vt ab ijs offendatur lędaturque. hoc autem obseruandum, ea quæ violenter & subitò in tactum irrumpunt, tam diu solùm dolorem inferre posse, quàm diu agant, sensumque moueant: & hoc iterum mutato, dolorem simul remittere. Quamuis autem torpor aliquis, vt in oculo, rei visorię simulacrum, causa ipsius opifice sublata, aliquandiu remaneat, obscuram quandam doloris imaginem referens: non tamen ipsa dolor est. MATHETES, Similisne dolor in omnibus partibus, ab eadem causa prouenire potest? GERON, Nullo pacto. quorum enim essentia crassior, eorum quoque dolor vehementior. Vnde non solùm ille, sed etiam alia grauissima symptomata ventriculo, acerrimi sensus tangendi instrumento, eueniunt: vt rosio, animi deffectio, difficultas, abolitio spiritus, morbus comitialis, deliriũ, mentis alienatio, sopor, inexpugnabilis dormiendi necessitas, sensuumque interceptio: eaque magna ex parte consortij lege, quod inter omnes partes, maximum & celerrimum cum corde & cerebro obtinet. Hæc de symptomatum causis, videor mihi satis pro instituto persecutus: quod adhuc restat, sigillatim postea tractabo: nunc commodiùs esse puto, vt deinceps subiungam, quibus signis morbi latentes, & abditi, eorumque causæ, & symptomata dignosci possint. Nihil enim sine illorum cognitione, in summis medicinæ partibus, fructuosum præstare poteris. MATHETES, Quæ sunt illa obsecro? GERON,

Tactus dolor.

Dolor pro partium natura.

Symptomata siue signa, quę nos in affectuum interiorum & latentiũ notitiam perducunt. Ne autem varia illorum appellatio te perturbet, obserues idem valere, siue signa, siue inditia, siue notas nomines: græci σημεῖα, tantùm appellant. nam quod τεκμήριον,

Signa, indicia, notæ.

Summa signorum genera.

dicitur, oratoribus magis pro signo necessario vsurpatur. MATH. Quot sunt principalia signorum genera? GERON, Tria. quorum alia valetudinem aduersam, præsentem indicant, ac græcis διαγνωστικὰ, siue ἐνδεικτικὰ, hoc est demonstratiua, seu indicatiua nuncupantur: atq; inter illa, quæ incipientis affectus notæ sunt, γνωρίσματα vocantur: alia futuram, quæ nobis præsagia, græcis προγνωστικὰ, nominantur: sed non tam subitò, quàm morbus inuaserit, sed aliquantò pòst aduenturam indicant: ac ideò ἐπιφαινόμενα, quasi superuenientia græcis nominantur: alia præteritam, ac latinis memoratiua, græcis ὑπομνηστικὰ, quòd animum memoria refricent, dicuntur. Porrò in singulis horum generibus, quædam propria sunt, essentiamq; morborum perpetuò comitantur, vt quæ ab illis secerni nequeant, simulq; cum morbis inuadant, & desinant: quemadmodum membranæ costas cingentis inflammationis propria inditia sunt, febris acuta, lateris dolor pungens, difficilis spiratio, tussis: quædam differentiam morbi, magnitudinem, & morem ostendunt, nobisq; ceu assidentia, græcis συνεδρεύοντα, nominantur, quòd morbis assideant, non autē prorsus coniuncta sint, & adhærescant, sicut illa, quę affectū significant, et simul cum morbo inuadunt desinuntq;, sed nunc cum morbo, nunc post illum, nunc etiam non appareant, eoq; nec propria, nec firmiter assistunt, sicut in pleuritide dolores ad iugulum, & præcordia vsq; pertingentes, dolorq; capitis, qui non assiduus febri assistit.

Signa assistentia.

Dolores in pleuritide.

Statuum corporis notæ.

Ex demonstratiuis rursus aliqua salubrem corporis statum indicant: aliqua morbidum, aliqua medium: nonnulla morborum speciem monstrant, vt pulsus durus membranam: mollis & vndosus pulmones, similesq; partes molles: nonnulla morbi causam vt humorem tum bonorum abundantiam, quæ græcè πληθώρα dicta est, tum vitiosorum, quę κακοχυμία, vocatur: nonnulla cruditatis & concoctionis inditia nuncupantur. nam quæ cruditatem ostendunt, morbi principium significant, quæ manifestam concoctionem, incrementum eius testantur: quę concoctionem perfici notant, ipsius statum: quæ perfectam esse produnt, eiusdem declinationem monstrant. Præter hæc sunt, quæ signant morbi tempora, genera, locum, in quo vitium insidet, generationis modum, & quando ille soluetur, & qua ratione. Adhæc sunt, quæ regionem indicant, per quam expelletur. præterea extant, quæ causas, & effectum ostendant, proprijs nominibus destituta, si pauca excipias. nam quæ subitam in morbis mutationem per excreta, aut abscessum naturæ vi factum, quam græci κρίσιν vocant, ostendunt, κρίσιμα appellantur: quæ verò aliter morbum solutum indicant, peculiariter vocari nequeunt. Satius igitur est, morborum

Signa cruditatis & concoctionis.

Signa critica.

rum læuium,aut grauium,periculi, aut ſalutis indicia,mala & bona, peſsima vel optima nominare.Nam voces iſtæ,mortifera,lethalia, ſalutaria, ſalubria & inſalubria, non appellandis rebus, ſed efficiendis conueniunt:ſi modò propriè latina lingua(vti certè decet) loqui velimus, quanquam pauci hodie eam ſermonis puritatem obſeruent.ſed verbis relictis,in reipſa pergamus.Inter ſumma nuper dicta ſigna,alia prꝗſentia, alia præterita, alia futura indicant: quædam præſentia & præterita: quædam præſentia & futura: quꝗdam futura & præterita: quædam omnia ſignificant, nempe præſentia,prꝗterita,& futura. MATHETES,Cùm tam multa &varia morborum ſigna exiſtant,oro te,vt ſingula ordine enumeres,quibus illos inueſtigare,perſcrutariq́; poſsim. GERON,Faciam,ac primùm ea,quæ tum morbum, tum ſedem indicant, cui ille inhæreſcit,expediam. MATHETES,Quæ res locum affectum oſtendunt? GERON, Ea recrementorum ſpecies,quæ in parte læſa, ſiue naturaliter,ſiue contrà contineatur.nam quꝗ à propria loci offenſi eſſentia excernuntur, naturam peculiarem ſignant. MATHETES, Id exemplo declares. GERON,Circulus, qui Græcis βρόγχιον,appellatur, per tuſsim reiectus, maximum in pulmone vlcus ex eroſa parte, vel putrefacta contractum indicat: cùm aſperæ arteriæ, quæ inter fauces & pulmones ſita eſt, portio eſſe nequeat, eò quòd nulla tanta exulceratio in ea fieri poſsit, ſed mors prius hominem è medio tollat. Quinetiam ramenta per aluum in difficultate inteſtinorum, quæ δυσεντερία,græcè vocatur, deiecta,exulcerationem illorum teſtantur. carunculæ cum vrina excretæ,renum.recrementa lamas referentia,veſicꝗ portendunt. Adhæc magnitudo excrementorum,partem affectam monſtrat. nam amplum vaſis fruſtum per tuſsim reiectum, pulmonem exulceratum eſſe,non aſperam arteriam ſignificat,eò quòd vaſa quꝗ ad hanc in ceruice ſitam tendunt,capillorum modò tenuia ſint,& exigua.Sic ampla inteſtinorum tunica,in alui recrementis per difficultatem illorũ deiecta,tenuis quidem ſuperiora:craſſa & carnoſa,inferiora inteſtina exulcerari demonſtrant. Prꝗter hæc etiam illa partem læſam oſtendunt,quꝗ ei adnaſcuntur,ſicut fungi in capitis fractura,membranam affectam eſſe nunciant.at cruſtula quꝗdam,quꝗ ἐφέλκις,dicitur,eius partis,à qua excernitur,exulcerationem ſignat:vrinarij quidem meatus, ſi cum vrina prodeat: ſpiritalium autem inſtrumentorum, ſi per tuſsim: gulæ verò & ventriculi, ſi per vomitum excernatur: inteſtini, ſi per alui deiectionem euacuetur. MATHET. Quꝗ alia excrementa partem offenſam notant? GERON, Ea, quæ in illa quouis modo continentur. verùm hꝗc nõ exquiſitè,vt ſuperiora, ſed per artificioſam quandam

Adnata partibus quid notent.

Quæ in partibus continentur.

coniecturam deprehenduntur. vtpote si vrina per vulnus aliquod emanet, meatus vrinarios, aut vesicam: si stercus, intestinorum aliquod: si cibus excernatur, ventriculum. Quinetiam excernendi modus affectum sedem testatur. quia si sanguis per vulnus saliendo erumpat, arteriam: si spiritus inter respirandum per thoracem effletur, membranam, quæ costas succingit, vulneratam esse indicat. Eodem modo etiam partem læsam excrementa, quæ in ipsa continentur, ostendunt, vtpote calculus, renes, aut vesicam: pus thoracem: sanguis venas, aut alius quidam humor, siue in corpore nostro procreatus, siue extrinsecus aduenerit. MATHETES, Quæ alia sedem offensam demonstrare solent? GERON, Societas ac consortium ipsius, quod cum proximis locis habet, situsq́. nam durus in dextris præcordijs tumor, subsistens, iecur, in sinistris lienem affici notat. similiter via, per quam excrementa prodeunt, illam signat. membranosæ enim tunicę particulæ vomitu reiectæ, gulæ, aut ventriculi inditium est: per tussim, gutturis seu asperæ arteriæ: screatu, faucium: per aluum, intestini cuiusdam: per naturalia muliebria, vteri affecti. MATHET. Quæ præter hęc partem affectam notant? GERON, Alia etiam symptomata præter superiora, vt si malæ rubeant, pulmonis inflammationem testantur: sanguis in febri continua, græcè συνόχῳ, dicta, pridiè quàm dies criticus adsit, erumpens, totaq́ facies rubicunda, illam finitum iri nunciat, non pulmonis inflammationem, pręsertim si ęger ex facili spiret. sin autem expuat, difficulter respiret, & dolorem grauem in thorace sentiat, certa pulmonis inflammati nota est. Insuper ex vno symptomate aliud interdum colligimus, & ex illo rursus aliud, interdum etiam morbum. sicut in macie, seu tabe, in qua corpus non alitur, græcè ἀτροφία, dicitur, alia symptomata huic superueniunt. Nam impedita alimenti distributio, maciei causa est. huius, obstructio iecoris in gibba eius parte suborta, quæ ex grauitate post concoctionem obitam deprehenditur. Potest etiam hanc tabem excitare intemperies iecoris, aut affectus locus, aut vlcus pulmonum, nec non iecoris & lienis scirrhus, venarum meseraicarum obstructio, ventriculi, intestinorumq́ affectus, aut vlcera quæ fluxum excitant. Iam vrinæ suppresio indicat calculum, vel grumum sanguinis, vel sudorem futurum, suppressumúe, vel mentis alienationem, ob phrenitidem, aut lethargum. MATHETES, Quid si mens non sit læsa, nec vlla inflammatio vrgeat, nec febris adsit? GERON, Certè solum crassum & glutinosum humorem, præsertim si æger tali cibo, vt caseo, & similibus se vsum fuisse fateatur, illam suppresisse colligimus. MATHETES, Quam partem affectam tussis notat? GERON, Cùm respi-

Arteriæ læsæ nota.
Membranæ costarum.
Vesicæ.
Thoracis.
Venarum.
Societas partium
Iecoris & lienis affecti notæ.
Gulæ.
Asperæ arteriæ.
Faucium.
Intestinorum.
Vteri.
Pulmonis affecti indicium.
Febris continuæ solutionis signũ.
Pulmonis inflammati nota.
Symptomatis ex symptomate inditium.
Atrophia & eius nota.
Macies.
Calculi nota.
Vrinæ suppreßionis causa.
Tußis.

Tuſsis.

reſpiratorijs partibus accidere ſoleat, illæq; variæ ſint, vt pulmones, aſpera arteria, latera, muſculi, ſeptum tranſuerſum, inquiri debet inaníſne ac ſicca, an humida exiſtat. ſi inanis fuerit, aut laterum inflammatio cruda, aut tenuis in arteriam defluxio, aut ſpiritalium inſtrumentorum refrigeratio, aut tuberculum, tumórue ſub ſepto tranſuerſo putridus ſubeſſe indicatur. MATHETES, Quę ex iſtis omnibus propria tuſsis cauſa dicetur? GERON, Ex notioribus, laterum inflammatio cruda, aut febris. ſi hæc vrget, laterum, vel pulmonum inflammatio erit. ſi dolor laterum tuſsi coniunctus eſt, illorum inflammatio. ſi malæ rubeant, & ægri in reſpirando multùm laborent, pulmonum cenſebitur. at ſi febris affligat, cui tumor in dextris pręcordijs adſit, & grauis dolor, qui ad iugulum peruenit, iecori inflammatione compreſſo tuſsis adſcribenda eſt. ſin illa non accidant, caput tenui forſan defluxione laborat, quod ex febris eſſentia & ſputo cognoſcitur. verùm tuſsis tunc non eſt inanis, vt, in qua aliquid educatur, os humidum ſit, & ſputum præceſſerit. MATHETES, Quid defluxionem illam excitauit? GERON, Inſolatus, vel ſub luna inambulatio, & corporis quædam grauitas. MATHETES, Quid tuſsim mouet, ſi neq; hæc ęger accidiſſe dicat? GERON, In aqua inter cutem materiam quandam in thorace eſſe collectam dicemus, ſi tumor in ventre ſit, & malus corporis habitus. ſi neq; is ſit, interrogandus æger, num capite nudo in aëre frigido verſatus fuerit, vnde reſpirationis inſtrumenta nimiùm perfrixerint, aut ſi calore æſtuans, aquam frigidam biberit, aut ſi torquem aliquem, ex quocunque metallo ſuper nudum pectus geſtarit. atq; eiuſmodi tuſsis, ſi recens & parua fuerit, curatur, ſi ſpiritus retineatur. MATHETES, Quid ſi prædictę partes neq; perfrixerint, neq; aliud quid ex ſuperioribus præceſſerit? GERON, Coſtæ, aut pulmones tuberculo, vel abſceſſu aliquo frigido obſidentur, quod diuturnitas morbi declarat. nam ſi rigor aliquis nunc ſine febri præceſſerit, nunc cum febri quadam exigua, inordinata, & citra occaſionem exteriorem ſentiatur, abſceſſum prænunciat. MATHETES, Quid tuſsis humida ſignat? GERON, Si quod reijcitur, flauum eſt cum febri, interiora inflammari: ſi cum dolore punctorio coniuncta eſt, latera: ſi cum rubore malarum, pulmones indicant. nam color materiam & inflammationem prodit. MATHETES, Quid ſingula ſputa oſtendunt? GERON, Cruentum ſine dolore & febri editur: ſanguinolentum inflammationem ex ſanguine ortam denunciat. MATHETES, Ex qua parte vnum quodq; ſputum excernitur? GERON, Nigrum & craſſum ex thorace: flauum è pulmone: varijs excrementis miſtum, è cerebro: album, tenue, & ſpumoſum per tuſsim ſine febri

Propria tuſsis cauſa.

Tuſsis inanis ſedes.

Tuſsis humida.

Tuſsis humida.

Sputa.

eductum, defluxionem: crassum, destillationem in pulmones demonstrat: in quibus excipitur & inspissatur: si diu ibi manserit, puri simile euadit. id si album, læue, & æquale apparet, concoctæ inflammationis indicium est. si pus per tussim redditur, suppuratio, quæ ἐμπύημα, græcè vocatur, vel vlcus in pulmonibus existit. quòd si suppuratio præcesserit, abscessus notatur. si tussis sanguinis sputum, vel acrem defluxionem secuta sit, vlcus subesse conijcimus. atque hac ratione tussis, partem offensam, & morbum indicabit. MATHETES, Quæ alia partes affectas significant? GERON, Earundem dolores, vt qui pro situs illarum ratione varientur. MATHET. Id explica. GERON, Quia cùm vlceris notæ per vomitum apparent, si anteriora præcordia doleant, ventriculum affici: si posteriora, gulam affligi argumentum est. Sic dolor præcordia dextra excrucians, iecur: sinistra occupans, lienem malè affectum arguit. Iam diuersa doloris species, suam quæque partem læsam testatur. hinc pulsatilis arterias inflammatione tentatas comitatur: modò pars, in qua illæ consistunt, sensu sit prædita. MATHETES, In ea igitur parte sola, quæ sensilis est, talis dolor percipi potest? GERON, Vtique. cum enim pulmo, sicut iecur & renes, sensus expers sit, neque in illius inflammatione, quæ Græcis περιπνευμονία, dicitur, neque in laterali morbo, qui πλευρῖτις, vocatur, ille deprehenditur: idque accidit, quia nullus neruus, per totum pulmonis corpus dispersus est: ob quod etiam eiusmodi dolor, nec in iocinore, nec in renibus percipitur. imò nec membranam, quæ costis obducta est, & inflammatione tentari solet, affectam indicat: eò quòd arteriarum prorsus expers sit. nam hę per media costarũ spatia extensæ, ad illam minimè perueniunt: quanuis punctorius dolor membranas offendi nunciet, eò quòd hæc doloris species propriè ad eas pertineat. MATHETES, Quis dolor iecoris, & renum inflammationem testari solet? GERON, Grauis. nam membrana vtrique huic visceri, sicut etiam pulmoni annexa, ob neruum in eam disseminatum, sensilis est. Cùm autem à tumore quodam in vtroque viscere prædicto distenditur, talem doloris speciem experitur. Cæterum qui dolores vllam partem infestant, semper illorum vehementia, siue magnitudo, remissio siue mediocritas, observari debet, vt quæ sæpenumero locum affectum simul indicet. Quantùm verò dolores laterum, pectoris, & aliarum partium inter se differant, animaduersione dignum est. MATHETES, Quæ propria sunt, inter omnes suprà commemoratos locorum affectorum symptomata, ex quibus illi cognoscuntur? GERON, Cibi fastidium, ventriculi: alui deiectiones alborubentes, iecoris imbecilli: malæ rubentes, pulmonis inflammati. atque hi casus certiores

Dolor quomodo partem affectam indicet.

Diuersa dolorum species.

tiores

tiores ſunt indices, quando corporis natura ac ſtatus, ætas, conſuetudo, & prægreſſa victus ratio ſimul reſpondent. MATHETES, Quia nuper meminiſti ſocietatis ac conſortij, quod partes læſæ cum alijs habent, cupio ex te diſcere, quęnam propriè ex ſe, ac primariò, quæ verò ex aliarum conſenſu, pariter doleant. GERON, Hæc peculiariter affecta dicitur, in qua morbus conſtanter perſeuerat. ex conſenſu autem ac ſecundariò, quæ ex alia, vel cum ea, morbum non diu ſuſtinet, licet eo nondum penitus ſit liberata.

Pars propriè affecta.

Ex conſenſu læſa.

MATHETES, Quot modis id contingere ſolet? GERON, Tribus potiſsimùm: primò, vbi pars aliqua cum altera prius offenſa ob peculiarem conſenſionem, quam ambæ inter ſe habent, condoleſcit: vtpote quando caput ob vterum, vel ventriculum afficitur, oculi, vel caput ob vapores, humoréſue in ventriculo contentos, ſurſumq́ue eleuatos, ſimile ſuffuſioni vitium, vel dolorem experiuntur. Iugulum ob iecoris, vel lienis, vel aliorum viſcerum grauitatem, affectu aliquo, aut tenſione, membranæ coſtas ſuccingentis interuentu, vexatur. Mammæ, & inguina ob vterum laborantem: peritonæum, quo iecur integitur, & alligatur, ob membranam, quæ ſeptum tranſuerſum conſtituit, affligitur: adhæc quando ventriculus in colico dolore conſentiens, nauſeat. Si certior eſſe voles de capitis dolore vnde venerit, inquiras, num ventriculus doleat, aut ructus acidos edat, qui cruditatem ciborum ſignificant, aut nidorolentos, qui corruptionem illorum teſtantur, aut biliosa vomat. nam ſi hæc fiant, nulla de dolore conſortij lege facto dubitatio erit, præſertim ſi à vomitu ante & poſt cibum facto, meliuſculè habeat. Altero, cùm pars materię, quam ab alijs præparatam ſucipere conſueuit, deſtituitur: vtpote cùm vox efflatione, quæ illius materia eſt, amiſſa vitiatur. Tertio, cùm aliqua facultas, quæ ad partes quaſdam, cum naturaliter actiones ſuas obeunt, deſcendit, ob aliud membrum, à quo illa tranſmittitur, primariò affectum prohibetur. exempli cauſa, quando crura propter ſpinalis medullæ inflammationem reſoluuntur, & manus digiti ſenſum amittunt, cùm ea pars ſpinæ quæ circa dorſi initium conſiſtit, prius fuerit affecta. Nam inſtrumentorum vocis, crurum & digitorum actio, licet nulla affectione contra naturam violetur: tamen, quia illa hoc carent, quod naturaliter ad ipſa peruenire debet, ex conſenſu affici dicentur. Guttur enim efflatum ſpirituum, digiti vim ſenſoriam, crura motoriam recipiunt: quibus illa ſuis ſingula in naturalibus actionibus vtuntur. MATHETES, Iam intelligo, quid ſit partem aliquam corporis propriè, ac per ſe duntaxat, quid rurſus caſu ac fortuitò, ſiue ex conſenſu alterius affici: dic nunc amabô, poteſtne eadem pars

Tribus modis fit affectus per ſenſum.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Crurum reſolutio per conſenſum.

Digitorum ſtupor ex conſortio.

Partes primario ex consensu læsas dignoscere quid conferat.

tum primariò ac propriè, tum secundariò ac consortij lege, quod cum altera habet, simul offendi? GERON, Indubiè, quando ipsius offensio diu perseuerat, duratq;. Non parum autem refert, vt primariò læsam partem, ab ea, quæ alterius consensu laborat, dignoscas. nam hinc condisces, cuinam morbo remedia adhibenda sint, quodq; illa quæ primariò affecta est, curata, nullus in ea quæ secundariò offendatur, affectus vitiosus relinquatur, quo vsq; aliquis in ea perseuerantior fuerit. MATHETES, Cùm multas variasq; partium affectarum notas his recensueris, metuo, ne mihi facilè, sicut alia excidant, eoq; te rogo, vt summatim iterum eas perstringas, quænam potissimum, & quot existant. GERON, Quamuis non opus esse iudicem: tamen in hoc quoque tibi gratificabor.

Notæ partium vitiosorum.

Sunt igitur excrementa, actio læsa, doloris proprietas seu species, situs & peculiaria accidentia. MATHETES, Necessarióne ista semper affectum demonstrant? GERON, Licet non omnia, tamen aliqua ipsorum. MATHETES, Eius rei testimonium adferas? GERON, Peculiaris dolor, situs, & propria symptomata, iecur inflammari apertè ostendunt, quamuis neq; actio offensa videatur, neq; excrementa profluant. Eodem modo sola sanguinis expuitio, vlcus factum, venamq; erosam testatur, quamuis nullum ex reliquis signis prodeat.

Excreti nomen.

MATHETES, Quid nomine excretionum intelligitur? GERON, Interdum portio quædam sedis affectæ, quę certò aliquid signat. quia circuli cartilaginei per tussim eiecti arteriam asperam notant: carunculæ quædam, quasi capilli vrinę insidentes, renes: ramentum in alui excrementis, tenue quidem superiora, crassum verò & carnosum, inferiora intestina exulcerari denunciat. Interdum non partis essentia, sed quod ei adhęrescens excidit, vt intestinorum adeps. interdum quippiam, quod pars læsa continet: veluti si vrina per vulnus acceptum profluat, vesica: si excrementum alui, intestinum sauciatur: pectore autem vulnerato, si spiritus effletur, membrana costis obducta diuellitur.

Excretionis modus.

Præterea excretionis modus affectæ sedis notitiam affert. nam sanguis ex vlnere tanquam saltu exiliens, arteriam adapertam esse notat. Quod si pura & solitaria loci affecti portio excernatur, ex proximis sedibus prouenit: si excrementis naturalibus tota permisceatur, ex longinquis & sublimioribus prodit. Porrò actionis læsio eam partem, quæ illam edit, offendi indicat, sicut cæcitas, oculum: surditas, auditum: cruditas, ventriculum.

Quæ propriè partem affectam indicent.

MATHETES, Quæ res partem primariò affectam esse testatur? GERON, Doloris species. nam pulsans quidem, vel arteriam, vel locum ei proximum affici ostendit: pungens autem, membranam: conuellens, neruos, aut tendines: extendens, venas: contundens

dens ac profundus, ossium membranas: laxus & mollis, carnem: grauis & obtusus, viscera: aut aliam partem obtusiori sensu præditam. MATHETES, Quid offensæ partis, dolorem tumoremq́ indicat? GERON, Situs ipsius ratio. nam si dolor dextris præcordijs penitus insidet, iecur afficitur, non lien. si verò sinistris, lien, non iecur infestatur. Quòd si tumor dextra præcordia obsidens, per extremas costas lunari figura porrigatur, iecur eo affligi indicium est: si in ventris longitudinem extendatur, rectis abdominis musculis, ascribi debet. atq; hæc signorum genera affectas sedes indicant, quarum propria, & quæ separari nequeunt, certissima deprehenduntur: quæ verò assidentia vocauimus, multorum sunt communia, & ambigua. At non solùm ex signis, sed etiam inuestigatione quadam cognoscuntur. Siue igitur actio læsa fuerit, siue excrementum, siue dolor infestet, pars affecta primum ex situ & specie quodammodo innotescit: deinde inquirendum, num alia quoq; symptomata priori coniecturę consentiant. nulla enim solitaria existunt, sed multa semper vnius, eiusdemq́ morbi coniunguntur. Quòd si ergò vna eademq́ pars affecta, ex illis vniuersis ab ægro auditis significetur, iam ipsa comperta erit. sin autem ipsa varientur, dissideantq́, alia quędam inuestigari debet, donec tandem aliqua reperiatur, quam affici certa indicia confirment. MATHETES, Quomodo vnica tantum sedes laborare noscitur? GERON, Si omnium symptomatum notæ eodem tendant, neq; vlla aliò quoq; declinet. At non satis est hoc tibi constare, sed etiam scire oportet, propriòne affectu pars aliqua, an alterius, & cuius consensu laboret: adhæc si peculiari, num etiam primario, an ex alio, qui præcesserit, suborto affligatur. MATHETES, Exemplis hoc reddas dilucidiùs? GERON, Si quis abs te consilium de spirandi difficultate petierit, inquirendum est, num ea actione vitiata, instrumentũ quoddam respirationi dicatum, afficiatur, faucésne, an aspera arteria proprio vitio laboret. sin autem nullum in his deprehendatur, in pulmonem, aut thoracem, aut septum transuersum, aut vicinas partes referri debet. Quòd si stertor respirando percipiatur, & tussis sine doloris sensu molesta sit, pulmo offensus est: si thorax dolore prematur, præsertim circa dextri lateris costas, priores quinq;, quas νόθας greci vocant, ex alijs signis dignoscendus est. Nam si punctorius infestat, cum febri continua, & tussi, qua cruentum expuitur, membranæ costas cingentis inflammationem testatur: grauis autem cum febri continenti, tussiq́ sicca, iecur inflammatum indicat: id autem magis confirmant, tumor in dextris præcordijs, lunari figura subsistens, lingua scabra, & nigra, sitis admodum vehemens, magnum cibi fa-

Doloris & tumoris notæ.

Symptomata nulla solutaria.

Vnicæ sedis affectæ signa.

Spirandi difficultas cui instrumento asscribenda.

Pulmo offensus.

Membrana costarum.

Iecur inflammatum.

ſtidium, vomitus bilioſus, frequens deiectio bilioſa, vrina craſſa & rubra: ſi multa ex hiſce ſignis deſint, alijs partibus aſcribendus eſt. MATHETES, Quid ſi dolor ſub lateris ſiniſtri coſtis excruciet? GERON, Proprietate ipſius animaduerſa, coxa, muſculi abdominis, lien, colon inteſtinum, ren ſiniſter, & aliæ illius regionis partes omnes, quarum magna eſt affinitas, conſiderari debent. Si dolor ille inferiùs ad crus vniuerſum pertinet, atque id inceſſu ingraueſcit, ſignaꝗ defluxionis ipſum præceſſerunt, coxę attribuendus eſt.

Coxæ dolor.

Si verò is contactu manus, quamuis blando deprehendatur, & tuſſi, ſternutamẽto, & alta inſpiratione exaſperetur, abdominis muſculos obſidere ſignificatur.

Abdominis muſculi affectio.

ſi verò tumor cum dolore, ſiniſtris prẹcordijs circumſcriptus appareat, ægerꝗ difficulter in ſiniſtrum latus decumbat, & flatus copioſi inter concoquendum excitati, ventriculum diſtendant, aut per ructus erumpant, metusꝗ & triſtitia diu moleſtent, lienis affectus argumentum eſt.

Lien affectus.

At ſi dolor fixus ab ea regione, qua meatus vrinarius inter coſtas extremas & coxam progreditur, per ilia in veſicam ferè pertingens, aluo ſoluta non omninò conquieſcat, ſed vomitio varia, crebraꝗ vrinę reddendę cupiditas, cum ardore, eiusꝗ eſſentia, vel quæ in ipſa continentur, minùs naturali in ſtatu exiſtant, renem affici demonſtrat: colum autem dolor vagus, lateꝗ diffuſus: qui aluo citata, liquataꝗ ſedatur.

Renis affectus colon.

Interdum affectę partes, non ex conſueta inueſtigatione, ſed acri tantum iudicio deprehenduntur. verbi gratia, ſi quis ter quaterꝗ meri puris, libræ inſtar quotidie per aluum reddat, nunc cum recrementis, nunc abſꝗ illis ſeorſim, ſic vt nullus neꝗ dolor adfuerit, neꝗ ſitis, neꝗ cibi faſtidiũ, neꝗ valida febris, ſed lenta ſolum, neꝗ æger decumbere cogatur, non ex alio abſceſſu, quàm ſub tranſuerſo ſepto, rupto emanare poteſt:

Meri puris excretio.

vt quod in ſolo meſenterio parte ignobili, & ſenſus experti, nec non in ima eius ſede contractum ſit, è qua pus ſincerum, inteſtino recto influere potuerit.

Meſenterij affecti nota.

MATHETES, Cur non in ventriculo, aut inteſtinis tale pus collectum eſt? GERON, Quia in his ſine ſenſu eſſe non poteſt: neque in renibus, aut veſica: quia ex his non in aluũ, ſed ad veſicam tranſitus eſt. neꝗ in iocinore, aut liene: quia horum abſceſſus ægrotantem, prorſus conuellunt cum febri ardente, ſiti & alijs grauibus ſymptomatis. MATHETES, Quomodo affecta ſedes dignoſci poteſt, ſi multa indicia, variaꝗ ſymptomata concurrant, quorum neꝗ vires, neꝗ notæ ad vnam pertingant?

Si multa ſigna apparent, quomodo pars affecta cognoſcatur.

GERON, Tunc etiam ſedes affecta non ſimplex, nec vnica eſſe poteſt: imò neꝗ morbi ſimplices, ſed reuera confuſi, & impliciti appellantur, qui etiam difficulter explicari poſſunt: præſertim cum affectæ partes vicinæ ſunt, & in communem quandam actionem

conſen-

consentiant. MATHE. Quomodo discerni poterunt? GERON, Singulorum indiciorū vires, ac naturę obseruandę sunt, quotcunq; eandem partē simul demonstrant, seorsum referri debent, donec tandem deprehendantur, quę partes primariò sint affectę. Verbi gratia, si quis difficulter respiret, veteriq; tussi laboret, stertat, sputūq; copiosum edat, & lateris dolor deinde his accedat, necesse est non solū hoc, sed etiam pulmones iam diu obstructos fuisse, eoq; morbum hunc pleuriticum asthmati implicatum dici posse. Rursus non vna pars, sed plures affici videntur, cùm vrina difficulter, cum acri dolore, ardoreq; excernitur, & pus, quàm primum illa redditur, effluit: sic vt ipsa nunc sponte non profluat, nunc intercipiatur: adhæc cùm dolor antequam vrina prodit, acriùs excruciat, & sabulosum, aut viscosum quippiam exit, dolorq; sæpius ad anum vsq; pertingit. MATHET. Quæ partes hic offendi solent? GERON, Colis meatus, vlcere: vesica, calculo affici notatur. Hæc autem de partibus vicinis dicta sunt: quæ longiùs inter sese distant, promptiùs cognosci, sicut etiam morbi in ipsis, possunt, eò quòd symptomata prorsus dissimilia edant. MATHETES, Exemplum proferas? GERON, Cùm vrina purulenta citra doloris sensum redditur, sic tamen, vt lumbi doleant, faucesq; & ceruix intumescant cum rubore, spirandi & deuorandi difficultate, febreq;, ren, vlcere: fauces angina torqueri nuntiantur. MATHETES, Si partes affectæ signis istis indicantur, ex quibus obsecro affectus ostenduntur? GERON, Ex ijsdem ferè ambo plerunq; innotescunt: sed nunc offensa sedes, nunc affectus ipse manifestior existit. *Quæ morbos denunciant.* Vt igitur morbum breuiter cognoscas, quęras ex ægro, primùm, totóne corpore, an in parte aliqua doleat. nam si dolorem in eo sentire fateatur, statim lassitudinem adesse censebis. *Laßitudo.* Qualis autem sit, inde comperies, si ęger se, vel saltu, vel alio exercitio & modo, qui eam excitare potuerit, antea commouisse dicat. At si hinc membra tanquam fracta sentiat, tensoriam: *Tensoria.* si verò illa tanquàm aciculis pungi conqueratur, vlcerosam esse: *Vlcerosa.* sin inflammatione, & tensione eadem tentari affirmet, inflammatoriam esse scias: *Inflammatoria.* si deniq; citra vllum exercitium, corpus lassum fuerit, spontaneam esse cognosces. *Spontanea.* Atq; ita qualis sit corporis status, & quid inde futurum denunciare poteris. nam tensoria lassitudo, morbos ex humorum copia: vlcerosa, ex vitiosis succis futuros præsagit. maximè si anni tempestas, natura ægri, & morbi eo tempore grassantes, consentiant. MATHETES, Ex quo alio morbum deprehendis? GERON, Ex tactu, quo vel calorem, vel frigus, in corpore, aut parte, & tumor ne aliquis, an nullus appareat, percipies. nam si pars multum caleat, minùs autem tumeat, nec pulset, colorem autem ex rubro flauescen-

Erysipelatis nota. *Cancri.* *Intemperaturæ.* *Febris.* *Inflammationis.*

tem habeat, erysipelate ipsam laborare significatur: si verò tumida, dura, insolens, & nigricans existat, cancro affici dicetur: si dolor cum calore aut frigore vrgeat, magna subest intemperies, quę inflammationem excitare potest. Quòd si internus ægro esse videatur, statim interrogandus erit, an sitiat, vel caleat: si hæc fateatur, febris expectabitur: nec non partis offensæ inflammatio: quia interiorum dolores cum febri, citra inflammationem esse nequeunt. Exempli gratia: si dolor punctorius in latere excruciet, inflammatio illius aderit: si grauis, malæq; rubescant, pulmonum. item si grauis dolor cum febri renes obsideat, illorum inflammatio, quę gręcis νεφρῆτις, vocatur: si lienem, huius: si vterum, ipsius quoque: si vesicam, etiam illius inflammatio præsens erit. adhæc si dolor cum febrili calore, & excrementorum vomitu vmbilicum exerceat, eius quoque inflammationem adesse noueris: si aluum, in recto intestino. ita si ventriculum, tensiones, dolor, febris, sitis, vomitus biliosus, molestent, inflammatio etiam illius indicatur: idem dolor iecur affligens, sic vt ad iugulum, & dorsum ascendat, illud inflammatum esse signat. MATHETES, Quid dolor capitis in febri notat? GERON, Inquirendum est, illéne primariò incœperit, an hanc secutus sit. nam si incœperit, durauerítq;, partem aliquam intus affectam esse demonstrat: si increuerit, rogandum quotus sit dies febris, & si concoctionis signa præcesserint, ægerq; iuuenis sit, & facie rubicunda, sanguinis per nares profluuium instat. sin autem caput doleat, & facies non rubescat, nec venæ intendantur, maxilla verò & labrum tremat, ventriculusq; dolorem sentiat, vomitionem futuram declarat. MATHETES, Quid dolor capitis absq; febri signat? GERON, Quærendum est, totúmne caput, an pars eius afficiatur, eaq; anterior, an posterior, numq; dolor frequenter repetat. si ęger dicat statis eum redire temporibus, in altera tantum ipsius regione, dextra vel sinistra, ἡμικρανικὸς, græcè, à dimidia caluarię parte, nominabitur. MATHET. Vnde naturam morbi cognoscam? GERON, Ex doloris proprietate, sicut anteà de parte affecta etiam dixi. nam si tensio sine grauitate percipitur, à vapore tenui & flatulento trahit originem: si mordax ac vehemens, ex humorum aut vaporum acrimonia: si cum grauitate & pulsu, ab humorum copia. MATHETES, Habéntne alij quoq; morbi, suas dolorum species? GERON, Vtiq;, & præsertim morbus gallicus. nam in hoc dolor noctu scapulas, vel pectus affligit: recidiuus est, & vehemens, cibo potuq; leuatur: ægri maximum frigus sentiunt: humectatione, leuiq; calore, & medicamentis offenduntur. hinc accedit, quòd aliquando cum frequentiore spuitione infestet, aliquando tumores venereos, vel ardorem sentiunt

Capitis dolor. *Sanguinis profluuium per nares.* *Vomitio futura.* *Morbi natura vnde cognoscenda.* *Morbus gallicus.*

tiunt vrinæ. aliquando oſsium excreſcentiæ, græci ἐξοστεόσεις, vocant, in ipſis apparent: id quod longè certiſsimum de hoc morbo ſignum eſt. adhæc, ſi dolor ex concubitu, aut retentione, aut immutatione vrinæ, cum aſtrictione alui prouenerit. MATHETES, Qui alios morbos dolores proprij indicant? GERON, Si renes doleant, latusq́ue è directo partis affectæ ſitum, & vrina retineatur, aut tenuiſsima, turbidáue, aut cum calculis, arenísue reddatur, illorum affectus, non colicus exiſtimandus eſt. Porrò ſi fœmina circa coxam doleat, & paulò ante peperit, aut abortiuit, vel menſium fluore laborauit, certè non coxendicis, ſed vteri dolor, ob ligamenta quæ inguinibus illigantur, cenſendus eſt. Sin autem iſta non euenerint, deficiant autem menſes, dolorq́ue in anteriore & poſteriore parte ſentiatur, coxendici ille attribuendus eſt. MATHET. Quid ſi ægri nullum ſe dolorem percipere dicant? GERON, Viſcera manu contrectari debent, (nam ſæpe dolor internis partibus, quas illi non cognoſcunt, oboritur) & inquirendum, num ventriculo, iocinori, lieni, vtero, veſicę, vel muſculis interioribus obuenerit. ſolent autē plerunq́ue de externo dolore conqueri, cùm magis interno afficiantur. MATHETES, Quibus indicijs parui tumores, partium interiorum deprehenduntur? GERON, Propria quadam ratione potius, quàm aliena. videndum autem, ne ventriculus cibo, aut flatibus plenus ſit, cùm partes hæ contrectari debent, eò quòd illi impedimento ſint. rogandum autem, an tumor ſit cum febri. nam ſi ille ante hanc ſentiatur, nō ratione febris accidit, ſed fortè viſceribus ſcirrho induratis aſſcribi poteſt. ſi verò dolor febri coniunctus fuerit, ſcirrhus inflammatorius, ſeu φλεγμονώδης, gręcè dicetur: ſin æger non doleat, tunc febris & ſcirrhus iamdudum prouenerunt. Si tumor non præceſſerit, excitatus autem ſit cum febri, inflammatio, vel eryſipelas inflammatorium eſſe, quod ex febri conſtat, æſtimari debet. nam ardens, viſcerum eryſipelas ſequitur: continua, quæ συνοχὸς, græcè vocatur, vel tertiana continens, inflammationem. MATHET. Quid ſi in parte exteriore tumor appareat? GERON, Tunc & pars & affectus, nomen habent commune: verbi gratia in glandulis, bubo. MATHETES, Quæ tumorum eſt materia? GERON, Alij ex magna defluxione, alij ex partium excrementis, & abſceſſus dicuntur, eoq́ue inquirendum, quomodo, & quales ipſi generati ſint. qui enim dolorem adfert ſine pulſu, ruboremq́ue habet, eryſipelas eſt: qui mollis, & tangenti cedit, albidiq́ue coloris, ex pituita natus eſt, & græcis οἴδημα, vocatur. qui verò renititur, & pellucidus eſt, ex flatu contrahitur, & inflatio græcè ἐμφύσημα, dicitur. ſi durus, pulſus & doloris expers, ſcirrhus. qui autem duritiem & punctorium dolorem re-

Dolor nephriticus.

Coxarum dolor.

Tumores parui quomodo deprehendendi.

Interior pars affecta quomodo cognoſcatur.

Eryſipelas.

Oedema.

Scirrhus.

Cancer.
Phyma.

prę sentat, cancer, si citò crescat. qui ad suppurationem statim tendit, phyma. qui in glandulis indurati sunt, χοιράδες, appellantur, & cum suppurant, pus mellis instar reddunt. MATHE. Qui alij affectus minùs naturales sunt, quos ad morborum genera, & species eorũ referri superiùs dixisti? GERON, Materię alterius quàm conuenit excretio, eaq; per regionem minùs idoneam, & tempore inoportuno, prætereq; consuetudinem, vel cum difficultate. MATHETES, Quam materiam putas? GERON, Humorem aliquem liquidum, aut crassum, siue sanguineum, siue pituitosum: sic vt obseruetur, quo ex loco, quo colore, quaq; essentia prodeat. non enim quiuis sanguis excretus, naturæ contrarius est, sicut is, qui à partu, & per menses tempestiuè, & mediocriter fluit: item qui per nares die critico, aut post dolores capitis excernitur. licet eius profluuium per crisim, non in omni morbo acuto, lethargo, & peripneumonia laudetur, eò quòd vtraque affectio à frigidis excitetur humoribus: si tamen à calidis partim fiat, non est vituperanda: quemadmodum neq; in puellis, quibus menses non dum eruperint: vel quibus hæmorrhoides sunt suppressæ, sanguinis effluxio improbanda est. quanquam omnis immoderata vitiosa sit, mali habitus futuri, & aquæ subter cutem caussa. MATHETES, Cur sanguis naribus post casum ex alto, vel percussionem emanat? GERON, Ob venam fractam in cerebro, huiusq; vel membranarum ipsius læsionem. MATHETES, *Vnde sanguis* prodit, si per sputum duntaxat edatur? GERON, *Ex gingiuis*, vel aliquo oris vlcere, si adsit. sin autem modicus per tussiculam rejciatur, ex aspera arteria. qui verò cum respiratione & tussicula expuitur, *varijs recrementis permistus*, ac niger, è cerebro in arteriam asperam defluit. quare videndum est, num tale quippiam è naribus sit excretum, id quod à balneo, insolatu, & capitis exustione, fieri solet. MATHETES, Vnde sanguis crassus & niger excernitur? GERON, Ex venis thoracis, cùm pars aliqua ipsius inflammata est cum febri. tunc enim pleuritis infestat. Cùm autem sine febri illa calet, serosus sanguis, non crassus, nec congelatus excreatur. MATHETES, Vnde per vomitum exit? GERON, Ex ventriculo: is interdum refrigeratus in illo, & congelatus redditur: interdum è naribus profluens ad gulam descendit, cùm illæ obstructæ sint, non venarum ora. MATHETES, Quid si fluxus sanguinis è naribus, ipsius per vomitum excretionem non præcesserit, sed aquæ frigidæ post saltationem excalfactionemq; corporis, potu? GERON, Is à congelatione per hanc facta, incrassatus editur. atq; ideo rustici hoc malum, piperatis curant. MATHETES, Vnde tenuis & serosus humor vomitu rejcitur? GERON, Ab exteris ventriculi venis, quæ

Sanguinis excretio.

Profluuium per crisim in morbo acuto.

Sanguinis effluxio in puellis per menses.

quæ grandiores iecoris portę dictæ rami sunt, resudat, ob quod etiam ater & tenuis existit. MATHETES, Vnde venæ istæ oriuntur? GERON, A ramo, qui ad lienem descendit, maximè si parte superiore sanguis profluat. si verò per anum, disquirendum, num à capite, mesenterio, tunicis intestinorum vlceratis, vt in dysenteria, an ex oris venarum in ano extantium. sin autem ex his manet, videndum ab externisne, an internis fluat. nam si ab externis profluat, tactu, visuq; cognoscitur, si tumidæ existant: sin ab internis, pondere, & deijciendi difficultate deprehenditur: item quòd sanguis, aut alia recrementa prodeant. sin absq; aliorū permistione excernatur, sanguis serosus, tenuis, & splendidus ob seri permistionem apparet. Quòd si vlcus intestinum rectum affligat, tenesmus adest, & sanguis recrementis liquidis aliquo modo permisceri solet, sed non multùm, vt in superiorum vlcere accidit. Minùs ęgri dolent in recti intestini vlcere, cùm aluum deijciunt, quàm in superioribus affectis: eò quòd excrementa hîc citiùs, ob illius rectitudinem transeant. At si à colo sanguis excernatur, magis recrementis mixtus est, doloresq; maiores, & ægri non statim deijciunt. Quando autem à tenuibus intestinis sanguis effluit, vehementes sunt dolores, & maior eius cum excrementis permixtio cernitur, ægriq; longè post dolores excernunt. Copiosus, colore aquæ, in qua recens caro lota sit, assimilis, ex venis meseraicis per aluum excretus, iecoris imbecillitatem indicat: sicut crassus, & picis, vel bituminis modo niger, sine dolore per anum descendens, pręsertim in otiosis & voracibus, partem quandam à iocinore abscissam affici notat. At vulnere facto, per anum excretus, intestina vulnerata signat, idq; si stercora etiam exeant. per vomitum autem reiectus, ventriculum offensum testatur, pręsertim si chylus siue cibi cremor simul erumpat. Porrò sanguis cum saltu exiliens, arterias adapertas esse ex vulnere notat, vti citra saltum erumpens, venas: illarum autem tenuis, harum crassior existit. Naturalia læsa, sanguis cum vrina, vel sine illa per colem effluens signat, si anteà instrumentum aliquod ipsi inditum fuerit, aut medicamentum acre. sin autem cum vrina prodeat, statimq; subsideat, vesicam. si verò diutiùs in matula hæreat, antequam resideat, renes affici, & ex illis descendere dicitur. ex his etiam minùs serosus, ex vesica magis profluere cernitur: hunc autem medicamentum acre, & vlcus: illum dolor, vel calor præcessit. MATHETES, Quid sanguis ex vasis seminarijs elapsus notat? GERON, Immoderatum coitum præcessisse. MATHETES, Quid per muliebria fluens indicat? GERON, Vel supradictos locos, vel ipsum vterum, vel eius ceruicem affici. sin autem paulatim sine sensu excernatur,

minoreq; copia, ipsum vterum offendi notat, nisi fœminæ peperint. si maiore abundantia, ceruicem lędi: idq; sine aliquo partu, & post difficilem solet accidere. Magna sanguinis in grauida muliere per vterum profusio, abortum iam fecisse, vel paulò pòst experturam esse, vel imbecillem fœtum indicat. Exigua verò, serosum potiùs, & sanguineum humorem fluxisse arguit: & si eo tempore contingat, quo fœminę consueuerunt purgari, minùs periculosa est, præsertim quando sanguineę sunt, & id ex consuetudine habent: nam in biliosis, acrimonia bilis vim expultricem suscitat. Tales, vbi sanguis in eis retinetur, citiùs abortiunt. Quò autem fœtus grandior extiterit, tantò maior sanguinis copia ex vtero excernitur. Quinetiam copiosus sanguis, ore magnæ alicuius venę patefacto, vel rupta aliqua insigni, vel exesa: isq; tenuis & serosus per resudationem emanat. per intestina erumpens, vulnere iuxta abdomen facto, illa esse læsa testatur: vt si vomitu reijciatur, ventriculum: si per sputum, vulnus ad thoracis canalem peruenisse, non autem pulmones necessariò offensas esse notat, nisi tenuis ipse & spumosus appareat. MATHETES, Si per aures & oculos etiam effluat, quid portendit? GERON, Venam aliquam cerebri, aut eius membranam, idq; post ictum, vel casum, ruptam esse: quemadmodum etiam si per os, vel nares reijciatur. Hoc obseruatione dignum est, aliquando sanguinis serum, vel sanguinem serosum, ob ipsius tenuitatem, nimiamq; venarum & cutis raritatem per ipsius meatus emanare, ex vena autem & arteria per vulnera. MATHETES, Quos affectus pus ex parte aliqua prodiens, indicat? GERON, Abscessus apertionem, præsertim si tumor dolorq; antecesserit. sin autem excrementis permistum magis cernatur, locus in quo continetur, remotior esse cognoscitur, vt renes, vel iecur. Differt autem pus alterum ab altero essentia & qualitate, pro partium singularum natura & alimentis. Nam partes carnosæ album & æquale, mediocriterq; crassum, qualem essentiam sanguis obtinet, progignunt: neruosæ viscosum, crassum, album, quale ex vesica reddi solet: articuli sanguinulentum reddunt: virorum naturalia tenue, liquidum: ex glandulis meatuum seminariorum, glutinosum, visci & albuminis oui agitati instar. Adhæc quod excernitur è renibus, vesica, & alijs partibus, in quibus excrementa continentur, fœdi odoris: quod à parte gangrenam, aut cancrũ experta, aut vsta, ob putrefactionem cadauerosum quiddam odoratu refert. Aquosum, partem frigidiorem notat, ex qua effluit: sicut flauescens & acre, rodensq;, partem intemperatam calore, vel bile in eam defluente, vel adustam. At album, lęue, ęquale, modicũ, partem quidem fortiorem, facultatem autem eius malè affe-

Sanguis in grauida profluens.

Abortus ex fluore sanguinis biliosi.

Pus effluens.

Apertio abscessus.

Puris odor.

Puris essentia & qualitas.

lè affectam: quemadmodum paucius, & tenuius, quàm vt expui posſit, intus retineri, vel callum in vlcere, aut ſinum fieri ſignificat. MATHETES, Quid vrina copioſior ſolita deſignat? GERON, Quòd æger peponibus ſe repleuerit, aut fœniculum marinum, aut lauer, aut medicamentum aliquod ex cantharidibus aſſumpſerit: aut ſi nihil ex his præceſſerit, morbum adeſſe notat, qui largiore eius profluuio ſolui conſueuit, vt aquæ inter cutem genus, quod ἀνασάρκα, dicitur, aut alium quendam acutum. Quòd ſi nullus ex his appareat, de vitio in renibus ſuſpicio erit, præſertim ſi dolor, vel grauitas circa illorum regionem percipiatur. ſin autem morbus in renibus ſubſiſtat, & perſeueret, diabetes præſens, aut futurus indicatur. MATHETES, Quid ſignat vrina tum ſani, tum ægri copioſior, quàm potus aſſumptus, præcipuè noctu reddita? GERON, Paruam alui deiectionem, ſicut larga poſt fluorem ventris, deriuationem ad renes oſtendit, curationiſq; ſpem adfert. copioſa autem cum cruore miſta, inſtrumentum aliquod, aut medicamentum acre veſicæ inditum. larga non ſemel, ſed pluribus vicibus reddita, ardorem, vel obſtructionem ceruicis veſicæ ex tubere, vel calculo factam indicat. copioſa turbulenta, humorum commotionem arguit. per vulnus, vel anum excreta, veſicam eroſam. Quòd ſi præter voluntatem egrediatur, muſculi illam ambientis reſolutionem, vel vlcerationem naturaliū ſignat. MATHETES, Súntne alij adhuc ſuperflui humores, quorum excretio morbos indicat? GERON, Pituitoſi, ſimileſq;, & ſanies, quæ græcis ἰχώρ vocatur, eorumq; excretionis modus, eſſentia, qualitas, & miſtio cum alijs ſuos ſinguli morbos produnt per nares, os, aluum, vterum, pudenda virilia: ijq; copioſiores quàm alij humores, quia maior illorū portio, quàm horum poſt ſanguinem in corpore noſtro exiſtit. Interrogandus igitur æger, vt in ſanguinis effluxione docui, num ſub dio verſatus ſit, friguſq; ſenſerit in capite. Quòd ſi largior æquo pituita, ſpumoſaq; & longis interuallis expuatur, cerebrum, ex quo per palati foramina educitur, minùs humidum, flatibúsque obnoxium ſignat. ſi tenuis, continuè, & largiter, per multos dies fluat, deſtillationem eſſe, quæ græcè κάθαῤῥος appellatur: præcipuè cùm vua laxata fuerit, vel interna oris pars vlcerata, vel ſi corpus concaleſcat. vbi laxatio vuæ reſtituta fuerit, frequens ſpuitio conquieſcit. ſi vlcus infeſtet, ſalſi humoris copioſi in cerebro redundantis inditium eſt: atq; tunc ex facili curatur. ſi non, luis venereæ argumentum eſt, præſertim poſt argenti viui vſum. Quòd ſi eadem pituita ſine vlcere fluat, ita vt caput ſimul, ſcapulæq; & pectus doleant, morbi venerei ſuſpicio eſt, ſic vt etiam neq; vlcus, neq; dolores, neq; fluxus ventris infe-

Vrinæ excretio.
Anaſarca.
Diabetes.
Pituitæ excretio
Catharrhus.

ſtent, ſed corpus emacietur. in iјs autem, qui illum experti ſunt, recidiua timenda eſt. Cæterùm ſi pituita cum leui tuſsicula educatur, aſpera arteria affecta eſt. ſi verò ſpumoſa, craſſa, glutinoſáue excernatur, è pulmonibus ægrè ſpirantibus exit. ſi cum ſono edatur, anhelationem parit. craſſa & putris notat, morbũ diuturnum, ſi ad fundum in aqua deſcendat: ſi innatet, pus eſt. Sincera, aquoſa, & albuminis ouorum ſimilis vomitu reiecta, cruditatem, & ſtillationem ex cerebro ſignat. quòd ſi deſtillauerit, & alui deiectiones ſpumoſæ appareant, è cerebro fluxiſſe Hippocrati creditur. Acida in ventriculo ſubſiſtens, magnam famem: ſicut dulcis paruam cibi appetentiam oſtendit. Amara, bilem ei admiſtam eſſe, ſicut ſalſa, ſeroſos humores, & putredinem teſtatur. ſi diu reiјciatur, è cerebro defluxit: pauca verò, & ſpumoſa, ſolaq́ſine multis excrementis per aluum deſcendens, à recto inteſtino redditur. fit autem ea ſpumoſa per agitationem, vt in teneſmo. E contrario multa vitrea aliјs excrementis mixta, ab inteſtinis expurgatur, nunc cùm ægri medicamentum acre aſſumpſerint, nunc cùm fluxus vitioſus præceſſerit. illud enim talem ab inteſtinis abradit, præſertim ſi ventris tormina ſentiat: vt etiam exulceratio illorum inde futura, prænunciari queat. At ſi cum vrina reddatur, vel copioſa, glutinoſaq́, calculum veſicæ notat, præſertim ſi vrina ſuppreſſa ſit, & æger pondus ac grauitatem ſupinus magis, quàm rectus ſentiat: item ſi naturalia ſcalpat, & interna coſtarum pars ſtupeat. Pauca, cui inſunt filamenta, dolorem, vel calculum renum ſignificat: maximè ſi æger arenas aliquando anteà reddiderit, & aliâs hæ retentæ fuerint. Quæ ſaliuæ & albumini oui agitati ſimilis, per naturales partes ſine vrina, vel cum ea excernitur, ſic vt naturalia quidem erigantur, ſed citra coitus deſiderium, continuam glandularum iuxta meatus ſeminarios inflammationem, vel ſeminis abundantiam ſeu morbos denunciat. MATHETES, Quæ vitia bilis vberior efficit?

GERON, Per vomitum, & tuſsim in lateris dolore & febri reddita, pleuritidem, ex ipſa contractam. nam in hac ſputum flauum eſſe, aut ſubflauum, aut ſpumoſum, & paucum ſolet. Sin autem vomitu, flauum, & amarum reiјcitur, flaua bilis è veſicula fellis in ventriculum, propter inteſtinorum aſtrictionem, vel inſignem illius poſt vomitum pituitæ & cibi attractionem, defluit. At ſi rigor præceſſerit, aut ſecutus ſit, ſiue cum febri, ſiue citra illam, & ipſa bilis copioſa per ventrem & ſtomachum continuè fluat, choleræ morbi ſuſpitio eſt, præſertim vbi victus morbo huic generando idoneus anteceſſerit, qualis ex peponibus copioſis, oleribus calidis, amygdalis, tempore calido, & ab eo qui habet ven-

Recidiua morbi Gallici.

Pituitæ excretio quid notet.

Bilis quæ vitia excitet.

Cholera morbus.

ventriculum calidum, aſſumitur. Viridis, ac æruginoſa bilis ex magna aſſatione, vel ſuillę carnis eſu contrahitur. Purpurei coloris, ſeu glaſtea bilis, per aluum citra medicamenti vſum excreta, ventris profluuij, quæ græcis διαῤῥοία, dicitur, vel difficultatis inteſtinorum, quæ δυσεντερία, vocatur, principium indicat, præcipuè ſi cum torminibus, & pituitoſis excrementis, aut ramentis, aut ſanguine exeat. ſin autem cum ſero, aut liquidis alijs excrementis, quæ ramenta ſunt aquoſa ſine roſione, ſicut in quibus oui luteum ſit diſſolutum, lienteria cenſeri debet. MATHET. Vnde ſincera bilis profluit? GERON, Ab exterioribus partibus, ac nota eſt: quippe multa per veſicam, multa cum vrina expurgatur: per vterum etiam cum alijs excrementis. ſic quoq; per nares & pulmones euacuatur. per aures pauciora. at quæ ex capite prodit, non ſincera, ſed quæ pituitam quandam craſsiorem, admixtam habeat. Quæ per vomitum reijcitur, lutei oui colorem & eſſentiam refert, vulgo vitellina dicitur. ac in febri, morbi longitudinem nunciat. MATHETES, Quorum vitiorum humor melancholicus index eſt? GERON, Si per vterum excernitur, eius frigidam intemperiem notat, cùm nihil aliud ſit, quàm ſanguis perfrigidus, ſiue congelatus. liquidum autem ac nigrum, excrementum quoddam fœdi odoris, modicum & prauum, cancrum in vtero exulceratum, oſtendit. Si verò pars offenſa indurata ſit, & dolor anum pungat, certum eſt cancri vterum obſidentis, teſtimonium. MATHETES. Quid ſputum nigrum reiectum portendit? GERON, Laterum inflammationem ex humore melancholico contractam, ſi aliâs adſit. nigrum & tenue per vomitum excretum, humorem melancholicum, è ramis venæ portarum, in ventriculum delatum, ſignat. per aluum deſcendens aliquid bituminis Iudaici inſtar, nigrum, difficultatem inteſtinorum indicat, quæ impropriè dyſenteria appellatur: illis conſueta, qui in otio degunt, vel mutilati ſunt, vel alimentis valentis materiæ vtuntur. MATHETES, Quæ præterea corporis affectus oſtendunt?

Glaſtea bilis excretio.

Lienteria.

Sincera bilis per veſicam cum vrina.

Humoris melancholici excretio.

Vteri cancer.

Pleuritis ex humore melancholico.

Concreta.

GERON, Concreta quædam materia, vel ramenta, quorum etiam ſuperiùs mentio facta eſt. Sunt autem ea, grando, vel granum ordei inſtar, per tuſsim reiectum: item calculus aliquis, aut grando ex pituita in pulmone nata: pellicula grandior, aſperę arteriæ ramentum: item ſquamulæ, quæ partes ſunt arteriæ: nec non inteſtinorum ramenta, pingue aliquod, calculus, vel pituita indurata. Quę verò per aluum redduntur, ea priùs dolor aliquis præcedit: quæ vomitu reijciuntur, vlcus in ventriculo indicant, vt plerunq; per venenum aſſumptum contingit. Per naturales autem partes, ramenta carnoſa prodeuntia, non veſicę, ſed renum

Ramenta.

propria ſunt: ſicut furfuracea, veſicæ: arenæ rubræ, renum: cineritia, veſicæ. calculus ex arenulis multis & rubris concretus, è renibus deſcendit, ſic vt dolor præcedat. durus ex multis integumentis, è veſica redditur. Si cruſta è naribus prodit, & nonnihil ſanguinis, vlcus ſubeſſe ſolet: ſi verò pellicula, plus ſanguinis effluit. Putredinem teſtantur vbicunque ſubſtiterint, vermes in ventriculo contenti, qui per os & nares exeunt: in inteſtinis, qui per anum, ſicut lumbrici caſei vermibus ſimiles, pruritum excitantes: ſic tineæ duorum cubitorum per aluum, vel os excernuntur. eſt autem vermis albus, ex multis particulis, veluti ſeminibus cucurbitæ compoſitus, in lateribus ſerratus, capite paruo, longo, cauda breui, latus & longus: alij vt ſemen cucurbitæ: alij duorum cubitorum inſtar longi abſque oculis. alij vermes omnes rotundi ſunt, hic latus & tenuis eſt. Pediculi putridæ materiæ, ex ficuum, carnis viperinæ, & ſimilium eſu procreatæ, notæ ſunt, præſertim in corpore calida & humida intemperie prædito, ſi veſtes non ſæpe mutentur: ſi manus crebrò ſcalpantur: ſi adſint papulæ aquæ plenæ.

Sudor quid notet.

MATHETES, Quid ſudor denunciat? GERON, Salutaria, ſi per totum corpus æqualis eſt: ſi ex parte tantum aliqua, vt fronte in morbo acuto erumpit, aliáque ſigna mala adſint, mortem ſignificat. ſic in omni febri & dolore frigidus, maximè qui durat. Qui in fine acceſsionis ſuperuenit, & morbum non finit, prauorum humorum abundantiam teſtatur.

Sudor Anglicus.

Interdum per morbi initia inuadens, peſtilentiæ nota eſt, vt quæ ante annos aliquot in magna Germaniæ inferioris, & ſuperioris parte graſſata, Anglicus ſudor dictus fuit, qui tanquam febris peracuta, multos nimia ſpirituum digeſtione in ſubitum exitium præcipitauit. Cæterùm ſudores etiam humorum naturam repræſentant. nam in morbo regio, & bilioſis, amarus percipitur: in pituita ſalſa, ſalſus: in pituitoſa febri, inſipidus: in ſanguine inflammato, dulcis. Sic odor antequam ſit refrigeratus, aut aërem expertus. nam ſi grauiter oleat, magnam prauitatem humorum, vt in elephantiacis, oſtendit. ſi verò refrigeratus hircum referat, nihil mali repræſentat, cùm is odor ſanis etiam familiaris exiſtat. MATHETES, Si excretiones rerum quas hactenus enumeraſti, morbos indicare poſſunt, nónne etiam retentiones contra naturam id præſtare ſolent?

Excrementorum retentio.
Pituita retenta.

GERON, Maximè. nam pituita ſi per nares aut palatum minus quàm ſolebat, naturaliter expuatur, deſtillationes, morbum comitialem, attonitum, & conuulſiones adferre conſueuit. Si ergo morbi iſti iam præſentes ſint, cauſam eorum in promptu habes: ſi nondum inuaſerint, prædicere eos poteris. Item ſi quæ vomitu anteà rejciebatur, nunc retenta, colicos vel nephriticos,

vel

vel articulares, ſicut etiam quæ per aluum deijci ſolebat, eoſdem morbos parit. MATHETES, Quid retenta bilis, quam ſani per aluum quotidie naturaliter reijciunt, excitare ſolet? GERON, Ventris aſtrictionem, meatuúmque fellis obſtructionem, ob quam excrementa alui cineritia, vel alba, quod bile tincta non ſint, apparent. MATHETES, Quid bilis retenta, quæ tempore veris, vel aliâs per vomitum reddi ſolet, producit? GERON, Oris amarorem, tandémque faſtidium cibi, vel choleram morbum, vel bilioſam febrim æſtate futuram: vel ſi in æſtate retineri cepit, difficultatem inteſtinorum, aut alui profluuium, autumno fore prenuntiat. MATHET. Sanguis menſtruus retentus quid ſignat? GERON, Aquam ſubter cutem futuram, vel ſanguinis ex naribus profluuium, vel ſputum. ſin autem ſubitò ille ſupprimatur, & nauſea cibi premat, conceptus argumentum eſt. quòd ſi non conceperit, vitioſos humores, & malum vteri habitum notat. At ſi fluxerit quidem, ſed minùs coloratus, & ſine ordine, morboſam potiùs, quàm grauidam mulierem indicat. Prætereà ſi fœminæ ſanę menſtrua non habeant, ſanguinem in alimentum potiùs ſumunt, quàm vterum gerant, præſertim ſi aliæ partes præterquam venter, & mammæ creſcant. MATHETES, Quid præſagiunt ora venarum in ano extantium, αἱμοῤῥοΐδες Græci vocant, ſuppreſſa? GERON, Prauitatem humorum, & aquam ſubter cutem, inſaniam, aut tabem. Adhæc aluus aſtricta, indurataq́ adeò, vt ægrè educi queat, vel colicum dolorem excitat, vel capitis dolorem, vel vertiginem. At arenæ excerni ſolitæ, ſi retineantur, calculi generationem promouent, idque potiſsimùm, ſi circa renes grauitas ſentiatur. MATHE. Sputum retentum in thoracis affectibus, quid ſignificat? GERON, Spiritus difficultatem, mortemq́ ipſam inſtare tabidis, pleuriticis, inflammatione pulmonis, aut magna defluxione laborantibus. MATHE. Quid ſudor, vel perſpiratio inſenſibilis impedita præſagit? GERON, Cutis affectus, pruritum, ſcabiem, lepram, febrem. Vrina autem multis diebus ſuppreſſa, aquam ſubter cutem, vel craſſos ſuccos, vel ſanguinis grumos, vel calculum, vel partium vicinarum, & veſicæ inflammationem, vel nimiam ob copiam illius, tenſionem. In acutis autem morbis retenta, aut mentis alienationem notat, aut quòd ſudor copioſus, aut ventris profluuium prægreſſum, vel ſubſecutum ſit. Quare cùm accedes ægrum, vidéſque morbum aliquem ex materiæ cuiuſdam copia natum, quæres num quid euacuari ſolitum retineatur: veluti ſi quis febri continua ex ſanguine laboret, & detractionem illius, quam in vere moliri ſolitus erat, aut purgationem nunc intermiſerit, morbum ex redundante humore futurum præſagire licet.

Bilis retentio.

Menſtrua retenta quid vitij indicent.

Hæmorrhoides ſuppreſſæ.

Aluus aſtricta.

Arenæ.

Sputum retentum.

Sudor ſuppreſſus

Vrina retenta.

MATHETES, Qui morbi totius corporis, vel partium eius, ex intemperie fieri, deprehenduntur?

Morbi ex intemperie.

GERON, Febres, tum ex calidis, tum ex frigidis humoribus putredinem expertis, procreatæ: de quibus posteà seorsum agetur. Quanuis autem nonnullis ipsarum frigus, aut horror, aut rigor in accessionibus obueniat: non tamen hæ, materiæ ex qua constant, sed naturæ aliena expellentis ratione, oriuntur. MATHETES, Quid calor in parte quadam eximius indicat? GERON, Dolorem in ea vel iam esse, vel futurum. si cum materię defluxu vrget, inflammationem, vel erysipelas signat. MATHETES, Quid ardor, vel calor circa ventriculum denuntiat? GERON, Si os amarum est, & vomitus infestet, bilem in eo contineri dices: si nunquam vomitus, neq; nausea molestet, calidam intemperiem subesse, quę ex siti, ructu nidorolento, ac inde quòd ægri parum appetant, ex aquæ verò frigidæ potione, vel pomorum, vel frigidorum olerum esu multum adiuuamenti sentiant, facilè deprehenditur. at complures de iecoris, quàm ventriculi calore, conqueruntur, quòd hunc semper frigidiorem tum natura, tum ex humoribus cerebri, in ipsum destillantibus, falsò existiment. nam manuum fissura, quam iecori calido ascribunt, ob ventriculi vitium, aliquando sine insigni iecoris intemperie, prouenit. MATHETES, Quæ alia pars iecur calidius testatur? GERON, Manus, volę, plantæ pedum, calidiores ab eo effectę: idque trifariàm. *primùm*, quia calor in ipsis magis euidens est: deinde, quia temperatus in calidiore parte difficiliùs cognoscitur: tertiò, quia calorem illius partis naturalem esse putamus. at in frigidiore sede, calor non tam citò percipitur: vel quia elanguescit in hac, vel quia ea ipsa tardiùs afficitur: adhæc, quia multæ venę in ista parte existunt, quę calorem attrahant. Nam cùm hic in extremis subsistat, neq; vlteriùs progredi possit, necessariò ibi colligitur: vel densitas membranę siue cuticulæ, calorem retinet. MATHETES, Huicne soli notæ credendum est, iecur esse calidius? GERON, Nequaquam: sed eius humores (multos enim biliosos serosósque gignit) colórque faciei, calor, & frigus considerari debent. Nam calidiore temperamento præditi, vel rubicundum, vel pallidum colorem, vrinas flauas, orisq; siccitatem habent: nec non calorem quendam in præcordijs sentiunt, sicut in hypochondriaco affectu, vtraque illorum parte. MATHETES, Quomodo renum calor deprehenditur? GERON, Faciliùs quàm iecoris, vel lienis, vel pulmonum, eóque grandior in circuitu ob pinguedinem incensus est: tum quòd copiosus sanguis ex magna vena affluat. non dico, quòd ægri plærunque in dorso cubent, longóque decubitu calorem concipiant.

Calor partis eximius.

Iecoris calidi aut frigidi notæ.

Renum calidiorum nota.

MATHE.

MATHETES, Quid vrina signat, cui pingue insidet? GERON, Si renes calfacti sint, & febris vrgeat cum corporis gracilitate, id consumptum colliquatumq; iri pręsagit. MATHETES, Quid ventriculi frigus notat? GERON, Cruditatem, cuius est mala illius concoctio, grauitas, multi post somnum flatus, sputum frequens, acidi ructus, appetentia auctior quàm conuenit, nulla aut modica sitis. MATHETES, Quid vteri frigus portendit? GERON, Si menses non fluant, aut albi sint, mucosiq;, flatus copiosos, paruam veneris concupiscentiam. In quibus verò ista contingunt, hæ sunt infæcundæ. quanquam etiam calidiores & sicciores fœminæ, non magis quàm illæ concipiant, sicut etiam quæ densiores vteros habent. MATHETES, Quid extremarum partium frigus monstrat? GERON, Si non diu perduret, febris quotidianæ initium. si verò perseueret, & ventris, aliarumq; partium dolorem vehementissimum præcessisse. In eo autem, qui colicum, vel alium dolorem passus est, mortem futuram prænuntiat, maximè in pueris: modò illud non ab exteriore causa originem duxerit. In acuta febri, caloris natiui penuriam, mors subsequitur. Quòd si citra febrim aut dolorem accidat, membri cuiusdam imbecillitatem designat, quę emaciationem, ἀτροφίαν, gręci vocant, vel resolutionem, si absque dolore est: si cum illo, græcum οἴδημα, futurum prænuntiat. MATHETES, Quos affectus sicca intemperies ostendit? GERON, Nares acutę, tempora collapsa, oculi concaui, cutis circa frontem dura, intenta & arida, corpus emaciatum, venterque quasi lumbis alligatus, pectus ex carne, aliáque id genus siccæ partes, febrim hecticam, aut tabem, quę ἀτροφία, dicitur, aut diuturnam alui resolutionem præcessisse: præsertim si huiusmodi symptomata diutiùs durarint. At lingua arida, siccáque, & dura, vt æger loqui nequeat, ac nigra, nec non satis intolerabilis, febrem ardentem testantur. Cutis totius corporis macra & arida, sic tamen, vt caro non nimiùm sit consumpta, morbum ex serosis humoribus conflatum, vt furfures, vel pruritum significat. Si membrum aliquod arescat, aut potiùs alimentum non sentiat, id exiccari, vel resolui, vel insigniter refrigerari indicat. Motus autem difficultas, situsq; partis mutatio, resolutio, stupor, attonitus morbus, seu apoplexia, defluxionis frigidæ indicia existunt. Insignis membri perfrictio, rarò sine sideratione, ob calorem extinctum durare potest. sic etiam nulla pars humidior, citra tumorem aliquem fieri solet. Si quæ mollior iusto euaserit, eam humidiorem quoque esse oportet. Interdum mollities citra resolutionem, superuenire solet, ligamentis genuum adeò mollitis, vt rectè stare nequeant: id quod & pinguibus mulieribus, & illis euenire consueuit, in quibus

Vrina cui pingue insidet.

Ventriculi frigus.

Vteri frigus.

Partium extremarum frigus.

Morbi ex sicca intemperie.

Febris ardentis nota.

Defluxio frigida.

Humida affectio

membra non rubeſcunt, ſed potiùs craſſeſcunt, corpore benè valente: quanquam frigus aliquando in tota tibia ſentiant. MATHETES, Quæ vitia ſecundæ qualitates indicant?

Qualitates ſecundæ quos indicent affectus.

Color.

GERON, Auriginoſus, ſeu luteus color, qui ex bile copioſa gignitur, in toto corpore, morbum regium, vt bilis nigricans, quę totum ſanguinem inficit, arquatum nigrum, ſi lienis grauitas & tumor adſit. MATHETES, Apparétne illa in alio etiam morbo? GERON, Maximè, in acuto, aut poſt illam, vel etiam ſine febri. MATHETES, Quid in his notat? GERON, Si ſeptimo die in febri apparet, morbum criſi ſolutum eſſe: ſi abſque febri, obſtructiones iecoris, aut lienis ſignificat. MATHETES, Quid pallidus in puellis color monſtrat? GERON, Cordis palpitationem, arteriarúmque in ceruice pulſum, aut reſpirationem difficilem, aut dolorem capitis, coxarúmque, & grauitatem. MATHETES, Quinam affectus, & qua de cauſa fœtere ſolent? GERON, Cancer, gangręna, ſcabies, carbunculi, ob humorum, excrementorúmque, vel partium exulceratarum putredinem. At excrementa, quæ in fluxu ventris lienteriaco, & alio, quo bilis per inteſtina citra moram deſcendit, non fœdum odorem repræſentant. MATHETES, Qui alij morbi ex odore ingrato cognoſcuntur? GERON, Ozæna, cùm ſanguinolenta, vel cruſtulæ ſanguineæ, idq́ue cum anhelitus difficultate, ex naribus redduntur: nec non polybus, qui tumor magnus eſt, rotundúſque, ex quo nulla ſanies redditur, ſed excrementa in eo retinentur, & tandem putreſcunt. Si verò nihil horum accidat, & excrementa in vtraque parte putrida exiſtant, ex cerebro deſcendunt, vel in oſsibus ſpongioſis putrida retinentur, eóque inſpiratio difficilis auditur. Fœtor autem ab ore, naribus, alis, pedibus, vlcere, ſiue ſanguinolento, ſiue ſanguinis experte, prouenit. MATHETES, Cur ex ore? GERON, Id fit, aut ob dentes putridos, aut ob vlcus pulmonum, aut humidas ventriculi materias corruptas. quare loco inueſtigato, rogandum, vlcúſne in ore ſit, an dentes putredinem experti ſint. Si ex ventriculo fœtor exhalat, manè, non à cibo percipitur: ſi ex pulmone, quauis hora, adéſtque anhelitus difficultas, vel purulenta reijciuntur: ſi vlcus in ore eſt, pituitæ fertur acceptus. Cui anhelitus malè olet, is ſuſpirio, quod Græci ἆσθμα, vocant, laborat. Elephantiacorum corpus vniuerſum fœdi odoris eſt, præſertim cùm ſudore refrigeratur. adhæc qui humidos habent pedes, grauiter olent, quod facilè deprehenditur.

Fœtor.

Odor quos morbos indicet.

Ructus nidorolenti.

MATHETES, Quid ructus nidorolenti, aut acidi ſignant? GERON, Illi calorem, hi frigus ventriculi indicant. MATHETES, Quomodo ſapor morbi, cauſæq́ue ipſius cognitionem præbet? GERON? Si manè priuſquam alimentis immutetur, interroges, qualis in ore

Sapor.

acri-

sentiatur. nam amarus bilem: sanguis, vel pituita salsa, humoris acrimoniam. idcirco exulcerationem pręsentem, aut futuram notat. MATHE. Quid adiumenti ad morbi notitiam adfert color? GERON, Magis ipse affectus, eorúmque causas, quàm quoduis aliud monstrat. quamobrem cutis color considerandus est, nisi humores ad intima descenderint. Color excrementorum humoris naturam, partis autem affectę morbum ostendit. Itaq; de vrinę colore, de excrementis, & sanguine reiecto, cùm æger, tum astantes rogari debent. MATHE. Quorum morborum indicia adhuc restant?

Color.

GERON, Continuitatis diuortij. in hoc æger interrogandus est, num illud recens, an vetus: item, num ab exteriore, vel interiore causa factum sit: adhæc vtrum loci offensi ratione sit periculosum, an extra periculum. MATHETES, Quarum partium solutio periculum minatur? GERON, Principum membrorum interiorum, quòd spiritus eorum dissipentur, vel quòd sanguis profundatur, vel calor ab aëre ambiente extinguatur. non autem necessariò mortifera exteriorum partium, vel inuolucrorum ipsarum diuisio habetur, quanquam vt plurimùm sit periculosa. verbi gratia: si pars cerebri, vtraq; ipsius membrana, pericardium, & tunica iecur integens, violatæ sint: item si illæ, quæ nobilibus inseruiunt, vel excrementis recipiendis, vel essentiæ præparandæ, quam generare debent, dicatę: vt fellis receptaculum, vesica, ventriculus, intestina, vena caua, arteria magna, pulmones, septum transuersum, venæ carotides, iugulares, diuisæ sint, vel nerui, puncti, aut semisecti. MATHETES, Quarum partium solutio minùs periculosa existit? GERON, Exteriorum & carnosarum. at neruosarum omnium periculosa, vt quæ circa articulos, membranásque ob dolores vehementiores fiat. Inter ea quoq; difficilem curationem recipiunt, quæ circa emissaria habentur, vel dolorifica sunt. MATHETES, Quid si vlcera vetera sint? GERON, Quęrendum, num ab externis causis, an interioribus quibusdam, aut abscessu prouenerint. nam vlcus difficiliùs curatur, quàm vulnus recens. MATHETES, Quid si vlcus post tumorem ortum sit? GERON, Inquirendum qualis hic fuerit. nam si inflammatio suppurata, minùs periculosa est: sin ab erysipelate, magis timenda est propter acrimoniam: si post laxum tumorem, qui Græcis οἴδημα, vocatur, excitata sit, magnus est sinus, & copiosa materia: si à scirrho subortum fuerit, metus ne carcinoma fiat: sin ab abscessu, aut tuberculo, fistula expectanda est: quare cauitas ęstimanda est, ex puris copia, qualitate, & specillo indito: si sinus intus latitat, multò difficiliùs curatur. MATHETES, Quid si in ventre inferiore solutio siue diuortium continuitatis accidat? GERON, Interrogari debet,

Continuitatis diuortij notæ.

Vlcus.

Solutio in ventre inferiore.

num ſaltus, caſus ex alto, aut percuſsio præceſſerit, an vlcus ſenſim factum, ibiq́ foramina illa ſint, per quæ vaſa ſeminaria deſcendunt, tunc magnus admodum tumor, ob relaxationem apparet. In quibus autem maximus, altóque loco ventris, idq́ poſt ſaltum, aut rupturam acciderit, iȷ manè dolorem acrem ſentiunt. *In puerpera.* Si mulieri, quæ binos fœtus, vel vnum grandiorem pepererit, diuiſio continuitatis obuenerit, indubiè membranæ ruptura erit. MATHETES, Quando in venis & arterijs fit ſolutio? GERON, Cùm iſtę rumpuntur, vnde mox ſanguis vel profluit, vel intus manet. *Solutio venarum & arteriarum.* ſin poſt caſum vehementem, magna ſanguinis profuſio ſequitur, & ille facilè putreſcit. nam qui tenuis, rarefactam cutis tunicam egredi ſolet, ſeroſus eſt, & modicus exiſtit: ſi ora vaſorum adaperta ſint, ſanguis nõ vniuerſè, ſed paulatim erumpit. Arteria rupta, ſanguis cum quodam ſaltu exilit. ſi verò ea ſub muſculis & cute rumpatur, hæc quidem ad cicatricem perducitur, ipſa verò adhuc manet vlcerata, ἀνεύρυσμα, græci vocant, ac magnus eſt tumor, in quo color cutis non mutatur, nec calor magnus, vt inflammatione vrget: verùm pulſatio maximè per initia, etiam ſine amplo tumore ſentitur, quod in inflammatione fieri non ſolet. MATHETES, Quomodo arteriæ diuortium deprehendam? *Arteriæ ſolutio.* GERON, Quòd ſi in poplite pulſus ſub cute percipiatur, tumorq́ appareat, qui prementi renitatur, ac ſi flatibus turgeſcat, ab alijs tumoribus frigidis, vt ſteatomate differt: quia in his nulla ſtatim à primo die pulſatio percipitur, niſi fortè in parte, cui inſit arteria, quam tumor comprimit. *Oſsis fractura.* MATHE. Qua ratione oſsis fractura cognoſcitur? GERON, Facilè, quando per tranſuerſum facta eſt: difficiliùs, quando veluti minutę partes ab eo ſecundum longitudinem diſsiliunt, ipſa autem tibia ſecundum tranſuerſum integra manet. ob quod digito, vel ſcalpello, vel ſpecillo tentandum eſt, num ſciſſura ad longitudinem deprehendatur. atque hæ ſunt ſpecies affectuum ferè omnes, præterquàm illa, quæ ad malam compoſitionem refertur. MATHETES, Qualiſnam hæc eſt?

Compoſitio deprauata. GERON, Si quid annatum ſit, vt polypus, & ozæna, vnguis, encanthides, calculus. MATHETES, Quid ſi non pateant oculis? GERON, Notæ petendæ ſunt ex affectu, aut parte offenſa. ſi calculi metus eſt, primùm diſpice, quo loco dolor vrgeat: deinde, an quandoque vrinas ſabuloſas, vel craſſas æger reddiderit: item, num calorem vel pondus in renibus deprehenderit: nec non ſi vrinæ rubræ ſint, vel turbidæ & arenoſæ præceſſerint: poſtea tenuis & perſpicuæ, calórque adſit & grauitas citra lumbos. nam ſi hæc omnia conſentiant, calculum teſtantur, quem inordinata victus præcedentis ratio, inequitatio poſt cibum, atque

hic ex crassiore materia sumptus confirmat. Quinetiam in vesicam descendere solet cum dolore, donec retinendo excruciet, & reddatur. quòd si interdiu excretus fuerit, nulla de eo est dubitatio. At si calculus grandis in renibus fixus sit, continui diuortium parit, redditque pus cum sanguine. Interdum pondus ac grauitas renum, calculum magnum in illis ostendit. Vesicæ calculus paruus, meatum sępe intrat, & vrinam impedit. magnus, se illi opponit, & vrinam retinet, vel læuis, vel asper. lęuis sine vlcere est, sed quod subsidet, albori ouorum non agitatorum simile apparet. asper sanguinem cum pure reddit. si corpus moueatur, inæqualiter sanguis ille excernitur, & grauitas circa os sacrum, vel pubis sentitur, aliaq; excrementa simul, cum conatu quodam deijci velle videntur. MATHE. Quę vesicę calculum signant? GERON, Pruritus circa pubem, frequens colis erectio, vel internæ coxarum partis dolor. atq; hæc vel omnia, vel quędam ex eis, vesicę calculum comitari solent, eóque de his æger interrogari debet. MATHETES, Quæ alia species deprauatæ compositionis restat? GERON, Situs vitiosus, qui ex naturali facilè deprehenditur, veluti si os loco suo in alienum translatum sit: quòd tum figura, tum motus impedimenta indicant. Cùm itaque membrum citra tumorem, neruorum contractionem, vel ligamentorum duritiem nec flecti, nec extendi extremè potest, luxatum esse dicitur. At actiones violatæ magis partem læsam, quàm affectam ostendunt, siue illæ corrumpantur, siue imminuantur, siue prorsus tollantur. Sicut enim diuersi morbi oculorum actiones imminuere, corrumpere, aut tollere solent: ita lęuitas intestinorum, ventriculi functionem subuertere: huius cruditas, quæ ructus nidorosos parit, illam vitiare dicitur. Præter hæc consideranda sunt, num actio vitiata, parti principali, an alteri, sine qua illa fieri nequit, vel cuius auxilio melius obitur, aut quæ illam tuetur, attribuenda sit: veluti in oculis, vtrum crystallinus humor, cui visio ascribitur, lęsus sit, vt in glaucomate, an nerui visorij, qui vulgò ex græcis optici vocantur, offensi, sine quibus non potest actio perfici: vel membrana ceratoïs violata, vnde visio tenebricosa euadit, quæ deterior est, quàm perspicua, & pupillæ structura vitiosa: vel num membrana annata dicta, solùm, & palpebrę afficiantur, quę oculis tuendis, vindicandisq; ab externis iniurijs sunt appositæ. Atque hęc communia morborum inchoantium, præsentiúmque indicia, siue notæ sunt. MATHETES, Licétne futuros quoque præsagire?

Vesicæ calculi notæ.

Compositionis alterum vitium.

Luxatum.

Oculorum actio imminuta.

GERON, Indubiè. nam sicut in cœlo nunquam tempestas ingruit, quam non signa quędam pręcedant, quibus nautę, cęteriq; probè periti homines certiores fiant: ita humanum corpus, nullus

Futuræ malæ valetudinis signa.

inuadit morbus, quem non signum aliquod denuntiarit. Antequam autem hæc enumerem, scire te volo, ex morbis alios breui, alios multò pòst futuros esse: atque ex his, qui longiùs adhuc absunt, quosdam ob præsentes eorum causas cognosci, prædicique: quosdam, quòd nullas habeant occasiones, non posse. illos autem qui in propinquo sunt, ex causarum ipsis excitandis efficacium præsentia, aduenturos intelligi. Primi igitur ex cœli anníque temporum statu, & ijs quæ corpora nostra immutant, atque ex victu, prænoscuntur. Secundi ex humorum vel copia, vel prauitate, partium imbecillitate, intemperie, & dolore. MATHETES, Quinam ex aëre? GERON, Ex frigido & sicco, cùm Aquilo spirauerit, tussis, faucium exasperatio, ventris astrictio, vrinæ suppressio, horrores, lateris, & pectoris dolores, expectari debent. quanquam ille sanum corpus spisset, mobilius, atque expeditius reddat. MATHETES, Quinam ex calido, & humido? GERON, Si Auster flauerit, capitis dolores, sensuum tarditas, aurium hebetudo, alui solutio: in summa totum corpus hebes, humidum, languidúmque fieri solet. quò cæteri venti huic, vel illi propiores spirauerint, eò magis vicinos his illisué affectus pariunt. Denique omnis calor, iecur, & lienem inflammat, mentem hebetat, animæ defectionem, & sanguinis profluuium adfert. MATHETES, Quos frigidus aër nuntiat? GERON, Modò neruorum distentionem, modò rigorem: illud græcè σπασμὸς, hoc τέτανος, vocatur, nigritiem in vlceribus, horrorem in febribus. MATHETES, Qui prædicuntur ex cœli siccitatibus? GERON, Febres acutæ, lippitudines, tormina, vrinæ difficultates, articulorum dolores. MATHET. Qui rursus ex humido aëre, ac imbribus? GERON, Longæ febres, alui deiectiones, angina, cancri, morbi comitiales, resolutio neruorum, quæ græcis παράλυσις, nominatur. neque solùm interest, quales dies sint, sed etiam quales præcesserint. MATHET. Soléntne etiam morbi ex anni temporum statu prænosci? GERON, Vtique, si suam quæque naturam non retinent. hyems itaque sicca, si ventos habeat septentrionales, ver autem austros, & pluuias exhibet, ferè subeunt lippitudines, tormina, febres, maximeque in mollioribus corporibus, sicut in mulieribus. si austri pluuiæque hyemem occuparunt, ver autem frigidum & siccum est, grauidæ quidem fœminæ, quibus tum adest partus, abortu periclitantur. hæ verò quæ gignunt, imbecilles, vixque vitales edunt: cæteras lippitudo arida, & si seniores sint, grauedines, atque destillationes malè habent. MATHETES, Quid si à prima hyeme austri, ad vltimum ver continuarint? GERON, Laterum dolores, & phrenitis quàm celerrimè, ægros rapiunt. MATHETES, Quid mali vere statim per initia

Morbi ex cœli statu.

Morbi ex anni statu.

calido

calido, quod æstatem quoque similem exhibet, metuendum? GERON, Nihil aliud, quàm quòd multus sudor in febribus subsecuturus sit. MATHET. Qui morbi timendi, si æstas sicca aquilones, & autumnus sequens hymbres, austrosq; habuerit? GERON, Tota hyeme, quę proxima est, tussis, destillatio, raucitas, in quibusdam tabes. Quòd si autumnus æquè siccus, eisdem aquilonibus perfletur, omnibus quidem mollioribus corporibus, præcipuè mulierum, secunda valetudo contingit. durioribus autem instare possunt, & aridæ lippitudines, & febres partim acutæ, partim longę, & morbi melancholici. MATHETES. Solétne etiam morbi in optimis tempestatibus generari? GERON, Vbi dies æqualiter sereni, siue calidi, siue frigidi, siue temperati existunt, tunc nòn solùm certior valetudo est, sed priores etiam morbi, si qui inciderunt, leuiores sunt, & promptiùs finiuntur. vbi autem variant, nullis non periculosæ sunt. vnde fit, vt autumnus multos opprimat, eò quòd corpus, & ęstate, & deindè meridianis caloribus relaxatum, nocturnis, atq; matutinis, simulq; etiam vespertinis subito frigore excipiat. Hinc omnes quoque tempestatum mutationes repentinæ, suspectæ esse debent. quanquam illud cœlum, quod morbum fecit, in id quoque genus, quod natura peius est, in hoc statu mutari salubre existat. MATHETES, Quos singula anni tempora affectus excitant? GERON, Ver eos maximè, quæcunque humoris motu nouantur, vt lippitudines, pustulas, profusionem sanguinis, abscessus, melancholiam, insaniam, morbum comitialem, anginam, grauedines, destillationes. MATHETES, Nulli alij præter hos, morbi in eo tempore contrahuntur? GERON, Qui in articulis, neruisq; modò vrgent, modò quiescunt, tunc potissimùm & inchoantur, & repetunt. MATHETES, Quos æstas adfert? GERON, Cùm superiores plęrosque morbos, tum febres vel continuas, vel ardentes, vel tertianas: nec non vomitiones, alui deiectiones, auricularum dolores, quos παρωτίδας, græci vocant, oris vlcera, cancros, maximè naturalium, & desudationes. MATHETES, Quæ vitia in autumnum incidere consueuerunt? GERON, Omnia ferè quæ in æstatem, sed præterea febres incertæ, lienis dolor, aqua inter cutem, tabes, vrinæ difficultas, tenuioris intestini morbus, lęuitas intestinorum, coxæ dolores, morbi comitiales. tunc etiam diutiùs malis fatigati, & ab æstate proxima pressi, alijs nouis morbis conficiuntur, & quidam longissimis implicantur, præsertim quartanis, quæ per hyemem quoque exerceant. nullum quoque aliud anni tempus magis pestilentiæ, cuiuscunque ea generis sit, oportunum existit. MATHETES, Quæ vitia hyems irritat? GERON, Capitis dolores, tussim, & quidquid fauces,

Morbi in optimis tempestatibus.

Singula anni tempora quos excitent morbos.

Veris morbi.

Æstatis.

Autumni.

Hyemis.

latera,& viſcera offendit. MATHETES, Quid ſi totus annus eundem ferè habitum obtineat? GERON, Humidus & calidus peſsimus eſt: deinde humidus & frigidus, varios morbos excitare ſolet: plerunque etiam peſtilentes, maximè cùm cœlum putridis terræ & aquæ exhalationibus infectum eſt. ſiccus ſalubrior eſt, eóque

Morbi ex victu.

pauciores, ſed acutiores progignit. MATHETES, Quando ex victu morbi prædici poſſunt? GERON, Cùm in fœcundo quidem anno, homines fructibus horarijs ſe replent, ſequuntur plerunque febres tum continuę, tum intermittentes, alui deiectiones, difficultatéſque, & id genus alij affectus. in fœcundo autem, cùm annonæ caritas eſt, ob quam prauis vti cibis homines coguntur, tormina, lęuitáſque inteſtinorum, inflammationes viſcerum, eryſipelata, aliáque id genus vitia graſſantur.

Morbi ex corporum mutationibus.

MATHETES, Qui morbi ex corporum immutationibus concitantur? GERON, Si curſus, aliáue exercitatio, aut balneum, aut medicamentum calidum pręceſſerit: item ſi ex vita quieta ad laborioſam, ex frugali ad luxurioſam tranſierit, laſsitudo, aut febris, aut inflammatio, aut eryſipelas plurimùm ſequitur.

Morbi ex humorum copia & vitioſitate.

MATHETES, Qui morbi in vniuerſum, ſeu generatim, ex humorum copia & prauitate, alijſque ſupradictis cauſis abditis prænoſcuntur? GERON, Superiùs docui, ideò non eſt opus hîc repetere. huius autem te admonere volo, vbi corpus aliter ſe habet, quàm conſueuit, neque in peius tantùm, ſed etiam in melius, morbus inſtat. Ergo ſi plenior *aliquis*, & ſpecioſior, coloratiórque factus ſit, ſuſpecta habere bona ſua debet, vt ait ille. cùm enim ea, neque in eodem habitu ſubſiſtere, neque vltrà progredi poſsint, ferè retrò quaſi ruina quadam reuoluuntur.

Inſaniæ futuræ notæ.

MATHETES, Quibus notis ſingula morborum genera ex illis pręſagiuntur? GERON, Inſania timenda eſt, vbi quis expeditiùs quàm conſueuit, & ſubitò loquitur, ſolitóq; audaciùs: aut vbi quis raro, & vehementer ſpirat, arteriaſq; concitatas habet, præcordijs duris & tumentibus. Inſaniæ quoque inditia ſunt, frequens oculorum motus, & in capitis dolore tenebræ ipſis offuſæ, vel ſomnus nullo dolore ſubſtante ereptus, continuatáq; nocte & die vigilia, vel proſtratum contra conſuetudinem corpus in ventrem, ſic vt ipſius alui dolor, id non coëgerit: item inſolitus robuſto adhuc

Febris recidiua.

corpore, dentium ſtridor. Febris recidiua expectatur, ſi ſine ratione, ſinéque bonis ſignis ſubitò finita eſt.

Mentis alienatio.

Mentis turbationem ſæpè portendit, auriũ dolor acutus, cum febri continua & vehementi. ex eo caſu iuniores interdum citra ſeptimum diem moriuntur, ſeniores tardiùs. Mens labat, quibus neque cauſa doloris, neque ſenſus eius adeſt.

Furor in mulieribus.

Furorem in mulieribus venturum, mammæ ſanguine ſuffuſæ teſtantur. Vitia pulmonum, laterum doloribus ſucce-

succedunt: insania, pulmonum affectibus: delirium, capitis vulneribus: neruorum distentio, vigilię: neruorum rigor, aut distentio magnis corporis fęruoribus. *Neruorum distentio.* Neruorum distentio in puero denuntiatur, si in continua febri venter nihil reddit, mutatúrque ei calor, nec somnus accedit, plorátque is asiduè. eadem, vel rigor timeri potest, si tumores super vlcera subitò esse desierunt, idque à tergo incidit. *Capitis dolores.* Capitis dolores adueniunt, si malus color diu, sine morbo regio apparet. capite, aut visceribus, aut aluo laborant, qui faciem diu habent pallidam, & tumidam. *Atræ bilis morbus.* Atræ bilis morbus subest, si longa tristitia cum longo timore, & vigilia est. *Lippitudo.* Lippitudinis metus est, si tempora sæpè dolent, noctu corpora insudant, frons prurit. *Pituitæ impetus* Pituitæ impetus aliquis, citra caput timeri potest, si ante febres graue est, aut oculi ex somno caligant, aut frequentia sunt sternutamenta. Sanguis ex parte aliqua profluit, si calor, aut sanguis abundat. *Malus habitus.* Mali habitus corporis suspicio est, si quis sine causa emacrescit. *Pulmonis morbus.* Pulmonis affectus ex angina, cùm subitò finita est, efficitur, sępéque intra septimum diem occidit. quod nisi accidat, sequitur, vt aliqua parte suppuret. *Tabes.* Tabes metuenda est, vbi frequens destillatio in corpore tenui, longóque affligit. eadem subit, si lateris dolore orta suppuratio, intra quadraginta dies purgari non potuit. *Vomicæ.* Vomicæ aliquæ interdum excitantur, aut circa vigesimum, aut quadragesimum, aut etiam sexagesimum, si pulmonis dolor neque per sputa, neque per cucurbitulas, neque per sanguinis detractionem, neque per victus rationem finitus est. MATHETES, A quo die numerabo? GERON, Quo primùm aliquis febricitauit, aut inhorruit, aut grauitatem eius sensit. MATHETES, Vnde hæ vomicæ nascuntur? GERON, Modò à pulmone, modò à contraria parte. MATHETES, Quæ suppurationem prænuntiant? *Suppurationis notæ.* GERON, Calor partis, quam afficit, dolórque & inflammatio, & si quis in partem sanam decubuit, onerare eam ex pondere aliquo videtur. MATHETES, Quomodo deprehendi potest, quæ nondum oculis patet? *Suppuratio abdita quomodo deprehendi queat.* GERON, Si febris non demittit, eáque interdiu lęuior est, noctu increscit, multúsque sudor oritur, tussiendi cupiditas est, & penè nihil in tussi excreatur: oculi caui sunt, malæ rubent, venæ sub lingua inalbescunt, vngues in manibus adunci fiunt, digiti, maximéque summi calent: in pedibus tumores fiunt, spiritus difficiliùs trahitur, cibi fastidium est, pustulæ toto corpore oriuntur. quòd si protinùs initio dolor & tussis fuit, & spiritus difficultas, vomica vel ante, vel circa vigesimum diem erumpet: si seriùs ista cœperint, necesse est quidem vt increscant, sed quò minùs citò affecerint, eò tardiùs soluentur. MATHETES, In quibus morbis suppuratio fieri solet?

Suppuratio in quibus morbis fieri soleat.

GERON, In longis febribus. nam si sine dolore, sineque manifesta causa remanent, id malum in partem aliquam incumbit: idq; in iunioribus. quartana autem in senioribus, ex eiusmodi morbo ferè nascitur. Suppuratio etiam aliqua ijs oboritur, quibus dolor, aut prurigo cum rubore, aut calore sine febre est. Circa aures aliqua futura est, si vrina in homine sano, parum liquida est. In superioribus partibus, abscessus aliquis expectatur, si præcordia tumorem mollem habent, neque habere intra sexaginta dies desinunt, hæretque omne id tempus febris: ac si inter ipsa vlcera non sint, circa aures erumpit. Abscessus in maxillis, vel articulis erit, si lassitudinis sensus in febre est. Adhæc abscessus plerunque infra septum transuersum, ex eo casu fit, cùm vrina tenuis, & cruda interdum sic diu fertur, vt alia signa salutaria sint. In inferioribus autem partibus abscessus nascitur, si præcordia dura, dolentia, hominem ante vigesimum diem non sustulerunt, neque sanguis ex naribus fluxit, maximéque in adolescentibus: vtique si inter principia aut oculorum caligo, aut capitis dolores fuerunt. MATHETES, Quis tumor potissimùm ad suppurationem tendit? GERON, Cùm omnis longus eò ferè spectet, is magis qui in præcordijs, quàm is, qui infra est. MATHETES, Quæ aliorum affectuum notæ sunt? GERON, Cruditates, præcordiorum dolor, aut grauis inflammatio, aut vrina, quæ non toto die concocta fertur. Iecoris inflammati, singultus frequens, & præter consuetudinem continuus. Lienis, tumor, aut capitis dolores, in quibus quædam ante oculos, tanquam imagines obuersantur. Magnos lienes, gingiuæ, malæ, & os fœtidum, aut sanguis parte aliqua prorumpens testatur: aut mala vlcera in cruribus, & ex his nigræ cicatrices fient, si ex superioribus nihil eueniat. Aqua inter cutem instat, vbi in imo ventre & coxis dolor est: sed hoc morbi genus ab Ilibus oriri solet. Idem malum excitatur, quibus desidendi voluntas est, venter nihil reddit, nisi & ægrè & durum. pedes tument, nec non modò dextra, modò sinistra parte ventris oritur, atq; finitur, sed à iocinore, id malum proficisci videtur. Insuper hoc vitium significatur futurum, vbi intestina circa vmbilicũ torquentur, στρόφους, vocant græci, eaq; neque tempore, neque remedijs soluuntur. Præterea etiam aqua inter cutem, aut tabes sequitur, si ora venarum sanguinem solita fundere, subitò suppressa sint. Dolor circa articulos aut circa viscera, morbusq; futurus, per vrinam crassam, ex qua quod desidit, album est, ostenditur, Similiter viscerum dolorem tumoremq;, cum aliquo periculo subesse, aut corpus certè integrum non esse, viridis vrina testatur. Vlcus in vulua est, si febricula mulieri ex inguine orta est, neque causa apparet. Vesicæ, vel renum exul-

Tumor ad suppurationem tendens.

Cruditatis nota. Iecoris inflammati.

Lienis.

Aquæ inter cutem nota.

Torsiones.

Vlcus vteri.

Vesicæ et renum.

exulceratio notatur, si sanguis, aut pus in vrina est. In renibus vitium est, si vrina crassa, carunculas quasdam exiguas, quasi capillos habet, aut si bullas, & malè olet, & interdum quasi arenam, interdum quasi sanguinem trahit. dolent autem coxæ, quæq; inter has, supérque pubem: & accedunt frequenter ructus, interdum vomitus biliosus, extremæq; partes frigescunt. Vrinæ crebra cupiditas, sed magna difficultas est, & quod inde excretum est, aquę simile, vel ruffum, vel pallidum est, paulùm tamen in eo leuamenti est. aluus verò cum multo spiritu redditur. In vesica autem malum est, si vrina paulatim destillat, vel si sanguis per hanc effluit, & in eo quædam cruenta concreta sunt, idq; cum difficultate excernitur, & circa pubem inferiores partes dolent. MATHETES, Quibus indicijs calculi cognoscuntur? GERON, Vrina difficulter editur, paulatimq; interdum etiam sine voluntate destillat. eadem arenosa est: nonnunquam autem sanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea redditur. quidam promptiùs recti, quidam resupinati, maximeq; hi, qui grandes calculos habent: quidam etiam inclinati reddunt, colemq; extendendo dolorem leuant. Grauitatis quoque cuiusdam in ea parte sensus est, atque ea cursu, omniq; motu augetur. quidam etiam cùm torquentur, pedes inter se subinde mutatis vicibus implicant. Fœminæ verò oras naturalium suorum, manibus admotis scabere crebrò coguntur. nonnunquam si digitum admouerint, vbi vesicæ ceruicem is vrget, calculum sentiunt. Subita deiectio, aut febricula instat, vbi aluus pluribus diebus non descendit. Pedum tumores, longæ deiectiones indicant. Podagram, chiragram, aut alterius articuli morbum futurum esse denuntiat dolor, prout in pedibus, manibúsue, aut alia quadam parte sic est, vt eò loco nerui contrahantur, aut si id membrum ex leui causa fatigatum, æquè frigido calidoq; offenditur. Habes nunc quoque vnde futuros morbos cognoscere poteris. quia verò tum hi, tum instantes, præsentésq; non ita facilè à quouis deprehenduntur, pauca quædam superioribus adijcere institui, quibus instructior aliquantò factus, certiùs de ipsis iudicium ferre queas. Nam morbi per initia adhuc parui, sicut etiam symptomata, seu casus, eorumq; indices obscuri, nunc hanc, nunc illam sedem impetunt, sic vt interdum pleuriticum dolorem esse putemus, qui futura sit pulmonis inflammatio: interdum vt materia ad cerebrum feratur, quam in inferioribus fore existimabamus: interdum vt morbus biliosus ob eiusmodi humoris copiam censeatur, qui tamen fiat pituitosus, bile scilicet euicta, euacuataq;. Quamobrem, vt singulorum affectuum notitiam faciliùs consequaris, causas illorum paucis repetam.

Calculi indicia.

MATHETES, Quid ergò causam morbi, præsertim eius qui nunc fit, esse dicis?

Causa morbi propriè quæ dicatur

GERON, Id propriè, cuius contactu afficimur, & quo separato, conualescimus. Nonnulli id, quod nondum adhuc agit, sed quod posit agere, causam appellant, vtpote cruditatem, etsi illam non efficiat. Similiter alij id vocant, quod quidem antè egit, sed iam agere desijt. MATHETES, Ergo affectio corporis morbum præcedens propriè causa vocari debet? GERON, Vtique, sicut morbifica. MATHETES, Quot eius sunt species? GERON, Tres potissimum.

Continens.

Antecedens.

Euidens.

Prima vocatur continens & proxima, qualis est in febris generatione, putredo: altera antecedens, vt cutis astrictio, impeditusque perspiratus: atque hæ ambæ sunt interiores: tertia euidens, seu primitiua, quæ aliâs exterior vocatur, vt balneorum astringentium vsus. At internæ in ipso animali consistunt, humores vel copiosi, vel putridi ac vitiati, latentium meatuum angustia, viscerum obstructio, membrorumque imbecillitas, intemperies, dolor, affectus, siue motus naturæ aduersantes. Euidentes foris adueniunt, vt vehemens exercitatio, cursus, balneum, alimenta, aut medicamenta calida, insolatus, frigus, humidæ aut siccę anni tempestates, atque id genus alię. hæ autem nihil præstare possunt, nisi interiores simul adfuerint, præsertim in morbis, qui ex humorum materia contrahi solent.

Causæ communes.

Nonnulli etiam communes quasdam, ac generales causas nominant, quę ex victus ratione, sensu, & cutis colore cognoscuntur. nam tales humores generantur, qualia fuerint alimenta, quibus vsi sumus. MATHETES, Qua via & ratione causæ tum interiores, tum externæ, morbi cuiuslibet inuestigari debent?

Causæ morborum tum internæ, tum externæ quomodo inuestigandæ.

GERON, Ex partis affectæ, ipsiúsque morbi cognitione, idque siue illæ adhuc agant, quæ verè causæ appellantur: siue iam egerint, agere verò desierint, sicut externæ: quanquam hæ tantùm ad affectus notionem, quo actionem lædit, cùm videlicet rationem & sensum lateat, inquirendæ sint. quippe non solùm locus morbi, verumetiam causa illum efficiens, considerari debet. MATHETES, Vnde verò dignoscitur, num adhuc agat? GERON, Ex morbi specie, casibusque, & eorum diuersitate. imò non solùm quæ causa sit, sed etiam vtrum ea quæ morbum efficit, in parte tanquam propria essentia, vel quasi instrumento contineatur, an per ipsam transeat, ex differentia symptomatum, ex varijs diuersarum actionum offensionibus, recrementis, affectibus, colore præsertim, sapore, & morbi specie deprehenditur. Nam hæc potissimùm causam indicat, vt febris tertiana, bilem: quotidiana, pituitam: quartana, melancholicum humorem: erysipelas, bilem: œdema, pituitam: scirrhus, melancholicum humo-

humorem. MATHETES, Vbi cauſa morbi ſimilaris continetur? GERON, In propria partis eſſentia. MATHETES, Vbi morbi compoſiti? GERON, In parte affecta, vt inſtrumentaria hærent. ſin autem affectus minimè firmus, aut conſtans fuerit, neque cauſa eius, neque ipſe in læſa parte continebitur, ſed per eam tranſibit. MATHETES, Quæ alia interdum cauſam morbificam indicant? GERON, Affectio totius corporis, temperamentum, ſiue ægri natura, ætas, regio, anni tempeſtas, aëris ſtatus, victus ratiò, conſuetudo, & ſummatim omnia, quæ præceſſerunt, ad morbos cauſasq́ eorum accuratè cognoſcendas valent. his addenda erit ciborum, potionum, & medicamentorum experientia, vſusq́. MATHETES, Quo pacto illa morbi cauſa, quæ iam quidem egit, ſed agere amplius deſijt, inueſtiganda erit? GERON, Eodem, ſed euidentes cauſæ maximè ex affectionum, quæ in corpore animantis præceſſerunt, animaduerſione cognoſcuntur. MATHETES, Ergo omnia tum præſentia, tum præterita intueri conuenit? GERON, Indubiè, ſed medicus præſentia per ſe: præterita verò non ſolùm ab ægro, verùm etiam ab ipſis familiaribus & domeſticis condiſcet, quò faciliùs cùm locum affectum morbumq́ ipſum, tum cauſam eius efficientem, quæcunq́ ſit, intelligat: quamuis præteritorum notitia magis ad cauſas morbificas inueniendas, præſertim verò ad affectus partesq́ læſas cognoſcendas, magis ſit neceſſaria. Proinde ſi morbus nuper inceperit, percontator ægrum, num ſe exercuerit, an vinum meracius biberit, aut calida medicamenta aſſumpſerit, aut laconico vſus fuerit. nam ſi hæc fateatur, calidi morbi ſuſpicio eſt: veluti cùm corpus valde incaleſcit, os eſt amarum, bilis vomitio, ſitis, vel capitis dolor vrget, de febri continua, vel intermittente, eò quòd tales cauſæ eam generent, coniectura eſt. Atque hîc quoq́ principalia cauſarum morbos efficientium, & ſignorum genera obiter rurſus in memoriam tibi reduxi, quò faciliùs illos dignoſcas. vnum adhuc reliquum eſſe videtur, vt qui humores in vnoquoq́ ægro excellant, cognoſcas. Niſi enim id compertum habeas, nullam idoneam cuiuſcunq́ morbi curationem inſtitues. MATHETES, Oro igitur te, optime præceptor, vt ſingulorum humorum ſingulares notas adijcere digneris. GERON, Quanquam iſtas in prioribus dialogis aliqua ex parte commemorarim, tamen hîc quoque in gratiam tuam paulò copioſiùs tractare non grauabor.

Humorum abundantium in corpore notæ.

Corpus itaq́ ſanguine plenum indicant, ſi ille dulcis, promptè per nares, ſputa, anum, venasq́ in ea extantes, menſtrua, & vrinas excernatur, & hic, qui fluorem ipſius experitur, facilè eum toleret. item ſi vaſa omnia referta, etiam in oculis manifeſtò di-

Sanguine pleni corporis indicia.

ſ

ſtendi cernantur,pręcipuè corpore multùm calefacto: adhęc ſi calor totius cutis blandus,mitis,& halituoſus appareat. At in menſtruis ſuppreſsis venæ turgentes,& liuidæ,ſanguinis craſsi,& pici liquidæ ſimilis copiam ſignant. Præterea rubor in corpore exercitato,aut aliter calfacto,excitatus, vires eius mediocres,& bonum ſanguinem teſtatur, ſicut etiam pruritus in vena aliquando inciſa oboriens. MATHETES, Quale corpus,ſanguinis largi compos,eſſe dicitur,carnoſúmne,an tenue? GERON, Carnoſum vtiq;, pinguedinis expers: quanquam etiam plerique graciles multùm ſanguinis, ſpiritus, & caloris natiui in venis & arterijs habeant. Cùm autem hi ob carnis penuriam externis iniurijs calefacientibus, refrigerantibus, & prementibus magis ſubijciantur, minùs ſunt vitales,quàm benè carnoſi. MATHE. Quis color faciei & reliqui corporis in homine ſanguineo apparet? GERON, Rubicundus,roſeus, floridus, ceu ex albo & rubro miſtus, ac ex ſanguine, ſpiritu, & colore bono ſplendeſcens. color enim in cute effloreſcit,humoribus ſubiectis ſimilis eſt,niſi illi intrò receſſerint. MATH. Quando intrò recedunt? GERON, Per initia febris acceſsionum, & verecundię:per ſomnum,metum,mœrorem:nec ſolus ſanguis tunc, ſed etiam cum eo ſpiritus, & calor natiuus introrſum refugit: ſicuti ab internis forâs, in augmento ſtatúq; acceſsionum, in impudentia,vigilijs,gaudio,æſtu,laconico,& id genus alijs,elicitur. Vnde etiam partes extremæ, cùm ſanguine, ſpiritu, & calore genuino deſtituuntur, refrigerari ſolent: cùm hæc rurſus recipiunt,incaleſcere. MATHETES, Quid oculorum, & linguæ rubedo portendit? GERON, Non totius corporis, ſed partium ipſarum humorem indicat. Rubra itaq; lingua ſanguinem, viridis bilem, nigra bilem atram, alba pituitam ſignat. MATHETES, Quæ aliæ ſanguinis copioſi notæ ſunt? GERON, Pulſus magnus,velox,frequens, plenus, valida in temporibus pulſatio, laſsitudo ſpontanea,tenſiua, oſcitatio, pandiculatio, nauſea, capitis & oculorum grauitas,vrina craſſa, rubra, & copioſa,morbus ex multo ſanguine familiaris & frequens,vt inflammatio,febris continua,putris, & non putris(quæ συνοχος gręcis dicitur)puſtulę ſanguineæ per totum corpus erumpentes,ſomnus facilis,lenis,& moderatus,frequens ſomnium de rebus iucundis, & rubris, de ſanguinis profluuio, de natatione in dolio ſanguinis pleno. Huc accedit etiam quòd ſanguinei ſimplices ſint,et ſtupidi ſenſibus,impeditiores ad res conſiderandas,&ad iram tardi,liberales alioqui,hilares,faceti, ad riſum procliues,rerum iucundarum &hominum amantes,interdum vino,voluptati,& veneri dediti. MATHETES, Hos animi mores ex naturali temperamento obtinent;ſed quales ex eo quod

contra

Venæ turgentes liuidæ.

Graciles pleriq; multo ſanguine abundant.

Sanguinei hominis color.

Humores quando ab externis intrò recedant.

contra naturam est, consequuntur? GERON, Cùm sanguis cerebrum copiosior occupat, & temperamentum eius immutat, ex animi actionibus aut imaginatio, aut memoria, aut cogitatio vitiatur, duabus ex his saluis: atq; affectus dicitur delirium, eiusq; species ex sanguine tres hoc pacto erunt simplices. quemadmodum quatuor rursus compositæ emergunt, vbi imaginatio simul cum memoria, salua remanente cogitatione: aut cùm imaginatio simul & cogitatio, superstite memoria: aut cùm memoria & cogitatio, salua imaginatione: aut cùm imaginatio, memoria, & cogitatio simul omnes deprauantur. MATHETES, Quis affectus sequitur, imaginatione debilitata? GERON, Veternum, quod græci κῶμα, vel λήθαργον vocant. MATHETES, Quis, eadem prorsus abolita? GERON, Detentio, græcis κατάληψις, dicitur. ita si memoria est infirmior, affectus stupor: si abolita, obliuio comitatur. Eodem modo, vbi cogitatio debilitata est, stultitia: vbi abolita, dementia sequitur. atque sic etiam ex aliis humoribus fieri audies. MATHETES, Quibus notis sanguinea vitia ab aliis distinguuntur? GERON, Risu & cantu, quæ in aliis oboriri non videntur. MATHETES, Qua de causa? GERON, Quia talis sanguini vis inest, vt imaginationes etiam tristes, lætas, ac iucundas reddat, quæ nihil mœroris & tristitiæ habeant coniunctum. Itaq; si sanguis cerebri temperamentum de statu suo ita deiicit, vt homo delirare cogatur, cantabit is, & ridebit, iucundissimæq; res ipsi videbuntur. Nam cùm imaginatio sola deprauatur à sanguine, non autem cogitatio simul & memoria, flores, fructus, prata floribus amœnissimis vestita in cubiculo esse, vel res etiam sanguineas, vel lectum sanguine conspersum putabit, sed non sine cantu, & risu. Interdum accidit, vt quis ridendo alium interficiat, quanquam huiusmodi deliria tutiora tum ægro, tum familiaribus eius esse soleant. Si ergò solùm imaginatio à sanguine fuerit deprauata, æger hæc, similiaq; phantasmata experietur: cæterum prudenter de rebus aliis ratiocinabitur, eorumq; memoriam, vt in sanitate firmam habebit. MATHETES, Quæ pituitam abundare significant? GERON, Si nulla promptè, & citra noxam per aures, oculos, nares, palati foramina, sputum, vomitum, deiectiones, fluores albos, mulieribus & viris communes, sed his ex vesica, illis ex vtero euacuentur. item si acidi, vel aliud quid redolentes sudores erumpant. Idem testantur etiam obesior corporis habitus, eiusq; grauitas & color albicans, plumbeus, aut liuidus, aut ex albo liuescens: item mollicies, frigus si attingatur, & situs: facies tumida, lingua alba & mollis, saliua dulcis, insipida, acida, salsa, copiosa in ore cum sputo confuso aquosoq;: mucus per nares & palatum vberiùs fluens:

Delirium, & eius species.

Veternum, siue lethargus.

Sanguinei morbi notæ.

Pituitæ indicia.

aluus pituitoſa, frigida, humidior, liquidior, cruda, aquoſa, alba, mucoſa, lenta: vrina alba, pallida, modò tenuis, modò craſſa & turbida: menſtrua quoque mulierum albicantia: nec non alius ſanguis vaſculo exceptus, palleſcit. Inſuper, magnum etiam pituitæ abundantis argumentum eſt, ſi ægri medicamenta pituitam ducentia, præſertim hyeme, & in morbis pituitoſis, ex facili tollerent: nec non calidis aliâs, & ſiccis iuuentur: frigidis contrà, & humidis quomodocunque adhibitis, offendantur. Iam ſomnium quoque frequens aquarum, pluuiæ, niuis, pituitæ index eſt, nec non ad ſomnum altiorem propenſio, ſenſus hebes, motus tardus, partium omnium ſegnities, & grauitas: pulſus exiguus, tardus, rarus, & mollis, mentis tarditas, torpor, & facilis rerum obliuio, ſtoliditas. Sunt autem hæ naturales quædam facultates, ex corporum temperamento profecti. MATHETES, Quales in morbis apparent? GERON, Tot delirij ſpecies, quot ex ſanguine oriri dixi: vbi pituita cerebrum obſederit, & temperamentum eius, actionesq; animales vitiarit. Cùm autem illas, aut debilitarit, aut aboleuerit, ſupradictos in ſanguineo temperamento affectus inducit. MATHETES, Quæ ſigna ſunt delirij pituitoſi? GERON, Eo laborantes, nugaces eiuſmodi ſunt, qui tardè loquuntur, ita vt in re aliqua narranda, quæ paucis & breuibus poſsit expediri, eius exitum, finemq; non inueniant. adhæc ſtabiles ſunt, vt qui tardè, aut raro moueantur, pituitæ naturam ſequentes. MATHETES, Quæ pituitam, acidam, & ſalſam peculiariter oſtendunt? GERON, Lingua manifeſtò eam in ſaliua, & ſanguine cùm dentes fricantur in os manante, oſtendit. Salſam indicant color, calorq;, & præcedens ſalſorum alimentorum vſus, pruritus, ſcabies. MATHETES, Quæ ſeri pituitæ abundantis indicia habentur? GERON, Multa eius portio, per ſaliuam, vomitum, aluum, vrinas, & ſudores emanans, laxus corporis tumor. adhæc timiditas. nam pigrum, frigidumq; illud exiſtit, non acre, nec malignum, niſi corrumpatur, tum enim vigilias quoque, & animi perturbationem, timoremq; parit, ſicut corrupti ſanguinis, aut alterius praui humoris ſerum, ſi in vaſis contineatur, mentis alienationem, furorem, & inſaniam concitat. MATHETES, Pituitæné etiam flatus aſſcribi debent? GERON, Maximè. nam pituita quoque à calore imbecillo calefacta, mutataq; in vaporem, in ventriculo frigido, humidoq; gigni ſolent: quanquam calor quoq;, flatus ex pituitoſa materia ſæpiùs excitet: id quod in doloris colici curatione experimur. Nam medicamenta valdè calida, in illo adhibita, humorem liquant, & niſi prius attenuetur, incidatur, & concoquatur, in flatus degenerat. MATHETES, Quæ bilem copioſiorem in corpore ſignant? GERON,

Pituitæ ſalſæ & acidæ ſigna.

Seri pituitæ.

Flatus ex pituita.

RON, Corpus tactu calidum, siccum, rodens, gracile, hirsutum: adhæc venæ & arteriæ amplæ: color autem oculorum, faciei, & totius denique corporis, pallidus, rufus, flauus, nigellus. Præterea si biliosa, amaraq́;, nunc flaua, nunc viridia, vomitu sponte, vel arte citra molestiam euacuentur. Insuper aluus continuè sicca, pauca, acris, & vrens: sæpè biliosa, flaua, pinguis, & dolorifica. Vrinæ admodum flauæ, tenues, in quibus pauca subsideant: & si à cibo diutiùs abstineatur, igneæ, & rodentes. Idem facit sudor flauus in stragulo, & linteis, vt qui amarus in lingua percipiatur. In eius initio horror, & punctura veluti aciculis cutem infestat: aures in biliosis admodum, excremento magis flauo, & largiore scatent: nares mucore rufo, flauo, viridi, pauco: oculi torquentur lippitudine: lingua sicca est, scabra, pallida, rufa, flaua, præsertim manè, aut post laborem: os saliua madet, sputumq́; amarum est. rosio in ventriculo, & magis in eius ore percipitur: vnde conuulsio, comitialis morbus, & syncope stomachica oboriri solet: sitis vehemens, & insatiabilis, frigidis, & humidis placatur: quibus aliâs etiam biliosi oblectantur, contrarijs offenduntur. Est etiam copiosę bilis nota, cibi fastidium, quòd aliâs calidiore natura prędítis, accidere æstate solet, & per febres præsertim acutas: adhæc somnus exiguus, leuis: vigiliæ propemodum continuæ, & inquietudo: somnium de igne, incendijs, rixis, & pugnis: pulsus magnus, velox, frequens, vehemens, & durus. Postremò hoc peculiariter biliosis inest, quòd corpora eorum celeriter augescant. *Bilis notæ.*

MATHETES, Quali animo sunt præditi? GERON, Dextro, & prudenti, ad omnia tamen præcipiti, astuto, doloso, iracundo, audaci, temerario, confidenti, glorioso, vindictæ cupido, acri iniuriarum vindice, & liberali, sæpè etiam prodigo, & ingenio perspicaci, cogitabundoq́;. *Mores biliosorum.* MATHETES, Quales in morbis apparent? GERON, Si bilis cerebrum inuaserit, temperamentumq́; ipsius immutauerit, vt vel imaginatio, vel memoria, vel cogitatio violetur, delirant. atque in ea animi affectione audaciores sunt, & amarulentiores ijs, qui à pituita, & atra bile fiunt. Verùm eiusmodi mentis alienationes periculosiores existunt, ex quibus etiam ęgri audaciores, & amarulenti magis euadunt. *Biliosorum morbi.* MATHETES, Qui morbi comitari biliosos solent? GERON, Herpes, erysipelas, febris tertiana, ardens, & cholera. MATHETES, Quæ atram bilem ostendunt? GERON, Corporis totius calor, & siccitas, pili copiosi, nigri, sæpè rufi, & flaui, venæ amplę. *Atræ bilis signum.* MATHETES, Quæ humorem melancholicum? GERON, Corporis frigus, & siccitas, humor, nigredo, pili rari, venæ angustæ, lienis durities, inflatio, dolor grauis: color fuscus, viridisq́; palpebrarum, præsertim inferiorum, & to- *Melancholici humoris nota.*

tius corporis: ſanguis ex vena inciſa, vel aliter diuiſa excretus, craſſus, concretu facilis. Inſuper non paruum indicium bilis eſt, ſi tali humore præditi, medicamenta illum purgantia facilè tollerent: item ſi ſanguis craſſus per hæmorrhoidas, & inciſionem venæ amplam excernatur. MATHETES, Qualis ater humor in guſtu percipitur? GERON, Cùm in naturę limitibus adhuc conſiſtit, nullius propemodum qualitatis ſenſum exhibet: interdum verò acidus, ſimul & acerbus, verùm obſcurè percipitur. Cùm autem naturæ inimicus euaſerit, tunc inſigniter acidus, acerbus, vel acris rodensq́, tum ipſum vomentibus, tum olfactu deprehenditur.

Ater humor acidus.

MATHETES, Cur ater humor acidus eſt? GERON, Quia nondum à calore natiuo ſatis eſt concoctus.

Acerbus.

MATHETES, Cur acerbus? GERON, Quia calor humorem aqueum, ſicco terreſtri mixtum, nihil prorſus adhuc concoxit.

Acidus & acerbus.

MATHETES, Cur acidus, & acerbus ſimul interdum exiſtit? GERON, Id diuerſarum partium ratione, aliâs non fieri ſolet. Nam in ſapore acerbo, calidum, humidum aqueum nullo modo concoxit: in acido autem, magna ex parte. humor itaque ater interdum acerbus eſt, cùm calor humidum in eo prorſus non concoxit: interdum acidus, vbi calor humidum quidem concoxerit, ſed non perfectè.

Acris & rodens.

MATHETES, Cur acris & rodens? GERON, Quia per nimiam aduſtionem, à perfectione ad interitum inclinat.

Excretus atræ bilis humor terram eleuat.

MATHETES, Quibus alijs notis cognoſcitur? GERON, Excretus terram, fermenti, acetiq́ acerrimi inſtar eleuat, & bituminis modo ex aduſtione liquidior ſplendet. idem partes quibus inſidet, erodendo exulcerat, eumq́ nec muſca, nec mus, nec aliud quoduis animal, deguſtat. Quicquid enim terram fermenti more ſubleuat, naturæ aduerſum eſt, & à calore alieno aduſtum, in eam vim & ſpeciem mutatur, vnde acrimoniam acquirat, & velut cinis quidam reddatur: quemadmodam fex vini non vſta, frigida & ſicca eſt: vſtionem autem experta, adeò calida fit, vt carnem vrat, liquet, & corrumpat.

Differentia inter atram bilem naturalem, & non naturalem.

MATHETES, Quomodo vtraque bilis dignoſcitur, tum quæ ex flaua in iuuentute aduſta, ſecundum naturam prouenit, tum quæ reliquorum humorum, præſertim bilis flauę incendio, vel putredine orta eſt? GERON, Naturalis in declinantibus ætate apparet, modò rectè illi valeant: atq́ illis duntaxat conuenit. minùs naturalis autem, cuiuis ætati moleſta eſt. MATHETES, Quæ alia ſigna atram bilem indicant? GERON, Vrina craſſa, nigra, fuſca, aliâs viridis, & liuida: interdum rubra, obſcura: aliâs alba, tenuis. Sudor niger in ſtragulo, linteo, & panno cernitur: ſapore & odoratu acidum reſipit. Aluus nigra, acerba, acida (ſi quis guſtare velit) concreta, obſcura, humorem melancholicum ſignat. acida verò & acris, fluidáque & ſplendeſcens,

atram

atram bilem. insuper sputum modicum, ructus acidus, nonnunquam acris & rodens, cum ardore quodam in ore ventriculi deprehenditur. Appetitus vitiosus: interdum caninus ex materia acida, os ventriculi obsidente, apparet. Præcordia sinistra, aliquando dextra, in melancholia, & flatulenta affectione offenduntur. Menstrua in sabulo, vel panno fusca, & ab alijs humoribus diuersa. Grauis dolor capitis, præcipuè sinistri lateris, oculi limpidi, lucentes, fixi, horridiq́. vigiliæ, & insomnia crebra, aut somnus leuis, plenus insomnijs turbulentis, & terrificis, quæ dormientes expergefaciunt. Somnia dira, vt mortis, cadauerum, sepulchrorum, tormentorum, dæmonum, nigrorumq́ aliorum. pulsus rarus, pro contraria humoris natura, in sanis & ægris. MATHETES, Quales humor melancholicus animi mores efficit? GERON, Frigidus & siccus tardos, ineptos, & stolidos magis quàm pituita: nec non timidos & mœstos, taciturnos, faciles ad lachrymas. Quia autem humor ille, siccus natura est, faciliùs inflammari, quàm pituitosus solet, ac calefactus, iam alias qualitates animo inducit. Nam ingeniosos, graues, studiosos, integros, constantes, seueros, pertinaces efficit. atra bilis, ex flauæ adustione prognata, versutos, callidos, iracundos, acerbos, iniuriarum memores, implacabiles, malignos, vt etiam mortem sibi consciscant: inuidos, fraudulentos, auaros, parcos, ęris alieni soluendi tardos, & illiberales. Cæterùm omnes melancholici ad venerem sunt procliues: ex nigro quidē humore frigido, quòd flatulenti sint: ex atra verò bile, per adustionem flauę. quia, cùm illa per membra procreationi destinata mouetur, hæc ad agendum impellit: quòd vel nullus alius humor, vel atra bilis magis præstare potest: aut quia ex melancholico temperamento, peculiaris quædam propensio ad venerem nascitur. MATHETES, Quos mores in temperamento contra naturam, humor iste parit? GERON, Similes vt reliqui, si cerebrum occuparit, eiusq́ temperamentum immutet, ita vt actiones animales, aut vitiarit, aut debilitarit, aut in totum aboleuerit. MATHETES, Qui morbi atram bilem comitari solent? GERON, Cùm ex immoderato sanguinis crassi, vel bilis flauæ, vel pituitæ calore generata, non probè discutitur, quartana febris, aut continuæ, quæ συνόχος, græcè dicitur, aut tertianæ, aut quotidianę succedere consueuit. ex humore autem atro putrefacto, legitima quartana oritur. MATHETES, De alijs humoribus quòd nimiùm adusti, febrim quartanam procreent, non dubito: de pituita autem nondum persuasus sum? GERON, Si morbus comitialis Galeno à pituita crassa, & humore melancholico gignitur, adhæc si pituita subamara, & calida, vrendo fit in flatulenta melancholia, mirum

Mores melancholici.

Ater humor.

Atra bilis ex flaua.

Melancholici ad venerem procliues.

Mores melancholici.

Quartana febris alijs succedens.

An quartana ex pituita.

non eſt, quartanam, alphos, elephantiaſin,& ſcirrhos,præſertim in hiſce regionibus, frigido, copioſo, crudioreq; alimento aſſuetis,excitari. MATHET. Quæ autem inter quartanas,alijs febribus ſuperuenientes deterrima exiſtit? GERON, Quæ ex tertiana, hoc eſt,flaua bile aduſta contrahitur.nam reliquarum eius ſpecierum malignißima eſt. Hinc etiam vehementißimos in corpore morbos,cancrum,elephantiaſin,& ſimiles procreat.vnde etiam difficultas inteſtinorum ab illa incipiens,lethalis eſt. MATHETES, Poteſtne ex duobus humoribus,tertius alienus generari? GERON, Actione caloris poteſt, ſed non quiuis. MATHETES, Quis ergo?

Bilis ex ſanguine & pituita miſtis oritur.

GERON, Bilis ex ſanguine & pituita. Cùm enim eadem ex vtroq; ſeparatim oriatur: quid ni ex coniunctis quoque poterit? ita tamen,vt calor,qui in pituitam agit, maior exiſtat, quàm qui in ſanguinem.

Ex flaua bile,& ſanguine.

Quia ſi par, æqualisq; eſſet, ſanguis ante aduſtus eſſet, quàm pituita in bilem conuerſa. adhæc bilis atra ex bile flaua, & ſanguine fieri poterit:quia ex ſingulis illis ſeparatis naſci ſolet,vbi aut nulla,aut certè non tanta caloris inæqualitas,vt ex duobus illis vnus proueniat,requiritur,quanta cùm ex ſanguine,& pituita bilis flaua gignitur.

Niger humor ex bile,ſanguine,& pituita.

Ob eandem cauſam atra bilis ex tribus ſimul coniunctis,bile,ſanguine, & pituita procreari poteſt, ſicut ex tribus elementis,aliud quiddam. MATHETES, Cur bilis non ex ſanguine ſimul, & humore nigro generatur? GERON, Quia ipſa neq; ſeorſim ex humore nigro, ne q; ex pituita, & humore nigro oriri poteſt. MATHETES, Poteſtne ſanguis ex bile,pituita,& humore nigro oriri? GERON, Quanquam ſanguis ex pituita fieri queat, tamen ex bile, & humore nigro non poteſt: ita neque pituita ex bile, & ſanguine ſimul coniunctis,neq; ex bile, & humore nigro, neque ex hoc,& ſanguine procreatur,etſi ipſa ex ſanguine ſolo gigni queat. MATHETES, Audiui iam, quibus ſignis humores ſinguli,vel plures, inuicem conuenire,& abundare cognoſcantur: qui fit autem, quòd tot modis à ſuprà citatis vitientur? GERON, Quia mutantur, dum increſcunt, ac decreſcunt ætatibus,

Cur humores variè deprauentur.

anni temporibus, victus ratione, & temperamento, ſicut etiam regione: vnde etiam colores varios corporibus inducere ſolent. Nam ſi in temperamento alicuius, ſanguis reliquis humoribus dominetur,meritò ille roſeo colore tinctus erit.ita ſi pituita,albo:

Color ſequitur humorem ſubiectum.

ſi bilis,flauo:ſi ater humor,oleaceo. Nam qualis humor cute ſubiectus,talis in ea color effloreſcit,niſi ille intrò receſſerit. Quinetiam Hippocrates memoriæ prodidit, colorem in hominibus pro vincentis humoris dominio, in ætatum ſucceßione mutari. Cùm enim ſanguis in adoleſcentia vigeat, color tum faciei, tum reliqui corporis rubicundus,roſeus,floridusq;, ſeu ex albo,& rubro

bro

bro miſtus cernitur. in iuuentute, ob bilis abundantiam, ad flauum vergit: in ætate declinantium, cùm in ipſa bilis nigra naturalis, alios humores ſuperat, ad nigrorem declinat: ſenes, qui ex parte pituitoſi ſunt, albiores apparent. MATHETES, Alióne tempore, quàm in ætatum ſucceſsione colores mutari ſolent? GERON, Non, quia tunc ſolum etiam humores mutantur. MATHETES, Quid ſi ipſi perturbentur? GERON, Tunc quouis tempore mutari poſſunt, vt floribus accidit, cùm in aquam deijciuntur, vel manibus tractantur, vel alio ſimili modo afficiuntur. MATHETES, Qua ratione humores perturbantur? GERON, Si non modò ad interiora regrediantur, ſed etiam ſi extrorſum egrediantur. Nam ſi quis rubro colore præditus, vel maximum aliquod periculum, vel mortem timeat, ſanguis vnà cum ſpiritu intrò ad principium cor adiuuandum recedit. Quò fit vt facies, & corpus vniuerſum, tam diu pallidum maneat, quoad metu detinetur. Sin autem quis candido colore tinctus, aut iraſcatur, aut pudore, aut verecundia afficiatur, ſtatim rubore ſuffunditur, ob eam quidem cauſam, qua ſanguis ſimul cum ſpiritu forâs erumpit, nempe delicti, ſiue veri, ſiue ficti, quod verum exiſtimatur, celandi, aut vindictę exercendę gratia. In ſumma, pro animę perturbationum varietate, humores vel extrorſum, vel intrò feruntur. MATHE. Similíne humores vniuerſi eſſentia conſtant, an inter ſe differunt? GERON, Pituita, & humor ater craſſam, hic autem craſsiorem, quàm illa obtinet: bilis flaua, tenuem: atra autem bilis propriè dicta, interdum tenuior quàm flaua exiſtit. Sanguis verò, ſi moderatus calore eſt, etiam mediocris apparet. porrò vnuſquiſque craſſus etiam grauis exiſtit: qui tenuis, leuis quoque eſt. Hinc flaua bilis ſurſum natura fertur, niſi cùm graui aliquo humore permiſta fuerit, propter quem inferiùs deſcendere cogitur. Atra bilis & pituita, cùm graues ſint, deorſum tendunt. MATHETES, Ergo grauitatis, & leuitatis ratione in corpore mouentur? GERON, Nequaquam. nam ſi hoc fieret, humor niger, & pituita in inferiore animalis loco, tantum eſſent, ita tamen, vt nigra bilis in infimo ſubſiſteret: proximo verò pituita, ſed nihil aut ſanguinis, aut bilis ibidem ineſſet. rurſus ſanguis, in medio tantùm corpore: non autem ater humor, nec pituita, nec bilis exiſteret: hæc rurſus, ſola in ſuperna corporis regione, ſine alijs humoribus hæreret. Sed humores tum craſsi, tum tenues, in omnibus corporis regionibus inueniuntur: non ergò ob craſsitiem, vel leuitatem huc, & illuc perpetuò tendunt. Verùm quatuor in vnaquaque corporis particula inſunt facultates, de quibus anteà, vt attractoria eius quod familiare eſt. nam bilioſæ partes nutriuntur, bile, pituitoſæ, pituita, melancholicæ, atro hu-

Materia humorum diuerſa.

Humores non grauitatis aut læuitatis ratione, ſed facultatum, quæ ſingulis partibus inſunt, mouentur.

more, sanguineæ, sanguine: altera, retentoria eius, quod attractum est: tertia concoctrix eius, quod retinetur: quarta, expultrix excrementi illius, quod ex concoctione prouenerit: atq; hac ratione humor, vel tractu, vel vtroq; mouetur. MATHETES, Cur vtroq;? GERON, Quia si pars aliqua pituitosa nutriri pituita debeat, & hæc alteri sanguineę aduersetur, molestaq; sit, illa quidem pituitam ad se trahet, hæc autem eam tanquam opprimentem à se propulsabit. atque sic pituita & tractu, & expulsione mouetur. MATHETES, Omnis igitur humor, qui trahitur simul & propellitur, citiùs mouetur, quàm si vel solùm pelleretur, vel traheretur? GERON, Indubiè. id etiam de humoribus, qui deorsum feruntur, dici potest: eò quòd ad infera citiùs, quàm ad supera moueantur, cùm natura sint graues, vtpote ex primis corporibus conflati: sed hi magis, illi minùs, pro terræ dominantis ratione. Qua de causa, cùm eiusmodi essentiam sortiti sint, deorsum feruntur: non solùm autem ob essentiæ ipsorum prauitatem, sed etiam à facultate partium inferiorum deorsum ad alendas illas tendunt. MATHETES, Si ergò humores duplici motu, tum proprio, tum alieno, nempe partium tractu, ad inferiora vergunt: quomodo ad superiora alenda peruenient? GERON, Sola tractione, cui nonnihil ob essentię suę grauitatem renituntur: vnde fit, vt ad inferiorem corporis regionem nutriendam faciliùs, velociusq;, quàm ad superiorem moueantur. Hoc quoque notari debet, singulos eosdem humores inter se differre. nam aliter habet sanguis, qui ad sublimas partes, aliter qui ad inferiores tendit: ille tenuior, hic crassior existit: quamuis vtrobiq; communi qualitate præditus. Pituita verò, quæ sursum vergit, etiam tenuior, sed minùs frigida & alba, quàm quæ ima petit. Bilis flaua, quæ ad superiores partes fertur, flauior paulò, vtpote tenuior, magisq; calida est, quàm quæ inferiùs descendit: quanquam eadem vi generali vtroque in loco polleat. Iam niger humor sursum repens colore, facultate, & qualitate ab eo discrepat, qui deorsum tendit.

Humores tractu & expulsione ab vtroq; mouentur

Tractio aut pulsio celeriorem motum, quàm sola tratio aut pulsio efficit.

Humorum inter se differentia.

Humores an omnes simul redundare possint.

MATHETES, Cùm iam abundè satis declararis, quando singuli humores in corpore abundent, quibúsque notis dignoscantur: dic nunc obsecro, possíntne omnes simul eodem tempore etiam redundare? GERON, Possunt herculè: idq; duplici ratione. prima græcis dicitur πληθώρα: altera κακοχυμία: illa humorum copia, hæc tanquam ipsorum vitiositas, seu corruptio. In plethôra venæ & arteriæ puro & sincero sanguine solo, siue omnibus succis æquabiliter refertæ sunt. In cacochymia autem impuro, siue bilioso, siue pituitoso, siue melancholico, siue seroso, aut flatulento copiosiore scatent, quàm vt confici queat. At plethoræ duæ rursus

Plethora.

Cacochymia.

Plethoræ species.

rursus species existunt: vna in qua sanguis, licet neque copia, neq; qualitate mediocritatem excedat, tamen vires ex quauis alia causa imbecillas premit: altera, in qua sanguis iam naturæ moderationem exuperat, & magis augescens ei familiaris esse desinit. hęc ipsa aut leuis est, cùm sanguis mediocritatem paulùm superat: aut tensiua, cùm idem iam vasorum tunicas præ copia distendit, ac ferè deuellit. hęc quanuis nimiùm redundet, vires tamen non grauat, vt quæ cum sanguine & carnis mole plęrunque, vt in athleticorum statu, ęqualiter augescat. ac si vires inualidæ subsistant, copia humorum maior his censenda erit, quàm vulgus plenitudinem àd vires appellant. Quinetiam alia quæuis copia ex vitiatis humoribus contracta, vires corporis excedit, & naturæ grauis est. Atque hæc signa omnis humorum copiæ in vasis subsistentis communia existunt. primùm quòd vniuersæ venę turgescant: id quod notari debet, quando omnes simul particulæ in eo statu constitutæ sunt, nec vlla in quam sanguis decumbat magis, quàm cæteræ decliuis existit. item quando eædem simul æquabili & moderato calore sunt præditæ, sanguisq; neque ob frigus introrsum refugit, neque extrorsum ob nimium vel ex aëre, vel ex balneo, vel ex potu vini, vel ob corporis exercitationem, vel ex febri, vel ex vllius causæ calefacientis vi, calorem concitatus, & turgidus, vel quasi colliquatus, venas in tumorem attollat, distendatq;. MATHETES, Quod præterea signum est copiæ in vasis contentæ? GERON, Alterum est venarum tensio, cum qua dolor aliquis percipitur. atque ea non modò materiæ copiam, sed exuperantem quoque testatur. hæc tensiua est lassitudo, sponte proueniens, in qua tum corpus, tum omnes artus quasi pondere adeò grauantur, vt difficulter moueri queant. & si corporis ipsius moles amplior euaserit, brachiáque, crura, & tibiæ inturgescant, non venarum duntaxat, sed totius corporis est repletio. Præter hæc signa indicant etiam istam corporis repletionem, venę pleniores, quæ oris adapertis, nonnihil sanguinis redundantis in arterias transfundunt, nisi humores nimiùm crassi viscosiq; fuerint: nec non pulsus vehemens, magnus, & plenus, non modò in brachij & manus iunctura, sed etiam in temporibus, digitis, & in singulis externis partibus difficilis, molestusq; apparens: adhæc spiritus, qui neque exalto corporis, neque liberè, sed difficilior, frequentiórque, pręsertim in exercitatione trahitur. Insuper alię notæ ex præterita victus ratione sumptæ, præsentes has confirmant, nempe cibus plenior, & valentior: balnea insolita statim post eum in vsum moderatum exhibita, in quibus ille tanquam serosus liquatúsque in corpus fuerit distributus: otiosa vitę ratio,

Communia repletionis signa.

Vasorum repletorum indicia

Totius corporis repletio.

Plenitudinis notæ ex victus ratione.

in qua nihil è corpore discussum sit, sed omnia retenta, cutis densior, omnisque consueta euacuatio suppressa, longè euidentiùs materiam repletioni suppeditant. MATHET. Intelligo hæc communia quidem repleti corporis signa existere: propria verò cuiusque copiæ ac repletionis non item. quare si placet, hæc quoque subiungas. GERON, Vasorum repletio sola est, quando corpus in plethora nihilò magis ingrauescit, & vires vniuersę æquales permanent. At copia quæ vires grauat, inde notescit, si corpus artúsque ingrauescant, & ægriùs moueantur: adhæc si grauis somnus, altúsque, & perturbatus inuadat: si laborans se grauitate premi, onúsque gestare, aut loco moueri non posse somniet. Quemadmodum autem humorum tum singulorum, tum omnium simul, copiæ & immoderationes, nec non alij affectus enumeratis notis, sic etiam ex pulsu, respiratione, & vrina dignoscuntur. sed primùm de pulsu, quomodo ille ex naturali statu in alienum mutetur: deinde etiam de vrina tractabimus. MATHETES, Oro te, mi præceptor, sic pergas. nam ea quæ superiùs de ipsius origine, & differentia, pro temperamenti, ætatis, sexus, animi & corporis affectus ratione docuisti, non parum adiumenti ad naturę, corporis, & animi notitiam comparandam mihi præstare poterunt.

Propria repletionis signa.

Copiæ vires grauantis notæ.

Morborum ex pulsu cognitio.

GERON, Gaudeo te fructum aliquem ex doctrina mea percipere: aduertas igitur reliquis, quæ hîc iam subijciam. prius autem ea quæ vires corporis resoluant, quæ grauent, quę irritent, nosse oportet, vt tum communes, tum proprios morborum pulsus faciliùs addiscas. MATHETES, Libenter ex te audiam. GERON, Alimenti penuria, morborum malignitas, summæ animi perturbationes, dolores nimij, aut longi, profluuia superflua, magnæque intemperies, vires resoluunt. Humorum autem copia, morbi instrumentariarum partium, vt inflammationes, scirrhi, tumores, abscessus, corruptiones variæ, & morbi perperàm compositi, illas grauant. Eadē verò quę resoluunt, aut grauant, etiam ipsas irritant, dum facultatem ad certamē prouocant, quo incommoda repellere nititur. sępe omnia coëunt & complicantur. MATHE. Quales pulsus vires resoluentia edunt? GERON, Primò paruos, tardos, crebros, languidos: deinde minimos, tardissimos, creberrimos, & languidissimos. Quòd si resolutio fieri pergat, nonnulli pulsuum motus integri periunt, intermittúntque, & deficiunt, sicut impuri, siue reciproci, siue non reciproci, vermiculantes, & formicantes. At vires grauantia, inæquales, proprij nominis expertes, & inordinatos producunt: deinde eos, quibus propria insunt nomina, vt intercurrentes, intermittentes, caprizantes, vndosos, vibratos, conuulsos, & serratos. Porrò quæ vires irritant, pulsus magnos,

Vires resoluant.

Vires grauant.

Pulsus vires resoluentium.

Pulsus eorum quæ vires grauant.

magnos, altos, celeres, crebros, & vehementes efficiunt, modò facultas sit robusta. sin autem imbecilla, paruos, tardos, crebros, & variè inæquales. MATHETES, Id exemplis mihi ordine declares. GERON, Cùm vires ex nimijs profluuijs, vt diarrhœis, dysenterijs, menstruis superfluis, hæmorrhoidibus, sanguinis fluore, sudoribus, perforationibus (quas chirurgi moliuntur) in hydrope, empyemate, siue puris collectione, & in seminis profluuio, atque id genus alijs. si magnus fuerit excessus, pulsus redduntur parui, celeres, crebri, languidi: in maximo, vermiculantes, & formicantes, quos solent præcedere deficientes singulares. Quòd si febres adsint, tunc vermiculans manifestior est, & longiùs durat. sin autem febris superuenerit, præsertim magna, abigit vermiculantem, aucti caloris gratia. nam partium quarundam tarditate, & raritate, vsui satis esse nequit, eòque formicans, nonnunquam deficiens, in vicem eius succedit. MATHETES, Qui tandem dolorum pulsus existunt?

Pulsus vires irritantium.

GERON, Per initia maiores, celeriores, crebriores, & vehementiores: deinde minores, celeres, crebri, & languidiores fiunt: tandem parui, tardi, creberrimi, & languidi: nouissimè formicantes. MATHE. Quid vehementiores in dolore efficit? GERON, Facultas irritata: quia priusquam collabatur, ad id, quod sibi molestum est reijciendum & propulsandum totis viribus incumbit. Eadem robusta, maiores, celeriores, & crebriores, vtpote sibi familiares. imbecillis autem valdè frequentes reddit. MATHETES, Qui dolores vires resoluunt? GERON, Qui vel principem aliquam partem affligunt, vel diuturni sunt, vel ingentes. quocunque autem horum pulsandi facultas violetur, & deficiat, pulsus edet: in parua quidem defectione minores, debiliores: celeres autem, & crebros, quia spiritus, qui tum efferuescunt, agitantur. in maiori verò, paruos, tardos, creberrimos, & languidos. MATHETES, Qui pulsus intemperiem testantur?

Dolorum pulsus.

Dolores vires residentes.

GERON, Calidam quidem, ac simplicem ex æstu, aut febri diaria profectam, magnus, velox, frequens, simulque æqualis: talis etiam hecticam febrim, licet paulò durior, indicat. MATHETES, Qui simplicem succorum abundantiam, quam plethoram appellasti, signant? GERON, Eam quæ nondum vires adhuc premit, magnus, velox, creber, & æqualis: nec non vehemens, turgidus, ac plenus (viribus robustis peculiaris) sicut & febrim continuam simplicem, quæ Græcis συνοχὸς dicitur. MATHETES, Qui produnt intemperiem humoribus vitiosis infectam? GERON, Magnus, velox, frequens, sed non æqualis, tum in vno, tum in pluribus motibus: talis etiam putridam febrim ostendit. nam in ea arteriæ

Plethoræ pulsus & febris continuæ.

summissio velocior est, quàm eius eleuatio, nimirum, vt putrida fuligo expurgetur. exterior autem quies breuior existit, quam frequentior etiam pulsus comitatur. MATHETES, Qui intemperiem frigidam ostendunt? GERON, Rarus, tardus, & paruus: si fuerit sicca, etiam durus: sin humida, mollis: idque si illa simplex extiterit. nam si ex humoris alicuius influxu contracta fuerit, inæqualis quoque pulsus accedit, præsertim si humor ipse crassus, viscosus, & copiosus magis, quàm tenuis & modicus, nobilem partem obsideat. MATHETES, Quibus pulsibus separatim, partium affectarum morbi notantur?

Inflammationis pulsus.

GERON, Inflammatio partis neruosæ, membranosæque, tensorio, serratili, & vibrato: partis mollis, ac carnosę, in qua vomicæ esse solent, vndoso potius quàm serrante: sicut cerebri, pulmonis, & carnis inflammationes. At pars pluribus & maioribus arterijs prædita, magno, veloci, & frequenti pulsu, serrantis loco declaratur. sin autem hæ ipsæ venæ, & arteriæ, quas inflammatio occupauit, obstructæ fuerint, & compressæ, inæqualis erit. Eodem pulsu inflammationes septi transuersi, stomachi, ventriculi, pulmonis, renum, & membrorum, quæ accurato sensu prædita sunt, deprehenduntur. quanquam tempora illius pulsibus varient. nam initio illi maiores sunt, celeriores, frequentiores, vehementiores: in augmento increscunt, fiuntque magis serrantes, & vibrati: in statu, propter vires labefactatas, minores, veloces, frequentes, languidi, & manifestiùs serrantes percipiuntur: in declinatione omnes sunt mitiores. At inflammationem diuturnam, & in scirrhum indurescentem, gracilis pulsus, & durus demonstrat.

Pleuritidis pulsus.

Latera obsidentis, quæ græcè πλευρῖτις dicitur, non nimis magnus, velox, frequens, sed propè durus, mediocriter vehemens, serratus, index est. MATHETES, Quare velox illi asscribitur? GERON, Quia febris acuta, semper pleuritidi coniuncta est. MATHETES, Cur durus? GERON, Quia membrana costas succingens inflammatorio tumore distenditur. cùm verò duræ arteriæ attolli nequeant, pleuriticorum pulsus minùs magni esse possunt: eoque ipsorum loco frequens nunc maior, nunc minor redditur, vt vsui satis fieri queat. Rarior in pleuritide pulsus, quàm inflammationis ratio exigat, carum futurum portendit, eò quòd cerebrum humidos, pituitososque vapores, ex ipsa inflammatione exortos, recipiat. sin pulsus adhuc rarior, & maior fiat, Veterni in cerebro subnascentis maximum indicium est.

Suppurationis, seu empyematis pulsus.

Suppuratorum, quos Greci ἐμπύους vocant, pulsus sunt vt in statu inflammationis, inæquales, inordinati, & in omnibus hectici: vbi verò pus iam confectum, paulò æqualiores fiunt: quando autem

autem erumpit, latiores, tardiores, rariores, & languidiores: si durities, & tensio excellant, etiam serrati. si facultas ad ea quæ infestant expellanda incitetur, pulsus prodeunt magni, celeres, vehementes. si iam ex irritatione defessa sit, ac collabatur, aut arteriæ obstruantur, aut comprimantur, tardi, crebri, & languidi. Atque hæ causæ inæqualitatis, & ordinis perturbati, confecto tandem pure, mitescunt. quando autem pus adhuc concoquitur, dolores, ac febres magis inualescunt, quàm illo iam maturato. MATHE. Cur pulsus hecticus huic morbo conuenit? GERON, Quia facultas in suo conatu persistit, nec elaborare desinit, donec sanies ex affecto loco effluat. MATHETES, Quales pulsus post illius effluxionem succedunt? GERON, Latiores, tardiores, rariores, & languidiores. facultas enim pugnando defatigata est, calor efferbuit, & corpus est extenuatum. MATHETES, Vnde pulsus fit latus? GERON, A facultate imbecilli, & loci amplitudine. quò autem maior, latiorque ante puris eruptionem erat, hoc post illam est manifestior.

Marcoris simplicis pulsus.

Cæterùm marcoris, qui græcis μαρασμὸς dicitur, simplicis quidem (quanuis is raro appareat) in quo corpus totum arescit, sic vt siccitas naturæ modum excedat, calor autem & frigus mediocritatem seruet, pulsus est exiguus & languidus, eò quòd facultas in eo sit imbecilla. quò autem magis inualida fuerit, tantò minor & obscurior euadet. Calidi marcoris pulsus, non modò paruus & languidus, sed etiam velox & frequens: quia vsus est auctior. cùm autem arteria ob imbecillitatem distendi æqualiter nequeat, sed mediæ eius partes magis attollantur, nonnihil eminent. nam hæ sola leuiuscula cute conteguntur: vtrinque autem sitę, tabida carne aggrauantur, eóque minùs attolluntur. In frigido marcore contrà, tardus & rarus pulsus apparet, eò quòd vsus sit imminutus. Cæterùm in quauis marcoris specie, hecticus pulsus deprehenditur: quia affectus non in humoribus, sed in solidis partibus, in quibus firma est immutatio, consistit. præterea durus in qualibet percipitur: quia durities siccitatem comitatur. in calida verò magis duri pulsus esse solent, tum propter siccitatem, tum quòd marcor & febris exuccũ corpus efficiant.

Pulsus marcoris calidi.

Frigidi marcoris pulsus.

Tabidorum pulsus sunt parui & languidi ob virium imbecillitatem: non autem adeò celeres, neque frequentes: quia febris ipsorum exilis est. hectici verò, quòd febris, qua laborant, in solidis hæreat partibus, vtpote hectica.

Phreneticorum pulsus.

Phreneticorum pulsus sunt parui, veloces, frequentes, duri, mediocriter vehementes, rarò vndosi, sæpius trementes, conuulsorij, & si febris superueniat, tensorij, vibrati. MATHETES, Qua de causa tales in hoc morbo inueniuntur? GERON, Duri sanè exi-

stunt ob tensionem, quia phrenitis tenuioris membranæ cerebri, vel septi transuersi inflammatio est, & à bilioso humore prouenit: veloces autem & frequentes fiunt, quia morbus cum febri magna inuadit: ob quam vsus necessariò augescit. nisi verò arteriæ durities distentioni resisteret, etiam pulsus phreneticorum magni existerent. MATHETES, Qua de causa mediocriter vehementes illis ascribis? GERON, Quoniam facultas membri sensilis affectione irritatur, atque id quod ipsam molestat, propellere conatur: si verò imbecilla est, vehementes pulsus efficere nequit. MATHETES, Qui reliqui ipsis superueniunt? GERON, Vndosus tunc solùm, cùm inflammatio cerebrum obsidet. aliâs raro, quia pars affecta neruosa est. Tremulus propter virium imbecillitatem efficitur. Conuulsorius autem, quia affectus in neruosa parte consistit, nempe in septo transuerso, & tenui cerebri membrana. Inæqualis sanè in vno motu, vnaque arteriæ parte, vt in febribus accidere solet. tensus, & vibratus, quia malum in partibus neruosis inflammatis existit.

Anginæ pulsus.

Anginæ pulsus est, qualis omnium inflammationum. fit autem vndosus, si ad peripneumoniam degeneret: si verò membranosæ & neruosæ partes, magis quàm carnosæ affligantur, conuulsorius: si vrget suffocatio, paruus & rarus: si mors est in vicino, frequens, & inæqualis pulsus apparet. ille quidem ob vsum adauctum: hic autem ob facultatem offensam.

Asthmatis pulsus

Asthma pulsus inæquales, inordinatos, *intermittentes*, & deficientes habet. quò autem grauius est, eò languidiores, & tardiores: *nouissimè frequentes valdè &* languidos. Hoc autem symptoma, quo quis non nisi recta ceruice spirare potest, vnde Græcis ὀρθόπνοια, vocatur, plerisque morbis commune est. nunc enim instrumenta spirandi fiunt angusta, cùm tumores naturæ contrarij, repletionesque in iocinore, liene, intestino crassiore, & finitimis partibus prope septum transuersum premunt: nunc, cùm thoracis cauitas, aut vasa in pulmonibus, superfluis humoribus infarciuntur, vel immodicis tumoribus cinguntur, vel cùm aspera arteria, aut fauces illius opplentur, vt in destillationibus copiosis, & gutturis inflammationibus. At peculiariter dicitur læsa ista respiratio ὀρθόπνοια, quæ crassis lentisque humoribus, in asperis pulmonum arterijs contracta est. Quia igitur facultas in omnibus multùm debilitatur, enumeratos iam pulsus edere consueuit.

Stomachicorum pulsus.

Stomachi inflammati pulsus sunt tensorij, & duri: minùs autem quàm septi transuersi, aut membranæ costas cingentis. quia nerui oris ventriculi longè molliores sunt, & essentia ipsius ventriculi carnosa, non autem adeò tensilis. Stomachi siue ventricu-

tricu-

triculi reſoluti ex intemperie quacunque, cum roſione, ſingultu, vomitu, nauſea, cibi faſtidio, & dolore, parui, celeriores, frequentes, & languidi exiſtunt. Stomachi aggrauati cibis immoderatis, nulla inſigni qualitate præditis, vel humoribus nunc à toto corpore, nunc à cerebro potiſsimùm, nunc à iecore, vel alia parte in ipſum confluentibus, parui, tardi, rari, languidi, & inæquales exiſtunt: quia affectio eſt frigida, & facultas veluti onere grauata.

Vteri ſuffocati pulſus.

Strangulatus, ſiue ſuffocationis ex vtero, pulſus variari pro ſymptomatum diuerſitate ſolent. Cùm enim ex materia frigida, craſſa, copioſa in vtero collecta conuulſio acceſſerit, tenſorij pulſus fiunt. Cùm autem magis melancholica infeſtat, quæ mœſtitiam, & animi defectionem inducit, parui, tardi, & rari erunt, idq; bona ratione, cùm morbus ille ſit frigidus: inæquales ac inordinati, quoniam facultas eius grauata eſt. interdum nimiùm frequentes, vel deficientes, quando morbus nimiùm ſæuit: nulli autem percipiuntur, ſi is ſæuire non deſinat.

Veternoſorum pulſus.

Veternoſorum pulſus ſimilis eſt magnitudine, imbecillitate, mollitie, peripneumonico, niſi quòd tardior, rarior, minusq; inæqualis: intermittens autem magis, quàm intercurrens exiſtat: interdum dicrotus, ſeu bis feriens. ſi accedat ſopor, vndoſus ſemper occurrit: interdum etiam vibratus obſcurus, ſi pituitoſa inflammatio cerebri membranas infeſtet, quod tamen raro accidit. Quòd ſi abſceſſus ſit ex bile, & pituita mixtus, phrenitis lethargica, vel ſopor vigil dicitur. ſi bilis ſuperet, pulſus, & ſymptoma phreniticis reſpondent: ſi pituita, veternoſis. ſi vterque humor æqualiter abundet, mixta ſunt ſymptomata. Pulſus igitur ſunt in phrenitide veternoſa, celeres & crebri, ob febrem: lati, ob madidas arteriarum tunicas: breues, quia longitudo, dum dilateſcit, breuior euadit.

Pulſus veternoſæ phrenitidis.

Catalepticorum pulſus.

Catalepticorum ſeu catochorum pulſus, ſimiles ferè ſunt lethargicis, ſed non tam inæquales, & languidi, vt illorum exiſtunt: quia in his facultas non adeò eſt affecta, neque grauata. adhæc in catochis, pulſus molles non ſunt: quia tunicæ arteriarum non adeò vt in veternoſis madent: in quibus non modò arteriæ, ſed etiam totius corporis habitus relaxatur, & intumeſcit.

Paralyticorum pulſus.

Paralytici ſiue reſoluti, paruos pulſus, tardos, & raros obtinent: eò quòd vſus ob morbum frigidum eſt imminutus: languidos autem, quia facultas eſt imbecilla: molles, quia arteriæ madidæ exiſtunt. At ſi facultas plurimùm langueſcat, & reſolutio magna ſit, valdè parui & crebri pulſus fiunt: inæquales, quia facultas eſt grauata: intermittentes autem tum ob hanc, tum ob inſtrumentorum obſtructionem gignuntur.

Epilepticorum & apoplecticorum pulſus.

Epilepſiæ, & apoplexiæ tenſorios pulſus habent, ſi ægri conuellantur. aliam verò nullam illorum immutationem indicant. magnæ autem, tum valdè tenſorios, tum minores, tardos, raros, languidos, & inæquales. maximæ, paruos, crebros, languidos.

Hydropicorum pulſus.

Hydropis aſcitis pulſus eſt paruus, frequentior, leuiter durus, & tenſorius. tympanitis longior, velocior, frequens, non imbecillus, ſubdurus, & tenſorius. anaſarcę latior, mollis, vndoſus. Porrò quia materię aſcitis & tympanitis congeſtę, infimi ventris partes mole ſua diſtendunt, pulſum tenſorium, atq; hunc durum, frequentemq; efficiunt. magis autem hunc aſcites, propter inualidiorem facultatem, caloremq; auctum, pręſertim ſi febris adſit.

Arquati morbi pulſus.

Arquato morbo laborantium pulſus minor eſt, frequens, durior, non velox, niſi febris adſit, neque languidus. Quod ſi febres, vel intemperies, vel inflammationes viſcerum vrgent, pro iſtarum ratione pulſus quoque immutari ſolent.

Morbi gallici pulſus.

Morbi venerei inueterati pulſus ſunt parui, tardiores, rariores, languidi: idq; propter imbecillitatem facultatis ex vitiatis ſpiritibus contractam.

Grauidarum pulſus.

Grauidarum mulierum pulſus ſunt maiores, celeriores, crebriores: interdum etiam languidiores. illi quidem, vt calor natiuus attemperetur: hi autem ob varios affectus, quibus grauidæ affligi ſolet. Hæc de morbis & pulſibus dignoſcendis in præſentia ſatis eſſe poterunt. MATHETES, Cùm reſpirationem pulſui per omnia propemodum reſpondere nuper dixeris, quid ipſius difficultatum ſpecies ſingulæ in corpore ſignificant?

Reſpiratio quid ſignificet.

GERON, Simplices quidem, vt ſuprà docui, nihil abſolutè & firmiter declarant, vtpote duobus affectibus communes. magna enim calorem natiuum, ſiue aduentitium, vel mentem alienatam, ſeu delirium teſtatur: parua dolorem partium reſpiratoriarum, vel calorem natiuum eſſe refrigeratum: velox calorem increuiſſe, vel partes ſpiritales, anguſtas euaſiſſe, vel has dolorem cum febri habere: tarda calorem genuinum decreuiſſe, vel partes ſpiritales citra caloris augmentum, dolere: frequens calorem illum increuiſſe, vel partes reſpirationi dicatas dolorem cum febri, vel ſine illa perpeti, vel earundem anguſtiam ſuſtinere: rara calorem natiuum minutum, ſeu refrigeratum eſſe, vel mentem delirare. At compoſitæ ſpirandi difficultates certò affectus notant, præſertim magna vel parua, cum veloci, aut tarda, vel cum frequenti, aut rara coniugatæ. Ac magna ſanè, & velox calorem natiuum increuiſſe, & vim animalem robuſtam eſſe, ſpiritaliáque inſtrumenta ad motum parere nunciat: magna & tarda ſolos delirantes, non tamen omnes, nec ſemper indicat: magna & fre-

quens,

quens,calorem ampliorem:rara delirium notat. E contrario parua & velox,inſtrumentorum ſpiritalium dolorem,natiuumq; calorem auctum, magna ex parte, interdum autem mentis alienationem ſignificat: parua & tarda partes ſpiritales ſine caloris natiui incremento dolere, vel illum valdè refrixiſſe: parua & frequens,partium ſpiritalium, vel earum, quæ cum illis mouentur, vt gulæ, ventriculi, iecoris, lienis, dolorem ex intemperie inæquali,tumore calido,continuitatis diuiſione per vlcus, membranarum tenſione, copiaq; flatuum, aut humorum calidorum, acrium, aut frigidorum lentorumq; contractum. parua & rara calorem quidem natiuum refrixiſſe, ſed partes ſpiritales, præſertim pulmonem,&cor vehementiùs.At reſpiratio valdè celeris,& parua, frequens, calorem genuinum ſine dolore increuiſſe indicat, quæ etiam neceſſariò magna exiſtit: celeris parum, & valdè frequens, calorem cum dolore auxiſſe teſtatur, quæ parua quoque neceſſariò eſt:celeris & rara,delirio interdum adeſt,nec non cum hoc,calori aucto, ſed nihil neceſſariò ſignat: tarda verò multùm & frequens parum,minorem quidem dolorem, ſed vires animales magis imminutas eſſe oſtendit: tarda autem parum, & frequens multùm, ſolum partis ſpiritalis dolorem demonſtrat.porrò frequens æqualiter eundem dolorem, & virium animalium detrimentum notat: rara delirantibus quibuſdam adeſt,& calori imminuto. Atque ex his difficultatum ſpirandi ſpeciebus,magna & frequens,magna & rara,parua & frequens, parua & rara, præter cæteras certum indicant. Cæterùm inæqualis reſpiratio,arteriarum aſperarum anguſtiam, obſtructionem,compreſsionemq; ſignat,mouendiq; facultatis imbecillitatem, & muſculorum thoracem mouentium conuulſionem, tremorem, & palpitationem.

MATHETES, Hęc ſuperiùs ſatis intellexi: nunc tandem quomodo morbi etiam ex vrina dignoſci queant,explices.

GERON, Cùm cibi in ventriculo & inteſtinis confecti materia, quam græcè χυλὸς nuper appellaui, in iecore iterum fuerit elaborata,ſic inuicem ſecernitur,vt craſſior eius portio ad lienem, tenuior ad veſiculam ei appendulam deferatur,tandem in ſanguinem ferè degeneret.reliqua his veluti recrementis expurgata,per cauam iecoris regionem ad gibbam penetrat, ibiq; ſicut lac concreſcens,ſerũ quoddam parit,quod partim renes vi ſua attrahunt, vt iecoris excrementum,& in veſicam mittunt(οὖρον gręcis,nobis vrina vocatur)partim in totum corpus cum ipſo ſanguine diſtribuitur, vt is faciliùs per arctiſsimos meatus tranſire queat: vnde à veteribus rectè vehiculum ſanguinis appellatur. vbi verò iam ſeroſa iſta portio alimentum per totum corpus diduxerit, aut

ſudoribus exhauritur, ac diffluit, aut eadem via, qua proceſsit, attracta in renes ac veſicam relabitur. Atq; ſic vrina non ſolùm ex iecore ac renibus, ſed etiam ex aliis corporis membris ac partibus, ſiue maioribus, ſiue minoribus venis emanat, eò quòd alimentum illis ſine huius ſeroſi recrementi adminiculo, diſtribui nequeat. MATHET. Qua de cauſa aliquid ex vrina iudicari poteſt? GERON, Quia, cùm diutius ſanguini, ſeu humoribus conuerſata commorataq; fuerit, omnem eorum qualitatem induit, eoq; minimè fallax eorum nuntius exiſtit, niſi aliarum rerum permiſtione immutata, aut immoderata potione dilutior facta fuerit. MATHET. De quibus partibus certiùs clariusq; teſtimonium adfert? GERON, De viſceribus, præſertim iecore, venis maioribus, capite, pulmonibus, nec non de illis, per quas ipſa effertur, vt renibus, meatibus vrinariis, veſica, cole. Quamuis enim in his non diu immoretur, ſuperflua tamen quædam, & ſordes præterfluens ſecum rapit & educit, eoq; omnium partium quas attingit, affectus demonſtrat. MATHETES, Quæ vrina medico inſpicienda offerri debet? GERON, Quæ à prima cibi concoctione, per ſomnum abſoluta reddita eſt, eaq; vniuerſa. MATHETES, Cur eo tempore? GERON, Quia citiùs excreta nulla ſubſidentia continet: vt quæ tertiæ concoctionis ſit excrementum. MATHETES, Quare totam, non autem partem eius tantùm inſpiciendam conſulis? GERON, Quia hæc non omnes notas clarè exprimere, neque medicus de ſingulis iudicare poteſt. hodie ſolent plerique, magis autem mulieres vix dimidium vrinæ redditæ portionem medicis offerre, idq; vel ruſtica quadam ignoratione, vel quòd pudeat, ipſis multùm vrinæ, tanquam rei parùm honeſtæ oſtendere. MATHETES, Quot horis poſtquam reddita eſt, medico adferri debet? GERON, Non tardiùs quàm ſex, aliâs minùs certa indicat: quia color mutatur, ſubſidentia diſſoluuntur, & eſſentia immutatur. MATHETES, In quo vaſculo inſpicienda eſt? GERON, In vitreo, albo, tenui, & pellucido, non autem viridi: quia tale colori aliquid adimit, eſſentiamq; minuit: non etiam in plus ſatis lato, aut arcto, ſed extuberantiori inferiùs: vt quæ in eo continentur, commodiùs ſubſidere poſsint. MATHETES, Quo in loco vrina reponenda eſt? GERON, Procul à ſole, à frigore, à vento: ne vel turbetur, vel craſſeſcat, ſed quieta ſubſideat, quouſq; ſenſim refrigeretur. Quòd ſi aut ſponte ſua, aut frigoris vi, craſſa turbidaq; euaſerit, leni igne reſoluatur, reddaturq; clara, non autem vehementer agitanda eſt: ne in hac contenta diſsipentur, & ſede ſua dimoueantur, bullæq; *Tempus vrinæ inſpiciundæ.* rumpantur, ſicut in illis fieri ſolet, quæ ex locis remotioribus ad medicos adferuntur, quamuis diu etiam aſſeruatæ, & per aëris immu-

immutatæ. MATHETES, Quando medicus de vrina iudicium proferet? GERON, Non antea quàm ipsa in matula integrè subsederit. *Tempus vrinæ inspiciundæ.* nam si citiùs illam intueri velis, nihil eorum, quæ in ipsa continentur, cognoscere poteris. MATHETES, Quis locus inspiciundæ vrinæ conuenit? *Locus.* GERON, Mediocriter lucidus, non nimiùm radijs solis illustratus, non obscurus: quia hic non parùm coloribus detrahit, ille remissiores eos efficit. Vt igitur interiores corporis affectiones siue naturales, siue alienas rectè possis ex vrina dignoscere, hęc quę sequuntur, obseruari debent: *Quæ obseruanda in vrina.* vti essentia seu liquor, qui Græcis χύμωσις, & χῦμα dicitur, eiusque quantitas, qualitas, & quæ in illa continentur. MATHETES, Quæ singulorum istorum sunt species? *Vrinarum species.* GERON, Si essentiam spectes, vrina aut est tenuis, aut crassa, aut mediocris: *Essentia.* si quantitatem, vel magna, vel parua, vel moderata: *Quantitas.* si qualitatem, nunc perspicua seu clara, nunc turbida, nunc media: *Qualitas.* si colorem eius, modò alba, modò pallida, modò flaua, modò rufa, modò rubra, modò nigra, & alij colores sub his comprehensi, qui vel pleniùs, vel remissiùs tales existunt: si odorem, aliâs fœda, aliâs suauis, aliâs moderata: post hæc, quæ in vrinis continentur. *Quæ in vrina continentur.* Denique etiam in aduersa valetudine aduertere oportet, an partes vrinæ peculiares, sint affectę. nam illa ex renum, aut vesicæ, aut meatuum, per quos ipsa fertur, aut colis vlcere, aut abscessu, crassior ac turbidior: ex pure autem admisto, alba: ex cruore affuso, rubra apparet, sicut etiam ex arenulis, aut filamentis, variè inficitur. Nisi igitur perspectum habueris, quæ vrina rerum exteriorum qualitate, quæque renum ac vesicæ vitijs alienata fuerit, nihil certò de venarum, & reliqui corporis affectibus pronuntiare poteris. MATHETES, Quo pacto in vrina inspiciunda me geram, si nihil extrinsecus, vel intus acciderit, quòd illam immutare possit? *Vrinæ inspiciundæ modus.* GERON, optimam quanque tanquam exemplar, normam & regulam, vt in alijs rebus vniuersis, in memoriam reuocabis, ad eiusque perfectionem reliquas omnes exiges. MATHETES, Quænam optima vrina censetur? GERON, Quæ ab homine temperato in secunda valetudine, & ætate florenti, naturaliter profluit, *Vrina optima.* non aquæ instar tenuis, neque vt iumentorum crassa, sed inter has mediocris, pura, non turbida, leuiter rufa, & flaua, quę potioni hesternæ, diebusque superioribus assumptæ copia respondeat, quęque subsidentia habeat, alba, leuia, & æqualia, in acutumque fastigiata, sine bullulis, sine capillis, sine ramentis, & alijs vitiosis recrementis. Quantùm reliquæ vrinarum species, ab hac declinarint, tantò deteriorem habitum, & valetudinem indicant. Notandum autem, vrinam fœminæ etiam temperatæ admodum, & ætate florentis, non parum ab ea, quam masculus reddit, discre- *Vrina in fœminis quantum discrepat à masculis.*

pare. nam illius manifeſtò craſsiuſcula eſt, non tenuis, ſicut quidam opinantur, non pura & clara, vt maſculi, ſed paulò turbidior, & multis inquinamentis referta. nam plura in fœminis, quàm in viris recrementa, ad vteri ac veſicæ ſinus confluunt, ac pro horum portione, etiam ſubſidentia magis copioſa, craſſa, & alba in illarum, quàm in virorũ vrina apparent. Quanuis autem vtriuſq; ſexus vrinę inter ſe differant: tamen etiam optimæ in fœminis exiſtunt, ad quas reliquæ omnes huius ſexus conferri debeant.

Vrinæ ſpecies inter ſe diſtant.

MATHETES, Quomodo omnes vrinarum ſpecies inter ſe diſtant?

Temperamento.

GERON, Temperamenti potiſsimum ratione. vnde illæ, quas fœminę reddunt, magis albę (quæ frigidum indicant) quàm maſculorum apparent. Quantò autem calor natiuus auctior euadit, tantò magis in ſalubri corporis habitu, palleſcit, flaueſcitq;, ſiue

Ætate.
Tempore.
Loco.

id per ætatem, ſiue per anni tempus, ſiue per regionem accidat. Infantium igitur, & puerorum magis albidæ, & craſſæ, quàm adoleſcentium exiſtunt: quibus ſubſidentia copioſa inhęrent. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia plurimùm licet caloris natiui illis inſit, humoris tamen copia obtunditur: quæ prohibet,

Vrina ſenum.

ne vrina fiat coloratior. MATHETES, Qualis ſenum eſt vrina? GERON, Cùm pauco calore genuino ſint præditi, alba, tenuis, & modici ſubſidentis particeps, cruditatis, imbecillæq; concoctionis index. Proinde ex ſexu, temperamento, tum natiuo, tum acceſſorio, & ætate facilè eſt colligere, quæ vrina reſpondeat naturali,

Vitæ inſtitutum.

quæq; minùs, & quantùm ab optima diſtet. Quinetiam ſcire conuenit, quod vitæ inſtitutum tenuerit ille, cuius vrinam inſpicies: laborioſúmne, an quietum: cum luxu, an cum frugalitate. nam exercitatio vehemens, vigilia, animi motus, inedia, calidorum ciborum vſus, ſicut etiam aër, vel à regionis cuiuſdam, vel æſtatis feruore, aliáue de cauſa excalfactus, calorem natiuum, & vrinas incendunt, magis flauas, bileq; mixtas, & paucorum ſubſidentium participes reddunt. E diuerſo vita tranquilla quietaq;, otium, ſomnus largus, luxus, & frigidi cibi, ſicut aër quoque ſiue ex regione, ſiue ex hyberno tempore, ſiue ex re alia frigefactus, vrinas albas, & craſſas efficit, in quibus multa, atque cruda inhærent. Hoc prætereundum non eſt, vigilias auctore Hippocrate, vri-

Hippocrates.

nas albas, aquoſas, & crudas reddere, eò quòd concoctio non per illas, ſed per ſomnum fieri ſoleat. Ideò, qui naturaliter dormiunt, vrinas minùs albas, ſed leuiter pallidas excernunt: eorum verò qui contra naturam ex affectu quodam, vt Veterno, aut Comate ſomno vrgentur, vrina albeſcit. MATHETES, Qualem vrinam faciunt, qui frugaliter viuunt, aut inediam ſuſtinent, aut qui luxuriæ indulgent, & copioſis ſe cibis replent? GERON, Illi ſanè flauam

ac

ac flammeam: hi albam & crudam. MATHE. Cùm superiùs in pulsibus concubitus memineris, indubiè etiam vrinę quædam illius sunt peculiares? GERON, Sunt certè, putâ rufę, & flauæ, quę nonnihil pinguedinis habent admistum. MATH. Vnde omnia ea, quę de vrina hactenus dixisti, proueniunt, & quid portendunt singula?

GERON, Tenuis vrinæ essentia, vera non est, sed potius aqua: quæ à moderata crassitudine recesserit, & nondum in liquoris naturam transierit. MATHETES, Quæ igitur vera existit? *Vrina vera.* GERON, Quæ ex secunda concoctione procreata, conuenienti & essentia, & colore prædita est. Duplex ea inuenitur: prima tenuis, & pura, talisq; semper postea remanet: altera verò etiam tenuis excernitur, sed paulò pòst fit turbida: ambæ crudæ sunt, & concoctionis expertes. In hoc autem inter se differunt, quòd prior summam adhuc cruditatem subesse: altera concoctionem iam incepisse notet. MATHETES, Quem corporis statum peculiarem vrina tenuis significat? GERON, Nisi ex immoderatiore potu, aliáue causa exteriore talis euaserit, renes meatusq; vrinarios adeò obstructos esse signat, vt illi nihil crassi cum liquore præterlabi sinant: sicut ferè in vehementi dolore nephritico percipi solet, quando calculus in illis impactus fuerit. *Tenuis.* MATHET. Quid aliud vrinę tenuitatem efficit? GERON, Imperfecta ciborum concoctio, & natiui caloris penuria, quam sola intemperies, citra humorum vitia progenerat: quia tam exiguus interdum calor natiuus existit, vt aquam, vel aliam potionem per vrinam fluere permittat, qualis assumpta fuerit. atq; hęc summum cruditatis inditiũ est. *Vrina quare tenuis.* MATHE. Quæ vrina crassa est, & vnde generatur? GERON, Quæ à mediocritate desciuit, & nisi ex vijs laxioribus, & nimiùm apertis reddatur, à calore genuino, crudis humoribus copiosis oppresso, non intemperie affecto contrahitur: ea quoque duplici comprehenditur differentia. *Vrina crassa.* vna, siquidem crassa, & turbida emanat, non longè autem pòst subsidet, & tenuis redditur: altera è contrario manet plerunq; crassa, qualis excreta est. Cæterùm prior crassa inter bona signa censetur: eò quòd parum turbidi adhuc restare testetur. Nam cùm spiritus flatuosus, qui humorem efficit turbidum, separatur: tunc hic adeò clarus euadit, vt consentaneum sit, parum turbidi reliquum ei vrinæ inesse: quæ statim, postquàm reddita est, subsidet. MATHETES, Quid hæc quoque indicat? GERON, Fausta etiam, vt prior, sed paulò minùs: eò quòd sanguinem agitari bullireq; adhuc denuntiet. *Quid significet altera crassa.* MATHETES, Quæ bona ambæ nobis pollicentur? GERON, Duo sanè. primùm quòd morbus non ita longè pòst concoquetur: quanuis enim crassiores humores bullent, agitenturq;, naturam tamen iam eos secernere, ac

separare demonstrat. deinde quòd ipsi non prorsus crudi sint. MATHETES, *[Crassæ vrinæ plures species.]* Suntne aliæ adhuc crassæ vrinæ species? GERON, Sunt certè, quæ oleum seu adipem liquefactum lentore, & crassitie repræsentant, ac commotæ olei instar graues, & viscosæ apparent. MATHETES, Quid tales signant? GERON, Si tardè profluant, paulatimq; incrassescant, totum corpus colliquescere: si citiùs & simul, solos renes calore alieno infestari: si oleosæ post nigras reddantur, salutem: si in valdè acutis morbis quarto die appareant, septimo ægrum moriturum nunciant: si quid loturæ carnis simile illis admixtum sit, tabem, aquam subter cutem, & pestiferum dolorem colicum præsagiunt. *[Mediocritas vrinæ vnde.]* MATHETES, Vnde mediocritas essentiæ vrinæ prouenit? GERON, Ex accurata ventriculi, iecoris, atq; venarum concoctione, quam calor natiuus validus perficit. MATHETES, Potéstne etiam tum crassa, tum tenuis, ad mediocritatem peruenire? GERON, Nimirum, si tandem à calore nostro probè concoquatur. *[Vrina perspicua.]* MATHETES, Quænam est vrina perspicua? GERON, Quam oculorum acies penetrare potest. MATHETES, Quid autem illa notat? GERON, Integram perfectámque concoctionem, humorum probitatem, & magnam natiui caloris copiam: qui dum in vrina permanet, subsidens tandem separat distinguitq;. At quæ frigoris vi mutata est, & deinde calore sibi restituta, nihil magni adeò significat, nisi fortè in morbis acutis, concoctionis initium. nam tenuis vrina morbi principio non facilè cogitur: vbi autem concreuerit, faciliùs turbatur. MATHET. Quæ *[Turbida, & obscura triplex.]* turbida & obscura? GERON, Per cuius medium non transit, sed hæc triplex est. *[Prima.]* prima quidem exterioris frigoris vi talis euadit, omnium densissima, obscurissimaq;: hæc calori adhibita, statim clara efficitur, & pristinum splendorem recuperat, eoq; nulla calido loco sita turbatur, sed qualis est excreta, talis permanet: *[Altera.]* altera verò turbida est, cuius liquor vel per se, vel ab interiore quadam admistione, præsertim puris in renibus subsistentis, crassescit: nullo autem calore dissolui potest. pleraque verò in ea corpuscula innatant, quæ per quietem cum crassis subsidentibus in imum deferuntur: mox reliqua eius portio sępè expurgatur, claraq; euadit: sicut vinum, quod fece permista turbidum existit. *[Tertia.]* Tertia vrina turbida, vulgo confusa dicitur, tota sui similis est, in qua nihil innatat, nihilq; subsidet, neque aliud quippiam deprehenditur: quo sublato, quanuis illa diutiùs quiescat, nihilo magis tamen inclarescit, neque igne, neque alio quouis calore dissolui potest. MATHETES, *[Turbida vnde profluat.]* Vnde turbida profluit? GERON, Ex renum, aut vesicæ affectu, quibus vel copia humoris subsistit, quem vrina secum rapit, vel vlcus simplex: vnde cruor, vel sordities saniosa, purulenta,

aut

aut mucoſa manat. Quare quicunque grauioribus doloribus nephriticis, ſunt obnoxij, vix vnquam claram vrinam reddunt. MATHETES, Quid turbida ſignificat, quæ ſine his affectibus excerni ſolet? GERON, Craſſorum humorum in venis copiam, effuſionemq; eorum, quos natiuus calor difficulter concoquit: vnde etiam morbi longi, contumaces, capitisq; dolores, generantur. quòd ſi talis vrina diutiùs perſeueret, Veternum, aut Coma minatur. MATHETES, Quid vrina portendit, quæ de repente, & è veſtigiò turbida euaſit? GERON, Materiam craſsiorem diù obſtructam, nunc vijs adapertis, è liene, iecore, renibus, aut ex venis maioribus excidere, vt in ſanis ferè poſt exercitationem, in ægris poſt morbum, præſertim longas febres, vt quartanas, nec non poſt lienis iecorisq; affectus, & abſceſſus erumpentes euenire ſolet, ſic vt corpora inde alleuamentum ſentiant. MATHETES, Quæ aliæ vrinæ ſunt turbidæ? GERON, Rubidæ, ſiue luteæ, ſubſidentium expertes: quales per initia febrium, & continentium, & intermittentium profluunt: adhæc, quę cruda ſimpliciter nuncupatur, turbida etiam, nondum autem confuſa æſtimatur. Nam illam humor crudus, et ſuperuacuus, è venis, aut è liene, aut è iecore, ſimiliter vt in arquato emanans, ſeroſoq; ſe inſerens ſanguini, talem effecit: confuſa verò nunquam renum, aut viſcerum duntaxat, ſed venarum ſemper affectibus ſuccedit. atque hæc non crudorum humorum abundantiam, ſed proprij ſanguinis, & eorum qui venis inſunt maioribus, confuſionem, corruptionem, & putredinem, eamq; propemodum malignam denuntiat: eò quòd hæc omnia permiſceat, confundat, atque perturbet: eoq; in ſolis febribus continuis, periculoſis, & prauis deprehenditur. Vnde ea vrina, quæ etiam nullo renum vitio contaminata eſt, non ſemper ſanguinis, & ſuccorum eius conditionem demonſtrat. Quanuis enim illa, interdum lutea, craſſa, & turbida excernatur: tamen ſanguis, ſi cui tunc detrahatur, admodum purus, & rubicundus apparet: id quod ſæpenumero in quartana, tertianaq; intermittente, & arquato etiam euenire ſolet, cum bilis ſuperuacua, vel ex iecore, vel ex eius veſicula, vel alijs locis in venas defertur: ſic vt non ſanguini ipſi, ſed eius ſero tantum permiſceatur. Non igitur rectè ſanguis mittitur, quàmprimum vrina craſſa, et rubra apparet. nam fit interdum, vt vrina tum colore, tum eſſentia naturali reſpondeat: ſanguis autem detractus, & colore, & eſſentia vitioſus appareat. MATHETES, Quando id contingit? GERON, In continentium febrium ſtatu, antéque criſim, cùm vrina perfectè eſt concocta, quanuis natura, nullam adhuc humoris noxij euacuationem, tentauerit.

Turbida quid ſignificet.

Rubida ſeu lutea turbida.

Confuſa vrina.

Vrina copioſior vnde.

MATHETES, Vnde vrina copioſior, vel paucior quàm aſſumpta potio prouenit. GERON, Indubiè ex victu. nihil enim ex corpore euacuari poteſt, cuius materia non aliquando fuerit ingeſta. In ſanis quidem ex vſu vini tenuis, aut aquæ, aut medicamenti, quod illam cieat, vel ex aëris nos ambientis occurſu, vel ex aliarum rerum exteriorum iniurijs. In ægris autem interdum ex renum vitio, qui ſerum ex vniuerſo corpore, maxima vi proliciunt, profunduntꝗ ſedulò, præſertim ſi æſtus febris ardentis, viſcera ipſa exurentis, materiam congeſtam liquarit. quæ copioſa ad eos delata, celeriter profluit, alba propemodum tenuis, ſubſidentium expers, græcè διαβήτης, latinis velox vrinæ profluuium, nominatur. Interdum ex interiore affectu, vrina liberaliùs prodit, nempe cum ampla aquarum copia elabi, iam diu prohibita, erumpit: interdum ex aqua ſubter cutim: interdum ex magna cruditate aquæ, circa viſcera fluctuantis. Hinc enim in renes impetu quodam, aut vi naturę, perinde vt in ſpontanea ventris perturbatione, contendit. MATHETES, Solétne tanta vrinæ euacuatio, corpori aliquid adferre præſidij? GERON, Quanuis vires eius aliquantum debilitet: ventriculum tamen, & abdomen, quaſi pondere ſubleuat, ſic tamen vt corpus non extenuet. Interdum etiam, huius, & humorum moles colliqueſcit, dilapſaꝗ in vrinas diffunditur: quemadmodum in potoribus bibulis vini, craſſo corporis habitu præditis, accidiſſe conſtat, vt in diebus paucis, ex ingenti corporis mole, in magnam gracilitatem, citra vllius morbi vim, inciderint. Aliâs id caloris, aut febris colliquantis efficacia, contigiſſe nouimus, dum vrina copioſa quidē, non tamen tenuis & alba, ſed flammæ, aut paſsi colorem imitata proflueret, cui etiam pingue, & oleoſum quiddam innataret. MATHETES, Quæ paucitatem vrinæ pariunt, notantꝗ? GERON, Imbecillitas facultatis excretoriæ, vel renum, vel meatuum vrinariorum, horumꝗ obſtructio, & tumor renum minùs naturalis, ſicut in extenuatis, & à morbis conualeſcentibus, vſu venire ſolet. Idem efficit febris peſtiferæ vehementia, quę corporis humorem abſumit: aliâs in ſanis potus exiguus, idꝗ potiſsimum auſterus, craſſusꝗ, cibi ſicciores, viſcoſi, & craſsi, qui meatus obſtruunt, largi ſudores, copioſa alui deiectio. Nam cùm natura omnia corporis ſuperflua, per conſueta emiſſaria educere molitur, ſic vt per hæc maior, per illa minor fiat excretio. nonnunquam etiam vrina fit paucior, quando potus in corporis alimentum abſumitur.

Vrinæ euacuatio quid præſtet.

Vrina paucior vnde.

ODOR vrinæ.

MATHETES, Qui odores vrinæ percipiuntur: & quid ſinguli indicant? GERON, Quanuis parum decorum ſit, medico vrinam naribus admouere: tamen non abs re eſſe cenſeo, de odore ip-

reip-

re ipsius aliquid posse iudicare. Malim tamen id officij vel ægro, vel eius familiaribus committere: vt qualis ille sit, fœdúsue, an suauis, vel moderatus, vel nullus, ipsi dijudicent. Nulla sanè vrina suauem odorem refert, nisi terebinthina assumpta, vel moscho, vel laserpitio, vel alio odorato medicamento. Moderatus autem sæpè in sano corpore, & eo quòd benè valet, deprehendi consueuit. MATHETES, Vnde fœdus odor prouenit? GERON, Aliquando ex assumptis, aut naturalium vlcere: atque tunc vrina alba, crassaq́ existit: cui subsideant purulenta. Quando autem crassior mucus in illa subsidet, ipsaq́ cum dolore excernitur, vesicæ calculum significat. Porrò vrina fœtida, quæ ex superioribus partibus descendit, siue rubra ac turbida, siue tenuis ac perspicua, nunc cum febre, nunc absque illa, vel humorum, vel partium essentiæ putredinem nunciat. MATHETES, Quid fœditas recens à vetusta differt? GERON, Illa sanè crassa & turbida, humorem: hæc autem essentiam partis cuiusdam putrescere, testatur. MATHETES, Quæ alia fœdi odoris excreatur, & quid signat? GERON, Quæ post crisim die decretorio profluit, & copiosa redditur, ea ægro leuationem affert. MATHETES, Cùm varios vrinæ colores superiùs enumeraueris, rogo te mi præceptor, vt deinceps exponas, quænam causæ hos efficiunt?

Vrinæ odores qui.

Odor fœdus.

GERON, Præcipuè corporis viscerumq́ calor, alieniq́ humoris admistio. nam omnia quæ calefaciunt, vt exercitatio, inedia, æstus, & febris, simul vrinas colorant, eoq́ magis, quò sunt vehementiora. Quinetiam vrina si diutiùs in corpore subsistat, ac longius à cibo reddatur, coloratior euadit. Initio autem cùm ex primo sanguinis sero gignitur, alba existit. deinde vbi magis à natura concoquitur, subpallida, & pallida, seu spicea, & citrina efficitur: quæ à citri colore sic nominatur, mediumq́ locum inter omnes obtinet: mox subrufa, & subflaua, nec non rufa & flaua euadit, sicut etiam crocea, & aurea (vt nonnulli vocant) inde rubida, rubraq́, tandem viridis, liuida, & nigra. MATHETES, Quid albæ tenues, simulq́ perspicuæ, & in totum aqueæ portendunt? GERON, Insignem renum, vel mesenterij, iecorisq́ obstructionem, aut concoctionis imbecillitatem, à summa iecoris, & ventriculi intemperie frigida profectam, denuntiat. in ardentibus autem febribus, bilem cerebrum inuasisse, & delirium fore signat, paulò tamen minùs, quàm superiores albæ. MATHETES, Quid crassæ? GERON, Si pariter cornu instar, perspicuæ sint, quæ græcis γλαυκαὶ, & χαροπαὶ, dicuntur, pituitam mucosam excellere demonstrant: sicut albę, crassæ, & viscosæ, quales lacteę appellantur, quòd lacti respondeant, pituitam abundare arguunt. Si verò

Causæ quibus colores fiunt in vrinis.

Albæ, tenues, perspicuæ, aqueæ quid.

Quid crassæ.

Subpallida quid.

diutiùs tales apparent, frigidos longosq; morbos testantur. MATHETES, Quid subpallida, post albam notat? GERON, Minorem cruditatem quàm albæ, & calorem temperato proximum, quasi natura concoctioni incumbat: febris solutionem, si ardentes antecesserint: in acutis morbis, mortem vel tabem præsagit: pallida, plus bilis seroso humori mixtum esse, declarat. hæc si magis concocta fuerit, coloratior, & subrufa euadit. vnde græcis ὑπόπυῤῥον, dicitur.

Citrina.

MATHETES, Quid citrina? GERON, Optimum corporis habitum, & valetudinem. MATHETES, Quæ huic succedit? GERON, Flaua seu rufa, & crocea. atq; hæ ipsę puræ, & perspicuæ, meram simplicemq; intemperiem, crassæ & turbidæ, humorum vitia, admistionemq; denuntiant. Post has turbidæ, ac rubræ, bilem rubram sanguinis sero admistam esse, aut sanguinis nimis concocti copiam, signant: si perspicuæ sint, flammeę vocantur, ac nimium iecoris calorem, & sæpè ardentem quoq; febrem significant. sin autem crassę, obscuręq; fuerint, siue cum febre, siue citra illam, bilem flauam, aut luteam, aut rubram, sero admistam esse demonstrant, qualis in febrium accessionibus declinantibus apparere solet: præsertim autem cùm iecur, aut inflammatione, aut scirro euidente, vt in aqua subter cutim, vitiatum est: vel cùm hoc ipsum, aut fellis vesicula, valdè est obstructa. hæc arquatum aut præsentem notat, aut futurum prænuntiat.

Vrina cruenta.

MATHETES, Quid vrina cruenta? GERON, Siue recentis carnis lotioni, ac veluti saniei, siue puro sanguini respondeat, vbi refrixerit, quasi grumum huius concreti, ostendit. MATHET. Quomodo talis fieri solet? GERON, Vbi renes attriti, venæq; eorum adapertæ fuerint, sanguis statim ab eis tanquam calculus, pondere, non iecoris imbecillitatis gratia (vt quidam opinantur) profluit. Quare si vrina neque lumbis, neque renibus casu, vel ictu contusis, cruenta redditur, certè talis ipsa ex calculo, qui renes atterit, præsertim cùm vehemens obitur exercitatio, excernitur: turbida, & nigricans hanc præcedit, quando nephritis imminet.

Vrina passea. Vinea.

MATHETES, Quæ rubris istis vrinis succedunt? GERON, Vuæ nigræ persimiles, & à vino, passoq; vulgariter dictæ, vineæ, & passeę: vel sanguinem, vel bilem assari, & in atram degenerare, testantur.

Viridis siue porracea.

Cœrulea seu veneta.

Liuida vel plumbea.

MATHETES, Quæ has sequuntur? GERON, Primùm viridis, siue porri colorem referens, quæ porraceæ bilis, aut æruginosæ copiam, admistionemq; signat: deinde cœrulea, siue veneta: tertiò liuida, seu plumbea, quæ melancholicum humorem abundare, admiscerique, aut natiuum calorem restinctum esse, indicat, nisi è plagis, & verberibus sit contracta: postrema nigra est, ex rubra quidem & viridi conflata, summum incendium, bilisq; atræ adiunctionem

nem

nem notat: ex cœrulea verò, & liuida, calorem in totum restinctum esse signat. quanquam tales etiam crisi quadam profluant, tum in acutis, tum in diuturnis morbis, melancholicisque: quando dies adest decretorius, & æger ex facili morbum tolerat, euaditq; periculum. MATHETES, Ex his coloribus semperne, & certò morbi indicantur? GERON, Non semper. aliâs enim cibus non probè immutatus, elaboratusq;, neque in sanguinem conuersus, similem sibi colorem vrinæ efficit, idq; non modò in secunda, sed etiam in aduersa valetudine. Verbi gratia, si quis oleribus escæ loco vsus fuerit, aut medicamentum aliquod, vt rheubarbarum, vel senam, vel casiam fistularem, vel rubeam maiorem, vel croci etiam minimum assumpserit, adeò illa vrinam colore inficere solent, vt nihil ex ea certi cognoscere liceat. Multùm etiam refert nosse, an quis pridie exercitationi ampliori indulserit, vel à cibis abstinuerit, vel torsus sit vigilijs, vel defatigatus, vel ira commotus, vel metu perculsus, vel concubitum, vel vomitum, vel purgationem expertus fuerit. nam hęc quoque, sicut potio illorum, quæ bibimus, colorem vrinæ mutant. Si nanque aquam, aut vinum album & tenue liberaliùs sumpseris, vrina quoque alba, & subtilis erit: si verò hoc crassum, & nigrum fuerit, illa quoque nigra, & crassior excernetur. Interdum colliquatio quoque eorum, quæ in corpore consistunt, alium vrinæ colorem inducunt. nam illa semper earum partium, quæ in corpore humano liquescunt, pinguedinis, præsertim adipis, similiumq; colorem repræsentant. Sed de his satis: nunc ad ea pergam, quæ in vrinis duplici genere continentur: quorum alterum ex ipsamet essentia vrinæ prouenit: alterum veluti excrementitium existit. Primùm rursus ex tribus constat. alia nanque in imo matulæ subsident, vnde Græcis ὑποστάσεις, nobis subsidentia, vulgo sedimenta vocantur: alia ad mediam regionem matulæ suspensa sunt, ac Græcis ideo ἐναιωρήματα dicuntur, latino destituta nomine, nisi sublimia vocare velis: alia per vrinæ summa, nubium aëris instar extant: vnde etiam nubes, ac nubeculę nobis, gręcis νεφέλαι nuncupantur. quanq; Hippocrates etiam eneoremata sic appellet. MATHE. Quid singulę istę materię sunt, & vnde generantur? GERON, Ea quæ subsidet, crassior ipsius portio existit, vi insiti caloris, à reliqua eius materia secreta, in imumq; depressa. quæ licet per initia non appareat, statim tamen postea segregatur, & stillatitiæ rosarum aquæ feculæ modo coit, eoq; non solùm ex ventriculi, aut solidarum partium, sed præcipuè maiorum venarum concoctione, prouenit. Sicut autem hæc subsidens materia, & vrina eadem constant origine, sic etiam similem sortitæ sunt essentiam. Co-

Morbi non semper ex vrina iudicari possunt.

Vrinæ colorem quæ immutent.

Hypostasis.

Eneorema.

Subsidens vnde proueniat.

Subsidens vrinæ materia & liquor quid differant.

Vrina copioſa, tenuis & aquoſa quid ſignet.

pioſa nanque vrina valdè tenuis, ac prorſus aquea, nullum habet ſubſidens. ſimpliciter autem tenuis, tenue: quemadmodum in crudis, & ijs qui infirmiter concoquunt. mediocris, mediocre: craſſáque craſſum, vt in pueris, & alijs qui multum ibi aſſumunt, conficiuntq́. At quæ vrina rei cuiuſdam externæ, aut à renibus, aut à veſica profluentis, admiſtione craſſeſcit, turbidaq́ efficitur, craſſamentum profert, quod propriè ſubſidens non eſt, ſed eius fęcula. quaratione liquor vrinę, materiam ſubſidenti miniſtrat. MATHETES, Quid illam ab vrina ſecernit? GERON, Calor natiuus. atq́ is valens quidem, materiam vrinę liquori inſperſam, minimè tunc conſpicuam, celeriter ſeparat colligitq́, & poſtea omnino ad inferiora depellit, tandemq́ adeò cogit, vt æqualis vbique, ſuique ſimilis, & lęuis euadat: hoc eſt, quæ nihil aſperum ac diuulſum habeat. Quòd ſi verò vrinæ calor infirmior fuerit, craſsiorem hanc eius portionem tardiùs ſegregat: imò neque ad ima depellit, ſed in medio ſuſpendere, ſiue diuulſum, ſiue inæquale propemodum ſinit. Si verò adhuc languidior extiterit, tardiſsimè eam ſecernit: cumq́ non poſsit cogere, eam vel diuulſam, vel per ſumma nubis modo innatantem relinquit. MATHETES, Quantum igitur intelligo, ea quæ in vrina continentur, triplicem ſitum occupant, nempe in imo matulæ, in medio, & per eius ſumma. GERON, Ita habet. ſi verò calor natiuus ſummè languidus exiſtat, ſicut in pernitioſa febri putrida: aut ſi nimia humorum nocentium copia opprimatur, veluti in arquato, nec non in febri tertiana ſępè, quando bilis abundantior è iecore in venas irrumpens, ſero admiſcetur: nihil prorſus in vrina ſegregat, ſed illam reliquis ipſius partibus permiſtam, & confuſam relinquit. MATHETES, Qualia calor natiuus validus adhuc, in vrina moliri ſolet? GERON, Vt quæ in imo ſubſident, quæq́ in medio ſuſpenſa ſunt, & quæ per ſumma extant, ſint alba, lęuia, & æqualia. quanquam quæ in medio pendent, minùs bona ſint, quàm quæ in imo ſubſiſtunt: & quæ in alto extant, deteriora ſint duobus reliquis. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia tale ſubſidens, calorem inſitum, pernitioſos morbi humores prorſus viciſſe, & concoxiſſe teſtatur. Id autem quod in medio eſt, calorem imbecillem quodammodo monſtrat, vt qui materiam nondum concoctam ſatis, queat ſuperare, & ad imum propellere. quod in ſummo eminet, cruditatem caloremq́ imbecilliorem eſſe nunciat. MATHETES, Quid ſibi volunt iſta, cùm alios colores, quàm album repræſentant? GERON, Subſidens nigrum, aut liuidum, peſsima quæq́ ſignat, atq́ eiuſmodi pernitiem, quæ naturam prorſus obruat: medium autem vrinæ nigrum, aut liuidum, minus exitium: quod in ſuperficie verò

Craſſa & turbida, ſubſidens non verum, ſed fæculentum refert.

Subſidens ex liquore vrinæ.

Calor natiuus quid in vrina agat.

Calor natiuus vrinæ infirmus.

Vrinæ contenta in triplici loco.

Calor natiuus languidus.

Validus qualia moliatur.

Quomodo differant ſumma, media, & ſubſidentia.

Inditia colorum in contentis.

vero eminet, adhuc minus: quia calor natiuus in ijs nondum succumbit, sed aliquid adhuc efficaciæ reliquum obtinet. MATHET. Qualia hæc vrinarum contenta optima existunt? GERON, Alba, vt dixi, læuia & æqualia, tum quantitate, tum essentia mediocri prędita. quæcunq; verò ab his degenerauerint, vitiosa sunt. Fiunt autem copiosa in sanis bifariàm. primùm, cùm vel sudores, qui antea erumpere solebant, vel aluus, vel alia quædam naturalis euacuatio supprimitur: atque tunc crassa, & cruda apparent. secundò, alimento pleniore, & facultatis calore: quando illa tum essentia, tum colore sunt mediocria. MATHETES, Vnde illa pauciora gignuntur? GERON, Ex inedijs, vigilijs, exercitatione vehementi, alijs causis euidentibus, quæ corporis essentiam absumunt, digeruntq;. MATHETES, Qualia generantur in ægris? GERON, Crassa, idq; vel à crudioris materiæ copia, quam natiuus calor euincere non potest. atque tunc etiam cruditatis inditia comitantur: vel à morborum longorum crisi, quando manifesta illorum fit alleuatio. MATHETES, Fiuntne contenta in vrinis etiam aliunde, quàm modò dixisti? GERON, Fiunt, interdum etiam ex pure & pituita viscosa. Tenuia enim cruditatem in morbis, aut concoctionis initium demonstrant: in sanis tenues humores nondum ad essentiæ mediocritatem redactos. MATHETES, Vnde contenta læuia proueniunt, quæ superiùs vocasti continua, nulla ex parte fissa, rugosa, aut diuulsa, sed cohærentia, quibus nihil insit asperitatis? GERON, Ab insito calore valido, sicut contraria his, nempe aspera, & diuulsa ab imbecillo, qui ea nequaquam cogere potuerit. Sic etiam de æqualibus, & inæqualibus contentis iudicandum est. Illorum partes omnes tum crassitie, tum colore sibi inuicem respondent: horum autem dissimilitudine quadam distinguuntur, neq; ex æquo concoctæ, aut coloratæ apparent. MATHETES, Quid si non album, sed alium colorem repręsentent? GERON, Si pallidum, flauum, aut rubrum, bilem in venis abundare, aut sanguinem vehementi ardore corrumpi, ostendit. si verò Hippocrati credimus, rubra, & læuia in vrinis rubris, securitatem pollicentur. Sin autem cęrulea, liuida, ac nigra existant, vitalem calorem restingui, aut sanguinem, seu atrum humorem, vel in vasis vrinarijs genitum esse, vel aliunde irrumpere testantur. MATHETES, Semperne in vrinis ea quæ retulisti, contineri solent? GERON, Est, cùm nulla in illis apparent, idq; vel ob magnam obstructionem, vel ob largiorem potum, ac tenuiorem, qui anteà in corpus digeratur, quàm cum cibo mistus sit, aut concoctionem expertus. atque sic vrinæ tenues fiunt, eò quòd nulla, aut pauca admodum contentorum suppetet materia; sed nihil mali in sanis ostendunt; in ęgris

Contenta qualia optima.

Copiosa contenta quomodo fiant.

Pauciora.

Qualia in ægris generentur contenta.

Contenta læuia.

Æqualia, & inæqualia.

Contenta quando nulla.

autem,qui humorum vitio laborant,aduerſa ſemper: quia vitioſa humorum materia in renibus deliteſcit, quorum copia natura impeditur. Atque hæc de contentis vrinæ habui, quæ mihi cognitione digna eſſe videntur. nunc ea quæ in vrinis feruntur, expediam. MATHETES, Quomodo appellantur? GERON,

Nomina eorum, quæ vrinis immiſceri ſoleant.

Corona,ſeu circulus, nubeculę,bullulę,ſpuma, pus,pituita, ſemen,grumus ſanguinis,calculi,capilli,arenę,furfuribus ſimilia. Ex his quoq; ſicut de alijs iam dictum eſt, nonnulla per ſummam vrinam innatant:nonnulla per mediam volitant:alia in fundo matulæ ſubſident. Ac circulus quidem ſeu corona, primam regionem ambiens in vrina ęquali,& ſui vbique ſimili, obſcurus apparet:in diſsimili verò,aut in humorum agitatione,manifeſtò. nam cùm ſumma vrinæ portio tenuiſsima ſit, magis immutari ſolet,& varia ſæpè,vel colore,vel eſſentia oculis ſubijcit, quæ nondum in reliqua vrinæ parte videri poſſunt. MATHETES, Quid corona, ſeu circulus ſignat? GERON, Qualis in vaſis maioribus ſanguis contineatur. alba nanque & tenuis, illum aquoſum, tenuiq; ſero dilutum monſtrat:ſicut alba & craſſa,pituitoſum: citrina naturalem:rufa,copioſa bile, ac flaua perfuſum: rubra ac ardens, feruеſcentem & inflammatum:viridis,bile porracea,& æruginoſa imbutum: cœrulea & liuida, melancholia naturali, vel atra bile vitiatum,aut ex corruptione ipſius ſtatim in humorum illorum naturam degeneraturum teſtatur:vnde poſteriores ex ipſis,vel morbum melancholicum,vel comitialem denunciant. MATHETES,

CIRCVLVS ſeu corona.

SPVMA.

Quid ſpuma vrinæ ſignat? GERON, Si copioſa admodum citra ipſius agitationem talis euaſerit,ſenſus interiores perturbatos,viſcoſoſq; humores,& flatus copioſos in corpore vagari, præcipuè in cerebri ſinibus, ventriculo,& inteſtinis. atque hæc ex illis diſtenduntur, doloreſq; colici ſubſequuntur: ſiue ex immoderato fructuum leguminúmque vſu, ſiue ob natiui caloris imbecillitatem. Porrò colores circuli, & vrinarum ſæpiùs inuicem diſtant:interdum inter ſe conueniunt.quòd ſi coronę peculiares, ad bonos declinent, vrinæ verò ad malos, ſecuritatem indicant: quia tunc natura humoribus dominari incipit. ſi verò deteriores ſint, quàm vrinæ, periculum minantur: quia tunc humores naturam vincunt. MATHETES, Quid bullulæ præſagiunt? GERON,

Circulorum colores.

BVLLVLÆ.

Si amplæ diutiùs coronæ ambitum occupent, obſtructiones ex craſsis,& viſcoſis humoribus contractas: ſi verò illæ ſtatim rumpantur,diſſoluanturq;,flatus,& humores tenues adeſſe nuntiant: ſi exiguæ per vrinæ circulum extent, magnum capitis dolorem notant: ſi albæ & pallidæ ſint,exiguum: ſi citrinæ ac flauæ,acriorem:ſi vrinę tenui;ac contentis eius non prorſus concoctis inſint,

calo-

caloris natiui imbecillitatem indicant: si vrinæ tenui, & subsidentis experti, renum obstructionem: si media regione vrinæ consistunt, dolorem remissum esse, materia scilicet iam discussa, quę illum excitauit, nec non defluxionem ad pulmones, tum in sanis, tum in ægris factam, ostendunt. Maiores, quę iam citra ordinem per matulam dispersæ sunt, dolores qui antecesserunt, imminui significant: eò quòd crassior glutinosiorq; materia, iam subtilior, magisq; concocta & obediens euaserit. In summa, quò bullulę minores, densioresq; fuerint, & iuxta solum circulum consistant, eò plures spiritus, & efficaciores, & crassiores indicant: contrariæ imbecilliores, qui citiùs discutiunt. Quæ totam coronam obsident, totum quoque caput: quę dimidiam, alteram duntaxat partem eius dolere indicant. Si recens, nec anteà in morbo apparuerint, naturam concoctioni incumbere, argumentum est. Densiores bullulæ, seminis profluuium, ex illius vasis commotis, & flatibus ad vrinam delatis, procreatum testantur: qui morbus vulgò ardor vrinarum appellatur. quinetiam frigidam renum, & vesicæ affectionem, astrictionemq;, & flatuum retentionem portendunt.

Ardor vrinæ.

PINGVIA vrinarum.

MATHETES, Quid pinguia in vrinis declarant? GERON, Si per summa innatant, & aranearum telis respondeant, hominem tabe, vel ardore consumi, ardenti febri, vel hectica, vel solos renes colliquescere arguunt.

Aranearum telis similia.

PVNCTA tanquam olei diuulsa.

MATHETES, Quid puncta tanquam olei diuulsa notant? GERON, Eadem, sed minùs firmiter: quanquam ipsa ex oleo epoto, cum vrina interdiu, profluant. quò autem faciliùs illa discutiuntur, eò morbum læuiorem: quò diutiùs permanent, hoc difficiliorem demonstrant.

FVRFVREA.

MATHETES, Quid furfuri vel crassiori farinę, vel squamulis similia, in vrinis signant? GERON, Si vrina tenuis fuerit, venarum adustiones, ex flammeo febrium ardore contractas: si crassa, vesicæ scabiem significat.

Squamæ.

MATHETES, Quid squamæ? GERON, Vesicam exulceratam esse, & erosam, præsertim si grauis odor adsit. sin autem absque exulceratione ille proueniat, febris ardor, summas vasorum tunicas colliquat, velutiq; in laminas resoluit, vnde solidæ partes consumuntur, sed tantò minùs, quantò squamæ sunt tenuiores.

Farinæ similia.

MATHETES, Quid farinę similia pręsagiunt? GERON, Quæ in summo volitant, vel in imo subsident, eadem quidem, sed grauiora nuntiant. Nam cùm vel sanguis crassus, ardore febris adustus, vel caro tenera, ac opima liquata fuerit, eaq; tandem durior, veluti in sartagine torrefacta, exaruerit, tunc, quæ per vrinas redduntur, crassiorem farinam repræsentant, longę valetudinis aduersæ inditia. hæc autem non in morbis tantum periculosis, sed etiam in grauidis obseruari possunt. Quippe nonnulla tenui farinæ, aut amylo similia

Concepti fœtus inditium. in illarum vrinis,etiam cùm benè valent innatant:in quibus dum quietæ seruantur, crassius aliquid, lanæ tenuiter carptæ instar,in imo subsidet,vel in medio hæret,quod conceptum indicat, vt sępè sumus experti. *FILAMENTA.* MATHETES, Quid filamenta capillorum illorum in vrinis designant? GERON,Vehementem renum calorem,vel largioris crassi cibi,vt erui,& casei vsum. Talia etiam ex vasis seminariis excernuntur, dum vel illius profluuium,vel albi menses vrgent, vel vterus fœda colluuie scatet. Interdum vrina quoque à primo concubitu reddita, talis apparet. MATHETES, *CARVNCVLÆ.* Quid carunculę portendunt? GERON,Exiguę,in vrina crassa,renes exulceratos esse. MATHETES, Quid grumus sanguinis, & pus in *GRVMVS sanguinis.* vrina significat? GERON, Ille quidem recens,vlcus: pus autem inueteratum ac sordidum, aut in rene, aut in vesicæ ceruice esse indicat. In hoc autē differunt,quòd illud à ceruice magno,cum partis dolore effluat:à rene verò nullo. adhęc,quòd à cole,vel à vesicę ceruice omnia,vel seorsum sine vrina,vel cum hæc reddi incipit,emanent,sic,vt statim in quiete subsideant. MATHETES,Quid *Pituita.* de pituita adfers? GERON, Si muci instar crassa matulæ fundo inhærescens, cum dolore reddatur, vesicæ calculum, vel sordidum ceruicis vlcus demonstrat. quæ citra dolorem profluit, ex crudo renum,aut vicinarum eius partium vlcere,vel abscessu pro*ARENÆ.*uenit. MATHET. Quid arenę ostendunt? GERON, Alię rubrę,alię flauę,alię albę sunt. primę duę species à renibus,posteriores à vesica prodeunt: quanquam ex rene, cùm sordidum in eo vlcus est, albi quoque calculi,pure concreto erumpant. Quę autem à renibus copiosę,& crassæ excernuntur, calculum fore nunciant, qui ex illis vel hordei,vel milii instar,cohęrescentibus concrescit. Vbi autem is ex ipsis renibus in vesicę spatium depellitur,vrinas crassas,turbidas,rubras,aut nigras efficit,renum doloris nuntii. MATHE. Quid *Vrinæ albæ,& tenues.* vrinę albæ & tenues cum lumborum dolore ostendunt? GERON, Quamlibet renum obstructionem,& calculum pręcipuè. Cùm minores calculi vrgent,vrina crassa,& turbida, tandemque cruenta profluit, maximè post validum laborem, exercitationémque. sicut etiam in casu,& ictu frequentes. Talis quoque vrina vesicę calculum testatur, eò quòd materia propemodum è renibus fluat: quanuis etiam vesicę vitio,& imbecillitate concrescat. nam exempto quoque calculo, senibus talis vrina sępenumero permanet. MATHE. Quales vrinę meatuum vrinariorū indices existunt? GERON, Prędictis ferè similes,siue hi arenis,siue calculis infarcti,siue exulcerati sint: nihil tamen certi,semper indicare possunt. Atque hęc de vrinis nouisse satis est. cras reliqua indicabo. nunc cœnæ tempus instat.

Ioan-

Ioannis Guintherij Andernaci Medici Clariſsimi

DE MEDICINA VETERI ET NOVA COGNOSCENDA, COMMENTARII PRIMI

DIALOGVS OCTAVVS.

MATHETES, Adſum honorate præceptor, vt quæ adhuc ex ſignis morborum ſunt reliqua, fideliter pergas, commemorare. GERON, Hactenus ea, quæ ad vniuerſa illorum genera pertinent, recenſui: nunc ſingulorum propria ſubijciam. Atque inter hos primùm ſanè, qui in totis corporibus conſiſtere ſolent: deinde verò eos, qui certis aſsignantur partibus, explicabo. MATHET. Quod vitiorum genus in hoc ordine princeps eſt, quo totum corpus infeſtatur? GERON, Febris, quæ affectus naturæ hominum inimiciſsimos, ab alieno cordis calore, in totum corpus effuſo, græcis πυρετὸς, appellatur.

FEBRIS primarium totius corporis vitium.

MATHETES, Quem vocas alienum calorem? GERON, Naturali contrarium. MATHETES, Quis naturalis? GERON, Tum, qui primogenio ſolidarum partium humori inhæreſcit, cœleſtem ſortitus originem, primarius omnium functionum opifex: tum, qui temperatus ex moderata elementorum permiſtione profectus eſt, inſiti illius auxiliarius, vt quem foueat excitetq́.

Naturalis calor.

MATHETES, Quid naturali contrarius calor agit, dum febrem gignit? GERON, Inſiti ac natiui eſſentiam, tanquam crudeliſsimus hoſtis ſemper oppugnat, labefactat, actionesq́ eius interpellat: ac triplici ſpecie comprehenditur. Vna quidem ſimplex, inde procreata, quòd calor elementaris increſcens, à temperie, & mediocritate recedat, iuſtoq́ amplius exuperet, & ſenſim à natura alienetur, quæ anteà huic erat familiaris. Altera verò ex putri gignitur materia. quanuis autem ille non adeò ardens exiſtat, ob originis ſuæ conditionem quam imitatur, naturæ contrarius, natiuoq́ calori moleſtus tamen exiſtit. Tertia exitialis eſt, peſtiferę ac venenatę materię ſoboles, quę non qualitatis exceſſu, aut putredine, ſed totius eſſentię virulentia vitiali, innatoq́ calori aduerſatur.

Naturali contrarius quid agat

Alieni caloris ſpecies tres.

MATHETES, Febris igitur ſolus calor naturæ contrarius auctor exiſtit? GERON, Ita ſentio, modò ille iam accenſus, conſtanter perſeueret. aliâs enim ſi corpus noſtrum vel æſtu, vel balneis, vel exercitijs incaleſcat, illis autem ſtatim remiſsis, refrigeretur: certè calor iſte, neque febris, neque morbus vocari poteſt: imò neque ille, qui

Febris cauſa.

è iecore calidiore, cum sanguine & vapore erumpit, & palmas, inferioresque partes pedum, quasi adurit, aut omnem quamcunque corporis regionem inuadit, febrim generare non potest. MATHETES, Qua de causa obsecro? GERON, Quia ex corde non prodijt. Nam ex hoc per arterias, simul cum spiritu effusus, vniuerso corpori celeriter distribui potest, & actiones omnium partium impedire, quod iecore, aut alio viscere affecto fieri nequit. MATHET. Calor igitur febrium, non aliunde quàm ex corde accendi solet? GERON, Continuarum quidem, & primariarum ex hoc solo: intermittentiũ autem, & earum, quæ secundariò gignuntur, græci συμπτωματικὰς vocant, nõ ex corde primùm, sed alia ex parte incensas illud impetit: deinde hinc æstuans cum spiritu statim, per arterias totum corpus penetrat. MATH. Estné vnum febris genus, an plura?

Calor febris vnde incendatur.

Quid febris, & quæ eius species.

GERON, Cùm illa nihil aliud sit, quàm externi siue alieni caloris incrementum, multa ac varia esse oportet. atque inter hæc tria sunt principalia, nempe simplex, putridum, & pestilens. Primum, quòd ex naturali calore in igneum conuerso nascitur, & in tres quoque species diuiditur, nempe in diariam, continuam, & hecticam. priori, nomen latinum diariæ, græcum ἐφήμερον, eadem ratione inditum est, quòd vno ferè die desinat: altera græcis σύνοχος, nobis continens vocatur: tertia, quia in habitu corporis consistit, græcè ἑκτικὴ dicitur, latino destituta nomine. MATHETES, Vnde singulæ contrahuntur, ex eadémne, an diuersa materia? GERON, Diaria, ex spiritu tantum insigniter inflammato: cuius calor etiam vniuerso corpori communicatur. Continens autem, ex solo sanguine efferuescente, non putrido, aut alia labe infecto: cuius contagionem cor, aliæque partes corporis experiantur. Hectica, in solidarum partiũ essentia consistit, inhæretque. Sed hoc notes velim, duas eius esse differentias, vnam generalem ac summam, quæ primùm cordis, deinde reliquarum partium essentiam, ex æquo inuadat: alteram quæ initio partis alicuius, vt ventriculi, aut iecoris, aut lienis, aut pulmonum essentiam, intemperie calida affectam, per se obsidet: deinde verò cordi, & singulis corporis partibus etiam impartitur. MATHETES, Quot putridi generis febrium species existunt? GERON, Duæ: continua, & intermittens. MATHET. Quando vtraque generatur? GERON, Illa, cum in venis arterijsque maioribus putredo, vel ipsamet, vel eius vapor cor asiduè attingit, inficitque: hæc autem, cum illa vel est leuior, aut remotiùs à corde sita, vt non asiduè id queat afficere. MATHETES, Quottuplex est continua? GERON, Duplex. vna principalis, ac vera, quam humor putris, in vasis maioribus, inter alas & inguina sitis, collectus accendit. secunda symptomatica quæ

Materia febrium.

Hectica duplex.

Putridarum species duæ.

Continua duplex.

quæ visceris, aut partis cuiusdam putredinem comitatur. Quæ autem ex iecoris, aut lienis, aut renum, aut alterius cuiuscunque partis erysipelate, nascitur, grecè τυφώδης, quasi dicas adurens, nominatur: quæ verò ex earum, aut insigniorum partium, vti pul- *Acuta.* monum, vel membranæ costarū, vel cerebri inflammatione contrahitur, φλεγμονώδης, hoc est, inflammatoria dicitur. Quòd si verò humor in hisce visceribus coërcitus, citra eorum inflammationem statim, ac simul putrescat, acuta febris excitatur: si lentè ac paulatim, continua longa, ac diuturna, fieri solet: at species istius febris, *Longa.* pro humoris abundantis natura, variæ gignuntur. Nam sanguis venarum, arteriarumque, si cùm putrescit ac incenditur, probè temperatus, & æquabiliter ex quatuor humoribus permistus, existat, febrim continentem putridam excitat: si calidior fuerit, bilis magis quàm aliorum humorum particeps, tertianam prorsum ge- *Tertiana continua.* nerat: si amplum huius incendium, cor, & præcordia obsederit, vera febris ardens erit, quæ Græcis καῦσος, nuncupatur. *Ardens vera.* At si pituitosus sanguis vincat, incendaturque vt putrescat, quotidiana continua: si melancholicus, quartanam febrim pariet. *Quotidiana & quartana continua.* MATHET. Qualis est febris putrida intermittens?

GERON, Varia. alia nanque simplex, alia composita, alia con *Intermittentes. Simplices.* fusa appellatur. simplicis rursus tres sunt differentiæ, vt quotidia- *Compositæ.* na ex pituita putri conflata, tertiana ex bile flaua, quæ extra venas *Confusæ.* maiores computrescit: quartana ex bile atra, quæ pura ac seorsum putrescit. MATHETES, Quam vocas febrim confusam? GERON, Galenus nullam sic vocat, sed sub spurijs, ac illegitimis comprehendit. Est autem ea, quæ non ex syncero humore, sed ex multis vno in loco, extra venas maiores confusis, simulque putredinem expertis, exoritur. talis est tertiana spuria, ex bile & pituita simul corruptis nata. MATHETES, Vnde fit composita febris? GERON, Ex ijs quæ intermittunt, commistis, implicatisque, vt tertiana duplex, quartana triplex, & semitertiana, quæ græcè ἡμιτριταῖος, dicitur, ex quotidiana continua, & tertiana intermittente. Sciendum autem varias hasce febres coniunctas, ex varijs quoque humoribus seorsum putrefactis, non vno eodemque in loco confusis, progenerari. MATHETES, Quæ febris est pestilens?

GERON, Quæ non simplici calore, sed maligno, & exitiali, *Pestilens febris.* nunc spiritus, nunc humores, nunc partes ipsas, inficit, & corrumpit. MATHETES, Repetas obsecro rem ab exordio, ac diariæ febris originem, causas, & inditia, exponas. GERON, Diariæ febris *Diariæ febris causa.* auctor est calor naturæ contrarius, in eo spiritu considens, qui arteriarum communis, è corde in totum corpus influit, ac diffunditur. cùm igitur ille, in hoc tanquam basi subsistit, reliquum cor-

pus inuadit, omnesq; huius functiones remoratur, impeditque. MATHETES, Cur febris diaria tam citò finitur? GERON, Quia spiritus, tanquam materia adeò tenuis est, & leuis, vt facilè dissipari queat. Quòd si longiùs protrahatur, vt in quartum quoque diem incidat, non solùm calor naturæ inimicus, spiritum, sed etiam humorem quendam vitiosum, incendioq; opportunum inuasit. vnde sæpè ex diaria, aliæ putridæ febres gigni consueuerunt. MATHETES, Quæ causæ euidentes diariam excitant? GERON, Illæ potissimùm, quarum vi & impetu, spiritus tenuis, calidus, & feruens, celerrimè incenditur. tales autem sunt, vigilia, sollicitudo, mœror, ira, æstus solis, aërisq; feruor, lassitudo, labórque vehemens, luxus, vinolentia, inedia, ciborum vitiosorum esus. adhæc euacuationes naturales, vt alui, vrinæ, quauis ex causa retentæ: nec non sudoris suppressio, ob cutis astrictionem, vel ex frigore, vel ex balneo astringente, factam. Preterea tumores glandularum & inguinum, ex labore contracti, doloresq; vehementes, qui corpus inflammant, & humores exagitant. MATHET. Qui in febrim diariam maximè sunt procliues? GERON, Calidi sicciq; temperamento prediti, acribus recrementis pleni, & quibus sudor, vrina, aut aluus, admodum fœdi sunt odoris. Quòd si febris ista eodem in statu, diem vnum excesserit, sic vt neq; declinet, neque vllo sudore discutiatur, metus est, ne vel in continentem, vel in putridam degeneret. Sub eo casu, si corpus vehementer siccum est, febris quoque hectica timeri potest. quinetiam biliosum hominem negotijsq; deditum, & sæpiùs, & maiori periculo afficit. MATHETES, Quæ notæ peculiares illam produnt? GERON, Blandus, mitisq; totius corporis calor, qualis in iratis hominibus, aut vini plenis percipi solet, pulsus statim per initia magnus esse incipit, celer, & frequens modicè, æqualis, mollisq;, & ordinatus: vrina parùm à naturali recedit: nullum cibi fastidium ipsam antecedit: nulla spontanea corporis lassitudo: nullus somnus grauior: aut nulla oscitatio, nec horror, sed derepente tota simul accedit. adhæc vbi iam inceperit, nullo grauiore incommodo molesta est, vt dolore capitis, ac ventriculi, aut nausea, aut æstu, aut corporis perturbatione. soluitur autem hæc febris interdum occultè, sine manifesta euacuatione. sæpè autem per copiosos cutis madores, aut per sudores, tum suaues, tum minùs largos. MATHETES, Que proxima diariæ febris existit?

Diariæ finis. — *Diariæ causæ euidentes.* — *Diariæ opportunæ.* — *Transitus diariæ in alias quando fiat.* — *Diariæ inditia.*

GERON, Ea, quam nos latinè superiùs continentem, putredinis expertem, grecè συνόχον, appellauimus. Nam hec etiam illius seruans naturam, corpus nimio sanguinis putrefacti feruore, infestat, rubidumq; efficit. Eadem continuè affligit, sic vt neq; intendatur,

Synochos.

datur, neque remittat, priuſquàm integrè fuerit ſoluta. Hinc rurſus alia vicina eſt, & ferè ſimilis, niſi quòd ex ſanguine putredo originem traxerit, quam ideò continenter putridam, paulò antè nominaui. In vtraque enim ſanguis ſiue putredinem, ſiue nullam expertus, tanquam materia proxima in vaſis maioribus, inter alas & inguina ſitis continetur. non ille quidem ſimplex, ſed ex quatuor humoribus ęquabiliter permiſtis, conflatus. MATHETES, Quæ vtriuſque ſunt notæ? GERON, Conſimiles, niſi quòd putridæ ſint euidentiores: caput dolet, vel grauatur: corpus totum præſertim facies, vehementer rubet caletq́ue: ſomnus plenior: arteriarum in temporibus motus euidens: ſpiratio difficilis: pulſus magnus plenusq́ue, velox & frequens: totius corporis grauitas, & quædam quaſi laſsitudo. hoc autem intercedit diſcriminis, quòd in continenti putrida magis acris ſubſit calor, putredinis ſoboles: guttur, & vicinæ eius partes inturgeſcant æſtuentq́ue, ſic vt loquela ægri impediatur: oculi calidis lachrymis repleantur: nonnullis venter intumeſcat, & percuſſus tympani modo ſonet. pulſus in vtraque magnus, vehemens, celer, & frequens percipitur. Inæqualis autem in priore non deprehenditur. vrina redditur craſſa, rubra, turbida, ſubſidentis expers. nonnunquam etiam exanthemata circa totum corpus naſcuntur, aliâs alio colore tincta, frequentiùs vel liuida, vel nigra. hoc malum ferè poſt quartum diem finitur: ſin autem continenter augeatur, vitæ periculum affert, præſertim ſi iam lingua aſpera nigráque exiſtat, ſiqúe oculi lucem refugiant, & ſi vrina vini inſtar obſcura ſit. In quem hæc non incidunt, & febris ipſa paulatim remittit, is periculum euadere nullo modo poteſt.

Synochos putrida.

Notæ ſynochi.

Porrò inter continentes, alia æquali ſemper impetu, toto eius curriculo fertur, ac gręcè ἰσότονος, ſiue ὁμότονος, & ἀκμαστικὸς (quaſi eundem ſeruans) tenorem vigoremq́ue dicitur: alia increſcit, quam græci ἐπακμαστικὸν: alia declinat, ac παρακμαστικὸν vocant. prima verò minùs periculoſa eſt, quàm ſecunda, hæc autem magis quàm vltima. MATHETES, Dic apertiùs, cur ſynochi iſtæ febres, nomina hæc græca ſortitæ ſint? GERON, Primùm, quia ſanguinis materia, eiusq́ue inflammatio, vnde febris prouenit, tota vbique ſui ſimilis eſt, & vnam tantùm ab initio, ad finem vſque acceſsionem habet, quantumq́ue eius recens inflammatur, tantundem ſtatim digeritur. deinde quòd caloris plus diſcutiatur, quàm continuo incremento inualeſcat: tertiò quòd idem calor ſtatim à ſummo vigore incipiens, paulatim decreſcat, quouſque reſtinguatur. MATHETES, Quinam ad ſynochos febres procliues ſunt? GERON, Ad eam, quæ putredinem experta eſt, temperati, qui tamen co-

Synochorum appellationum ratio.

Qui procliues ad ſynochos.

pioſiore ſe cibo calido, & meraciore vino replerunt, & carnoſi. Ad putridam autem, calido & ſicco corpore præditi, vapore acri, ac copioſo abundantes: nec non, in quibus ſudor, vrina, & aluus fœdum odorem repræſentant. Notandum verò hic eſt, ſynochum putredinis expertem, facilè in putridam, & hanc rurſus in tertianam continuam, tranſire poſſe. MATHETES, Eſtne ſynochus quæ ex alijs etiam humoribus, quàm ex ſanguine generetur? GERON, Indubiè: quòd etiam Ioannes Fernelius, medicus ſuo tempore in Gallijs excellentiſsimus, & ſummus olim meus ſodalis, amicus, & coëtaneus, in libro ſuo de medicina ſcriptum reliquit.

Tertium genus ſynochi.

Fernelius.

Eſt enim genus quoddam ſynochi, quod ex nimia calidorum humorum agitatione excitatur. nam ſi cauſæ manifeſtæ vehementiores, corpus bilioſum etiam ſanum infeſtarint, non ſolum ſpiritus incenduntur: ſed acres quoque humores exagitantur: ob quorum feruorem æſtumq́; febris ſine putredine exoritur. MATHET. In quo iſta febris à ſynocho nuper dicta diſcrepat? GERON, Hæc corpori calido ſiccoq́; ac prorſus bilioſo: illa temperato, bonoq́; habitu prædito, obuenire ſolet. MATHETES, Quæ huius ſunt cauſæ euidentes? GERON, Eædem propemodum, quæ diariæ, præſertim ingens dolor, labor immoderatus, æſtus, balneum, ira, & id genus aliæ: pulſus, & vrina, putredinem nullam in illa indicant: os autem amarum eſt: cibi faſtidium vrget: ſitis excruciat: caput dolet: vigiliæ premunt: acris cutis aridæ calor percipitur.

Synochi bilioſæ & ſanguineæ differentia.

Cauſæ.

MATHETES, Non ſatis intelligo, cur ſynochum ex ſanguine putrido naſci dicas, cùm nonnulli de hac dubitent? GERON, Scias igitur ſanguinem duplici modo putreſcere. primò ſanè, cùm diſſimiles in eo partes, vi caloris alieni ſegregantur, bilisq́; flaua ac tenuis, ab atra, terreſtri, ac craſſa ſecernitur: ſed hæc ſeparatio, corruptio potius, quàm putredo cenſetur. Si igitur hac ratione putreſcat, indeq́; febris accendatur, certè ipſa non ſynochus, verùm aut bilioſa, aut melancholica euadet. Secundò, & propriè, cùm totus ſanguis partibus nullis ſecretis, magno fœtore corrumpitur. Quemadmodum enim ille ex venis in pectus, ventriculum, inteſtina, aut in aliam ſpatioſam regionem infuſus deprauatur, & quaſi in venenatam eſſentiam conuertitur: ac in muſculos incidens, tumorem naturæ contrarium, inflammationemq́; progignit: ac primùm computreſcit, deinde ſuppurat, ſic ille quoq́; validis ex cauſis, ſicut ex peſtilenti cœli ſtatu, in maioribus venis, putreſcit. adhæc eſſentia iecoris cum inflammatione tentatur: ſanguis totus non ſolùm putridus, ſed aliquantò etiam purulentus exiſtit: interdum ſanguis ex magna mutatione vitiatur, vt non amplius ad naturalem redire habitum, nec iterum per natu-

An ſynochus ex ſanguine putrido.

Sanguis bifariàm putreſcit.

ræ con-

rę concoctionem, ad pristinam humoris bonitatem, reuerti queat. Quinetiam per venæ incisionem in febri detractus, sæpè non solum fœdus odore, sed etiam putridus adeò deprehenditur, vt neq; sibimet cohærere, neque concrescere posit: eò quòd omnes eius fibrę, ob putredinem consumptæ fuerint. atq;, cùm hoc modo sanguis corrumpatur, synochus putrida accendi potest. Eadem, sicut etiam altera simplex, synochus vna constat accessione, quæ neque anteà vel leuatur, vel remittit, quàm ad integritatem veniat. MATHETES, Quæ febris synochon putridam sequitur? *Continua.*

GERON, Continua triplex, quæ nuper græcè σωνοχὸς, nominata est, ex varijs humoribus putridis orta. MATHETES, Estné synocho illi affinis? GERON, Est sanè accessionum continuatione similis: in hoc autem dissimilis, quòd ipsa ab alterutra bile, vel pituita procreata sit, atque pro humorum istorum natura, & motu, circuitus habeat, quibus licet non in totum desinat, tamen remittit, & tempora accessionum quietiora consequitur: continens autem putrida, ex putrefacto nata sanguine, nullam remissionem habet, donec ipsa finiatur. MATHETES, Quæ res alia continuam ab intermittente discernit? GERON, Illam neque horror aliquis, neque rigor, neque frigus antecedit, sed calor è vestigio ægrum inuadit: quanuis sæpè humor corruptus præcordijs inhærens, rigorem, aut horrorem tandiu moueat, donec totus quoque sit à febre incensus. Porrò calor totius corporis in hac febri, semper acris existit, præsertim in illius augmento, & statu. Respiratio in eadem, & pulsus inæqualis est. nam in hac eius submissio, velox: eleuatio tardior est: pulsus nunc velox, nunc tardus: modò validus, modò languidus existit: quamprimum febris accessio incipit, velox & paruus: in statu, tum insigniter magnus, tum velox apparet: vrina principio crassa, rubra, & turbida cernitur: cui neque in summo nubecula extet, neque in medio pendeat aliquid, neque in imo quiddam subsideat. eadem vrina interdum tenuis quoque, & rubra, sed minimè perspicua deprehenditur. Adhæc sudor, vrina, aluus, & quicquid aliàs ex parte aliqua vacuatur, odore fœdum est. At continua quotidiana, quartanaq;, incerta *Continua.* propemodum, & inordinata esse solent, vt quæ alio die bis, aut *Quotidiana.* *Tertiana.* ter vrgeat, alio semel tantùm, aut prorsus non incidat. Quartana *Quartana.* continua rarissimè, quotidiana minùs rarò obuenire consueuit. Tertiana verò, quæ latinis ardens febris, græcis καῦσος, appellatur, omnium est frequentissima. *Ardens febris.* MATHETES, Quæ sunt eius inditia, quibus dignoscitur? GERON, Qui ea correptus est, eius corpus valdè inardescit, sed intus magis quàm extrinsecus. vigilijs diutiùs cruciatur, somno grauiore interdum premitur: lingua

arida, crassa, aspera, & subnigra est: os amarum, spiratio difficilis, rosio stomachi, cibi fastidium, sitis vehemens, præcordiorum ardor affligit: aluus in his resoluta, in illis astrictior est: æger ipse valdè inquietus, morbum non facilè tolerat: delirio frequenti sæpè vexatur. MATHETES, Longúmne hoc febris genus existit? GERON, Minimè, sed quia vehemens, atque acutum, plerisque omnibus quarto die terminatur, si bona signa repręsentet: in nullis autem post septimum perseuerat. Tunc sanè vomitione, aut alui fluore, aut sudore, omni ex corporis parte erumpente, aut sanguine è naribus profluente, finitur. MATHETES, Qui huic febri sunt obnoxij? GERON, Iuuenes, sed minùs pnriculosè. Senes rariùs ea infestantur, ijque maiore cum periculo. Hęc febris ardens, sæpiùs in pulmonis inflammationem conuertitur, verum tunc exitium portendit. MATHETES, Estne alia adhuc febris, quæ continuarum numero comprehenditur? GERON, Est vtique adhuc species quædam reliqua, superioribus longè mitior, vnde etiam lenta dici solet. MATHETES, Vnde habet originem? GERON, Non ex viscerum, aut vllius partis inflammatione, sicut alię, sed ex occulta humorum insidentium putredine, quæ eis adeò validè adhærescit, impactaque est, vt ipsa quoque plerunque labefactentur: nonnunquam etiam ex putredinis eiusdem portione, venis infusa, sanguinique permixta, progignitur. ei ferè similis, quæ vel inflammatoria, seu phlegmonodes, seu typhodes, nuncupatur: adeò est diuturna, vt reliquas continuas excedat, vt neque vigesimo, neque quadragesimo interdum soluatur. MATHETES, Vbi illa nascitur? GERON, Sæpè in ventriculo, aut in iecore: aliâs in liene, aut mesenterio: aliâs in pulmonibus, vbi putredo non in totum maligna collecta fuerit, quàm præcordiorum, & abdominis tumores indicant: nõ raro etiam ex leui pituitę serosę putredine, vel in malo corporis habitu, vel in pallidis virginum coloribus procreatur. At duæ sunt ipsius species, vna sanè quæ eam præcessit, ac simplex appellari potest: altera hac periculosior est, vt quæ non solum ex impacti humoris putredine, sed etiam ex visceris, cui ipsa insidet, corruptione proueniat. Quia verò cor graui expiratione in hac continuè affligitur, nonnulli eam hecticam esse opinati sunt, alijs ferè morbis succedit: nullis autem remedijs, præsertim vacuantibus tollitur, sed ijs potius exasperatur. De continuis sat multa, nunc intermittentiũ aggrediar. MATH. Quęnam sunt illæ?

Lenta febris.

Nota lentæ febris.

GERON, Quæ quotidie, vel tertio, vel quarto quoque die accedunt: deinde quæ tardiùs, quinto aut septimo die, tanquam longiore circuitu reuertuntur: tertiò, quæ inordinatis accessionibus redeunt, quas Gręci πλανῆται, Latini vagas, atque errantes nomi-

Intermittentes febres.

nominare possunt. Quæ verò quotidie redeunt, quotidianæ appellantur, ex pituita, quæ extra venas putruit, exortæ: quæ tertio quoque die repetunt, tertianæ dicuntur, ex bile flaua, & ipsa putredinem experta, conflatæ: quæ die quarto accedunt, & circuitu reuertuntur, quartanæ vocantur, ex humore melancholico contractæ. atque hæ sunt simplicium intermittentium species. Quia verò nonnullæ ipsarum, aut sibi ipsis, aut alijs permiscentur, complures earum differentiæ oriuntur. Nam tertianæ duplicatæ, falsam quandam quotidianæ imaginem exhibent, eò quòd iam singulis diebus repetant: sed periti eas ex accessionum specie, & symptomatis superuenientibus, dignoscunt. quæ à quarto die reuertuntur, si duplicentur, duabus diebus continuatis inuadunt, vnoque intermittunt. rursus, sicut quartana fortè fortuna increuerit, triplexque euaserit, è simplici, accessiones quotidianarum instar singulis diebus implet. Quinetiam interdum, quintanę, sextanæ, septimanæ, aliæque his similes, & præterea vagæ fieri possunt. Cùm enim quatuor in nobis humores existant, singuli vbi fuerint immutati, varias ipsorum species generant: cuius gratia etiam accessiones, pro quauis humoris corrupti excellentia, repetunt. MATHETES, Vnde vagæ & errantes conflantur? GERON, Ex materia quidem matura, & ad excretionem parata, gręci ὀργοῦσαν, vocant, sed inordinato cibo, nondum elaborato commiscentur simul, & increscunt. Quemadmodum autem duplicatæ inter se, febrium differentias constituunt, ita etiam mixtæ inuicem, alia febrium genera conflant. modò enim quotidiana cum tertiana, modò cum quartana: ita, vt tres coniugationes ipsarum inter se consistentes generentur, & singulæ suam pariant accessionem. MATHETES, Qua alia ratione continuæ, & intermittentes complicantur? GERON, Nonnullæ ex ijs, quæ continuas accessiones habent, aut quotidie, cùm pituita in venis corrupta computruit, aut post tertium, quando venæ bilioso humore scatent, aut quarto quoque die, quando melancholicus humor in venis consistit, cum intermittentibus iam dictis complicatæ, alias febrium differentias progignunt. Nunc enim quotidiana continua, cum eius generis intermittente, nunc cum tertiana, quæ Græcis ἡμιτριταῖος, nuncupatur, denique cum quartana intermittente coniungitur. Eodem modo cum quotidiana continua, aliâs tertiana, aliâs quartana, & intermittentes commiscentur. similiter etiam continua quartana, cum tribus istis intermittentibus permiscetur: ex quibus si noueris simplices ac singulares: certè coniunctas etiam, & complicatas discernere poteris. MATHETES. Súntne aliæ huius generis febres? GERON, Sunt vtique. prima græcè ἠπίαλος, dici-

Febres complicatæ.

Vagæ & errantes febres.

Complexus continuarum & intermittentium.

Febris lentæ alia species.

tur: eò quòd leniter tepefaciat, non autem vehementer incendat. horror sanè in ea euidens est: sed febris succedens illi nequaquam proportione respondet, quanquam interdum cùm calor, tum horror simul conueniunt. morbi huius auctores sunt frigidi, lentiꝗ succi, modicè putrefacti. MATHETES, Quę reliqua est species? GERON, Græcè dicta λειπυρίας, quæ magno admodum cum horrore inuadit: sed euidens calor ei non succedit: vt nomen eius testatur: quod caloris defectum significat. nam humor admodum frigidus, summa sub cute contentus, in accessionum impetu, à facultate excernendi propellitur: ob quòd horror comitatur. calor autem nullus accedit: quia neque humor iste, qui non facilè natura sua corrumpitur, putrescere potest. MATHETES, Cùm febres ferè omnes ex humorum putredine, vt plurimùm gigni soleant: exponas oro, qua ratione, & quo in loco singulæ?

Febris lepyrias.

In quibus locis materia febrium lateat.

GERON, Aliâs in venis vel omnibus, vel maioribus, aliâs in parte quadam, idꝗ nunc cum inflammatione, nunc absꝗ illa, continua sanè in venis, & arterijs amplioribus accenditur, perseueratꝗ: donec humores ipsius auctores, vel incendio consumpti, discussiꝗ fuerint, vel quouis modo euicti. Duplex autem putredinis ratio est: vna in omnes, vel certè in maximas venas æquabiliter peruadit: altera ex vnaquapiam ducens originem, in cæteras continuatione penetrat. at quæ omnes simul venas pertransit, quanuis earum sanguinem, non tamen vniuersas ipsius partes æquè obtinet. Cùm enim sanguis non omnino simplex, sed ex multis humoribus conflatus, seroꝗ copioso sit perfusus: putredo primùm quidem portionem, illius ipsi magis obnoxiam inuadit: ab hac deinde aliam ei admistam, ac confusam, quæ minùs quàm illa sit vitiosa. Atque hoc modò paulatim obrepens, simul cum calore naturę contrario augetur, inualescitꝗ: nec anteà cedit, quàm omnes sanguinis partes putredini obnoxias cõsumpserit. MATH. Quando putredo calorꝗ febrilis desinit? GERON, Vbi omnia putredini opportuna fuerint absumpta: melior tamen sanguinis portio manet: quæ cùm minùs obnoxia putredini fuerit, ab hac non inficitur: quæꝗ licet putridæ admisceatur: minimè tamen illius contagione computruit, sed tantum inuasit. Hoc verò modò sanguis in synocho altera putrescit: non multò aliter in febri ardenti, seu tertiana continua, & in alijs consimilibus. Non enim vniuersus sanguis in his corrumpitur, neque omnes pariter humores, ex quibus constituitur, sed is solummodo, qui omnium maximè vitiosus est. Qualis autem huius est natura: tale etiam febris continuæ genus accendit: tertianam quidem continuam, si bilis flaua vrget, quæ in sanguine continetur: quotidianam verò conti-

Putredinis ratio.

continuam, si pituita: quartanam autem continuam similem, si melancholicus humor putrescit. MATHETES, Quæ altera est putredinis ratio? GERON, Quæ non omnes simul venas, sed ab vna quapiam (vnde forsan cepit originem) cæteras, earumq́ sanguinem, & humores continuatione inuadit. MATHETES, Quot putredinis causæ efficientes sunt? GERON, Duæ. vna propria, & interior: altera exterior. Prima, qua corporis humores putrescunt, dum vitium in se continent, quod nullo naturæ beneficio emendari potest: id autem ab alimentis corruptis, & vitiosis, vt frumentis, leguminibus, piscibus, carnibus vitiatis, nec non à cibis etiam bonis, sed qui facilè corrumpuntur, & putrescunt, vt à lacte, fructibus horarijs, alijsq́ vitioso succo præditis, contrahitur. Nam sanguis ex his genitus, quanuis crebrò concoctione mutatus fuerit: tamen pristinam conditionem, & eius, vnde nascitur, nonnihil etiam postea retinet. Quinetiam putredinem efficiunt, cibi intempestiuè aut ordine præpostero assumpti: vt cùm priore nondum elaborato, alter ingeritur, aut cum duri concoctuq́ difficiles leuioribus, qui infirmæ sunt materiæ, præmittuntur: postremò humores etiam fiunt putridi, cum interiores partes, vt ventriculus, iecur omniaq́ viscera, in malo sunt habitu. hic enim concoctione alimentis imprimitur, quæ etiamsi optimo succo prædita sint: tamen tabe hinc contracta vitiantur. Porrò exterior putredinis causa, duplex existit. vna, qua crassi viscosiq́ humores meatus corporis adeò occludunt, vt perspiratum impediant: tunc enim ipse, quia nec difflantur, neq́ refrigerantur, licet probi sint, computrescunt. Similiter, cùm vasa nimiùm humoribus repleta obstruuntur: sicut etiam putrescunt, cùm copiosiores sunt, quàm vt à viribus imbecillis, vel concoqui, vel superari possint. Quinetiam vitiosus, ac pestilens aër, halitus, vaporq́ putridus, inspiratus, vel contagio scabiei, vel febris putridæ, vel luis venereæ: primùm spiritus, deinde humores ipsos corrumpunt. præterea vitiosi cibi in ventriculo, alijsq́ partibus computrescunt, & humores in pestilenti aëris statu, tum inspiratu, tum perspiratu deprauantur, licet corpus extrinsecus omnino adapertum sit, & pateat: omnes tamen meatus liberi sint, & aëre frigido perflentur. MATHETES, Vbi febris continuę, quam superiùs conclusam appellasti, materia continetur?

Altera putredinis ratio.

Putredinis causæ.

Exterior putredinis causa duplex.

GERON, In vasis maioribus. nam in his illa putrescens, aut contagionem aliquam, aut putridum vaporem, ex se continenter in cor fundit. sin autem vel in inguine, vel in remotiori loco collecta hæret, tunc neque putredinem, neq́ eius vaporem, sed vnum duntaxat calorem, partium consortij lege, cordi infert: ex quo so-

Febris conclusa vbi.

Venarum materia.

lo, vel diaria febris, vel symptomatica gignitur. MATHETES, Quę in venis continetur materia? GERON, Sanguis, in quo (modò ex humoribus æquabiliter commixtis constet) synochus consistit. Quòd si verò is à mediocritate deficiens, vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus appelletur, febris putrida ex eo generatur continua. Quemadmodum igitur synochus non nisi in temperatis, multoq; sanguine, ac mediocri præditis, carnosisq; procreari solet: sic putrida continua ijs duntaxat accidit, qui ab hac mediocritate recedunt, vt biliosis, pituitosis, & melancholicis. MATHETES, Nunc quæso notas cuiusque febris explicare digneris.

Notæ febrium singularum.

Continuæ putridæ.

GERON, Putridæ continuæ, calor acris, rodens, qui tangentis manum pungat, non in accessionis initio, sed vel in augmento, vel in statu, præsertim si illa corpori diutiùs admota fuerit: pulsus & respiratio inæqualis adest. ille enim nunc celer, nunc tardus est: item aliâs fortis, aliâs languidus. Vrina omninò cruda, vel obscurè concocta, præsertim per initia apparet, nempe crassa, rubra, ac turbida, in qua nihil secernitur: interdum quoq; tenuis, rubra, & turbida (magnę obstructionis gratia) frequenter acris, rodens, ac fœtida deprehenditur: sicut etiam halitus, expiratus, aut sudor, grauius olet quàm consueuit. MATHETES, Quomodo continua ab intermittente dignosci potest? GERON, In continua nullus rigor, aut frigus præcedit: sed calor derepente inuadit. Sin autem aliquando rigor, horrorq;, seu frigus percipiatur: non parum noxij humoris præcordia obsidet, qui corpus horrore concutit, donec ipse totus incendatur. pulsus inæqualitas magis quàm caloris vehementia cernitur. longiùs horis viginti quatuor durat, nulloq; vel manifesto sudore, vel sensim interea desinit, vt intermittentes: sed eo vsque perseuerat, donec in totum remittatur. At in febri ardente continua, communes putredinis notæ manifestò apparent: æstus perpetuus, ac æquabilis propemodum vrget, non autem manifestam tertiani circuitus accessionem habet: præcordia vehementer æstuant: spiritus difficulter ducitur, adeò vt de suffocatu metus sit: corpus huc illuc iactatur, & inquietum est: vigilia & frequens delirium, sitisq; vehemens premit: lingua nigricat, sicca scabraq; est: os amarum. Quòd si ipsa viscera, & aliæ partes internæ vri videantur, & extrema simul frigeant, græcè peculiari nomine λειπυρία, appellatur: in tertiana verò continua, euidentior est remissio, sicut & accessionis impetus, nullo cum frigore, aut rigore inuadens, nulloq; sudore subsequente conquiescens. MATHETES, Quæ febris quotidianæ continuæ, aut quartanæ sunt inditia? GERON, Vtraque sine frigore, aut horrore inuadit, nulloq; sudore leuatur: illa quotidie: altera

Continuæ & intermittentis dignotio.

Ardentis febris notæ.

Quotidianæ, continuæ, & quartanæ signa.

tera quarto quoque die: obſcura admodum putredinis habent argumenta, pulſum minùs velocem, frequentem, aut inæqualem, quàm cæteræ: vrinam non æquè flammeam, aut rubram, quanuis fortè craſsiorem: ſymptomata quoque minùs grauia. Porrò omnis continua, quæ non tertiana eſt, inordinata ferè deprehenditur, quæ duas aut tres, vno die, altero, aut vnam, aut nullam acceſsionem habet: raró nanque vnus humor ſolitarius, in ſanguine putreſcit: eoq; varia admodum putridarum febrium ſigna, & ſymptomata exiſtunt. Atque his notis continuæ febres primariæ, dignoſci poſſunt. MATHETES, Quibus ergo ſecundariæ, quas συμπτωματικὰς appellaſti? GERON, Hæ ex materia non in maioribus venis, ſed in parte quadam ſubſiſtente contrahuntur: quæ ex humore, aut halitu fœdo ac putrido, cordi irrepſerit. Multa quoque putridarum genera, ſed vnum, idq; rarum, quòd partium inflammationes comitatur, exiſtit. Quando enim illæ vel exteriores, vel remotæ fuerint, non alia quàm diaria febris generatur: in qua febris calor, partium continuitatis ratione, cor inuadit. Cùm autem inflammatio, aut eryſipelas, interiores, & maximè principes, cordiq; vicinas partes infeſtat, ſanguis, aut bilis putrida, illinc in cor ſubit, aut fœdum putremq; vaporem ipſi immittit, qui per arterias cordi infuſus, febrim putridam parit. Ita febris fit inflammatoria, quæ grecis φλεγμονώδης, dicitur, à phrenitide, angina, pulmone inflammato, tabe, laterum, iecoris, lienis, & renum inflammatione: adurens ſiue ardens, grecè τυφώδης, appellata, ab eryſipelate. Hoc autem vnaquæque eſt grauior, quò partes affectæ ſunt nobiliores, cordiq; magis vicinæ. fit autem interdum, vt inflammatio, vnde febris iſta duxit originem, per initia quaſi deliteſcat: febris autem illi ſucceſſoria, ſiue ſymptomatica, valdè fit manifeſta. MATHETES, Quomodo hæc à primaria continua, diſtinguitur? GERON, Ambæ quidem ſunt acutæ, & putredinis notas repræſentant: ſecundaria verò, ſeu ſymptomatica, nullo certo circuitu reuertitur, nullum putredinis habet initium, niſi illa forſan ex ſede affecta irrepſerit: cuius ſigna ſunt ſi non ſtatim ab initio, non longè tamen poſt apparent. MATHE. Quando ſecundaria iſta febris ſoluitur? GERON, Raró, vel ſeptimo die, vel decimoquarto, aut alijs decretorijs, omnia hiſce contraria, in primaria febri continua, apparent. MATHETES, Quæ lentæ febris inditia ſunt? GERON, Qui ea correptus eſt, vix ſibi ægrotare videtur: nec graue quippiam ſuſtinere: alimentum non ſentit, ſed ſpatio temporis conſumitur, atque extenuatur: & tandem adeò infirmus redditur, vt difficulter loco moueri queat: pulſus eius frequens, velox, & inæqualis, non autem magnus exiſtit: vrina aliquando pu-

Symptomaticarum febrium notæ.

Febres ex partium inflammatione.

Lentæ febris ſigna.

tredinem indicat:animus facilè deficit: corpus paulatim & interdum sine sensu debilitatur,tabeq; emarcescit. Atque hactenus inditia febrium habes, quarum accessiones sine intermissionibus vrgent:nunc earum notas persequar,in quibus spatia inter acces-

Intermittentium & continuarum discrimina.

siones porriguntur. MATHETES,In quibus intermittentes à continuis discernuntur? GERON,Tum in materia,eiusq; situ, tum in accessionis ratione. has enim sanguis in venis maioribus ferè contentus efficit: illas autem humor semper superuacaneus, circum præcordia inhærescens: qui é iecoris sanguine separatus, proprijs conditur receptaculis, antequàm in illud deferatur. ac quo-

Quotidianæ febris humor proprius.

tidianam sanè, si qua vera est, pituitosus muscosusq; copiosus in ventriculo & intestinis collectus generat: tertianam verò, flaua bilis,ei quæ in vesicula fellis conditur, affinis: quartanam,humor melancholicus in lienem refusus. MATHETES,Quæ ergo propria

Materiæ febrilis sedes.

omnium febrium materiæ sedes,ac regio existit? GERON, Prima corporis regio,circum ventriculum,septum transuersum, iecoris caua,lienem,omentum,mesenterium.In his nanque partibus omnis humorum colluuies, non in maioribus venis, & minoribus accumulatur,vt alij existimarunt:ob quòd etiam à vera intermittentium febrium curatione, longè aberrant, dum sanguinis missione,statim per initia vtuntur. MATHE. Qua alia in re continuę ab intermittentibus distant? GERON,In ea primùm, quòd illę vnam tantùm accessionem,vsque ad finem, hæ autem plures habeant: quas frigus,vt quotidianam:aut horror, vt tertianam: aut rigor, vt quartanam antecedit, quotiescunque repetunt. Atque hæc in-

Causæ frigoris, horroris, & rigoris.

tensione,et remissione differunt.quanquam continuę etiam à frigore, aut horrore, aut rigore incipiant. MATHETES, Quæ trium istorum frigoris, horroris, rigoris causæ existunt? GERON, Quanquam iam antea de his tractarim: tamen paucula quædam hic subijcere non grauabor: quò faciliùs febrium materiam, eiusque sedem intelligas. ac dico eandem similemq; omnium ipsorum causam esse, nempe vehementem frigoris incursum,vel alterius rei,quæ pungendo, aut quouis alio modo sit molesta, dum omnes sensiles corporis partes,cum impetu inuadit.Differunt autem illa inter se,aut copia,aut vehementia,seu acrimonia,aut motionis impetu:pituita enim aliam qualitatem,motumq;,aliam bilis flaua , aliam humor melancholicus, ex putredine contrahit.

Accessio cur reuertetur.

MATHETES,Qua ratione accessio reuertitur? GERON, Quando febris accedet, humor proprio suo loco compræhensus, euocatur,quasiq; fur[illegible]ens agitatur,& copiosum vaporem fœdum impetu,per vniuersum corpus dispergit, portionemq; exiguam effundit,depellitq; in præcordia, & ventriculum: aliàs etiam per iecur in ve-

in venas maiores: atque ea perseuerat accesio, donec impetus ille remittat: & id, quod è sede sua expulsum est, calore dissipetur, aut sudoribus digeratur. Post hæc febris intermittit, quousque alia accessio nouo humoris impetu, quasiq; furore reuertatur: id autem stato fit circuitu, nisi quòd ordinem interpellat. MATHET. Quomodo hoc accidit? GERON, Cùm accessiones, vel statum tempus præueniunt, aut tardiùs sequuntur. MATHETES, Quando præueniunt? GERON, Cùm subiecta illarum materia augescit, tum ex impuro vitiosoq; cibo, tum ex recrementis suppressis: vel cùm sinapis, aromatum, & aliorum calidorum vsu, multò fit subtilior, vel cùm exercitatione, balneis, æstu, ira, alioq; animi motu exagitatur. MATHETES, Ob quid accessio tardiùs solito repetit? GERON, Si illius materia contrarijs ex causis, vel minuitur, vel crassescit, vel ponderosior euadit. MATHETES, Quando circuitus accessionum inordinati? GERON, Cùm humor, aut in alterius naturam degenerat, aut alieno generi admistus, confunditur. MATHETES, Quid accessiones longas efficit? GERON, Humor, eiusq; vapor copiosus, crassus, & viscosus effusus. Is nanque longo tempore inflammari, absumiq; solet: adhæc meatuum astrictio, aut virium imbecillitas, quæ dissolutionem prohibent. MATHETES, Quæ reddunt breuiores? GERON, Humor paucus, ac tenuis, meatus ampli, & vires robustæ. MATHETES, Quæ singularum febrium notæ peculiares existunt?

Accessio tardior cur fiat.

Circuitus inordinati ratio.

Accessionis longæ causa.

Accessio breuior vnde.

GERON, In quotidiana, extremæ membrorum partes, præcipuè summi manuum ac pedum digiti, inalgescunt: inde calor leuis, humidus, vaporosusq; exhalat, qui paulatim lenteq; augescit, vt iam in statu rodens, & acris fiat: semper autem inæqualis, sic, vt interdum frigoris permisti sensus adsit: cæterum dormiendi accedit cupiditas: nulla autem sitis, neque sudor primis diebus, neque integritas ex toto sequitur: nonnullis, cùm accessio incipit, vel stomachus dolet, vel anima deficit: pulsus autem in ea paruus, tardus, languidus apparet, præsertim accessionis initio, & augmento: eò quòd calor natiuus per humoris frigidi, crassi, viscosiq; agitationem valdè prematur. postea verò frequens euadit, sed minùs quàm in tertiana, aut quartana: quanquam velox similiter, vt in hac, nec non inordinatus existit, magis autem quàm in alijs febribus inæqualis. In sequenti accessione modicus sudor erumpit, stomachus assiduè dolet, vrina initiò alba, tenuis, vel crassa, ac turbulenta: postea rubra, crassa, turbidaq; cernitur: totum corpus torpidum, atque graue redditur: aluus liquida, cruda, & pituitosa deijcitur. Accessio quotidianæ, magna ex parte horis octodecim, eaq; modico sudore finitur, & ex illa intermittit:

FEBRIVM notæ singularum

QVOTIDIANæ febris signa.

rarò autem ad integritatem peruenit: at totius morbi curriculum sexaginta quatuor diebus absoluitur. paucis id genus febris, imò vix centesimo cuique obuenire solet. Nam cùm quis quotidiè febrim experitur, ea potius duplex tertiana censenda erit, quàm quotidiana. MATHET. Quisnám humor illi generandæ proprius existit? GERON, Pituita, quæ vel intestinis, vel mesenterio insidet, vel circum ventriculum, & cauam viscerum regionem coacta putrescit, quanquam rarissimè, & febrilem qualitatem induit, motaq; quotidie peculiarem suum vaporem, propriam accessionis materiam, in totum corpus effundit. MATHETES, Quinam ad febrim hanc sunt procliuiores? GERON, Qui copiosiore pituita scatent, natura, vel ætate humidi, otiosi, somnolenti, crebris balneis, vel cibo frigidiore, magisq; humido, & potu intemperantius vsi: præsertim pueri, senes, & fœminę, tempore hyberno, cœlo nubilo, & pluuio, si pituita è capite in ventriculum sæpè destillat. si, cùm febris primùm inuadit, facies sit subliuida, tumidaq;: stomachus diù imbecillis, qui cibum fastidiat, & acidum frequenter ructet. adhæc si pręcordia tumescant, vel inflata sint, & intenta, siquè initium accessionis in vesperam incidat. Hæc febris difficulter remedijs discutitur, tedij, & periculorum plena: tutior autem illa est, in cuius exordio, pituitæ vomitus sponte prouenit, & in declinatione largus sudor prorumpit. His signis quotidiana, prima sæpè accessione dignoscitur, præsertim cùm eius generis febres similes, publicè grassantur. MATHETES, Quæ aliæ febres ad hoc genus referuntur? GERON, Epiala, in qua calor & frigus, hoc est, rigor, & febris, vniuersas corporis partes eodem tempore infestat. MATHETES, Quæ huius causa esse censetur? GERON, Pituita acida, vitreaq; putrida, cuius pars iam est incensa, altera verò nondum putredinem experta. Iam continuæ, quæ nonnunquam biduum, aut triduum perseuerant, & qualescunque intermittentes varijs modis inuadunt, internæ, extremæq; partes sæpiùs ex horrore, atq; rigore inalgescunt, aliquando interiores frigore inhorrescunt, aut rigent: cùm tamen exterioribus non frigus, sed solus calor, & ęquabilis in eis deprehendatur: aliquando extrema frigent, interiora vruntur, adeoq; ægri sitiunt, vt etiam in horrore potum quotidie desiderent: eò quòd tunc horroris materia acris, & salsa existat. MATHET. Ex quo humore, vbiq; sito, febris tertiana vera nascitur: quibusque signis ab alijs distinguitur? GERON, Ex flaua bile putri, ac superuacanea: quæ vel in vesicula fellis, vel circum præcordia, cauamq; viscerum regionem continetur: cuius etiam portio aliqua ex illis interdum in venas influens, sanguini admiscetur; adhæc quando in venas cum impetu erumpit,

Quotidianæ humor peculiaris quo in loco.

Procliues ad quotidianam.

EPIALA febris.

Epialæ causa.

TERTIANA vera ex quo humore nascatur, et quibus signis agnoscatur.

rumpit, ſicut in arquato, tertianaq; febri, & nonnunquam etiam in continua, alijsq; id genus morbis, non ſanguini, ſed eius ſero in totum permiſcetur. Nam in iſtis affectibus ſi vena incidatur, ſanguis ille ex quatuor miſtis humoribus conflatus, purus, atq; ſyncerus apparet (niſi aliunde vitiatus fuerit) aut luteo bilis colore infectus. Hoc modo bilis illa ſuperuacua, nuſquam cum ſanguine videtur concreſcere, vt quæ tota in ſerum transferatur, eiq; tanquam vehiculo inſideat: niſi quòd minima eius portiuncula in ſpumam conuerſa, ſummo ſanguini ſupernatet. ob quam eius permiſtionem, vrinæ in his febribus admodum craſſæ, atq; luteę cernuntur. MATHETES, Qui huic tertianæ intermittenti ſunt obnoxij? GERON, Iuuenes, natura calidi & ſicci, graciles, quiq; media plærunque æſtate, ſub ſole inurente inambularint, aut vigilijs, aut laboribus, aut curis, cibo parco, calido & ſicco, aſſueti ſint, ac iecore admodum calido præditi, præſertim etiam in regionibus, & cœli tempeſtatibus ſimilibus. Accedit hæc febris magno cum rigore, quo totum ſæpe corpus concutitur. ſub eius finem bilis exagitata per vomitum reijcitur: deinde calor ſtatim inualeſcens, in totum corpus diffunditur, & ad ſtatum properat: adeò acris & pungens, vt manum iniectam tanquam acu feriat, breui autem remittit: æger calore æſtuat: adeò, vt corpus nudet, & huc illucq; iactitet, ſpiritum difficulter trahat, ſiti crucietur, frigidamq; deſideret, vigilijs capitiſque dolore torqueatur: in iram, & furorem procliuis. MATHETES, Quot horis durat acceſsio? GERON, Vt plurimùm duodecim: aliquando ſeptem, aut quatuor, pro humoris craſsitie, & copia, viriumq; robore, ac facili cutis perſpiratu: ipſaq; nunc cum ſudore calido, & vaporoſo, nunc flauæ bilis vomitu, aut deiectione, nunc ſanguinis è naribus profluuio inclinat, & pura eius ſequitur integritas. MATHETES, Qualis pulſus in hac apparet? GERON, Per initia acceſsionis paruus, poſtea velocior, ac frequentior quàm in alijs, eò quòd refrigerationis maior inſit vſus, nec non vehemens & validus, aliquantum verò durus, ob materiæ ſiccitatem, non multùm inæqualis, tùm tenuis materiæ gratia, quæ facilè accenditur, tùm quòd arteriæ eleuatio non minùs refrigerare, quàm ſubmiſsio putrida expellere deſideret. MATHE. Qualis vrina in eiuſmodi febri excernitur? GERON. Subtenuis, flaua, aut flammea, fœdiq; odoris. atque hæc ſanè pura, & legitima tertiana eſt, quæ ſeptem circuitibus, ſiue diebus, vt plurimùm quatuordecim finiri ſolet. MATHETES, Quare legitimam eam appellaſti? GERON, Quia alia quædam ſpuria, falſaq;, & illegitima deprehenditur, quæ longior eſt, quàm altera, neque ardores ęquè vehementes habet, neque ſudores perinde copioſos, nec

Acceſsio tertianæ qualis.

Pulſus tertianæ febris legitimæ.

Vrina tertianæ legitimæ.

Tertianæ veræ circuitus.

Tertiana cur legitima dicatur.

admodum calidos profundit. Adhec nullę in ea accesſiones certo ordine præuertunt, aut remorantur: rigor quoque minùs in iſta vehemens, ſed diuturnior affligit, nec totum ex æquo corpus occupat. accesſiones ipſius ſingulæ, longiusq́ horis quatuordecim perdurant: totum eius curriculum, nunquam ſeptimo circuitu, raro decimoquarto die, ſæpe longiore temporis ſpatio ſoluitur. MATHETES, Vnde iſta contrahitur? GERON, Ex bile, modò vitellina in ventriculo putreſcente, firmiusq́ affixa: modò ex bile cum pituita mixta, eoq́ vtriuſque humoris inditia repręſentat. MATHETES, Quænam eſt quartana, & quotuplex, vndéque prouenit, ac quibus notis ſingulę eius ſpecies, inter ſe diſtinguuntur?

Tertiana illegitima vnde.

QVARTANA febris.

GERON, Omnes quarto quoque die cum horrore accedunt, aliâs in æſtate, aliâs in autumno, vel in hyęmis initio: in vtroque autem tempore, ex humore melancholico putreſcente, aut ex flaua bile aduſta procreatur: aliquando etiam ex pituita, aut ſanguine peruſto: quanquam rariùs, idq́ in omnibus, natiuo calore iam ferè deſtitutis. Ideo alia ex ſeipſa oritur, quæ tamen lienis tumori ſuccedit, qui ex naturalis ſucci melancholici abundantia, natus eſt: alia verò ex aliȷs febribus vel continuis, vel intermittentibus erraticis, prouenire ſolet: id quod Hippocrates hiſce verbis memoriæ prodidit. » Intermittens febris, eaq́ erratica, in quartanam conuertitur, præſertim ſi autumnus in propinquo eſt. Nam humor, qui anteà febrim generauit, ſi nondum integrè diſcuſſus fuerit, ſed aduri, & craſſeſcere inceperit, atrę bilis naturam induit, & putredinem expertus, quartanam excitat. MATHETES, Quinam ad hanc ſunt propenſiores? GERON, Qui humorem melancholicum contraxerunt, vtpote lienoſi, & in quibus febres ardentes, vel erraticę, ad integritatem ex toto non venerunt: imò etiam illi, quibus atra bilis in meſenterio, & præcordiȷs abundare ſolet, necnon frigido, ſiccoq́, gracili, & glabro corpore præditi, ætatis iam conſtantis, vel declinantis, ſolliciti, triſtes, & melancholici: item cibis craſsis, robuſtis, & grauibus diù vſi, pręcipuè in autumno, & regione cœliq́ ſtatu inæquali. Hæc febris cum horrore accedit: qualis magno ex frigore naſci ſolet. ille autem ſucceſſu temporis eouſque augeſcit, donec in vehementem rigorem degeneret: ſub quo corpus totum intremiſcit, atq́ concutitur: dentes ſtrident, ipſaq́ oſſa quaſi tunduntur, & in alto aggraueſcunt. at rigore iam decedente, vomitus magna ex parte ſequitur, ac corpus ſtatim incaleſcit, ſic vt etiam oſſa intima, frigus quoddam percipiant. Calor in hac febri non adeò vehemens, vt tertianæ, ſed ardentior quàm quotidianæ exiſtit: neque in toto corpore æqualis, ſed cum frigore quodam permiſtus, ſic vt artus oſſaq́ indole-

Hippocrates.

Ad quartanam propenſiores qui.

Quartanæ acceſſio.

Frigus.

Calor.

dolescant. Porrò capitis dolor, vigilia, & sitis, minùs quàm in tertiana: magis autem quàm in quotidiana affligunt. præterea accesio quartanæ, longior quàm tertianæ & quotidianæ deprehenditur, copiosisq; sudoribus terminatur.

Pulsus.

Pulsus istius febris accesionis initio rarus, tardus, & languidus percipitur: paulò pòst magnus, velox, frequens: inæqualior autem quàm in alijs febribus. MATHETES, Qualis vrina quartanam indicat? GERON, Primis diebus tenuis, alba, & aquosa: posterioribus incerta, & essentia, & colore, & contentis: eò quòd materia plerunque variet, & huius, nunc minima portio, nunc maxima in venas irruat.

Vrina quartanæ febris.

MATH. Quandiu totum quartanæ curriculum perseuerat? GERON, Non vltra annum, nisi vitio aliquo prorogetur: sæpè mensibus sex, interdum tribus soluitur: sepisimè ea quæ autumno, totaq; hyeme rectè curata fuit remedijs, proximo vere desinit. quanquam autumnalis semper longior, quàm æstiua existat, maximè si hyems in propinquo sit. Est cùm quartanas in biennium vsq;, vel in quinquennium, vel longiùs porrectas viderim: quæ scilicet ab humoris istius melancholici natura, degenerassent. sed hæ febres veræ, ac exquisitæ dici nequeunt, sicut neque quintanæ, aut septimanę, vt quę rariores circuitus, obtineant. Nam his materia melancholica, valdè crassa ac terrestris attribuitur, qualis à pituita exusta gignitur. pauca sanè illa in parte quadam remanens diu coarctatur, vnde tardior fit accesio. Tales quartanæ ex disimili humore, alia in sede, quàm in venis consistente, proueniunt.

Quartana quandiu duret.

MATHETES, Simplicésne febres quartanę, eandem semper formam, & statum seruant? GERON, Magna ex parte, sed nonnunquam variant. nam ipsæ quandoque à leui frigore exoriuntur: deinde leui calore mitiùs procedunt, vt sex tantùm horis protendantur. Hoc autem animaduertendum est, quartanam ægris nunc esse periculosam, nunc securiorem, nunc salutarem.

Quartanæ simplices quomodo varient.

MATHET. Cur periculum minatur? GERON, Quia ipsa non quiescere dicitur, nisi viscera aliqua anteà vitiarit. adhæc quòd rarò sine lienis obstructione, vel dolore, vel duritie inuasisse aliquem visa sit. Si nanq; vel cum tumido liene infestat, vel nimiùm inueterascit, corpus aqua subter cutem replet, fereq; æger his symptomatibus oppressus, interit. Et si quartana ex cruditate in quotidianam degenerauerit, magnum portendit exitium. Quinetiam, si quis à quartana conualuerit, & eo die, quo ille febricitare solebat, frigus, aut calorem, aut cruditatem, aut lasitudinem expertus fuerit, recidiua ei timenda erit.

Quartana cur periculosa.

MATHET. Quare ad secundam valetudinem præstare aliquid corpori, aut commodare potest? GERON, Quia interdum à magnis morbis tutum, liberúmque reddit. qui enim quartana labo-

Quartana cur salutaris.

rant,hi neque insania, neque melancholia,neque lepra,neque neruorum distentione,ob repletionem orta , tentantur: imò eadem hæc vitia,si anteà fuêre, quartanę accessione finiri consueuerunt. Denique nullum ab ipsa extingui,nisi sua ipsius, aut curantis culpa, posse commemoratur. MATHETES, Si nihil aliud de simplicibus febribus intermittentibus habes: compositas, quæ & quot sint,velim interpreteris.

COMPOSITæ febres quæ, & quot.

GERON,Ex simplicibus bifariàm procreantur: alię ex multis confusis,aliæ ex implicitis. MATHETES, Quæ sunt confusæ?

CONFVSÆ.

GERON,Quæ sic coniunguntur,miscenturq;,vt pariter tum incipiant,tum desinant. MATH. Vnde huiusmodi febres generantur? GERON,Diuersis ex humoribus,qui eadem in sede permisti,confusiq;,simul computrescunt. MATHETES,Quibus proprijs singulæ notis dignosci possunt? GERON, Nullis seorsum, sed confusis. atque eiusmodi febres illæ sunt,quæ falsæ ac spuriæ superius à me appellantur. Quæ ex æquali confusarum mistura constant, nulli ferè certo generi ascribi possunt:quæ verò ex inæquali, ab ea quę excellit,ac potior est,nomenclaturam acquirit. Idcirco,quę ex ampliore bile putrida,quàm ex reliquis humoribus constiterit, tertiana illegitima nominari debet. quę autem ex copiosiore pituita non syncera,sed alterius quoq; putridi humoris participe conflata est,quotidiana spuria: ea verò quam humor melancholicus putridus,alijs quoque humoribus admistus, excitauit,quartana impura,seu falsa nuncupatur. MATHETES, Quæ febres ex compositis,implicitæ vocantur? GERON,Quę diuersis horis,& incipiunt, & desistunt. MATHETES,Vnde singulæ nascuntur? GERON,Ex sua quæque materia: quanuis nonnullæ accessionum partes, in idem tempus concurrant, diuersi tamen istas humores gignunt, propria quiq; sede essentiaq;,& motu donati. MATHE. Quomodo continua,cum altera continua iungitur? GERON, Sic vt confundatur, non autem implicetur. nam humores vtriusque in venis maioribus computrescunt, ibiq; agitati permiscentur. intermittens autem cum altera intermittente,& continua,implicari solet.

Tertiana illegitima.

Quotidiana spuria.

Quartana falsa.

IMPLICITÆ quæ,& quomodo fiant.

INTERMITtentium differentiæ tres.

MATHETES, Quomodo? GERON, Cùm tres sint vniuersæ intermittentium differentiæ,vt quotidiana, tertiana, & quartana: hæ singulæ cum altera, vel eiusdem,vel diuersi generis implicari,miscerique possunt: ex similium quidem generum implexu: duplex quotidiana, in qua duæ accessiones quotidie fiunt. quanuis autē ea valdè sit rara, tamen accessionum specie, & symptomatis comitantibus discernitur. item duplex tertiana,admodum freques, quæ etiam duas quotidie habet accessiones, sed neque pares, neque ijsdem horis. nam quæ diebus imparibus fiunt, similes ferè inter

inter se existunt: quæ verò indies pares incidunt, dissimiles. MATHETES, Vnde duplex ista tertiana incipit? GERON, A simplici propemodum: cui deinde altera quoque accedit, & implexarum vna prior altera remanente finiri solet. Quartana similiter duplex, vel triplex, non minùs frequens est, quàm tertiana: duplex autem duobus diebus accedit, vno intermittit: triplex quotidie accessiones, sed rarò pares habet. MATHETES, Vnde vtraqꝫ prouenit? GERON, Etiam ex simplici: cui deinde aliæ duæ illis se adiungunt, applicantqꝫ. MATHETES, Quomodo hæ omnes inter se distinguuntur? GERON, Typo quotidiano: eò quòd huius quidem accessiones, sibi inuicem respondeant, harum verò inter se sint dissimiles. Quanuis autem interdum similes appareant: mouendi tamen impetu, & signis suprà dictis internoscuntur. non enim duplex tertiana & quotidiana, neque triplex quartana simul, & duplex tertiana, aut quotidiana, easdem inter se accessiones habent: cùm neque similes causæ euidentes, humoris melancholici, neque bilis aut pituitæ abundantiam efficiant. GERON, Quando intermittentes diuersi generis implicantur? GERON, Admodum rarò, vt quotidiana, & tertiana: hæc & quartana. sin autem aliquando euenerit, primis diebus ægrè deprehendi potest. interdum tertianæ intermittens continuæ adiungitur: atque hæc à tertiana continua discrepat: quòd ista sine horrore, & rigore inuadat, nulloqꝫ sudore remittat: illa verò à rigore incipiat, & cum sudore desinat: non tamen, vt in intermittente sudorem integritas, sed alterius continuatio, sequatur. MATHET. Estné alia adhuc febris composita? GERON, Est nimirum, quam nuper semitertianam vocaui, ex continua quotidiana, & intermittente tertiana prognata. ea sanè cum horrore inuadit, remittit autem cum sudore: sic tamen, vt corpus ægri, ad integritatem non veniat. Quia verò ex intermittente & continua constat, duas vno die accessiones habet. in primo quidem grauiùs ægrum affligit, vt quæ horrorem, rigorisqꝫ aliquid bilis vomitionem, vel deiectionem, magnumqꝫ ardorem, & madidi vaporis halitum sępe inducat. altero die quo frigus potiùs quàm horror incidit, leuiùs, ac neqꝫ sitis, neque ardor multùm infestat. quòd si materia, intermittentis tertianę, & quotidianę cõtinuę fuerint ęquales, exquisita ac vera erit semitertiana. eodem modo si quotidiana intermittens, tertianę continuæ iungatur, semitertiana exquisita erit, & superiori assimilis, præsertim si vtriusqꝫ humores fuerint æquales. sin autem altera illorum superet, exquisita non erit, neque pura. Rarò sanè febris illa semitertiana inuenitur, sed grauius periculum, vbi hominem occupauerit, minari solet. MATHE. Quę alię febres adhuc restant?

Tertiana duplex vnde.

Quartana composita.

Compositarum accessio diuersa.

Intermittentes quomodo implicentur.

SEMITERtiana composita.

Semitertiana vera.

HECTICA febris.

GERON, Primùm ea, quę græcis ἑκτικὴ, dicitur, caloris naturę contrarij in corde ipſo inhęrentis, fixiꝗ ſoboles. MATHET. Soline vitali principio calor iſte, qui febrem talem generat, inhæreſcit? GERON, Minimè, ſed etiam reliquas partes ſimilares obſidet. quia intemperies in corde concepta, reliquo ſtatim corpori etiam impartitur: longè autem firmiùs in eo, alijsꝗ ſolidis partibus, quàm vel in ſpiritu, vel in humoribus infixa eſt. MATHE. Quis ergo verus hecticę febris auctor exiſtit? GERON, Calor elementaris ſupra naturę modum adauctus, non autem diuinus (de quo anteà dixi) ſic tamen, vt ille hunc, & quicquid ſimilari parti inſidet, proceſſu temporis abſumat exhauriatꝗ. Conſtat autē febris illa triplici materia, nempe ſpirituali, humida, & ſolida. humida rurſus triplici, vt carnoſa, ſiue humore elementari concreto, & primogenia, ſeu peculiari natiui caloris eſſentia: in qua ille, & ſpiritus conſiſtit: poſtremò aquoſa, ſeu elementari, qua ſolida materia ceu glutino coagmentatur. Cùm itaque febrilis calor hominem inuaſit, triplicem quaſi ordinem ſeruare videtur: primum ſanè, quo carnoſam partium ſimilarium partem duntaxat incendit, nihilꝗ adhuc ex ipſa, aut certè exiguum diſsipauit: ſecundum, in quo eadem iam magis ac magis, ac tandem ex toto conſumitur: tertium in quo calor ille poſt carnoſam materiam aſſumptam, humorem primogenium palàm depaſcitur. atque tunc febris hectica, ſeu marcida, græcis μαρασμώδης, appellatur. MATHETES, Quomodo hæc, marcorem iam experta à prioribus diſcrepat? GERON, In ea calor natiuus, ac ſpiritus, qui humore illo primogenio fouetur, & facultas omnis inde prodiens elangueſcit, tandemꝗ emoritur, ſic vt etiam totius corporis vires, eiusꝗ functiones collabantur, intercidántque. hac laborantes nulla medicina periculo ſubtrahit. Quicquid enim humidi illius primogenij, ex ſemine humano contracti, abſumptum fuerit, nunquam reſtitui poteſt, ſed homo longè anteà interire cogitur, quàm melior eius portio diſperdita fuerit. MATHETES, Qui ad hecticam ſunt propenſiores? GERON, Calidiore & ſicciore natura præditi, iracundi, triſtes, laboribus dediti, æſtum, ſitim, & inediam experti. MATHETES, Quando hectica vera, & ſimplex inuadit? GERON, Vel ſtatim ab initio, vel diarię ſuccedit. nam vbi cauſæ iam dictæ leuiores fuerint, hanc excitant: vbi vehementiores, illam, quàmprimùm ſolidæ partes inflammantur. MATHETES, Quæ primi ordinis, hecticæ febris notæ exiſtunt? GERON, Si cauſæ vehementes manifeſtò anteceſſerint, & febris exacto iam triduo, aut quatriduo æqualis, ſiue eximio, vel augmento, vel decremento perſeuerat. Ideo quoque ſine dolore inuadit, & æger vix ſe febricitare exiſtimat, quanquam vires eius

Hecticæ febris auctor. — *Hecticæ febris materia triplex.* — *Maraſmus.* — *Febris marcidæ differentia.* — *Hecticæ qui obnoxi, & quomodo inuadat.* — *Hecticæ notæ primi ordinis.*

eius valdè languescant: calor exterioris corporis tangenti, primũ mitis ac blandus, deinde acris & rodens percipitur. pulsus exiguus, frequens, & languidus apparet: arteriæ autem calidiores sunt, quàm partes eius vicinæ, præsertim cùm illę attolluntur. calor in ægro, hora vna post cibum assumptum intenditur, & pulsus celerior ac frequentior euadit: illo autem iam concocto, elaboratoq;, hic ad pristinam æqualitatem reuertitur. Secundi ordinis hecticæ, inditia sunt præter superiora, quòd cùm cor siccius reddatur, corpus iam euidenter colliquescat, & absumatur: pulsus in eo minor, languidiorq; multò, quàm in primo: nec non durus & densus existat. vrinæ, pinguedo quædam aranearum telis similis innatat, cutis non rugosa, neque mollis, sed vt cæterę partes solidæ, arida, squalidaq; existit. Tertium deinde ordinem hecticæ, seu veri marcoris, oculi nimiùm concaui, & ossa quæ ipsos ambiunt, prominula testantur: item palpebræ adeò sunt aridę, vix vt eleuari possint, crebroq;, sed sine somno conniuent: neque tamen is status somnus est, sed dormiendi impotentia: tempora sunt collapsa: frigidæ calidæq; aures: cutis circa frontem dura, intenta, aridaq;: facies pallet, liuescit, & colorem viuidum decoremq; amisit. imò totum corpus veluti cadauerosum apparet, quod nihil pręter ossa, membranas, & cutem ipsam, corij instar induratam habet: capilli celeriter increscunt, & magnus pediculorum in ijs prouentus est: præcordia sursum ad thoracem conuulsa videntur: venterq; in totum contractus, & inanis, sic vt eo detecto, neque intestinum, neque viscus vllum superesse, censeatur. MATHETES, Qui pulsus hanc febrim indicant? GERON, Paruus, frequens, & languidus: maximè verò durus. vrina instar olei per summa pinguis. Corporis totius moles adeò contabescit, vt ossa extrema, præsertim scapulæ, veluti promineant. atque ista hectica omninò simplex est, nulliq; permista, quæ rarissimè incidere consueuit. MATHETES, Súntne aliæ his frequentiores, magisq; consuetæ? GERON, Est quæ acutam ardentemq; excipit, & putredinem habet commistam. Quando enim vehemens renum febris ardor, ægerq; natura calidus siccusq;, inediam, aut sitim sustinet, nullo autem refrigerio illi succurritur, venenosa similarium partium materia colliquatur, febrisq; illum inuadit, & breui consumit, quoad simplex hectica paulatim efficiatur. At succedit etiam tertia hecticæ species, ex partis cuiusdam vitio, vt ex iecoris, lienis, ventriculi, pulmonum, thoracis, renum, vel intestinorum inflammatione non benè curata, præsertim si purulenta euaserit. hęc autem propria hectica censeri non potest, sed pars symptomaticę febris, ac lenta plerunque. MATHET. Quorsum hoc genus, atq; alte-

Secundi ordinis signa hecticæ.

Tertij ordinis inditia.

Pulsus febris hecticæ.

Altera hecticæ febris species.

Tertia hecticæ species.

rum præcedens referri debet? GERON, In ſimplicis hecticæ genere contineri nequit: quia vtrunque natum eſt ex putredine, quam etiamnum diù teſtatur, eò quòd eius inditia in pulſu, in vrinis, in ſiti, & alijs ſymptomatis remaneant: nec non crebræ acceſsiones etiam ſine cibo fiunt: item inæqualitates, & crebri horrores, præcipuè, quando puris facta erit collectio. MATHETES, Quid de ſenibus, & alijs quibuſdam macilentis hominibus dicis? illi ne etiam febri hectica laborant? GERON, Quemadmodum primùm carnis humor, deinde primogenius, febris calore, ita quoque ętatis decurſu, ſolóque interdum ſenio, & naturali ſiccitate citra febrem, citraq́ dolorem abſumitur, arborum vetuſtarum modo. MATHETES, Habésne adhuc aliquid de febribus, alijsq́ vitijs notatione dignum?

Marcor ex ſenio.

GERON, Habeo. ſed de hoc aliàs in commentario de peſtilentia tractaui: ne autem quid hoc in loco deſideres, pauca ex illo repetam. Duę ſunt pernitioſarum febrium ſpecies, ſiue continuę, ſiue intermittentes, ſi Hippocrati credimus, vbi ſcriptum reliquit. » Multa inſuper alia febrium genera, vagabantur, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continuarum, & hecticarum. » MATHETES, Quomodo peculiariter ipſæ vocantur? GERON, Latinis malignæ, & peſtilentes, Gręcis κακοηθεὶς, & λοιμώδεις πυρετοὶ. neutra tamen veræ peſtilentiæ nomen meretur. nam hæc etiam ſine febri per initia eſſe poteſt, licet poſtea illam habeat ſubſequentem. MATHETES, Quæ eſt maligna febris? GERON, Quæ cor non modo calore naturæ aduerſario, ſed etiam venenata qualitate infeſtat: cuius vis pernitioſa, communem putredinem febrium ſobolem exuperat. MATHETES, Quæ eſt propriè febris peſtilens? GERON, Quæ ex aëris corrupti veneno, cor primùm ſuſcitat, deinde arterias per totum corpus inuadit. MATHETES, Vnde maligna febris contrahitur? GERON, Ex humoribus, non ſolùm putridis, ſed etiam pernitioſis. MATHETES, Vnde peſtilens febris excitatur? GERON, Si ante ipſam peſtilentiam inuaſit, ex eadem ferè materia, qua maligna conſtat: ſi cum peſtilentia, aut poſt aduenerit, ex ſimili quoque cauſa, qua illa, progignitur, nempe grauis cœli, & infauſtorum ſyderum aſpiratione, quæ aërem occulta quadam vi corrumpit: quanuis hic ſæpiùs nullo vel odore grauis, vel nimio calore infectus, ſed purus, tenuis, & frigidus, qualis in montoſis aſperisq́ locis & temperatis exiſtit, morbum peſtilentem etiam excitare ſolet. MATHETES, Quæ aliæ peſtilentiæ cauſæ recenſentur? GERON, Praua aëris intemperies, non ſolùm calida & humida, ſed etiam ſicca & frigida vehementer. Nam ſi totius ferè anni tempeſtas, ob pluuias, nebulasq́

PESTILENtia vera nunc abſque febri, nunc ſimul cum ipſa, nunc poſt ipſam.

Maligna febris quæ.

Febris peſtilens quæ.

Maligna febris vnde.

Febris peſtilens vnde.

Peſtilentiæ ſigna, ſeu cauſæ.

laſq; humida, hyemis autem maxima ex parte non frigida, veris tepida, vt ſolet, æſtatis calida exiſtat: & ex ventis potiſſimùm Auſter, isq; tam leniter ſpiret, vt vix percipiatur: idemq; ipſe nubes interdum ex meridie in ſeptentrionem polleat, tunc omnium maximè peſtilens, & grauis cenſetur. Hippocrati eiuſmodi tempeſtas auſtrina, pluuia, & à ventis ſilens dicitur, vt quæ humore ſuo corporis ſuccos augeat, pro cuiuſq; natura, & victus ratione procreatos: calore autem à natura alieno, illos putrefaciat, incendatq;, & quiete ſua putredinem amplificet. Quò longiùs alia naturæ contraria ab hac receſſerit, tantò ſalubrior exiſtimatur. ideo etiam non omnes anni tempeſtates peſtilentiam, ſed alios populares morbos gignunt. MATH. Quando fit pluuia anni tempeſtas, & humida? GERON, Cùm terra intus proprio calore humida, extrinſecus aquis, pluuijs, aut inundationibus fluminum, mariſq; imbuta, à ſole concalfacta, exhalationes calidas, & humidas multas continuè expirat, nullis autem ventis perflatur. MATHETES, Quando item auſtrina? GERON, Cùm nulla in regione quàm meridionali, vapores calidos, & ſiccos, eoſq; paucos edit. Si enim venti, multos halitus per aërem diſpergant, tempeſtas pluuia, vel certè ſi non pluit, nubila efficitur. cùm autem ijdem venti nebulas non diſsipant, nebuloſa & caliginoſa manet. MATHETES, Quid hæc anni tempeſtas calida, & humida in corporibus efficit? GERON, Cùm ſimilem illis intemperiem inſinuat, ſtatim humores putrefacit, febrimq; putridam excitat: quæ ideo peſtilens dicitur, quòd plurimas vno eodemq; tempore vehementer affligat, multiſq; interitum adferat. MATHETES, Quæ eſt tertia cauſa? GERON, Vapores impuri, cùm ex aquis & terra, vi ſolis, aliarumq; ſtellarum ſurſum exhalantes, tùm ex alijs rebus putridis, & grauiter olentibus, quæ aërem etiam purum, vel aliâs veneno ex ſuperioribus ſenſim vitiatum, vel alienis turbatum qualitatibus, magis adhuc inficiunt. MATHETES, Ex quibus aquarum vitijs corrumpitur aër? GERON, Ex fœtidis fluminum, amniumq;, & riuorum, nec non lacuum, ſtagnorum, paludum (qui effluuio carent) piſcinarum, & lacunarum exhalationibus. nam illæ ſolis ardore incaleſcentes, ſtando putreſcunt. ſic ex cloacarum, & latrinarum, luti, ac cœni, quæ publicis vijs aggregantur: adhæc herbarum & olerum, vt allij, cæpę, porri, braſsicæ, erucæ: arborum, vt nucis, & ficus putreſcentium: item lini, canabis, & coriorum, quæ fluentis macerata ſunt, graueolentia: inſuper ex fimo, cùm aliorum animalium quæ domi aluntur, tum porcorum, anſerum, anatum, columbarum, cuniculorum, præſertim ſi ædes anguſtæ ſint. Quin etiam ex ſubterraneo humore aër inficitur, dum is diutiùs

Pluuia & humida anni tempeſtas quando fiat.

Auſtrina tempeſtas.

Tempeſtas calida & humida.

Aër ex quibus aquarum vitijs corrumpatur.

Ex fimo.

Ex rerum ſubterranearū humore.

in fibris, venis, & cauernis concluſus putreſcit, ſicut etiam ex fœtidis alijs locis, fodinis, barathris, ſpeluncis, veterum ædificiorum ruinis, peſtilens expirat halitus. Qua ratione Sardynię ſolum, multis, præſertim aduenis & peregrinis pernitioſum eſt: ſicut etiam Britannię peſtilentiam, quam ſudorem Anglicum nominant, adferre ſolet. nam ex terra plerunque pernitioſi morbi, quemadmodum ex putridis, & mortiferis altarum ſcrobium ſpiritibus, per terræmotus expirantibus, erumpunt. quanquam aliâs foſsiones illæ non omnibus, ſed ijs tantùm, qui propiùs ad illorum ſpiracula accedentes, eiuſmodi vapores ac ſpiritus hauriunt, ſint pernitioſæ. MATHETES, Ex quibus alijs aër vitiatur, & peſtilens euadit? GERON, Ex putridis cadauerum, ſiue hominum, ſiue aliorum animalium exhalationibus. nam illa extraneo ſolis calori expoſita, facilè putreſcunt, & ſanie diffluunt: id quod in hominibus quidem, poſt prælia commiſſa, fieri ſolet, dum acerui militũ in agris, vel vbi complures fame, tum in oppidis, tum extra, confecti enectiq; inſepulti iacent: vel cùm non pauci è naufragio, fluctibus maris in littora proijciuntur mortui, inhumatiq;, auibus & alijs feris lacerandi, deuorandiq; relinquuntur: in reliquis autem animalibus, cùm innumeri equi in caſtris ſcatiuis mortui putreſcunt, ſicut piſces, & beſtiæ marinę, ex mari ad littora eiectæ, vel propè id in ſicco relictæ, putrefiunt. varijs autem modis, & temporibus eijciuntur: primò ſanè, cùm amnes terram inundantes, ſerpentes, & inter hos, dracones in mare ipſum rapiunt: huius aqua ſalſa illos, cùm ei non ſint aſſueti, interimit. quod oſtiæ, cùm Tyberis Romæ ſupra modum exundaſſet, accidiſſe proditur. Iam loca ardentia, quæ ſub mari ſunt, terræmotibus quaſſata, vapores quoſdam aut flammas euomunt, piſcibus exitiales, ſicut Auerroïs etiam olim nigros, ſulfur redolentes eieciſſe commemorat. præterea balenæ, & alij magni piſces ex alto egreſsi, deſtitutiq; aqua, & in ſicco relicti, mortui, & putrefacti, aërem fœtore ſuo inficiunt. idem fit, cùm piſces, & aliæ beſtię fluuiales, in calidis regionibus aquis priuati, in limoſis campis remanent, putreſcuntq;. Sic etiam in frigidis plagis, ex piſcium cadaueribus aër vitiatur, cùm illi ex aquis piſcinarum maximo hyemis frigore, prorſus conglaciatis, exanimantur: deinde verno tempore, & æſtiuo calore putreſcunt, quod olim in Germania accidiſſe legitur, quando non ſolùm piſces, ſed multi quoque homines, & beſtiæ grandiores, ſerpentesq;, ex frigoris iniuria perirent. Non dico, quòd aër ex piſcibus, & alijs beſtijs putridis ſubterraneorum lacuum, per terręmotus exhalantibus, corrumpatur. Notum eſt illum quoque ex locuſtarum cadaueribus inquinari. nam innumerabilis interdum etiam

Aër vnde vitietur.

Loca ardentia ſub mari prauos vapores edunt.

Balenæ, & magni piſces aërem quando inficiunt

etiam turma per agros vagatur, ac herbis, leguminibus, segetibus, fruticibus, arboribusq;, longè lateq; depastis, ob alimenti penuriam, aut frigus nocturnum, aliamq; ob causam, emoritur putrescitq;.

Humanorum cadauerum expirationibus nihil exitialius.

Quanuis autem bestiarum istarum, aliarumq; putredinem expertarum vapores, aërem reddant pestilentem, tamen humanorum cadauerum putridorũ magis, quàm aliorum animantium expirationes, hominibus sunt exitiales, vt boum, bobus: equorum, equis infestæ.

Calidæ & humidæ anni tempestates.

Frequenter etiam aër ex terræ & aquæ vaporibus corrumpitur, quos calidæ & humidæ anni tempestates, non solùm in ęstate, sed etiam in hyeme, autumno, & vere, naturam suam non seruantibus, sicut etiam inæquales, & variæ gignunt, in quibus meridianis horis calor, nocturnis autem, matutinis, simulq; etiam vespertinis, frigus vrget, præsertim si mutationes illarum repentinæ existant. Pari modo fit ex ventis quoq; inconstantibus, ad putredinem opportunis, vt Austrinis, & Subsolanis magis quàm Fauonijs, & Aquilonibus. quemadmodum ex crassis fœtidisq; nebulis, & opacis nubibus. Summatim ex fœdo quarumcunq; rerum odore, primùm aër, deinde homines, nõ quidem subitò, sed processu temporis inficiuntur.

Fœtor corpus afficit grauiter.

Gratus odor.

ac nihil est in omni rerum humanarum numero, quòd citiùs grauiusq; corpus quàm fœtor afficiat: nihil etiam celeriùs ac suauiùs recreet, quàm gratus odor.

Aër an putrescat.

MATHETES, At aër ipse putredinémne aliquando experitur? GERON, Nullam per se: quia nunquam conquiescit, nec totus, sed aliqua eius portio, idq; ex inferiorum elementorum consortio: vnde fit, vt nonnulli semper etiam in sæuissima pestilentia euadant, superstitesq; remaneant. aliâs si ille vniuersus posset computrescere, omnes animantes, ad vnum vsque, non solùm homines, interirent. Non itaq; tanta aëris putredo, quacunque de causa vnquam oritur, quę sensu percipi queat, sicut in aqua & terra sæpenumerò deprehenditur, vt quæ odore fœdo innotescant.

Fœdi terræ & aquarum vapores.

MATHETES, Quid fœdi isti terræ & aquarum, aliarúmque rerum vapores, & halitus sursum elati, efficiunt? GERON, Vbi aërem contaminarint infecerintq;, & nebulas nocentes, insolitasq; pepererint, omnem etiam humorem, qui ex aëre in terram defluit, insalubrem, & noxium reddunt: vnde posteà fructus terræ natiuis viribus priuantur, malis autem imbuuntur, & ijs, qui illis vescuntur, maleficium aëris participant. Quinetiam bestiæ, quæ in cibum expetuntur, morbosæ, & insalubres euadunt, & corporis nostri humores, pestilentiæ suscipiendæ opportunos accommodatosq; faciunt.

Syderum consensus.

Atq; hæc omnia faciliùs frequentiúsque fieri solent, quando cœli influxus, & syderum status consentiunt. MATHETES, Quarta pestilentiæ causa, quæ est? GERON, Venti, qui

Venti, causa pestilentiæ.

non rarò semina quædam pestiferę luis, quocunque modo ortæ, ex vna aliqua regione infecta spirantes, in aliam adhuc integram perferunt: nunc Auster ex meridie in septentrionem, vt olim ex Ægypto in Atticam: nunc Subsolanus ex occasu in septentrionē, vt nostro tempore ex Anglia in Germaniam: nunc Zephyrus ex oriente in occasum. Quanuis autem ventorum alij alijs salubriores sint, omnes tamen ex vna regione infecta spirantes, semina pestilentiæ in aliam, in qua aër bonus est, inuehere possunt, maximè autem Auster, deinde Subsolanus. MATHETES, Quid vocas aërem pestilentem? GERON, Qui est contaminatus expirationibus, siue exhalationibus putridis (vt Galenus ait) vel putrida qualitate, vel putredine, vel pestilentiæ seminibus, eò quòd ex his ipsa generatur, vel putrido calore, vel vaporibus calidis, vel putredine calida, quę calidum venenum dici potest. MATHETES, Quę est quinta causa? GERON, Inspiratio aëris vitiati, quem sępè homines sani adhuc ex loco, in quo æger pestilentia correptus decumbit, præsertim ex hypocaustis Germanicis, quæ nullis patent fenestris, aut emissarijs, attrahunt: vel ægri pestilentia infecti halitus, afflatusq́, aut frequens contractio, ex qua contagium per latentes corporis meatus, intrò subit. Hoc autem veteribus fuit incognitum, nec hodie plęrique apud nos credunt, morbum aliquem tam exitialem, ex vno in alterum absque aëris nos ambientis consensu, migrare posse. Quanquam autem in calidioribus regionibus, multò velociùs hæc lues proserpat, tamen in frigidioribus etiam homines non sunt ab ea immunes, & securi. Multò minùs illi persuaderi possunt, pestilentiæ contagionem ex ægrorum vestimentis, lectis, sellis, culcitris, puluinis, linteis, & similibus id genus rebus, in alios sanos per cutis spiracula, & odorem transmitti: cùm tamen id iamdudum experientia manifestò comprobarit. Hactenus exteriores causas omnes audiuisti. MATHET. Cur pestilentia ex eisdem corrupti aëris causis orta, non vbique simul grassari, sed hîc citiùs, illic tardiùs incipit? GERON, Ob regionum sortem, & aëris varietatem. Nam in planis, & calidis, vbi aër tenuis, lenis, mollisq́ spirat, illa primùm infestare, posteà in montosis, vbi frigidus, crassus, & validus existit, inuadere solet, nisi singularis quidam casus aliud adferat. MATHETES, Quænam sunt causę internæ, quas in sextum locum collocasti? GERON,

AER pestilens quid.

Contagium ex halitu.

In calidis regionibus homines faciliùs pestilentia conficiuntur.

Regionum conditio quæ pestilentiam promoueat.

Succi, siue humores corporis putredini obnoxij, si exigua quędam occasio ex aëre ambiente accesserit. quanuis autem illi etiam alijs putridis, non pestilentibus febribus communes sint, & ijdem vel copia, vel qualitate vitiosi, per viscerum obstructionem, & cutis angustiam putrescant; tamen in hoc genere eò prauitatis

Causæ interiores pestilentiæ.

Pestilentia ex humoribus contagiosa.

veniunt,

veniunt, vt perniciosæ luis seminaria inde generentur, quæ ab hoc ad illum transferuntur, non autem celeriter, nec longiùs, vt in ea quæ ex aëre originem habuit, sed tardè, & sola ægri contrectatione fit contagiosa. Fieri enim potest, vt aliquis febri pestilenti corripiatur, nemine alio in ea regione vbi degit, affecto, præsertim si aëris intemperies accedat: quia hæc similes humorum prauitates adauget, præcipuè in corporibus impuris, & putredini opportunis. MATHETES, Vnde prauæ istæ humorum materiæ, quæ pestilentiam gignunt, prouenire solent? GERON, Ex noxia victus ratione, quam vel immoderatus cibi, & potus etiam boni, apud nobiles & opulentos, vel continuus insalubris vitiosique, apud egenos & pauperes, vsus, subministrat. hi enim (vt nihil de illorum intemperantia dicam) interdum per summam frugum inopiam, & annonæ caritatem, ordeum, auenam, secale, triticum, adoreum, aliúdue frumenti genus rubigine, ob cœli intemperiem vitiatum, antequam maturaret, vel mucosum, vel putridum, ex temporis diuturnitate redditum, comedere coguntur. imò quos etiam post eiusmodi frumenta per hyemem assumpta, vere leguminibus, fabis, piscis, eruo, panico, cicere, & id genus alijs in panificia redactis: nec non herbis viridibus, quas nemo vnquam, vt Galenus ait, ne gustandi quidem gratia assumere dignatus sit, radicibusque stirpium, oleribus agrestibus qualibuscunque, & arborum, vel fruticum folijs, seminibus, ac fructibus: item carnibus, & piscibus putredinem expertis, vesci dura cogit necessitas: id quod anno sexagesimo secundo in pluribus Germaniæ locis, & aliâs sæpe in bellis accidere, consueuit. MATHETES, Ex solóne vitioso cibo, tales praui humores ad pestilentiam procliues excitandam, generantur? GERON, Nequaquam, sed etiam ex potu vini immaturi, & corrupti, aquæ putridæ, & limosæ, cænosæ, palustris, lacustris, stagnantis, vel eius per quam cloacæ, & latrinæ transeunt, cereuisiæ, vel alterius humoris minùs salubris. MATHETES, Quando autem eiusmodi humores putrescunt, corrumpunturque? GERON, Vbi calor natiuus in alienum mutatur, quod ex solo aëre communiter accidit. nam is, aut vere frigidus, latentes cutis meatus coarctat, per quos corpus fuliginosa quædam excrementa quotidie exhalare, & refrigerium caloris natiui attrahere consueuit: aut æstate calidus, inspiratione per asperam arteriam in pulmonem, & per exiguos istos meatus, in totum corpus ductus, cor calefacit: deinde in hoc conceptus, vndique cum spiritu, in vniuersas corporis partes per arterias diffusus, humores putredini, aliâs ob superiùs dictam causam opportunos, statim putrefacit, vnde iterum febris putrida, ac pestilens gene-

Humores praui vnde generentur

Victus ratio noxia ad pestilentiam.

Vinum immaturum, & corruptum etiam pestilentiam promouet.

Mali humores quando putrescant.

ratur. nec mirum, talem ex mali ſucci cibis oriri, cùm id quod ſus morbida egerit, pabulo immiſtum bobus, qui ipſum aſſumunt, peſtilentiam facere poſsit: ſicut ij, qui ex ventulis cadauerum oſsibus confractis, medullas comederint, ſubitò emoriuntur. MATHETES, Súntne omnes iſti pernicioſi humores, eiuſdem generis & naturæ? GERON, Minimè, ſed hi ſæui & feroces impetuoſiq́; vnde non ineptè à quibuſdam furentes dicuntur, quos Græci ὀργοιῶντας, appellant: illi verò quietiores, & maligni dici poſſunt, alijs quoque febribus non peſtilentalibus communes. de vtriſq; Hippocrates in tertio de popularibus morbis libro, & Galenus in commentario, de bonis maliſq; ſuccis generandis, mentionem fecerunt. MATHETES, Refer primùm Hippocratis verba. GERON, Carbunculi æſtate multi, ac quæ putrida vocantur, apparebant: papulæ quoque magnæ, & alia ſerpentia vlcera: quæ autem ad ventrem attinebant, multa multis incommoda attulerunt. atque hæc de priore genere ſcripſit: de ſecundo verò in hæc verba locutus eſt: Ægri initiò infeſtabantur, ſopore, horrore, faſtidio, febri non acuta, nec magna ſiti, nec delirio: nares pauca ſtillabant, acceſsiones diebus paribus vrgebant: item obliuio, languor, vociſq; defectus, extremi pedes & manus frigidiores, præſertim circa acceſsiones erant: quibus calor pedetentim, mens autem non probè redibat, neque loquela: perpetuus ſopor, non ſomnus, non vigiliæ torquebant: aluus pleriſque eorum turbata, excrementa non copioſa, ſed tenuia reddebat: vrinæ multæ, & tenues excernebantur: nihil decretorij, vel boni licebat deprehendere: non ſanguinis profluuium, non abſceſſum, ægri moriebantur incertò: magna autem ex parte circa criſes, quidam tardiùs, qui largiùs ſudaſſent. MATHETES, Quę ſunt Galeni verba, de impetuoſo ac furente humorum genere prodita? GERON, Alijs ſanè vlcera per cutem erumpebant: quidam ex eis conualeſcebant, quidā peribant. MATH. Quid de altero genere ſcribit? GERON, Nonnullis nihil tale forâs erumpebat, ſed viſcera intus obſedebat inflammatio quędam, aut febris maligna, ac omnes hoc malo correpti, interibant. MATHETES, Túne horum auctorum ſententijs fidem adhibendam eſſe cenſes? GERON, Maximè. Quemadmodum enim aër nos ambiens, quocunque modo vitiatus, humores tum prauos, tum bonos, proboſq; etiam, vel ſpiritus, vel ſolidam cordis ipſius eſſentiam corrumpit, ita quoque duæ iſtæ humorum, quos iam recenſui ſpecies, internæ cauſæ tantùm, ac communes peſtilentię eſſe iudicantur, ſi calor aliquis, humorq; aëris, vel contagium acceſſerit. MATHETES, Communes omnium peſtilentiæ ſpecierum cauſas, tum externas, quas partim etiam ſummas, partim inferiores no-

Humores varij.

Peſtilentiæ ſpecierum peculiares cauſæ.

res nominasti, tum interiores iam exposuisti: nunc peculiares singularum persequere.

Pestilentia sanguinem infestans quæ, & unde.

GERON, Quæ exanthemata, vel rubores culicum morsibus, ac lenticulis similes repræsentat, primùm ex aëris putredine oritur: deinde ex ęgri contrectatione ad nos defertur, non tamen celeriter, nec ex fomite, nec è longinquo. atque hæc febris pestilens, sanguinem potissimùm infestare solet, quòd pustulæ per cutem apparentes demonstrant, & maligna à me superiùs appellata est. Verè autem pestilentes partim à causis externis, vt astris, aëre, inferiorum exhalationibus, & alijs modis infecto, aut ex seminarijs aliunde per aërem etiam salubrem inuectis, aut ex infectorum contagione: partim ex humorum in corpore nostro residentium putredine generantur, si aëris status, aut calidus, aut humidus, aut calidus & humidus simul accesserit, nec non ad alios conuersantes contagij ratione transferuntur. ambę verò tam verè pestilentes, quàm malignæ febres, hoc inter se habent commune, quòd etiam ex ægri anhelitus inspiratione, & fomitis contagio, per latentes meatus attracta procreentur, & spiritus officinas, aut certè subtiliores humores inquinare soleant. MATHETES, Nihil amplius in causis pestilentię explicandis requiro, notas mihi nunc referas, primùm, quas illæ cum alijs morbis non pestilentalibus, deinde quas inter se communes, postremò quas singulæ, sibi peculiares, habeant.

Malignæ febres. *Pestilentes verè.*

NOTÆ pestilentiæ. *Notæ communes alijs febribus.*

GERON, Communes sanè alijs non pestilentibus sunt, horror totius corporis, deinde calor, grauitas, dolorq; capitis, cibi fastidium, sitis, vomitus, pulsus, & vrina sanis, plęrunque similis, vt in diarijs, & quòd ægri febrire se nesciant, vt hectici, idq; præsertim per initia, quando omnia placida & lenia apparent. MATHET. Quæ vniuersis pestilentiæ speciebus inter se communes sunt? GERON. Quòd plurimi eodem tempore ob causam generalem, suo licet cuiq; generi peculiarem, affligantur, contagioneq; ab vno, vel paucis ad alios multos vagentur: etsi id non semper videri queat. adhæc quòd omnes à reliquis febribus non pestilentibus in eo differant, quòd humores magis malignos, quàm istæ habeant, & contagio astantes, vel asidentes inficiant, & plurimos, vel certè multos necent. Item quòd initia ipsorum placida sæpè appareant, vt quando lues cum febri inuadit, ægri se febricitare ignorent, negentq;. imò etiam quòd febris, licet processu temporis augescat, blanda tamen & lenis semper videatur, quanuis ægri in angustia quadam conflictentur: item quòd calor tangenti externam cutem rodens, ægro autem non tam acris, quàm morosus percipiatur. præterea quòd pulsus, & vrina in plærisq;

Pulsus pestilentiæ. *Vrina.* *Aluus.* *Spiratio.* *Decubitus.*

etiam sanis respondeant: quanuis peritum medicum fallere nequeant: quippe ille non citatus, non sublimis, sed pressus magis existit, vt qui vix attollere se audeat: hæc iumentorum similis est, aut succo mali punici, aut tenuis, cruda, aut confusa, rubra. Deiectiones alui magna ex parte sunt liquidę, corruptæq;, & à recrementis illorum consuetis, & humorum alienæ ac fœtidæ. Spiratio solito longior: anhelitus peregrino quodam fœtore grauis: decubitusq; supinus: dorsum perinde ac verberatum indolens; præcordia suspensa: caput graue: mens non constans. nam ægri sæpè multa, sed incomposita loquuntur: oculi sunt leuiter rubentes, vacillantesq;: modò vigiliæ, modò somnus nimis vrget: lingua sordescit: vires conuelluntur. Postremò etiam pustulæ in cute erumpunt, aut abscessus in glandulosis partibus iuxta alas, inguina, aures. Atque hæ sunt notæ pestilentiæ specierum communes, partim salutis, partim interitus nunciæ, ac veluti mediæ. multi enim, his quoque apparentibus, euadunt, sicut non pauci moriuntur. MATHETES, Quæ communiter exitium portendunt? GERON,

Febris interiora affligens.

Febris extra corpus quieta, interiùs naturam perturbans, cuius putredo altiùs sit condita: vnde omnis acrimonia, quæ foris apparere solet, multùm obtunditur, & hebescit, humido copiosiore simul euaporante, & lentore magno facto. Adhæc delirium perseuerans: sanguinis profluuium è naribus, quod nulla leuatio mali sequitur: vrinæ retentio: copiosa alui deiectio, partim ab initio, vel per se, vel leui etiam medicamento facta: pustulę, & abscessus siquidem erupuerint, subitò autem rursus delitescant, euanescantq;.

Pestilentium febrium singularium inditia.

MATHET. Quæ singularum propria sunt indicia? GERON,

Morbi maligni in quo exanthemata erumpunt, notæ propriæ.

Eius quæ ex aëre vitiato sumit originem, & media inter pestilentes verè morbos, & non pestilentes existit, eáque maligna potius, quàm pestilens appellatur, peculiare censeo, quòd iuuenes & pueros, eosq; nobiliores, vrbanos, & lautioris fortunæ magis, quàm mulieres, senes, agricolas, & pauperculos inuadat. Quia enim familiaritatem quandam, & similitudinem cum sanguine habet, quod pustulæ rubræ per cutem apparentes demonstrant, calidiores, humidioresq; magis, quàm frigidos, siccos, carneq; densiores infestat, eò quòd hi meatus habeant apertiores, quibus aëris maior tum per nares, tum per anhelitum, fit attractio, vulgares autem tum victus frigidioris ratione, tum quòd cutem habeant laboribus induratam, siccamq;, ab hoc malo sunt tutiores. Quoniam verò eadem lues ex nullo fomite, aut seminarijs è longinquo, sed infirmi, contactu etiam ad alios transferri solet, ij qui inter homines versantur magis, quàm qui domi agunt, inficiuntur: longè tamen tardiùs, quàm in alijs. Adhæc calor in hac adeò

mitis

mitis ob sanguinem in quo consistit, percipitur, vt ægri vix medicum accersire dignentur. Etsi verò hic morbus alijs pestilentibus leuior sit, intus tamen etiam natura in eo, propter magnam putredinis euaporationem, quodammodo perturbatur, vnde lassitudo quoque corporis, veluti in defatigatis oboritur, & vires conuelluntur, pulsus pressus & humilis apparet: vrinæ primùm exalbidæ, deinde rubentes, & confusæ, aut mali punici succo similes: deiectiones alui fœtidæ, & liquidæ, copiosæq; ex leui etiam medicamento, præsertim primis diebus apparent. quia magna, & latè fusa est putrefactio: ęgri supini decumbunt: capite grauantur: sensus hebetes & obtusos habent: mente post quartum, aut septimum diem plęrunque alienantur, multa loquuntur, & intra verba desipiunt: sitis nulla, aut certè exigua vrget: lingua est sordida: nunc vigiliæ, cùm sanguis biliosior extiterit: nunc somnus, cùm pituitosior, infestat. quarto & septimo die pustulæ in brachijs, dorso, & pectore erumpunt rubentes, sæpè puniceæ, pulicum morsibus similes, sæpè maiores, lenticulas imitata: vnde & nomen in Italia acceperunt. Status morbi nonnullis ad quartum decimum, & alijs vltrà progreditur, ac natura interdum non solùm per cutis pustulas, sed etiam modò per sanguinis è naribus profluuium, modò per deiectionem, modò per sudorem exonerare se conatur.

Excretio salubrior quæ.

Excretio autem salubrior censeri debet, pustularum primùm, vt ex qua multi euadant: quibus enim paucę erumpunt, aut vbi erupuerint, rursus delitescuut, ij intereunt, quia natura aut imbecillis est, aut materiæ non obedit. deinde sudoris, vt quò largiùs superueniente, magna pars seminariorũ luis, vnà cum subtili sanguinis parte euacuetur. sanguinis autem profluuium è naribus, & alui deiectiones paucos admodum leuat: quoniam lues ista in minoribus potissimùm venis, non in maioribus, aut ventre continetur, eoq; natura sæpè frustrà, id quod in illis vitiosum continetur, magno conatu expellere aggreditur. Malum etiam inditium est, cùm vrina retinetur, quòd vel aquositas nimio calore absumatur, vel alio conuertatur, nempe in pustulas, aut sudorem, vel nimia redundantia humorum, aut crassities vias obstruxerit, vel etiam quòd vires deficiant.

Notæ verè pestilentis morbi.

MATHETES, Quo pacto verè pestilentes dignoscam? GERON, Incipiunt hæ quidem ex omnibus causarum modis, vehementissimo cum horrore, vt aliæ biliosæ, contagij expertes, calore non exiguo subsequente. verùm omnia quæ his superueniunt, longè sunt atrociora, quàm in alijs etiam pestilentibus. Vbi autem venenum latiùs altiusq; diffusum fuerit, calor etsi aliquantò mitior tangenti, vt in alijs appareat, interiùs tamen ægri anguntur, conflictanturq;: vires co-

rum citiſsimè deficiunt, & paucisſimis horis exitium imminet, præſertim cùm vis peſtifera ſpiritibus, aut cordi primùm inſederit. Aliquantò autem longiùs protrahitur malum, vbi humores primùm, deinde ſpiritus inuaſerit. quanquam etiam pro humorum natura celeriùs, aut tardiùs graſſetur. Pulſus rariores ſunt, & humiliores, quâm ægritudo tanta poſcere videatur: quia natura non audet arterias attollere, ne aditum veneno aperiat. Vrinæ apparent turbidæ, aut albæ, aut ſanis ſimiles. nam vires tunc adeò imbecilles ſunt, vt craſſas illarum partes expellere nequeant, in quibus nubeculæ quædam pendeant. neque hoc ſolùm in peſtilentijs, ſed in alijs quoque morbis videtur, quando mors in propinquo eſt, vel cùm peſtilens febris ex genere hecticarum eſt, aut earum quæ in ſpiritibus ſolùm accenduntur, vel quia natura adeò debilis eſt, vt ex ea aliquid ſeparare nequeat, ideoq; vrina relinquitur, quaſi nulla materia ſit in corpore. Præter hæc deiectiones corruptiſsimæ, liquidæ, & fœdi admodum odoris in ijs exiſtunt. Cæterùm abſceſſus in inguinibus, ſub alis, aut iuxta aures potius, quàm puſtulæ in hiſce erumpunt, quia materia illarum magis furens eſt, quæ ab internis viſceribus, iecore, corde, & cerebro forâs ad emiſſaria ipſorum incitatur: non ſolùm autem ipſa furens, ſed etiam quæ illi coniuncta eſt; quanquam interdum puſtulæ quoque in vera peſtilentia per cutem erumpant, præſertim cùm ex ſanguine habet originem. Nam hoc febres *iſtæ* verè peſtilentes, cum alijs non peſtilentibus commune habent, quòd nunc quotidianæ forma accedant, quando pituita: nunc vt tertiana, quando bilis: nunc vt quartana (etſi rarò) quando humor melancholicus: nunc vt continua, quando ſanguis per aërem incenſus, eiusq; contagio infectus eſt. In hoc autem nonnihil ab alijs & malignis diſcrepant, interdũ, quòd celeriores, vehementiores, et magis venenoſæ, interdum tardiores, occultioresq; exiſtant. Illo maximè ab omnibus alijs malignis non peſtilentibus diſsident, quòd magnis cum animi defectionibus incidant, earumq; lues virulenta quàm citiſsimè ad cor properet. hoc ſi admodum valens, & robuſtum fuerit, ad iecur illam propellit, ſi mediocriter, ad alas emittit: hoc ſi etiam firmum exiſtat, ad cerebrum tranſmittit: ſi mediocres vires habet, ad inguina trudit: ſi cerebrum facultatem ſuam excretitiam integram adhuc ſeruat, retrò aures deponit: ſin autem omnia viſcera imbecillia fuerint, tota materia virulenta intus manet iſta, ut neq; per abſceſſus, neq; per puſtulas, neq; per profluuium ventris, aut etiam per ſudorem, vt dictum eſt, excernatur, ſed naturam miſerè excruciet: imò illa quanuis à natura ipſa ad extimas partes expulſa fuerit, hominem tamen, niſi ei tanquam

Febres verè peſtilentes, & non peſtilentes quid commune habeant.

Febres peſtilentes & non peſtilentes quomodo differant.

quam crudelissimo hosti, omni remediorum genere fortiter occurras, statim iugulabit. Num autem pestifera lues, primùm humores hos, aut illos, an spiritus, vel cordis ipsius essentiam infecerit, ita dignosces.

Notae quibus singuli humores infecti dignoscuntur. *Bilis infectae nota.* *Sanguinis vitiati.*

Cùm biliosos humores inuasit, maiorem hominum partem interimit: cùm crassiores, vt sanguinem, vel exustum, vel purum, multos quidem, sed tardiùs iugulat, atq; aegri cordis tantùm angore conflictantur: nonnunquam sudores statim, & copiosas alui deiectiones: nonnunquam inguinum, aut glandulosarum partium, sub alis inflammationes, aut iuxta aures abscessus, quos Graeci παρωτίδας, appellant, experiuntur, vruntur; adeò, vt nihil graue, vel leue tolerare queant: omnia tegumenta abijciant: frigido in loco decumbere desiderant, cùm tamen corpus extrinsecus non deprehendatur valdè calidum. Rubri aliàs, aut pallidi: interdum pleni pustulis apparent, continuè vigilant: valdè sitiunt: linguam habent aridam, & vruntur perpetuo calore, vt in febri continente: aquam frigidam tantùm bibere, parum esse cupiunt: anhelitum grauiter olentem habent: aërem continuè ob calorem, & difficilem spirationem attrahunt: deiectiones alui valdè olidas, biliosas, nonnunquam aquosas, tenues, & pingues admodum excernunt: vrinam reddunt turbidam, aliquando aquosam, & tenuem, aliquando valdè flauam, aliquando nigram, in qua nihil boni subsidet, vel in medio continetur, suspenditq;, sed pingue & oleosum quiddam: mente alienantur, animoq; anguntur, & inquieti sunt: saepiùs conuelluntur, & tenduntur.

Pituitam quando malum inuasit.

Cùm somnus continuus vrget, lues pituitam, praesertim in cerebro obsidet: corpus torpidum est, & membra lassa. In his etiam, sicut in alijs admonui, pustulae rubrae, vt morsus culicum, aut maiores lenticularum instar, per totum corpus dispersae, sanguinem lue infectum indicant. ideò adolescentes, pueri, & alij tenerę naturę, calidę & humidę, magis his corripiuntur, quàm mulieres, senes, laboribus dediti, frigido & sicco temperamento praediti, frigidisq; cibis educati.

Humor melancholicus quando infectus.

Quando melancholicus humor, pestifera contagione vitiatus est, aegri tristes sunt, moesti, solliciti praeter consuetudinem, dolores, & molestias in capite sentiunt: mente alienantur, pulsum exiguum & profundum habent: abscessus, pustulae, tumores, omnibus humoribus sunt communes, quacunque in corporis parte erumpant.

Spiritus contagione infecti putredo.

At cùm putredo contagiosi aëris spiritus (quod tamen rarò accidit) occupat, homo statim moritur, sicut anteà dictum est: quemadmodum etiam ante viginti annos Lutetiae Parisiorum

in Gallia vidimus, vbi homines per æſtatem in plateis peſtilentia correpti, ſubitò interierunt: quidam intra viginti quatuor horas expirarunt. nam æger ſuffocari cogitur, niſi calor ſpiritus breui relinquat. atq; hęc peſtilentia, febri continuæ reſpondet. Calor in illa non eſt acris, neq; pungens, pectus tantùm magis reliquo corpore calet, ſed tamen tolerabiliter: pulſus non eſt in totum imbecillis, ſed aliquantò velocior, quàm anteà, non tamen adeò frequens, vt cùm virus contagionis humores inuaſit: vrina eſt naturali ſimilis, nullus ſudor erumpit, ſed mador tantùm in ceruice, & fronte. Lingua eſt permultùm arida, & aſpera, etſi nulla vehemens ſitis vrgeat, nec ſingularis aliquis dolor. præterea ægri non ſunt valdè inquieti, nec ſe huc illuc iactant, eò quòd vis naturalis in totum proſtrata ſit: continuę autem, animæ defectiones ſuperueniunt. in his nullæ puſtulæ, aut abſceſſus, aut papulæ exurgunt, ſicut nec vllum lethale profluuium.

Cordis eſſentia cum peſtifera lue conficitur.

Febris hectica.

At quando peſtiferum virus ſpirituum receptacula, hoc eſt, cordis eſſentiam, & ſolidas partes aggreditur, febrim quaſi hecticam infert, in qua calor quidem non eſt magnus, ſed cor ipſum putrefacit, conſumit, & ex toto ipſum cum omnibus ijs quæ inſunt, extorrefacit. Qui ea febri laborant, non putant ſe febricitare, eoq; non quærunt conſilium: credunt ſe non indigere medico, aut alipta: ſed per ſe poſſe conſaneſcere. Pulſus eorum mediocris eſt, naturali propemodum ſimilis: ſed paulò frequentior imbecilliorq;: vrina item naturali ferè reſpondet, colore, eſſentia, & eò, quod ſubſidet. virus autem illud adeò cor ipſum obſidet, proſternit, & debilitat, vt nihil ampliùs noxium à ſe queat propellere. Ideo omnes qui tali febri correpti ſunt, intereunt: quanuis mente conſtent, nullo faſtidio laborent, ſed edant, bibant, nec vllo etiam ſudore, dolore, profluuio, abſceſsibus, puſtulis, aut papulis grauentur. Atque hęc ſunt peculiaria, ſingularum peſtilentiæ ſpecierum, ſiue ab exterioribus, ſiue ab interioribus, ſiue ab vtriſq; cauſis ortarum indicia ſummatim comprehenſa: vulgus ſua habet communia, quibus hominem peſtilentia correptum, ex quacunque cauſa cognoſcit. MATHETES, Quænam illa ſunt. nam aliquando etiam olitor opportuna locutus?

Communia peſtilentiæ ſigna, quibus vulgus aliquem illa correptum cognoſcit.

GERON, Grauitas totius corporis, laſsitudo, & veluti defatigatio: nec non ſollicitudo, & triſtitia præter conſuetudinem: difficilis reſpiratio: item magna ad ſomnum propenſio, aut continuæ vigiliæ: dolores & moleſtiæ in capite, aut mentis alienatio: adhæc ſi extremum corpus frigidum, internum ardens: forma faciei horrida, & peregrino more peruerſa. præterea cibi faſtidium: immodica ſitis: os aridum, & amarum: continuus vomitus: pul-

ſus

ſus exiguus, & preſſus: vrina turbida, craſſa, fœtida, veluti iumentorum (quanquam ſæpè clara cernatur) poſtremò abſceſſus & tumores retrò aures, ſub alis, inter inguina: vel ardentes puſtulæ alijs in locis, & exanthemata citra vllam manifeſtam occaſionem, exorta. Ex his autem ſignis, quædam ſunt communia alijs febribus, vt grauitas, laſsitudoq; corporis, dolor capitis, mentis alienatio, faſtidium cibi, magna ſitis, oris ſiccitas, amaritudo & ariditas: reliquæ notæ ſunt peſtilentiæ propriæ, inter quas abſceſſus, tumores, puſtulæ, exanthemata, & ſudores, ſpem ſalutis portendunt. Subitus autem ac repentinus ſolius cordis calor: crebræ animi defectiones: ſudor niuis modò frigidus: inuſitatus faciei color, qui ſtatim mutatur: continua materiæ nigræ, viridis, flauæ, aut ceruleæ vomitio: vrina plumbea, nigra, fœtens: aluus atra, cineritia, pinguis, tenuis: dyſenteria, lienteria, colica, conuulſio, apoplexia, epilepſia, laterum punctiones acres, tuſsis valida, tumores, puſtulæq; mirabiliter coloratæ, ægrum in malis eſſe nunciant. MATHETES, Cauſas, notasq; peſtilentiæ omnes, iam memoria tenere mihi videor: reliquum eſt, vt declares, qua ratione & modo, ſingulæ ipſius ſpecies, ex illis generentur?

Signa ſalutifera peſtilentiæ.

GERON, Intemperies aëris diuturna, & putredo ex aquæ, terræ, aliarúmque rerum exhalationibus orta, peſtilentiam gignunt, dum pulmo quidem illas aſpiratione attrahit, cordiq; vicino, cùm diſtenditur, communicat: nares autem cerebro, & latentes meatus vniuerſo corpori. Quòd ſi tota lues in cordis eſſentiam deferatur, eam accendit, & febrem peſtilentem hecticam procreat. ſin ad humores qui in ventriculos ipſius per cauam venam influunt, deducatur, putrefacit eos, accenditq;, & febrem putridam peſtilentem excitat. Quemadmodum autem hectica peſtilentiæ expers, & putrida gigni ſolet, ita etiam peſtilens hectica ex eadem naſci poteſt, vbi æger venenatum aërem attraxerit. Rurſus ſicut hectica non peſtilens vehementiſsima, ex vigilijs, grauiq; ſollicitudine, ac ſummo metu, ac horrore prouenire ſolet, ita etiam peſtilens ex diaria, quæ ex ſimilibus cauſis oritur, & procreari conſueuit. In vtraque febri, homines grauiùs, & vehementiùs, quàm in alijs affliguntur. nam illa tandem omnes, hæc plurimos tollit è medio. MATHETES, Tamdiúne peſtilens iſta hectica, ſicut non peſtilens perſeuerat? GERON, Nequaquam, ſed vno ſæpè die occidit. MATHETES, Ergo diaria eſt, quæ græcis ἐφήμερα dicitur? GERON, Etſi tam paucis horis ægrum interimat, non tamen rectè hoc nomen vſurpare poteſt. MATHETES, Qua ratione illi peſtilentia corripiuntur, qui in ſyncero puroq; aëre degentes, ægro tantùm aſtant, vel aſsident, ſiue curant, aut veſtes ipſius, potiſsi-

Quomodo aër infectus vaporibus peſtilentiam gignet.

Peſtilens hectica

Peſtilens hectica quandiu duret.

mùm lintea, culcitras, ſtragula, & puluinos attingunt, contrectantq́;? GERON, Ex ægri anhelitu contagium per aſperam arteriam, illis autem tanquam fomitibus inhærens, per externos corporis meatus, vbi incaluerint, facilè attrahunt. MATHET. Quam corporis partem peſtilentiæ materia initio inuadit? GERON, Spiritum vitalem genuina ſua temperie exuit: deinde naturalem, & animalem inficit: poſteà cordis humores, vnde ſpirituum materia ſuppeditatur, alieno calore, qui putredinis auctor eſt, accendit, putrefacitq́;: tandem vbi ardorem in totum corpus attulerit, febres peſtilentes, lethaliaq́; tubercula gignit. MATHETES, Quid inde ſequitur? GERON, Vbi temperatio ſpirituum labefactata eſt, putredoq́; humorum cordis officinam inuaſerit, facultates omnes robore ſuo deſtitutæ conuelluntur, & ad actiones peragendas languent. ſucci autem corporis efferuntur, quod ſubtile in ipſis eſt, diſcutitur, quod craſſum & graue, contumaciter hæret. Cùm iam venenum, quod nuſquam non pertingit, impetum in principes partes fecerit, hæ, quia illud tolerare nequeunt, ad ſua quæq; emiſſaria protrudunt, ibi autem concluſum impactumq́; continetur, & quia ſic non difflatur, deteriùs euadit, aliosq́; ſubinde, & alios humores, non minùs ac ipſum malignos allicit, vnde carbunculi, herpetes, phlegmone, eryſipelas, & gangrænæ fiunt. MATHETES, Cur peſtilentiæ virus cor, inter principes partes primùm aggreditur? GERON, Quia has ſe facilè deuicturum confidit, ſi illius veluti propugnaculi, & arcis, anteà potitum fuerit. quando enim natura cum humore, tum eſſentia, tum vitioſis qualitatibus infecto, conflictatur, cor id certamen etiam multos dies pro illius copia, & prauitate ſuſtinet, donec aut nimis eo grauatum, in corporis habitum ſe exoneret, vnde cæruleæ, nigræ virides, aut rubræ puſtulæ paſsim erumpunt: aut victum concidat, ac æger emoriatur. MATHETES, Vnde cognoſcam, vtrum febris putrida peſtilens, de qua ſuperiùs egiſti, continua ſit, quæ Græcis συνεχὺς, an continens, quæ συνεχὸς vocatur? GERON, Ex vrinis, aluo, corporis totius habitu, tempore, calore, pulſu, & alijs: tum ex acceſsionibus. nam illa, poſtquam ſemel acceſsit, continuê inhæret, donec calor prorſus remittatur: hæc quanquàm nonnihil ex calore ſuo remittat, tamen reliquias quaſdam retinet, donec altera fiat acceſsio. adhæc ſi continens, num quotidiana, an tertiana, an quartana ſit, ex interuallo acceſsionum colligi poteſt. MATHE. Soléntne omnibus peſtilentiæ ſpeciebus, alij morbi coniungi, & & ſymptomata ſuperuenire?

Peſtilentiæ materia quam partem corporis primò inuadat.

Venenum in principes partes receptum, quomodo pellatur.

Continua vel continens peſtilentialis febris.

MORBI qui coniungantur peſti-

GERON, In ea, quæ ex intemperie aëris prouenit, ſi flaua bilis putrida iecori, vel ventriculo communicatur, febris ardens exci-

excitatur: ſin ad caput feratur, phrenitidem habet ſociam: ſin ad fauces, tubercula: ſin ad linguam, inflammationem: ſin ad gingiuas, abſceſſus ſuperueniunt, ſicut etiam cùm pituita redundat: vel cùm hæc, & bilis permiſcentur. quòd ſi bilis è corpore erumpat, eryſipelas cum inflammatione, aut herpes: & quidem vterque tumor cum febri, vel ante, vel poſt eam comitatur. ſin atra bilis ex ſanguine aduſto nata, putrida emergat, carbunculi apparent. ſi pituita putrida è capite in pulmonem deſtillet, tabem parit: ſin in os, aphtas: ſi verò in oculos, lippitudinem: ſi in palpebras, ficum: ſi in cutem, puſtulas grandes, altiùs è cute erumpentes: nec non humiles pueris obueniunt, hæ tenuioris humoris, illæ craſsioris ſoboles: adhæc aliæ puſtulæ varis ſimiles, quarto, vel ſeptimo plærunque die, in brachijs, femoribus, pectore, & dorſo cernuntur. Non ſolùm autem in hiſce peſtiferis febribus, ſed etiam in alijs morbis vulgaribus ſuperueniunt, culicum, aut pulicum morſibus (vt dixi) aut varis, aut lenticulis rubore ſimiles. MATHE. Cur rubræ apparent? GERON. Quia ex ſanguine putrido, & calefacto generantur, ſicut etiam humiles ex tenui, multæ ex cute laxa, paucæ ex denſa: vix autem apparent ſub cute latentes, quia vis putredinis expultrix debilitata eſt. MATHE. Solentne in hac peſtilentiæ ſpecie, aliæ puſtulæ, aut tumores corpus infeſtare? GERON. Nullæ, atque ideò plærunque periculoſior eſt. læuitas autem inteſtinorum, exulceratio, & tormina vrgent. MATHE. Qua de cauſa? GERON. Quia in hac primùm ventriculus retentricis facultatis imbecillitate laborat, quam humor interno lateri illius infarctus parit: deinde, quia acris ac rodens humor bilioſus putridus, ex viſceribus in aluum confluens, inteſtina pungit, & vlcerat, dyſenteriámque gignit: tertiò, quia flaua bilis, vel atra rectum inteſtinum affligit: quanuis ſalſa pituita in hoc peſtilenti aëris habitu crebriùs id efficiat: quando febres non tantum continuæ, ſed etiam intermittentes cuiuſque generis, vt quotidianæ, tertianæ, & quartanæ oriuntur. MATHE. Quæ alia eiuſmodi, ardenti febri laborantibus euenire deprehendiſti? GERON. Per initia ſoporem: eò quòd talis aëris ſtatus, caput humore pituitoſo repleuerit: nec non animi angorem, quòd praui humores os ventriculi rodant: adhæc horrorem, quia excrementa acria per acceſsiones cutem æqualiter turbant, & concutiunt: præterea ægri non ſitiunt in tanto febris ardore, quia humor pituitoſus è capite in gulam deſtillat: vocem non emittunt, quia idem humor in guttur defluit: non eſuriunt, quia is ipſe in ventriculum decidit, & appetentiam imminuit: non magnam mentis alienationem ſuſtinent, quia idem ipſe humor, partim in capite manet cum bile permixtus: vbi verò ille

lentiæ, ſi ex intemperie aëris, & flaua bile putrida orta ſit.

Puſtulæ quando & cur rubræ.

Alia accidentia peſtilentis febris, ex aëre intemperato, & humoribus putridis.

non adest, vigiliæ cum dolore excruciant. MATHETES, Acutáne est febris ista pestilens, cùm ardentem eam esse dixeris? GERON, Rariùs. nam talis cœli tempestas, copiosum humorem serosum in corpore producit. MATHETES. Quales, & quando fiunt accessiones? GERON, Non adeò vehementes, sed plærunque diebus paribus, in quibus ægri redduntur obliuiosi, & vocem amittunt, omniáque membra, tanquam resoluta, proijciunt: extremi eorum pedes, & manus frigescunt, quanquam tardiùs, non tamen probè recalescunt: memoria quoque & loquela quorundam, si admoneantur, redit. MATHE. Qualia reddunt excrementa? GERON, Serosa ex vasis vel nimis copiosa, vel tam acria, vt tolerare nequeant, per aluum, sicut alia tenuia multa deijciunt: aut per vrinas excernunt: aut in cutem per sudores emittunt: nec non eadem quæ phrenetici experiuntur: cùm ipsi quoque febri ardente laborent. In hoc autem inter se differunt, quòd illi magna siti, hi nulla torqueantur, idque duplici de causa. prima quòd pituita in ore ventriculi redundet: altera, quòd appetitoria stomachi facultas languescat. præterea hi etiam adeò stupescunt animo, vt quid eis accidat, non intelligant. Quanuis autem mens illorum non omnino sit alienata, vt phreniticorum, quòd serosus humor flaua bili sit permixtus, tamen valdè est perturbata. MATHETES, Qui morbi pestilentiam ex vaporum putredine contractam comitantur? GERON, Inflammationes sæpè glandularum, carbunculi, phrenitis, licet rariùs. præterea interiorum faucium, & viscerum inflammatio, vel carbunculus latitans. Etenim cùm externa putredo cordis humores obsedit, id illam per venas in glandulas sub alis sitas exonerat: cùm in cerebrum penetrauit, & hoc satis validum est: in glandes sub auribus, aut in ipsam ceruicem deponit: sin autem imbecillum fuerit, virulentos istos humores expellere non potest, vnde posteà phrenitis, vel in ipso, vel in eius membranis oritur, quæ pro illius partibus, sua singulis propria symptomata adducit. MATHET. Quò propellitur venenosa putredinis materia, si iecur ea infectum est? GERON, Si robustum, ad inguina: sin imbecillum, nusquam. sed ipsummet inflammatione obsidetur. MATHETES, In qua parte carbunculus erumpere consueuit? GERON, In omnibus, præsertim autem in pectore, pustula nigra, vel liuida, vel pallido rubore tincta: subtus autem cùm saniem continet, nigra. MATHETES, Inflammatio ex quibus humoribus contrahitur? GERON, Ex varijs sæpè. si enim ex pallido rubens est, ex sanguine, flaua bile misto: si nigricat, ex humore melancholico: sin albescit, ex pituita. Carbunculus autem cùm inueterascit, atræ bilis soboles est: interdum in medio inflammationis nascitur: atque

Accessiones febrium pestilentium quando fiant, & quales.

Excrementa febri verè pestilenti correptorum.

Morbi pestilentiam ex putredine exhalationum ortam, concitantes.

Humores singularum partium quas in partes propellantur.

Carbunculus in qua parte erumpat.

Inflammatio ex quibus humoribus oriatur.

ita

ita duo diuersi fiunt tumores. MATHETES, Quos tumores pestilens febris hectica repræsentat? GERON, Nullos, sicut neque putrida, vbi natura tam imbecillis est, vt noxiam illius materiam nequeat excernere.

Febris pestilens habitum occupans.

MATHETES, Quæ mala huic morbo superueniunt? GERON, Capitis dolor, vigiliæ, mentis alienatio, cordis angor, ventriculi dolor, fastidium cibi, nausea, vomitus, tensio præcordiorum, spirandi difficultas, sitis, gutturis ardor: linguæ scabrities, nigritiésque, fœtor anhelitus, crebræ alui deiectiones, sanguinis profluuium è naribus.

Causæ symptomatum pestis.

MATHETES, Multos casus ac symptomata recensuisti, causas illorum mihi deinceps exponas, ac dicito cur in hac pestilentia caput dolere soleat? GERON, Quia vapores in ea ad caput feruntur, magis autem, si hoc inflammatione siue intus, siue extra, maximè si carbunculo, laboret.

Vigiliarum: Mentis alienatæ

MATHE. Vnde vigiliæ oriuntur, & mens alienatur? GERON, Ex ijsdem vaporibus.

Angoris cordis.

MATHETES, Qua ex causa cor angitur? GERON, Ex pestilenti putredine, quæ vel corpus ipsius, vel humores in ventriculis eius contentos inficit, & interiores pectoris partes ardore suo vrit.

Fastidij cibi. Doloris ventriculi.

MATHETES, Quid cibi fastidium hîc excitat? GERON, Calor febrilis, vel humor putridus in ventriculum delapsus. nam vterque temperamenta ipsius immutat.

Nauseæ. Vomitus. Singultus. Animi defectionis.

MATHETES, Cur ventriculus dolore, vel nausea, vel vomitu, vel singultu hîc afficitur, vel animus deficit? GERON, Quia humor vitiosus, & putridus vapor quasi rodens illum infestat.

Tensionis præcordiorum. Spirandi difficultatis.

MATHETES, Vnde præcordia tenduntur, & sequitur spirandi difficultas? GERON, Ex humoribus, qui in visceribus subditis continentur.

Sitis. Ardoris.

MATHET. Quid sitim, gutturis ardorem, linguæ scabritiem, nigritiémque efficit? GERON, Calor febrilis, & vapor internus putridus, aliáque causa similis os inficiens.

Fœtoris halitus. Alui deiectionum.

MATHETES, Quid fœtorem animæ, & crebras alui deiectiones excitat? GERON, Putridi humores: sed has intestinorum, illum ventriculi, aut pectoris.

Sanguinis profluuij.

MATHETES, Quare sanguis profluit è naribus? GERON, Quia ille tenuis nimiùm, aut biliosus existit. MATHETES, Satis assequor quomodo pestilentia, tum ex diuturna aëris intemperie, tum ex putridis inferiorum exhalationibus procreetur, quósque singulę morbos habeant coniunctos, & quę eis superueniant: nunc etiam discere cupio, qualis sit ex prauo cibo potúque contracta, & quę illam symptomata subsequantur.

Pestilentia ex prauo cibo potuque contracta, & eius symptomata.

GERON, Huius generis pestilentia nunc peracuta, nunc longa & contagiosa, sed minùs quàm prior: verno tempore multis pernitiosa. MATHETES, Quos morbos habet adiunctos? GERON, Plærunque vehementes febres, & malignas, visceris alicuius inflammationem, extrinsecus vlcera, quæ respondent illi, aut erysipelati, aut herpeti, aut impetigini, aut scabiei, aut lepræ, su-

peruenit in hoc morbo mentis alienatio, modò cum vigilijs, modò cum sopore, pro humorum varietate, qui in corpore abundant. MATHETES, Intellectis iam varijs pestilentię specierum causis, notísque, tum omnium inter se communibus, tum singularum proprijs, discere etiam abs te cupio, vnde illas aut futuras, aut pręsentes cognoscere liceat.

Pestilentiæ præsentis aut futuræ inditia.

Ex aëris intemperie.

GERON, Ex superioribus quidem causis, præsertim stellarum maleficijs, & aëris intemperie, pestilentiam futuram præsagimus, si inexpectatus repentinúsque languor complurimos eadem in ciuitate, eisdem ædibus, eodem die, eodémq; tempore inuadat. adhæc si multi simul in regionibus frigidis, altis, montanis, vento expositis, spirante Aquilone, sicco & frigido cœlo, pereant: qui autem humilibus in locis, ab Aquilone auersis, cœlo crasso, & tepido habitant, superstites & salui maneant. Præterea aëri fertur accepta pestilentia, si anni tempora naturam suam non seruent, hoc est, si æstas non sit calida, & sicca: hyems frigida, & humida, ver temperatum: autumnus vesperi & mane frigidus, meridie tantùm calidus, magis etiam totus siccus, quàm humidus, qualis natura esse debet: sed vniuersus annus humidus calidúsq;, si non semper, certè aliquando tepidus, frigidus autem rarò, aut nunquam. Quinetiam pestilentia comitari solet, quando talis aëris habitus præcedit, & cœlum hyeme, vt aliâs non consueuit, tonitru concutitur, fulgetrum emittit, fulmen iacit, atque id quoq; vere & æstate accidat. MATHETES, Vnde pestilentia ex inferioribus causis orta, cognoscitur? GERON, Si variæ cometarum species in summa aëris regione, ignésq; in cœlo, flammæ, lampades, torres, trabes, & capræ cernuntur, stellæq; discurrunt, in illis locis vbi apparent, pestilentiam ex sicca terræ exhalatione grassaturam indicant. Pari modo multa tubercula, insoliti capitis dolores, defluxiones, inflammationes colli, abscessus, febres malignæ, pustulæ, carbunculi, erysipelata, exanthemata in senibus, quę aliâs puerorum propria sunt, dysenteria, abortus, & grauidarum interitus, futuram, aut præsentem iam pestiferam luem, nuntiant. Magnus autem murium, ranunculorum temporariorum rubetas imitantium, muscarum specie differentium, culicum, papilionū, araneorum, erucarum, cimicum, ricinorum, buprestium, locustarum, scarabeorum, aliarúmq; bestiarum inutilium prouentus, quæ arboribus, herbis, fructibus sint perniciosæ: adhæc communes brutorum morbi, quibus plæraque ipsorum intereunt, vt equorum, vaccarum, ouium, porcorum: item quòd canes complures rabie infestentur, pisces in aquis moriantur, & aues pullos suos cum nidis deserant, aut ex aëre decidant. Sic etiam quando vestes,

Ex causis inferioribus.

stes,lintea,culcitræ,panificia,quæuis obsonia,sub dio,vel in conclauibus apertis deposita, situm mucoremque, vt aliâs in cellis non repurgatis, & opacis contrahunt, præsertim in autumno, aëris humida exhalatione, corrupti indicium est. At fames prægressa, annonæque caritas, & bonorum ciborum,potionúmque salubrium inopia, vere, & æstate orituram: autumno autem,& hyeme grassaturam indicant. MATHETES, Quæ signa pestilentiæ habes,tum ex superioribus, tum ex inferioribus causis procreatæ? GERON, Multiplicia, sed ea in singulis earum speciebus iam satis sunt explicata. MATHETES, Quomodo singulæ illæ inuadere,& quandiu durare solent? GERON, Ex longa aëris intemperie nata, hyeme tantùm eos occidit,quos tabes malè habet, & diutiùs affligit, vt quæ nonnullos secundo, vel etiam tertio mense necet. Ex putridis autem orta vaporibus,in multos annos perseuerat, nempe tres,vel quatuor, vel quindecim, vel plures etiam, & nullo non anni tempore plerosque omnes correptos perdere consueuit. Quæ ex praui cibi,potúsque vsu,ob famem, vni cuidam regioni, vel pluribus communem,prognata est, plurimùm vere & æstate inuadit,in iisque durat. Quę ex pluribus causis coniunctis oborta est, pro illarum ratione, & inuadit, & perseuerat. MATHETES, Nondum mihi omnia, quæ ad pestilentiæ cognitionem pertinent,assecutus videor,nisi etiam intellexero,qui nam potissimùm magis alijs, ad eam suscipiendam procliues sint, qui rursus tutiores ab ipsa,& securi censeantur.

Aëris corrupti indicia.

Pestilentiæ species quomodo singulæ inuadere, & quandiu durare soleant.

Ex aëris intemperie orta.

Ex inferioribus nata.

Ex cibo potúque procreata.

GERON, Rectè sentis: nam corporum nostrorum status, alij alijs ad illam accommodatiores sunt, nulláque causa efficiens siue superior, siue inferior præstare quicquam potest, nisi illa his occasionem prebeant. hac de causa aëris maleficium, si materiam aliquam in illis reperiat,multùm ea offendit: si nullam,parùm,aut nihil omnino. Hinc etiam est quòd aër siue intemperatus, siue putridis exhalationibus vitiatus,non omnes offendat, nec offensis,infectisque omnibus interitum adferat,licet nemo non eo fruatur. adhæc quòd è multis qui in eodem versantur, alij pestilentia corripiantur,alij tutò, & securi maneant. MATHE. Qui ergo in diuturno aëris statu,calido & humido pręcipuè,huic exitiali morbo sunt obnoxij? GERON, Calidi & humidi temperamento. nam cùm similia similibus in morbis noceant, hi neutra qualitate aëri præsenti resistunt: adhæc calidi, qui tamen sicci & humidi sunt temperatè: sic humidi quidem,calore autem et frigido temperati, eò quòd vtrique altera qualitate aëris statui non aduersentur, illi calore, hi humore: altera nec aduersi, nec similes existant, eóque minùs quàm calidi,& humidi offenduntur. MATHETES, Qui alij

Corporum status magis ad pestilentiam procliues.

tali aëris halitu læduntur? GERON, Calidi & ſicci, nec non frigidi & humidi. quia vtrique altera qualitate aduerſantur, altera conueniunt. nam illi ſiccitate aëri humido reſiſtunt, calore autem ipſius, calori non aduerſantur: hi verò frigido aëris ſtatui obſiſtunt, humore autem ſuo illius humido non renituntur. Nam vt ſimilia ſimilibus in morborum curationibus obſunt, ita contraria contrarijs proſunt. MATHETES, Qui præter hos peſtilentiæ ex aëris intemperato ſtatui, obnoxij ſunt? GERON, Temperati calore, frigore, humido, & ſicco. Nam vt nulla qualitate ei ſimiles ſunt, ita nulla contrarij. hæc autem peſtilentia minùs attingit ſiccos, modò calore & frigore temperati ſint. Sic quoque frigidi hoc ſtatu infeſtantur, modò humido, & ſicco temperati ſint: quia vtrique alteram qualitatem habent contrariam, illi ſiccam, hi frigidam: alteram nec ſimilem, nec contrariam. MATHETES, Qui ſunt ab iſto aëris ſtatu ſecuri? GERON, Frigidi & ſicci, non ſolùm tuti ſunt, ſed etiam ab eo adiuuantur. MATHET. Quæ ætas huius ſtatus aëris incommodis ſubiecta eſt? GERON, Puerorum, & adoleſcentum maximè, quòd calido & humido ſint temperamento præditi: virorum minùs, quòd calidi & ſicci altera qualitate, nempe ſicca humidæ renitatur. Senium autem, temperamento frigido & ſicco, remedio eſt. MATHETES, Ideo ſenes ab hac peſtilentia ſunt liberi? GERON, Sunt vtique, magis quàm ab illa quæ ex aëre, putridis exhalationibus infecto, contrahitur. Nam hanc illis quoque necem attuliſſe proditum eſt, & Hippocrates ex ea ſexagenarios, eryſipelate peiore laboraſſe ſcripſit. MATHETES, Quales humores gignit, calidum & humidum corporis temperamentum, in tali cœli ſtatu intemperato? GERON, Calidum & humidum, ſanguinem alijs humoribus mixtum: ſicut calidum & ſiccum, bilem flauam & atram: frigidum & humidum, pituitam. Atque iſti humores, ſi redundent, externo aëris calore putreſcunt, febrémque peſtilentem putridam procreant. MATHETES, Quinam promptiùs peſtilentia corripiuntur, quæ ex aëre putridis exhalationibus inquinato, contrahitur? GERON, Quorum modò cordis eſſentia, modò humores in ventriculis ipſius contenti, caloris illius putredini ſuſcipiendæ magis accommodati ſunt. MATHETES, Quomodo cor ad hanc recipiendam fit procliuius? GERON, Si incaleſcat, aut incaluerit, humores autem in eo collecti, crudi, frigidi, & pituitoſi fuerint, putredinem nondum experiuntes. MATHETES, Quomodo humores ad eam aptiores euadunt? GERON, Si putredini ſunt obnoxij, cordis autem eſſentia nec incaleſcat, nec incaluerit. MATHETES, Vnde iſta incaleſcit? GERON, Vel à ſpiritibus, vbi quis in diariam febrim incidit; vel ab humoribus, vbi in putridam.

Ætas quæ peſtilentiæ obnoxia.

Senes à peſtilentia liberi.

Humores quales temperamenta ſingula gignant.

Peſtilentiæ ex putridis exhalationibus ortæ obnoxij.

Cor ad peſtem quomodo fiat promptius.

MATHE-

MATHETES, Quando autem incaluisse dicitur? GERON, Cùm febrilis calor per totum ipsum penetrauit, habitúmque acquisiuit. MATHET. Quare cor faciliùs quàm humores, putredinem aëris admittit, vbi ex diaria febri incaluit: vbi verò ex putrida, non item? GERON, Quia illi tunc non solùm ad putredinem suscipiendam idonei fiunt, sed iam putrescunt, eóque pestilens putrida febris, aliam putridam comitatur. MATHETES, Cur diaria correptus, vbi pestiferum aërem inspirarit, mox in hecticam pestilentem incidit? GERON, Quoniam illa ex ardore solis, frigore, lassitudine, vigilijs, ebrietate, inflammationibus glandularum, ira, furore, mœrore, timore, aliisque animi curis, & perturbationibus excitatur, & febris aliâs hectica, non tantùm ex putrida, sed etiam ex diaria febri oriri solet. pari modo cùm non pestilens hectica ex vehementissima ira, & vigilijs, graui sollicitudini coniunctis, nasci possit: meritò etiam pestilens hectica, ex diaria oriri dicetur, præsertim cùm homines eo tempore in maximo vitæ periculo versentur.

Diaria in hecticam pestilentem quando incidat.

MATHETES, Quando putridus aëris calor, cordis humores putrefacit, febrémq; putridam pestilentem accendit? GERON, Vbi corpora varijs excrementis, putredini per se obnoxijs, repleta fuerint, sanguis redundarit, viscerum ora & vasa, humoribus condensatis sint obstructa, vt illa hos nec euellere, nec viam eis dare queant: adhæc vbi cibus succúsque non probè concoctus, conuersúsque in sanguinem fuerit, quæ cruditas appellatur.

Febris pestilens putrida vnde.

MATHETES, Súntne omnia excrementa corporis ad putredinem procliuia? GERON, Nequaquam, sed quædam vt flaua bilis, & atra, pituitáque, reliqua non item.

Excrementa an procliuia ad putredinem.

MATHETES, Quæ copiam istorum humorum producunt? GERON, Partim cibi, & potiones mali succi, partim crebræ cruditates, partim viscerum quæ eos gignunt, intemperies. MATHETES, Vnde autem vitiositas humorum in corporibus contrahitur? GERON, Inde, quòd cùm aliâs halituosum, & optimum quippiam expirare soleat, nunc id ob astrictos, occlusósque cutis meatus, exhalare nequeat.

Humorum vitiositas vnde.

MATHET. Quid sanguinis, succique lenti, crassi, & condensati abundantiam parit? GERON, Viscerum vasa, oráque obstructa. MATHET. Quid cruditates? GERON, Cibi potúsque immoderatio, reique venereę intemperantia, in ijs maximè qui in otio degunt. Crudi autem humores, si non poterunt concoqui, conuertique in sanguinem, sicut etiam reliqui humores, vbi calidis in locis diutiùs inhæserint, putrescunt.

Cruditatis causæ

MATHETES, Si ergo ij, quorum modò facta est mentio, soli pestilentiæ ex putrido aëris calore fiunt opportuni, certè illi quorum corpora neque succis vitiatis, neque sanguine abundant, neque vasa, oráque viscerum habent obstructa, ab hac

lue sunt immunes: sicut etiam qui cibum potúmque modicum assumunt, venere moderata vtuntur, & probè se exercent? GERON, Rectè colligis, atque id etiam confirmari inde potest, quòd pueri, adolescentes, & iuuenes potissimùm, hac lue inficiantur.

Cur pueri pestilentia, ex putredine aëris, corripiantur.

pueri, quia ad vnum omnes nimis immoderatè, tum cibo, tum potioni citra iudicium indulgent, eoq; non parùm succi crudi congregant:

Adolescentes.

alteri verò, quòd plerique deteriorem victus rationem, quàm illi sequantur, vnde crudorum humorum copia suppeditatur:

Iuuenes.

postremi, quòd flaua bilis ex praua victus ratione multis succrescit: quibusdam succus crudus. Reliqui autem tum adolescentes, tum iuuenes etiam facilè, putrida febri pestilente infestantur, quòd sanguis quidem ex bono victu copiosus eis nascatur, sed is, propter obstructos cutis meatus, latente perspiratu non difflatur, vnde plenitudo, quæ Græcis πληθῶρα, dicitur, subsequitur. MATHETES, Quid de viris & senibus hîc dicis? GERON, Hi quidem minùs, quàm cæteri, pestilentia corripiuntur, si optimam victus rationem obseruent: si non, neutri ab illa tuti sunt, quòd vtrique succum crudum colligunt: illi præterea non rarò atrum, hi melancholicum.

Viri. Senes.

Pestilentiæ ex contagione obnoxij.

MATHETES, Quos potissimùm pestilentia ex contagione inuadere solet? GERON, Eos, qui prauis humoribus, vel sanguine scatent, vel obstructionibus, vel cruditatibus, ob causas nuper dictas, laborant. Qui verò superfluis carent, & meatus habent liberos, nullam pernitiem experiuntur. MATHETES, Quósnam pestilentia ex prauo cibo, potúque orta, magis affligere consueuit? GERON, Omnes, qui illis vsi sunt. nam sanguis optimus, in deterrimum conuertitur, vnde postea calore externo accedente, malum grassari incipit.

Ex prauo cibo, potúque ortæ, obnoxij.

MATHETES, Plenius iam de omnibus febrium generibus speciebúsque dignoscendis me instituisti, quàm optare ausus sim: nondum autem intelligo, omnésne eodem modo, an singulæ peculiari finiri soleant.

MORBI quomodo finiri soleant.

GERON, Cùm vnaquæque ex proprio humore procreetur, non vna ratione terminari possunt. aliæ enim per sanguinis eruptionem è naribus, aliæ per vomitum, aliæ per alui deiectionem, aliæ per sudores largos soluuntur. Græci has solutiones κρίσις, vocant, quasi dicas, iudicationes: quæ olim incidebant die tertio, quinto, septimo, nono, vndecimo, decimo quarto, vno & vigesimo, ita vt summa potentia septimo, deinde quartodecimo, postea vno & vigesimo daretur: qui, quòd de ægris quasi iudicarent, κρίσιμοι, nominabantur. MATHETES, Quæ signa crisim prænunciant? GERON, Dolor capitis, ceruicis, stomachi, præcordiorut, aliarúmque partium: nec non vertigo, sopor, rerum obliuio, delirium, & terror. adhæc aurium sonitus, splendores falsi oculis obuer-

CRISIS quibus notis prænuntietur.

obuersantes, lachrymæ nolentium, crebra nausea, æstus, ac sitis vehementior quàm antea, pulsus inordinatus, & inæqualis subitò, vrina suppressa, ventris sonus insolens. Inter hæc etiam totus ipse æger conflictatur, omnémque in partem corporis, variè se iactat, & vociferatur: interdum furiosi instar è cbuili exilit. MATH. Quando id accidit? GERON, In ipsa febris accessione: quæ tunc vehementissima est, & priorem horæ spatio propemodum anteuertit. cum qua etiam ingens horror insolitus inuadit: post hunc modò bona futura sit iudicatio, multus sudor effunditur, aut sanguis nimius è naribus erumpit, aut vomitus humoris plenior superuenit, aut aluus multùm resoluitur. atque post hac febris in totum desinere incipit. nonnulla ex his signis superiori nocte apparent, cùm posteriore febris per crisim soluetur: idem in die accidit, cùm morbus proxima nocte finietur. nam hæc grauior esse debet, quæ eum diem antecedit, quo futura est accessio, & de morbo in totum iudicabitur. Hoc autem animaduertendum est, indicia noctu sæuiora, quàm interdiu obuenire: atque alia ex his ipsis iudicationes, siue crises duntaxat ostendere, alia harum notas, & causas æstimari: his sudores, vomitus, alui deiectiones, vrinarum, & sanguinis profluuia, comprehenduntur: illis deliria, vigiliæ, sopores, lachrymæ, & id genus similia. MATHETES, Quid vtraque signa pollicentur? GERON, Post concoctionis notas, salutem: si cruditas subest, pernitiem: ac ideo bona illa esse nequeunt, nisi cùm morbus est in statu, nempe cùm humores maturuerunt. hinc quoque fit, vt crises siue iudicationes, post concoctiones absolutas celeriùs fore, indicetur. At eadem signa in morbi initio, perniciem omnino portendunt: in augmento autem illius, eóque maligni, mortem quoque præsagiunt: sed in leuioris morbi incremento, crisim imperfectam fore nunciant. nam corporis natura, vbi quis ex morbo in totum conualescet, non anteà de eò iudicat, quàm materiæ ipsius concoctio fuerit absoluta. MATHETES, Quid si morbus ægrum superaturus sit? GERON, Tunc natura multò antè, crisim aggredi conatur, manifestáque eius præbet indicia. tantum valet semper concoctio, vt certam promittat salutem. Crisis autem notæ non satis firmæ existunt: sed pro cruda, aut concocta morbi materia, diuersa ab eis & indicantur, & efficiuntur. MATHETES, Quo euacuationis genere, & ratione, febris crisim habitura est?

Signa salutis ac mortis per crisim.

GERON, Si illa acuta fuerit, & primis circuitibus ob celerem materiæ concoctionem, de ea fiat iudicium, tunc certè quædam potius materiæ excretio, quàm abscessus, expectari debet. MATHETES, Quomodo sanguinis è naribus profluuium fore

Febris quo euacuationis genere soluetur.

Crisis febris ante.

Crisis per sanguinis eruptionem.

prænoscam? GERON, Si præcordia dextra, vel sinistra, citra dolorem intenduntur, spiritúsque simul difficilis trahitur, caput autem ardescit, & arteriæ eius cum dolore circa frontem intentæ mouentur: item si facies tota, præsertim oculi, nares acutæ, ac malæ rubescunt, pruriúntque, visus obscuratur, splendorésque falsi ei obuersantur, aurium tinnitus, vel surditas, lacrymæ subitæ percipiuntur: nec non arteriarum in temporibus vehementes motus, grauésque ceruicis, faciei, & temporum dolor, pulsus autem vndosus. MATHETES, Quibus morbis huiusmodi eueniunt? GERON, Febribus ardentibus, phrenitidi, alijsqúe acutis morbis, & continuis, vel capitis doloribus febris expertibus, maximè si hi frontem & tempora fatigent: nec non omnibus calidis, acutísque inflammationibus, quæ sub præcordijs vrgent, præsertim iocinoris, & lienis: idqúe potissimùm, si æstate inciderint, & æger nondum quintum & trigesimum annum excesserit. MATHETES, Sanguinis profusio è naribus, alijsné etiam vitijs accidere in crisi eius solet? GERON, Acutis quidem, & phrenitidi peculiariter: veterno, aut pulmonis inflammationi minimè. pleuritis inter hos morbos media existit, vt quæ sanguinis fluori minùs quàm priores: magis verò quàm posteriores sit obnoxia. MATHETES, In quibus vomitus incidit?

Crisis per vomitum.

GERON, In quibus totum caput graue est, & vertiginosum, oculi caligant, stomachus rosionem sentit, nausea crebrò premitur, sic vt os eius ferè amaritudinem experiatur, & copiosam, tenuémque saliuam expuat, & labrum inferiùs tremat: adhęc si præcordia priore in parte veluti suspensa tendantur, spiritúmque premant, & pulsus contractus ac durus existat. Quinetiam vomitus certior erit nota, si febris tertiana vrget, ægérque trigesimum quintum ætatis annum superauit, & anni tempus æstiuum est, horrórque incidit, & partes sub præcordijs sitæ, simul refrigescant.

Crisis per alui deiectionem.

At aluus in crisi profluet, si humor ad interiora versus feratur, non tamen vomitus aliquis sequatur, aut vrina copiosior reddatur: præcipuè si aluus tunc & biliosior, & fusior, quàm ante crisim extiterit. item si æger raro sanguinem in secunda valetudine è naribus profuderit, raróque sudarit, aluum autem sæpè citam habuerit, & aquam frigidam bibere consueuerit. At si alui deiectio propinqua est, venter sonum quendam edit, rugit, & pungitur, mox grauatur, aut intus dolet. nam si præcordia per febres cum dolore sonum edant, & lumborum dolor superuenerit, aluus plęrunque humida esse consueuit, vt res ipsa, & Hippcrates testatur. MATH. Quando crisis per sudorem futura cognoscitur?

GERON,

Crisis per sudorem futuræ nota.

GERON, Cùm aluus & vrina supprimuntur, sic tamen, vt vires ęgri constent, & nullum vomitus indicium antecesserit. sin autem hoc appareat, tunc crisis & per ipsum vomitum, & per sudores perficietur, idquè certiùs, si accessio increscens cum notis superioribus delirium intulerit, summæquè corporis partes magis incalescant, rubeántque, & vaporem quendam calidum, qui anteà non fuit, emittant. Quin & pulsus simul vndosus, mollísque insigniter, nec non vrina crassior, & planè biliosa, crisim per sudorem fore testatur, idquè manifestiùs, si æger ante hanc per insomnia se balneis prolui existimet. Porrò sudores omnibus febribus sunt familiares, præsertim acutis, ardentibus, nec non phrenitidi: vtique si boni existant. MATHE. Quinam tales sunt? GERON, Qui ex capite copiosi, & calidi effunduntur, sic vt reliquum corpus simul insudet. Quin & omnis acuta inflammatio, sub præcordijs consistens, sudoribus plærunque resoluitur. MATHETES, Vnde licebit deprehendere, num vel hæmorrhoïdibus, vel menstruis emanantibus, crisis futura sit? GERON, Ex proprijs vtriusque affectus indicijs. MATHETES, Possúntne febres etiam alio modo, quàm crisi finiri, soluíque?

Crisis per hæmorrhoides, & menstrua.

Febrium per abscessus solutio.

GERON, Possunt vtiq; etiam abscessu iam generato: quando autem is generabitur, hæc ferè incidere solent: morbus diu trahit, non soluitur paulatim, sed in eodem febris ac doloris statu permanet, sic tamen, vt alia signa salutaria adsint, quæ nihil de ægri vita periculi testentur. adhæc abscessus futuri nota est, quòd nulla euidens facta sit euacuatio, quódque concoctiones differantur, dolor subitò oboriatur: nec non, quòd partis alicuius obscuræ lassitudo, imbecillitas, sudórque incidat: item quòd morbus ipse non mortiferus tardiùs moueatur, diémque vigesimum iam egressus sit: denique quòd pulsus sit bonus, virésque robustæ. At certior abscessus futuri nota est, quòd vrina diu cruda tenuísque reddatur. sin ipsa copiosa, crassa, & alba appareat, in qua subsidentia abundent, nullus abscessus deprehenditur: quia tunc malum paulatim concoctionis beneficio soluitur, & tandem sine alia euacuatione euidenti, siue abscessu terminatur, MATHETES, In quibus corporis partibus abscessus plærunque solent erumpere? GERON, In ea, quæ iuxta aurem est, sub alis, in inguinibus, & alijs nonnullis. primus, qui græcè παρῶτις, dicitur, hisce indicijs cognoscitur: spiritus subitò difficilis, non tamen diu trahitur: hinc grauitas capitis statim sequitur, nec non dolor sopórque altus, & surditas. hic casus febribus acutis, non autem valdè longis frequens est. aliquando etiam in veternum, & phrenitidem, similiáq; capitis vitia, crisi finiuntur. Si verò morbus inueterauerit, & abscessus

Abscessus futuri notæ.

Abscessus in qua parte erumpet.

certas ob cauſas expectetur, non autem parotidis notæ adſint, quæ tunc ferè nunquam incidit, ſed dolor aliquis, vel grauitas, vel tenſio, vel ardor inferiores corporis partes obſideat, certè abſceſſus hiſce in locis, iuxta articulum orietur. tunc ſanè ſuſpectum ipſum habere oportet, quamprimùm febris vigeſimum diem exceſſerit: idquè magis hyeme fieri, ac tardiùs deſinere, minúſque reuerti ſolet.

Abſceſſus in quibus oriantur frequentiùs.

MATHETES, Quibus abſceſſus frequentiùs exoriuntur? GERON, Junioribus, nondum annos triginta natis: ſenioribus autem rariùs, idq; ſub febre diuturniore, quibus quartana potiùs, in eiuſmodi caſu imminere conſueuit: vtique ſi quæ vrget non continua, ſed vago, & incerto circuitu intermittat, diu ad autumnum vſque protrahens. at febris licet diuturna, quæ tamen ab horrore incipit, & ſudore ſoluitur, veluti tertiana, aut quartana, rarò in abſceſſum deſinit, eò quòd eius materia in acceſsionibus ſingulis expurgetur.

Abſceſſuum diſſimilitudo.

MATHET. Suntne abſceſſus vbique ſibi ſimiles? GERON, Nequaquam. nam qui inferiore corporis parte lentam, longámque febrim ſequuntur, minus adferunt periculi, quàm qui in ſuperiori iuxta aures erumpunt. tales enim ferè proprij morbis acutioribus exiſtunt.

Abſceſſu ſuborto ſi febris remaneat.

MATHET. Quid ſi poſt ortum abſceſſum febris quædam remaneat, iſque forâs non reſoluatur? GERON, Hic non ante diem vigeſimum, ſed totus intra eum, & ſexageſimum ſuppurari ſolet. at ſi idem, remorante etiam febri ſolita, ſubſederit, priuſquam ſuppuret, periculum adfert, primùm furoris, deinde interitus: maximè ſi iuxta aures conſiſtat.

Abſceſſus optimus.

nullum autem periculum ille oſtendit, qui inferiores corporis partes obſidens, longiſsimè à loco affecto, vitæquè officina diſtat: nec non amplo comprehenſus loco, vniuerſam morbi materiam continet, forâſque tendens facilè erumpit: quoniam talis priorem morbum reuerti minimè permittit. Benè etiam de eo ſperandum eſt, qui in acumen tendit, & faſtigiatur, matureſcitque æqualiter, quique deorſum vergit, non durus, neque bifariàm diuiſus:

Malignus.

valdè periculoſus eſt, qui introrſum vergit, ſic vt nullus hinc color cuti externæ accedat. adhæc periculi plenus eſt, qui forâs quoque prodit, ſi ampliſsimus, & valdè planus apparet.

Criſis notæ per animi affectus.

MATHETES, Quæ alia criſim periculoſiorem, aut bonam efficiunt? GERON, Animi affectus. nam metus alui deiectionem, aut vomitum, aut vrinam facilè excitat: è contrario, gaudium ac lætitia ſudores magis effundunt.

Criſis quibus euacuationibus perficiatur.

MATHE. Vnáne an pluribus euacuationibus criſis perficitur? GERON, Non vna, ſed ſępe etiam pluribus: veluti ſi quę forſan in febri ardente ſanguinis è naribus profuſio fieri cœperit, eam ſtatim ſudores prorumpentes perficiant. MATHETES, Quæ tandem eſt criſis perfecta?

GERON,

Crisis perfecta quæ.

GERON, Fida, certa, periculi expers, & manifesta, quæque prius à die contemplatorio, siue indice fuerit prænuntiata, & quæ bonam salutis spem repræsentat. hanc enim concoctiones comitantur, diésque decretorius efficax: excretio manifesta, morbo conueniens: pulsus inæquales paulùm eam antecedunt, pluresque magni, celeres, moderati, vehementésque, quàm parui, tardi, crebri, & languidi: qui simul rythmos pares, moderatos, & celeres habeant. Porrò crisi iam absoluta, æger fit speciosior, coloratior, spiritum faciliùs trahit, corpúsque expeditiùs conuertit, leuátque: pulsum edit mediocriter æqualem, ordinatúmque. MAT. Quod aliud morbi genus bonam crisim indicat? GERON, Quod sæpiús promptiúsque per crisim finitur, vt febris ardens, tertiana, aliáque similia. MATHET. Quæ notæ crisim futuram ostendunt? GERON, Morbi magnitudo, & accessiones eius semper multúmque prǽuertentes, increscentésque: item natura inter hęc valentior, expedita morbi materiæ concoctio, ætas ægri, temperamentúmque, & anni tempus, morbíque genus conueniens: & quantò hęc sunt efficaciora, tantò illa citiùs absoluitur. MATHET. Quid magnus morbus malignúsque infirmo corpori incidens, eiúsque materia diù cruda, significat? GERON, Naturam opprimi, mortémque sine crisi esse secuturam: sic autem accidit, vt quando crisis inditia adfuerint, ipsam quoque siue bonam, siue malam fieri oporteat. MATHETES, Quænam illa sunt? GERON, Quæ paulò ante illam apparent. MATHETES, Quid sibi vult, quòd cùm crisis signa adsunt, ipsa tamen non statim sequatur? GERON, Vel quòd hæc instet difficillima, vel quòd homo sit interiturus. MATHET. Qualia crisis futuræ signa esse solent? GERON, Bonæ, magna ex parte certiora: malæ, non æquè firma, vtriusque in acutis morbis semper sunt ambigua, dubiáque. MATHETES, Quo morbi tempore signis istis magis fidendum est? GERON, Bonis in statu: malis non item: nisi corpus sit imbecillum. MATHETES, Quid commodi crisis præstat in ægris? GERON, Nemo acutum sine illa euadit: complures autem repentè sine hac intereunt. MATHETES, Quo morbi tempore salutaris crisis incidit? GERON, In eius statu. MATHET. Quando perniciosa? GERON, Cùm in principio, tum in augmento, tum in statu: nullus autem vnquam in mali cuiuscunque declinatione interijt, aut crisim expertus est. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia morbus, qui semel statum suum excesserit, is sine crisi permanet, & paulatim, nisi quid erratū fuerit, soluitur. Interdum aliquis incipiente febris accessione moritur, sicut in pestiferis internarum partium inflammationibus, febribúsque ex crassa pituita contractis, natiuo calore intus restincto.

Crisis futuræ indicia.

Signa futuræ crisis qualia esse soleant.

Crisis commoda in ægris.

Crisis quo tempore incidat salutaris, aut periculosa.

nam vbi sic æger refrigeratus, non recalescit, pulsus vermiculans redditur, totúsque deficit, & æger alto pressus somno exanimatur. nonnunquam etiam in accessionis augmento, licet rariùs, interit. sæpissimè autem in eiusdem statu, quando morbus naturam superat. Cæterùm eo tempore ęger delirat, ac intra verba desipit, & violenter quædam manu facit: ex cubili impetu exilit, maximóque feruore æstuat: atque his malis victus, vbi tandem etiam animo defecerit, viréstque amiserit, extinguitur. MATHETES, Moritúrne aliquis etiam in febris declinatione? GERON, Raro. si tamen id contigerit, anima prius deficit: deinde totus naturæ calor vnà cum febrili expirat: ac tandem æger pauco ac viscoso sudore orto, exurgens, vel conquiescens protinus emoritur.

Mors in febris declinatione.

MATHETES, In quibus diebus de morbis iudicatur, siue (vt alij dicunt) crisis fieri solet? GERON, In tertio, quinto, septimo, nono, vndecimo, quartodecimò, septimodecimo, & vigesimo. hi tres septimanas efficiunt, sic vt dies octauus, secundæ principium quartusdecimus, secundæ terminus, exordiúmq; tertiæ existat, si Hippocrati credimus. MAT. Quomodo septenarij isti dies digeruntur? GERON, Per quaterniones: sic vt primi quartus dies sit postremus: & secundi primus: tertij initiū, septimus, & finis, vndecimus. Quartus hinc incipiens quaternio, quartodecimo die absoluitur. idem hic dies, quinti quaternionis exordium est, ac decimusseptimus eiusdem finis. Sextus autem quaternio, ab hoc decimoseptimo auspicatur, & vigesimo definit: atque ita vigesimus ipse, tum sexti quaternionis, tum tertij septernionis vltimus existit. MAT. Quæ proportio dierum decretoriorum, à vigesimo ad quadragesimum seruatur? GERON. Eadem quę fuit in priori vicenario. MATH. Quæ autem à die quadragesimo exacto? GERON, Sicut tunc morbi non amplius sunt acuti, ita neque crisis diebus imparibus, siue quaternarijs, siue septenarijs, sed omninò paribus, absoluitur.

Crisis in quibus diebus fieri soleat.

Dierum decretoriorum ratio.

MATHETES, Quos vocas singulos vicenarios? GERON, Sexagesimum, octuagesimum, centesimum. MATHETES, Eandémne omnes dies decretorij vim obtinent? GERON, Non. quia septenarij omnium sunt potentissimi: deinde quaternarij, quos singuli septenarij proprios habent: postea illi, qui in amborum medio collocati sunt: quos medici intercurrentes vocant. MATHETES, Qui dies decretorij sunt optimi? GERON, Septimus, quartus decimus, nonus, vndecimus, vigesimus, septimus decimus, quintus, quartus, tertius. MATHETES, Qui infausti sunt, & parum tuti, miniméque decretorij? GERON, Sextus, octauus, decimus, duodecimus, sextus decimus, vndeuigesimus: tertius decimus, inter bonos & malos medius existit. MATHETES, Qui de inacutis morbis

Singuli vicenarij qui.

Dierum decretoriorum vis, an eadem.

Optimi dies decretorij.

possunt

Dies de morbis acutis qui diiudicare poßint.

possunt dijudicare? GERON, Omnes impares, qui primis viginti diebus continentur, eò quòd hoc temporis spatio morbus vehementiùs moueatur, postea autem magis remittat, mitescátque: vnde fit, vt in secundo vicenario dierum numero, nulli ferè dies præter septenarios, hoc est, vigesimum septimum, trigesimum quartum, & quadragesimum, decernere aliquid posśint.

Dies contemplatorij, siue indices

Hoc quoque de diebus decretorijs te admonitum velim, alios aliorum esse indices, quos Hippocrates ideo θεωρητικοὺς, quasi contemplatorios vocat, quòd ipsi, quid proximis decretorijs euenturum sit, certis notis antea prænuncient. Quartus igitur septimi index est: vndecimus quarti decimi, & vigesimi septimus decimus. Proinde si acuta febris statim sine vlla periculi suspitione accedit, & euidens concoctionis nota in vrina apparet, crisis vltra diem quartum prorogari nequit. è contrario, si multa primo statim die interitus signa verisimilia concurrant, æger intra quartum diem opprimetur: si crisis septimo die futura est, vrina rubram nubeculam quarto repræsentat: ac reliqua bona indicia pro ratione sequuntur, nisi error aliquis vel medici, vel ægri crisim remoretur. tunc enim in nonum diem, vel vndecimum incidet. quia crisis in morbo quidem tutiore, ob errorem differtur: in pernicioso autem, statum diem præuertit. si in vndecimo die nihil de illo iudicatum fuerit, crisis ante diem vigesimum fieri non potest: si moderatior morbus ad septimum vsque perueniat, potest. At qui ad decimum quartum vsque omninò crudus existit, tardéque admodùm mouetur, non ante quadragesimum crisi finitur. nam sicut dies decretorij primi, semper posterioribus sunt potentiores, sic & contemplatorij, siue indices appellati. Hoc quoque aduertendum est, magnos morborum impetus, ad decimum quartum vsque: minores his, à quarto decimo ad vigesimum existere: illos verò qui hinc ad quadragesimum differuntur, pedetentim vim omnem remittere: qui verò quadragesimum superarunt, prorsus elanguescere, diuturnáque potiùs concoctione, vel abscessu, quàm crisi solui posse. Post diem centesimum, alios morbos septem mensibus, alios totidem annis, alios duabus annorum septimanis, vel tribus conquiescere, Hippocrates docuit. MATH. Cùm de omnibus febrium generibus pleraque recensueris, cupio vt si quid adhuc sit reliquum, pergas absoluere.

Febribus quæ superuenire soleant.

GERON, Nulla febrium species est, cui non casus aut alij plærunque morbi obuenire soleant: sed nunc leues, nunc graues. MATHETES, Quales huiusmodi existunt? GERON, Leues signis tantùm respondent, eísque annumerantur: graues ægros, æquè ac febres infestant, virésque resoluunt. A illi diligenter, &

Symptomata febrium grauiora.

Symptomata febrium grauiſsima.

accuratè obſeruari debent, ex febrine tanquam ei proprij incidant, an ex alio morbo, qui febri ſit implicitus, & ex peculiari cauſa prognatus. MATHET. Quid ſymptomata reddit grauiora? GERON, Humoris ſitus, aut partis imbecillitas. Si enim febris materia non æquabiliter in totum corpus eſt diffuſa, ſed magis partem aliquam occupauit, ſymptomata pro illius natura, & conditione progignit. ſimiliter, cùm pars quædam corporis ante febrim vel natura, vel humoris alicuius, ſiue mali inueterati, vitio debilitata fuit, quanuis corporis affectio exiſtat æqualis, tamen illa iam dudum offenſa, prima omnium, detrimentum, incommodúmque præſentit: & ſi quod olim vſpiam in corpore vitium delituerit, id ſtatim cum febri prodit. MATHETES, Quæ febrium ſymptomata grauiſsima dicuntur? GERON, Omnium virium reſolutio, animi defectio, aut oppreſsio, ſpiritus difficultas, capitis dolor: vigiliæ, delirium, corporis iactatio, & veluti eius contuſio: ardor immodicus, ſitis, linguæ ariditas, & ſcabrities, deuorandi difficultas: guſtus deprauatus, cibi faſtidium, nauſea, ſingultus, vomitio, alui profluuium: lumborum dolor, laſsitudo corporis, membrorum grauitas, & dolores artuum. in febri autem intermittente, horror vehemens, ſudor ingens. MATHETES, Vnde prouenit virium reſolutio?

Reſolutionis virium cauſæ.

GERON, Ex grauibus febrium ſymptomatis, vt vigilijs, dolore, timore, euacuatione immodica, ſubitóque facta, victu tenui, & parciore. MATHETES, Quæ pariunt iſta iam dicta ſymptomata? GERON, Ventriculi ferè, aut præcordiorum offenſæ, quas vel bilis acerrima, vel alius quilibet humor putridus, aut venenatus, in eas partes vehementiùs irruens, aut vaporem minùs gratum exhalans, concitat. Quæ verò hinc non ſunt profecta, originem ex alio quodam peculiari morbo trahunt. MATHETES, Quid animi defectionem parit?

Animi defectionis cauſa.

GERON, Nunc humor pernicioſus, qui peſtilentem febrim induxit: nunc bilis æruginoſa, aut porracea, aut atra, quæ os ventriculi, aut præcordiorum membranas acriter pungit, vellicátque: multò autem magis vbi furens hæc materia è venis in cordis officinam irruperit: idque largiter, & ſubitò. MATHETES, Vnde æger premitur, velutíque ſtrangulatur?

Cauſæ oppreſsionis, & ſtrangulatus.

GERON, Modò ex bilis porraceæ, vel æruginoſæ ardore, qui circa cor, vt in febri ardente ſubſiſtit: modò ex copia humoris, qui in præcordijs, aut viſceribus infixus eſt: idque non rariùs in febri intermittente, quàm in continua, ſic vt etiam illa ferè diſtendantur, doleántque, dum attinguntur: grauiſsimè autem ęgri premuntur, vbi inflammatio, vel iecur, vel lienem exercet. MA-

THE-

Spirandi difficultatis causa.

THETES, Vnde ſpiritus difficultas in febribus gignitur?

GERON, Plærunque ex præcordiorum oppreſsione: aliâs ex cordis, & pulmonum ardore, cùm bilis, vt in ardente febri, & putredo, circum eas partes incenditur, aut furens in venis materia, cum impetu eò decumbit. MATHETES, Vnde capitis dolor in febri excitatur?

CAPITIS doloris causa.

GERON, Ex partium illi ſubiacentium, & maximè præcordiorum conſenſu. nam inde humor exæſtuans, vaporem copioſum de ſe in caput, per intermedias regiones emittit: qui dum vel calore & acrimonia, cerebri membranas, & eam quæ caluariam ambit, ferit, vel copia diſtendit, dolore cruciat: aliquando ex ſanguine tenuiore, qui temporum venas arteriáſque maiores pulſando agitat. Quicunque autem ex febri genitus eſt, vel tempora, vel frontem, vel certè priorem capitis regionem infeſtat: qui verò occipitium, aut verticem, aut circum aures affligit, peculiarem in capite cauſam obtinet: non autem febris ſymptoma eſt, licet cum febri increſcat, intendatúrque. nam vetus ſæpè dolor, hiſce in locis quaſi conquieſcens, humoris motu cum febri excitatur. MATHETES, Quis vigiliarum auctor exiſtit?

VIGILIARVM causæ.

GERON, Quicunque ſomnum & quietem interpellat, vt dolor, æſtus, oppreſsio, ſitis, & quæcunque alia ægros nimiùm infeſtant, grauántque. Quinetiam nullus ſomnus accedere poteſt, cùm calidus & acris vapor, cerebrum ipſum potiùs quàm membranas eius terit, ſpiritúſque nimiùm attenuat, & multifariam diſpergit. adhæc pernitioſa qualitas cor offendens, citra magnum ardorem ægrum vigilia cruciare ſolet. MATHETES, Quomodo accidit febricitantibus delirium?

DELIRII cauſa.

GERON, Si cauſæ iam relatæ vehementiores occurrant, aut bilis feruida in cerebrum irrumpat: ſic vt vrinæ interdum fiant puriores, mens perturbetur, & portentoſa rerum ſimulacra, ſenſibus & animo ſuccurrant, mens ſtatim à ratione declinat. atque hic affectus terroris potiùs, quàm periculi plenus eſt. ſin autem diutiùs perſeueret, cerebrum adeò offenditur, vt non modò nerui, ſed etiam ipſi artus, præſertim manus ac brachia, alio quodam, quàm tremoris motu, ſine voluntate iactentur: quod interitus ferè eſt indicium. MATHETES, Quomodo imminens delirium prænoſcitur? GERON, Aut loquacitate intempeſtiua, aut geſtu ineptiore, ſeu impudenti. Vbi autem humor ille calidus deferbuerit, delirium reprimitur, & grauis altúſque ſopor ſuperuenit. MATHETES, Qua de cauſa corpus ſæpè nunc in hoc, vel illud latus iactatur, nunc in pedes deuoluitur?

IACTATIOnis corporis cauſæ.

GERON, Ex lumborũ & artuum dolore æſtúque, aut à fu-

rente in venis materia, vel à praua occultáque qualitate, cor sicut in febri pestifera, obsidente. MATHETES, Vnde æstus immodicus febri superuenit? *[Æstus immodicus.]* GERON, Ex calida cordis, & humorum intemperie, quæ omnes partes corporis perurit. MATHETES, Quæ sitim in febri accendunt? *[Sitis.]* GERON, Interior ventriculi tunica, vel ardore exiccata, vel humore nitroso, acri, & calido imbuta. illa sanè potu restinguitur: hæc autem minimè. quanuis totus venter humore madeat. sæpè enim os quoque madens siti conflictatur: solus autem corporis ardor, nisi hæc interueniant, raro siti excruciat. Nam interdum corpus febri citra sitim exardescit, non quòd frigida cerebri destillatio ventriculum alluat, sed quòd ardoris causa longiùs à ventriculo distet. Interdum lingua sine siti in febri inarescit, sicut in ijs, qui per sanitatem ore hiante obdormiunt: aliâs etiam ab immodico æstu, & calido acríque vapore, in fauces, os, & palatum exhalante, sicca redditur. MATHETES, Vnde linguæ scabrities gignitur? *[Scabrities linguæ.]* GERON, Ex eodem illo vapore, cuius tanta est potentia, vt illam exasperet: interdum ipsam quoque findat: sin spissior ipse existat, aut pituita è ventriculo in os regurgitet, aut è cerebro destillet, caloris vi crassescens indurescénsque, plerunque linguam, dentes, gulámque totam, viscoso lentore obducit. MATHET. Quæ causæ deuorandi difficultatem pariunt?

[Deuorandi difficultas.] GERON, Hæ ipsę, quas modo retuli, cùm fauces, stomachíque initium occupant, & cibi iter, vel siccitate, vel lentore coarctant. quanuis nunquam fauces ex illis tantum præcludantur. MATHETES, Qua ratione gustus deprauatur? *[Gustus deprauatio.]* GERON, Cùm lingua siue os, vel bilis perfusione amarescit, vel corrupti humoris materia, aut vapore inquinatur: licet integra nonnunquam cibi cupiditas sub hoc vitio remaneat. MATHETES, Quando cibi fastidium oritur?

[Fastidium cibi.] GERON, Vel ante, vel post febrem, idque multiplici ex causa. sola nanque corporis perturbatio, & quilibet humor: qui ipsum, aut quasi saturat, aut cibi desiderium aliena qualitate obtundit, toti ventriculo inhærens: nec non prauus vapor quacunque ex parte in os illius exhalans: aut sola infesta qualitas, illi se insinuans, cupiditatem cibi tollit. MATHETES, Quid nauseam & vomitionem generat? *[Nausea & vomitio.]* GERON, Aut humor, aut vapor, aut qualitas: quę aliâs nimiùm relaxat, emollítque, vti pituita dulcis: aliâs vini expultricem, vel abundantia, vel acrimonia incitat, vt omnia bilis genera: aliâs pernitie robur eiusdem facultatis aut infestat, aut resoluit, sicuti in febri maligna, & pestilenti. Vbi igitur aliqua ex his causis, vel in ore ventriculi, vel in tunicis eius, adeò validè adhærescit, infixáque est, vt minimè excuti possit, ventriculo quidem

dem

dem adhuc inani, nauſeam ſolum: potione autem, aut cibo repleto, vomitionem excitat. Quòd ſi verò nulla cauſa vſpiam infixa fuerit, ſed in ſinu ventriculi innatet, vel aliunde in eum defluat, humorem modò bilioſum, modò pituitoſum vomitu eijcit.

Alui profluuium.

MATHETES, Quando, & vnde aluus profluere in febri ſolet? GERON, Cùm ventriculus humorum vaporúmque copia, vel acrimonia, vel prauitate adeò irritatur, vt cibum neque amplecti, neque conficere poſsit. Idem præſtat interdiū, etiam immodica intempeſtiuáque frigidę aquę potio: maximè ſi ventriculus medicamento purgante ſollicitatus fuerit.

Singultus cauſa.

MAT. Vnde ſingultus accidere ſolet? GERON, Ex inanitione, vel repletione, vt Hippocrates memoriæ prodidit. in febribus autem acutis, iiſque malignis, ex praui humoris acrimonia, eiuſdémque prauitate ac pernitie, ventriculi tunicis altiùs inſerta, contrahitur: ſicut etiam vomitio, & ſæpè animi defectio.

Lumborum dolor.

MATHETES, Vnde lumbi dolent grauantúrque? GERON, Ex vitioſa materia, quæ in venam cauam, aut in maiorem illorum arteriam, vt plurimùm elabitur: quæ ſi vehementiùs ſimul incendatur, renum ac lumborum ardores excitat.

Laſsitudo corporis, membrorum grauitas.

MATHETES, Quæ laſsitudinem corporis, membrorum grauitatem, & dolores artuum? GERON, Eiuſdem materiæ portio, quæ in venas ſubtiles, per cutem corporis excurrentes, in muſculos pertingit.

Horror.

MATHETES, Vnde horror febrem antecedit? GERON, Ex cauſis nuper commemoratis. quanquam autem febrium intermittentium proprius exiſtat: tamen in alijs etiam aliquando, vt in continua incidit, qui immutari illam aut ſolui indicat.

SVDORIS in febribus cauſa.

MAT. Vnde tandem ſudor febribus ſuperuenit? GER. Ex humore, vel copioſo, vel qualitate vitiato: quem natura ceu recrementū quoddam ingens, per cutis meatus, euidenter, aut vi adacta, aut voluntario, proprióque impetu expellit. MAT. Quibus morbis ſuperuenire ſolet? GER. Non modò febribus intermittentibus: ſed etiam continuis, & alijs quibuſdam morbis cōmuniter. non ſimilis autem ac idē ſemper percipitur, ſed pro humoris qui ipſum excitauit, genere: nunc calidus, aut frigidus: nunc mitis, aut acris: nunc tenuis, aut craſſus viſcoſúſq; : nunc boni: nūc mali odoris. Notari etiam debet, eum, qui in febris intermittentis deceſsione, quíque in continuarum febrium criſi largiùs effunditur, naturalem exiſtere: contrarium autem, & acceſſorium, qui quouis modo, ſiue alio morbi tempore prorumpit. atque hic primùm à capite incipit: deinde à reliquis etiam partibus paulatim ſubſequitur. MATHETES, Quinam vtilior, & naturæ magis familiaris cenſeri debet? GERON, Qui aluo expurgatæ ſuccedit, & in quo craſsiore morbi materia euacuata, reliqua tenuis per extremam corporis

cutem digeritur, dissipatúrque. MATHETES, Qui contra naturæ statum emanat? GERON, Qui vel per initia morbi, vel alio eius tempore, vel ante concoctionem, vel ante crisim prodierit. post talem enim nullus morbus tutò soluitur. At qui in virium resolutione græcè συγκοπὴ, dicitur, siue calidus, siue frigidus erit: mador potiùs, quàm sudor appellari debet. MATH. Supersúntne alij adhuc corporis affectus, qui præter febres totis corporibus ascribũtur?

Atrophia.

GERON, Ita. inter quos vnus Græcis ἀτροφία, dicitur: sub quo æger, etiam si alimentum assumat, id tamen non sentit, sed admodum emacrescit: sic vt corpus eius sensim, & sine causis euidentibus arescat. Hoc malum inprimis est graue: & quia vires vehementer imminuit, ægrum tandem è medio tollere solet, nisi ei occurratur. Iungitur ferè hoc malum hecticæ febri, cordis affectibus, pulmonis exulcerationi, grauibus, iisque calidis ventriculi, iocinoris, aut lienis vitijs. Idem ille morbus, & hectica in corporis marcorem facilè transeunt. qui vbi inciderit, nullis remedijs sanescere potest.

HABItus Malus eiúsque notæ, & origo.

Eodem modo corpus non benè alitur in alio vitio, quod Græci καχεξίαν, nos malum habitum appellamus. In hoc nanque illud subtumidum, laxum, molle, graue, & tardum existit, sani coloris expers, ex viridi albicans: ipsúmque adeò imbecille est, vt crura interdum eundo vacillent. Vbi morbus iste inceperit, cibi concoctio vitiatur: & quanuis eius cupiditas integra remaneat, processu tamẽ temporis, etiam amittitur. spiritus in hoc malo ægrè, & raró trahitur: aluus varia & inæqualis existit.

Malus habitus crudus.

His notis ea mali habitus species indicatur, quæ ab humore abundante, cruda, siue pituitosa nuncupatur: eius aquæ subter cutem generis, quod græcè λδυκοφλεγματίας, dicitur, nuncia. MATHETES, Qui ad malum habitum sunt procliues? GERON, Pueri & senes: adolescentes autem, & iuuenes rariùs, citiùs autem restituuntur. ex valetudinarijs illi huic malo sunt oportuniores, qui ex longo morbo conualescunt, præsertim si tunc tumor durus in aliquo eorum viscere, vt iecore, aut liene assurgit, quem Græci σκίρρον, vocant: nec non ij, qui longa tormina, intestinorum læuitatem, sanguinis venarum in ano extantium profluuia (quæ Græci αιμορῥοΐδας nomiant) experti sunt: itẽ fœminæ, quibus menstrua nimiùm aut fluunt, aut supprimuntur.

Ad malum habitum procliues.

Malus habitus ex sanguine corrupto.

MATHETES, Ex alióne etiam humore, quàm pituitoso ac crudo habitus iste contrahitur? GERON, Vtique ex sanguine corrupto, & tunc melancholicus dicitur, qui elephantiasin minatur. Cùm igitur cibi tum natura vitiosi, tum intus corrupti, morbum hunc generent, fit vt spiritus & os, aluique & vesicæ excrementum, nec non sudores, grauem habeant odorem: facies malum colorem repræsentet: sicut in virginibus decolora-

loratis, pallidis, et albidis apparet. in quibusdam cutis pustulis, & vlceribus exasperatur. vniuersum autem corpus inualidum est, quibusdámque in partibus tubera extant. MATHETES, Differt ne malus habitus ab alimenti frustratione, & inopia? GERON, Plurimùm. in hac corpus extenuatum tabescit: in illo ampliorem hoc molem seruat. rursus in alimenti penuria, id quod in venis continetur, neque coit, neque parti adhærescit, vt sanguis vix dici debeat. in malo habitu, quanuis humor ille in venis pituitosus, aut melancholicus, aut aliter vitiatus existat, tamen sanguis appellari meretur. Vtrunq; vitium, tum alimenti defectio, tum malus habitus, id inter se habet commune, quòd corpus in illa nullo prorsus modo, in hoc vitiosè alatur. Notandum, aliud quoque mali habitus genus, ex perniciosa bilis atræ corruptione gigni: quæ extra lienem in vniuersum corpus diffunditur, & totum eius habitum deprauat. MATHETES, Quæ eius sunt inditia? GERON. Oris, eiúsq; halitus fœtor, gingiuarum putredo, color ipsarum subliuidus, & nonnunquam subater: quæ digito etiam leuiter presse, atrum cruorem emittunt: tam laxæ autem existunt, vt à dentibus recedant, & facilè quoq; interdum omnes eximi possint. In hoc affectu simul, capitis & præcordiorum dolor, cibiq; fastidium vrget, & lien maior efficitur. cùm autem morbus crescit, hæc quoque augentur. Cæterùm liuidę quædam maculæ, in brachijs, coxis, cruribus, & alijs corporis partibus apparent, ac sepiùs per corporis vniuersi cutem adeò erumpunt, vt hæc quasi arquato nigro infecta videatur. Ægri in hoc valdè fiunt imbecilles, in cruribus potissimùm, quorum compages fiunt inualidę. Quibusdam præsertim iunioribus, sanguis crebrò é naribus erumpit: sin minùs, maculę istæ quas dixi, & interdum vlcera in cruribus sub oriuntur. MATHETES, Qui morbo huic sunt obnoxij? GERON, Qui humorem melancholicum copiosum colligerunt, humidioribúsq; in regionibus atque palustribus habitant, qualis est Germania inferior, & id genus alię, quiq; alimentis crassę valētisq; materię vsi sunt. hoc malum omnis ætatis homines, & quouis anni tempore, grauiùs senes, frequentiùs iuuenes infestat: alibi pueros crebriùs, idq; autumno. vulgo apud Batauos, & vicinos populos Schorbock/nominatur. MATHETES, Quis alius totius corporis morbus ex humore melancholico, præter iam dictum restat?

Virginum morbus.

Malus habitus quid ab atrophia differat.

Malus habitus ex bilis atræ corruptione.

Notæ mali habitus atri bilarij.

Ad malum habitum procliues.

GERON, Is, quem ἐλεφαντίαν seu ἐλεφαντίασιν, Græci, Latino barbari, lepram vocant. inde quòd eo laborantes, cutem habeant elephantorum modo inæqualiter crassam, tenuem, duram mollémq;, quasi squamulis quibusdam exasperatam, præsertim in facie, manibus, & pedibus ac longis vitijs annumeratur. MAT. Quę

ELEPHANTIA, vulgo lepra.

eſt morbi huius natura? GERON. Veneni plena, quę totum corpus immutat. MATHE Ex quo humore gignitur? GERON, Ex craſſo ac melancholico, venenata qualitate imbuto, quæ non ſolùm viſceribus, ſed etiam alijs omnibus partibus impartitur. Eadem autem viſcera ſic infecta, terreſtrem quędam, & melancholicum ſuccũ, ex puriſsimis licet alimentis, eiuſdem veneni participem gignunt. atque hoc partes nutritæ, ſimilem naturam temporis ſpatio conſequuntur. Quia igitur praua morbi qualitas, in iecore & liene potiſsimùm reſident, omniáꝗ impuro aluntur ſanguine, non tantùm ſuma corporis regio: ſed etiam intima, ipſáꝗ oſſa vitiantur. Notandum autem elephantiam triplici ratione procreari: prima hæreditariò, altera contagio, tertia ſua ſponte

Elephantia, triplici ratione procreatur.

MATHETES, Quinam hæreditariò? GERON, Qui ex vtriuſꝗ parentis, morbo hoc laborantis, aut alterius ſimiliter affecto ſemine procreati ſunt. Tantum poteſt ſeminis intemperati, ac prorſus impuri vis gignendi, vt corporis partes ex vitiata materia efformet fingátꝗ. Si verò aliquis cùm liberis dat operam, nondum fuerit elephantia infectus, ſed ad eam tantùm propenſior, tunc proles ea ætate, qua parens, elephantiaſi corripietur. ſicut etiam illa, quę menſtruis inſtantibus, aut potius iam profluentibus concepta eſt, morbo huic obnoxia naſci commemoratur.

Elephantiaſis ex contagio.

MATHETES, Quomodo ex contagio hic morbus contrahitur? GERON, Per concubitum, aut aſsiduam vitæ conſuetudinem: qua pernitioſa qualitas, ſimul cum humore in vicinum corpus transfertur, & paulatim omnes eius partes inficit.

Elephantiaſis ex proprio corporis vitio.

MATHETES, Quando elephantia iſta ſua ſponte, vel proprio corporis vitio infertur? GERON, Cùm bilis atra plurimùm abundat, quæ proceſsu temporis venenata lue, ſponte in nobis genita, contaminatur. Tunc autem ea abundat, cùm vel ſanguis, vel humor melancholicus, vel aut bilis flaua, plus iuſto torretur.

Ad Elephantiaſin ex humore melancholico procliues.

MATHE. Qui potiſsimùm ad hoc morbi genus ſunt propẽſiores? GERON, Quibus varices, aut hæmorrhoides veteres curatæ ſunt, quiquę cibis craſsis, glutinoſis, & valentis materiæ, vt carne bubula, ſuilla, ceruina & ſimilibus frequenter vſi. adhæc illi, qui iecur nimis calidum habent, & ex victu calidiore, bilem pleniorem collegerunt: quæ retenta diutiùs, in atram degenerarit. Hæc autem cùm in florente ætate, aut etiam in prouectiore incidere ſoleant, pueri & adoleſcentes, ab hoc vitio ſunt immunes.

Elephantiæ propria indicia.

MATH. Quæ propriè eius ſunt inditia? GERON, Pro temporis ratione variant. Cùm enim morbus incipit, ſuma pars corporis, pręſertim iuxta faciem, & mentum, maculas ſubnigras, ſubflauas & ſubalbidas crebróſꝗ tumores habet: ac rubor earum paulatim in atrum colorem conuertitur: idquę

non

non ſolùm in facie,ſed etiam in manibus,& pedibus. Quantum ad animi mores hac lue infectorum attinet, aſtuti ſunt, & callidi: inſomnia habent melancholicis familiaria: nonnulli etiam ſtrangulari ſeſe opinantes,cum impetu expergiſcuntur exiliúntq;:non pauci veneris vſum valdè appetunt. Quando morbus increſcit, hæc ipſa quoq; augeſcunt,& corpus malè coloratum emacreſcit: os ſuræ,& pedes intumeſcunt. Cùm morbus inueteraſcit plurimę etiam verrucæ,non ſolùm in manibus: ſed etiam in facie,& reliquo corpore ſuccreſcunt: propriæ verò ad linguę radicem, ſub palpebris, & poſt aures. adhæc varia liuidi coloris tubercula, in manibus,pedibus,& facie, præſertim in malis eminent: narium cartilago media eroditur, tandémque partibus quibuſdam corrupta decidit. Illæ ipſæ reſimæ fiunt, & alarum craſſamento obſtruuntur: ac per has ſic impeditas, ſpiritus ipſe,& vox loquentis ægri,ferri videtur. Quinetiam cruſtulæ nigræ, ac cruentæ,per nares diſruptas excutiuntur:labra craſſa ſunt,& inuerſa:oculi iuxta interiorem angulum rotundiores apparent: & quod candidum in eis eſſe debet,flaueſcit,craſſeſcitq;,& veluti vngue obducitur. Pili venenata qualitate infecti ex ſupercilijs pręduris,ac ferè calloſis,palpebríſq;,& mento decidunt:vt horrendæ inde faciei, deformitas qualis in Satyricis cernatur:quanquam alij interdum in horum vicem multò rariores,ac ſubtiliores,quàm anteà ſuboriantur. Aures quoq; per ea ferè tempora fiunt acutæ, gracileſcunt,& eroduntur. adhęc manuum pedúmq; digiti,nimia ariditate dehiſcunt, attoluntúrq; adeò nonnunquam, vt ſub tumore condantur. cutis deniq; totius corporis ſicceſcit,fœdáque ac arida ſcabie exaſperatur, ſic vt interdum etiam pruriat. Caro totius corporis,præſertim iuxta pollicem abſumitur, & paulatim liqueſcit. In omnibus ferè partibus ſenſus adeò intercidit, vt nulla acicula, vel aliud,quod acutiſsimum etiam dolorem mouere poſsit, aut vt aqua feruens ſuperinfuſa vrere percipiatur. quanuis motus in illis ſeruetur,vſque ad extremum ferè integer:pedes tamen perpetuò frigidi deprehenduntur. MATH. Qualis vrina horum exiſtit? GERON, Iumentorum ſimilis,craſſa & turbida, ſed notæ, quę ex his & ſanguine oriuntur,incertæ ſunt,& fallaces:Hoc autem aduertendum eſt,non omnia vbiq; ſigna,ſed alia in alijs eſſe obſeruanda. Interitũ in propinquo eſſe oſtendit,vox rauca,ſpiratio difficilior,halitus,odórque totius corporis grauiter olẽs,virulenta,ſordida,& putrida manuum, pedum, aliarúmque partium complurium vlcera. poſtremò febriculam,quę tot malis obrutũ hominem (vt ait ille) tollit è medio. Id quoque ſciendum, ſuis ſingulas elephantiæ ſpecies ſignis indicari. MAT. Quis tandem poſt hos duos morbos, toti corpori comunes,reliquus adhuc exiſtit?

Morbi inueterati notæ.

Vrina elephanticorum.

MORBVS GALLICVS.

GERON, Horrendus quidam & nouus similiter, & contagiosus, & longus, qui primùm vix ante ætatem nostram ex infami & meretricio concubitu traxit originem: infausto quodam huc inclinante sydere. olim vulgo lues Gallica, siue, Neapolitana siue Hispanica appellari inde cœpit: quòd miles Gallicus cum nobili Hispaniæ scorto illicitam, venerem exercuisset. Nunc autem cùm aliæ quoque gentes, hoc execrabili vitio inficiantur: non immeritò

LVES VEnerea.

à recentioribus medicis, hodie lues Venerea appellatur. MATHETES, Solètne labes ista hodierno tempore solo concubitu sicut olim, contrahi? GERON, Non, sed etiam hæreditariò à parentibus, eam expertis: nec non ab infectorum corporum, citra veneris vsum contactu, & commercio. MATHETES, Quo igitur pacto dignoscere licebit, quæ pars primùm infecta fuerit? GERON, Si concubitu, naturalia: si accubitu contactùque summa cutis: si infans anteà fuerit infectus, nutricum mammæ: si nutrices luem contraxerint, infantis os, & fauces, offenduntur. MATHETES, Quod in

Signa venereæ luis in naturalibus.

naturalibus partibus vitij venerei, inditium apparet? GERON, Pustulæ, praua vlcera, virulenti seminis profluuium, & venenati inguinum bubones. hæc autem omnia nisi penitiùs ad viscera perueniant, morbum nondum venisse, sed in propinquo esse testantur: sicut in virulentarum bestiarum ictibus, & alijs contagiosis affectibus. MATHET. Quæ efficiens huius mali causa potissimùm existit? GERON, Venenata prauáque qualitas, & labes pernitiosa: quæ quancunque corporis partem primùm infecerit, eam corrumpit, ac deinde in totum corpus dissеminat. Ex paruulo autem initio, & quasi fomite profecta, paulatim inualescit, propagatúrque, donec non solùm spiritus & humores: sed etiam carnem, omnésque partes solidas peruagetur. Tanta est eius prauitas, vt partium & temperamenta, & essentiam similiter peruertat: vnde nulla deinde probo puróque alimento perfrui poſsit. MATHET. Quomodo

Contagio luis venereæ.

igitur vitium hoc in alium transire solet? GERON, Non qualitate simplici, sed insita humori, qui ex ea deprauatus, in alterius corporis partes defertur, sic vt purus ab impuro, vel impurus ab alio impuriore: non autem à simili, aut à minus impuro contaminetur. At ij qui pariter impuri sunt, sine periculo poſſunt concumbere: alter autem impurus, alium puriorem labefactat. Verùm lues ista non ex cute solùm iudicari debet: eò quòd sæpè eius præsertim inueteratæ fomentum, intus sit reconditum. ob quod interdum aliquis à non infecto, si exteriora spectes, etiam inficiatur. MATHET. Estne lues illa semper sui similis, & eadem in omnibus? GERON, Totius quidem essentiæ ratione, eadem existit: prauitatis autem, varijs distinguitur ordinibus, sic vt alia leuior, alia sit grauior: nec

non

non corpora, quibus illa incidit, valdè inuicem differunt. ob quas causas, lues alia leuioribus, alia grauioribus symptomatis ægrum exercet: atq; hoc modo species aliquot numerari poterunt. Prima eáque leuissima, est, cùm caput ac mentum pilos solùm remittunt: cætera autem benè habent. nam virus huius in vapore quodam tenui, per corporis summa ad radices illorum effunditur. Altera paulò grauior est, qua extima corporis pars vniuersa, crebris maculis lentiginis instar exilibus, nũc rubris, nunc flauis infecta est: quę non nisi post morbum finitum tollũtur. atq; ista, venenum in tenuissimo sanguine habet, quam nulla sæuiora symptomata sequũtur. Hac maior adhuc est lues, vbi malignę pustulę, rubræ aut flauę, tumoréstq; in fronte, temporibus, post aures, nec non in capite, tandémque toto in corpore erumpunt, rotundę, siccæ, puris expertes, quę sua sponte absque medicamento sanescunt, iterúmque passim suboriuntur. Quòd si negligentiùs tractentur, in circuitum ambiunt, cutémque excauant, adeò, vt vlcus virulentum ac sordidum inde fiat. at tenerę partes ad nares, & fauces, nec non ad anum sitæ, primò exulcerari solent: præsertim çùm iecur iam ipsum, sanguisque & humores labefactantur: vnde carnosæ protinus mollésque partes offenduntur. Tunc etiam ferè palatum & intima eius regio, nigris ac fœtidis pustulis infestatur, cauatúrq; vlceribus, vt potus per nares reddatur: quod non per initia morbi, sed potiùs vbi fit vetustior, aut bis térue reuersus fuerit, incidere solet. Præterea hoc tempore caput valdè grauari incipit, ceruicem, humerósque dolor vrget: qui tempore interposito, ad brachia & crura descendit, noctúque magis quàm interdiu affligit: præsertim ab hora noctis tertia, vsque ad nonam. ad hæc artus medios penitiùs excruciat, in quibus tumores sæpè exoriuntur, qui difficulter vel resolui, vel superari possunt. hi interdum etiam in tophaciam duritiem conuertuntur, præsertim in fronte, capite, iuguli osse, medio humero, cubiti radio, priori tibię parte, & in alijs nonnunquam locis: qui ex prauissimis inde ortis vlceribus corrumpuntur. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia ossa, eorúmque ligamenta, membranæ, nerui, aliæq; partes solidæ labefactantur, & ex maligno humore coëunte, crudelissimos cruciatus maximè noctu experiuntur: quibus ægri plurimùm molestati, vigilijsq; cum febri admixtis, exhausti, sæpiùs intereunt. Atque hæc sunt cuiúsque luis venereæ indicia, vnde dignosci ac percipi possit: sub quacunque verò corpus emarcescit, aut spiritus ægrè trahitur, vitæ periculum ostenditur. MATHETES. Soléntne omnes hoc contagioso morbo æquè facilè corripi? GERON, Non. sed mulieres magis quàm viri: atque ex his calida humidáque na-

Species luis venereæ.

Procliues ad luem venereæm.

tura præditi, vt adolescentes, & iuuenes. MATHETES, Quantum dolores isti differunt ab articulario? GERON, Plurimùm: quia hic in breui exiguóque tempore, ex subita defluxione, in articulum facta exoritur: qui verò luem veneream comitantur, paulatim ac longo tempore, ab eo excremento procedunt, quòd pars malè affecta sensim collegit. Præterea articularius dolor, vel in articulo, vel circa hunc subsistit. ex lue verò ortus, nõ articulos, sed medios artus occupat: in quibus etiam tophi plærunque concrescunt, sicut superiùs recensui. Fuerunt olim medici, qui morbis hisce omnia insaniæ genera, neruorum resolutionem, morbum veternosum, comitialem, attonitum, cardiacum, regium, & aquam inter cutem, adiungenda putarint. posteriores, illos certis sedibus assignarunt: quorum doctrinæ ego quoque subscribo. MATHETES, Rogo igitur te, mi præceptor, vt cùm hactenus eos morbos ordine percensueris, qui in totis corporibus consistere solent: nunc similiter illos enumeres, qui in partibus eorum oriuntur.

Articularius & luis venereæ dolor.

MORBI qui in partibus oriuntur.

GERON, Faciam quod petis. nam id anteà tibi promisi, & doctrinæ ordo postulat. Primùm autem interiorum omnium partium, mox exteriorum vitia, consuetis veterum nominibus explicabo, causásque singulorum & inditia, siue symptomata subiungam. at ne putes vllum te morbum verè posse cognoscere, nisi anteà ex anatomica corporis humani ratione didiceris, quæ partes primario affectu, quę verò ex consensu aliarum laborent. quare tu, quæ superiùs hac de re tractaui, diligenter in memoriam reuoces.

Vera morborum cognitio ex ratione anatomica.

DE DOLORE capitis.

In capite tres doloris species generantur, quæ symptomata potiùs, quàm morbi existunt: Græcis κεφαλαλγία, κεφαλαῖα, & ἡμικρανία nominantur. omnes in cerebri tunicis accurato sensu præditis, ac membrana caluariæ circundata, consistunt. MATH. Quo pacto dolores isti contrahuntur? GERON, Si illud vel æstu, vel frigore, vel ictu, vel odore graui, alióue modo extrinsecus offendatur: vel si intus intemperie quadam, vel ex humore abundante afficiatur. MATHETES, Quæ vniuscuiúsque notæ sunt? GERON, Si calor dolorem peperit, caput multa vestimenta ferre nequit: si frigus, potest. atque ita dolentes à causis similibus offenduntur: à contrarijs adiuuantur. Pari modo si à siccitate dolor capitis prouenerit, vigilia comitatur: quia somnus non accedit. si ab humido generetur, somnus plenior, & qui non facilè expugnatur, succedit. MAT. Qualis dolor in capite ex humoribus procreatur? GERON, Si calidi superent, inflammatorius, & qualis in igne sacro deprehẽditur. si mediocres, grauis, acutúsque percipitur, & facies in eo rubet, oculi pallidi, aut cruenti, pro vincentis humoris calore apparent,

Dolor capitis quo modo contrahatur.

Dolorum capitis notæ.

Ex calore.

Dolor ex humoribus.

apparent. Contrà ex frigida humorum materia contractus dolor grauat magis caput, quàm excruciet: facies ægri turgida est, & ex pallido albescit, præsertim si humida etiam qualitas accesserit. Ex sicca, facies squalet, vigiliæ & imaginationes quædam tumultuosæ vrgent: animus abijcitur, præcipuè si humor fuerit melancholicus: cui si flaua bilis admisceatur, amaritudo oris & feritas deprehenditur. Sicut iam caput proprio affectu, vel ex intemperie, vel ex humoribus prædictis indolescit: ita quoque ex similium, ventriculo reliquisque visceribus impactorum exhalationibus, consortij lege infestatur, affligiturque. MATHETES, Quantum ex oratione tua colligere possum, qualiscunque doloris species in capite percipiatur, talis anteà intemperies, vel humor in eo substitit, vel à præcordijs in illud ascendit. GERON, Rectè sentis. nam acris & acutus dolor ab humore bilioso, aut vapore, qui membranas feriendo quasi perforare videtur, excitari consueuit. grauans autem, ex frigidorum pituitosorúmque copia. is verò quo membranæ distenduntur, à flatibus, aut à lenioribus humoribus, iisque copiosis generatur: qui inter caluariam, & eius membranam, græcè dictam περικράνιον, vel inter illam & tunicam cerebri crassiorem se insinuant, eásque ab osse diducunt. Pulsatorius dolor à bilioso, tenuíque sanguine, vel à spiritu abundante procreatur, quo arteriæ turgentes distentæque, vehementiùs pulsant, & membranas concutiunt. Eadem ratione omnis alius dolor gignitur, qui statis horis quotidiè, siue cum febri, siue citra illam reuertitur. MATHETES, Cùm igitur singuli capitis dolores, ob varias ipsorum caussas differant, quomodo externus ab interiore dignoscitur?

Dolor Capitis ex consensu.

Doloris cuiusque signa & caussæ.

Dolor pulsatorius.

GERON, Ille, si caput attingatur prematúrque, ob membranam caluariæ subiectam, intenditur: hic autem remittitur, ac semper ad oculorum radices pertingit: quanquam ille quoque sæpiùs eodem etiam pertingat, eò quòd caluariæ membranam, cui insidet, oculorum sinus succingat. MATHETES, Quomodo species dolorum capitis nuper enumeratæ, inter se distinguuntur. GERON, Quæ græcè κεφαλαία, dicta est, ea totum caput, aut pars eius maxima, multos annos ac crebrò, leuique occasione infestari consueuit, idque proprio affectu. Quæ verò ἡμικρανία, appellatur, alteram capitis partem duntaxat affligit: ex ventriculi, ac subditorum viscerum consensu nou primariò incidit, & à temporum pulsatione propemodum trahit originem. vterque porrò dolor, & quilibet alius siue ex febri, siue ex solis ardore, siue ex meracioris vini potu, siue ex alia quauis causa euidente concitatus, sub generali isto nomine græco, κεφαλαλγίας compræhenditur. MATH. Quæ

Doloris externi & interni differentia.

CEPHALEA.

HEMICRANIA.

Dolores capitis quæ præsagiant.

ex capitis doloribus præſagia indicantur? GERON, Si ijs qui continuò excruciant, ſomnúmque tollunt, vomitus etiam æruginoſus & ſurditas accedat, inſaniæ metus eſt. Si diſtentio neruorum, aut inflammatio iuxta oculos, ſiue aliam corporis partem, aut illorum inflatio, aut ſubuerſio comitetur: ſummum vitæ diſcrimen indicatur. Vehemens capitis dolor, qui curatione magis exaſperatur, quàm ſaneſcit, & aſsiduè ægrum exercet, periculum inſanię in febri futurum minatur: ſine hac autem tum eam ipſam inſaniam, tum magis cęcitatem fore, portendit. In acuto capitis dolore, ſi aurium ſonitus ſine febri, vertigóque incidit, & ſermo hominis non explicatur, atque manus torpent, vel morbus attonitus, vel comitialis, vel veternoſus prænunciatur. Vetuſtus capitis dolor, nuper græcè κεφαλαῖα, dictus, ex frigido humore natus, difficillimè, præſertim in ſenibus, conſaneſcit. Si verò caput aliqua ex parte, aut vndique doleat, nec non pus, vel aqua, vel ſanguis è naribus, aut ore, aut auribus profluat: mali ſolutio ſperanda eſt.

INSANIÆ genera triplicia.

DELIRIVM.

MATHETES, Quæ alia capitis vitia incidere ſolent? GERON, Inſaniæ, ſeu dementiæ genera, eáque triplicia. primum vocatur nobis delirium, ſiue mentis alienatio, græcis παραφροσύνη, qua principis animæ facultatis functio deprauatur, terribilis magis quàm periculoſa. MATHETES, Quando hominem inuadit? GERON, Plærunque in acutarum vehementiúmque febrium acceſsionibus: tunc enim ægri deſipiunt, & aliena loquuntur, cogitántque, qualia nunquam fiunt, aut longè aliter eueniunt. leuato illarum impetu, protinus ipſi ad ſe reuertuntur: eodem iam ferè repreſſo, graui altóque ſomno opprimuntur. MATHETES, Quæ hanc

Delirij futuræ notæ.

inſaniæ partem imminere ſignificant? GERON, Sermo expeditior, quàm ſani fuit, ſubitáque loquacitas, & impudentior, ſolitóque audacior: rarus & vehemens ſpiritus: pulſus concitatus, oculorum frequens motus, & in capitis dolore offuſæ oculis tenebræ: vel nullo dolore ſubſtante, ſomnus ereptus, continuatáque nocte & die vigilia, vel proſtratum contra conſuetudinem corpus in ventrem, ſic vt alui dolor id non coëgerit: item robuſto adhuc corpore, inſolitus dentium ſtridor.

PHRENITIS.

Alterum inſaniæ genus, multò ſuperiore terribilius eſt, & periculorum pleniſsimum, græcè φρενῖτις, appellatur: ac tum demum ſic dicitur, cùm continua dementia eſſe incipit: aut cùm ęger quanuis adhuc ſapiat, quaſdam tamen vanas imagines accipit. perfecta eſt, vbi mens illius imaginibus addicta eſt. Sub hoc vitio animæ functiones, modò hæ, modò illæ vitiatæ cognoſcuntur: atque æger viciſsim nunc vigilia, nunc ſomno difficili, turbulentóque impeditur, ſic ut interrupta quiete, ſtatim cum impetu

è cu-

è cubili proſiliat, vociferetur, ac violenta quædam agat: aliâs ploret, aliâs cantet, verbáque ſine ſenſu ac ordine certo proferat, & ſi ab alio interrogetur, aliena reſpondeat. oculi ipſius præter conſuetudinem mouentur, cruenti, flammeíque & ſqualidi apparent, quos æger perfricat modò ſiccos, modò lacryma perfuſos: lingua aſpera & nigra eſt, dentes ſtrident, ſanguíſque è naribus profluit: eſt cùm poſteriora capitis dolent: æger vehementer ſitit, manibus tremit, digitíſque floccos in veſte & è ſtragulis legit. Hoc inſaniæ genus longè eſt acutius, & magis mortiferum: vigilia in eo torquet: aluus & vrina ſuppreſſa eſt: aut hæc priùs valde fit colorata, deinde alba, & tenuis apparet: crura difficulter extenduntur, contrahuntúrque, & vires reſoluuntur. Plures huius ſpecies exiſtunt, ac ex phreniticis alij hilares, alij triſtes ſunt, alij faciliùs continentur, & intra verba deſipiunt: alij conſurgunt, & violenter quædam manu faciunt. atque ex his ipſis alij nihil niſi impetu peccant, alij artes adhibent. MATHETES, Quæ cauſſæ vtriúſque huius dementiæ exiſtunt? GERON, Feruentiſsimus humor, aut vapor in cerebrum eiúſque ſinus contractus, cuius agitatione mens in falſas imaginationes incidit. Porrò dementia nunc cum febre vt phrenitis, aut delirium: nunc ſine illa conſiſtit: MATHETES, Quomodo illa duo inter ſe differunt? GERON, Delirium ſimplex ex bile, aut tenui ſanguine per cerebrum diffuſo, aut ex calidorum humorum ventriculi, aliorúmque viſcerum exhalatione, vt in acutiſsimarum febrium ſtatu, excitatur. Phrenitis autem ex inflammatione, aut eryſipelate, tanquam proprio cerebri affectu generatur. adhæc delirium plerunque febri, aut grauiori morbo ſuperuenit: phrenitis autem non comitatur febrim, ſed hanc efficit. præterea delirium valde frequenter: phrenitis admodum raro incidit: ac materia illorum ex dementiæ proprietate cognoſcitur. nam quæ cum riſu contingit, ex ſanguine abundante: quæ ſeriò, ex bile acri gignitur: eóque illa mitior, hæc ferocior exiſtit. MATHETES, Qualis dementia abſque febri eſſe ſolet, & vnde prouenit? GERON, Vel ſimplex, ac leuis, vel melancholica. atque illa, modò ex cerebri inanitione, & principis animæ facultatis imbecillitate, quæ ab immodico ſanguinis profluuio, & ex nimia vigilia accidere conſueuit: modò ex cerebro vehementiùs perculſo, impulſóque, vnde tum ſpiritus animalis, tum mens ipſa perturbatur, ſicut ex capitis ictu contingit: modò ex larga vini potione citra febrem, vbi caput ſanguinis, ac vaporis nimiùm feruentis abundantia incaleſcit, celeriúſque agitatur.

Dementiæ cauſa.

Delirium & phrenitis quomodo differant.

Dementia abſq; febri qualis exiſtat.

MATHETES, Quod tertium dementiæ genus eſt? GERON, Græcis vocatur μελαγχολία, ſub qua mens diu in robuſto corpore

MELANCHOLIA.

alienata eſt, ſic tamen vt vita ipſa non impediatur. Variæ eius ſunt ſpecies, quibus laborantes aliena abſurdáque, vel cogitant, vel loquuntur, vel agunt. Inter hos, alij triſtitia, metu, atque vigilia vrgentur: alij ſolitudinem amant, ſocietatem, conſuetudinémque hominum fugiunt: alij ad mortuorum ſepulchra, aut ad abditas terræ ſpeluncas, aut ad ſyluas, aut littora maris ſe conferunt: idque perpetuò cum luctu, atque lacrymis. alij ſæpè oculis humi defixis, veluti ſtupidi conſiſtunt, ſubitóque falſis imaginationibus leuati, celeriter cum ſuſpirio procedunt: plęrique abiecto, demiſſo, deſperatóque ſunt animo, vt vel acerbam amarámque ſibi vitam, vel prorſus abreptam eſſe putent: eóque omnem cibum ac potionem auerſantur. quanuis mortem valdè pertimeſcant: ſępè tamen à ſeipſis deſperati, illam ſibi conſciſcant: alij ne loquendum quidem ſibi exiſtimant, ſed omnem vitam cum ſilentio, Pythagorico more tranſigendam opinantur: alij ſe pecudes eſſe imaginantur: ſic vt voce illas, lupos vlulatu, equos hinnitu imitentur: alij fictilia ſe eſſe, eóque occurrentibus cedunt, metuentes ne confringantur: alij ſe orbem, aut montem aliquem humeris geſtare putant: alij cum hilaritate inſaniunt, ac magnos ſe reges eſſe, ac amplas arces poſsidere, vel à pulcherrimis puellis, ſiue principibus mulieribus amari. His omnibus melancholicis, caput, oculi, totáque facies calida exiſtit: ac ſomnus, vti valdè eis neceſſarius eſt, ſic difficulter accedit. Quæ hactenus ſpecies dementiæ melancholicæ ſunt enumeratæ, originem ex frigidiore humore, reliquæ omnes à calido traxerunt.

Dementiæ melancholicæ ſpecierum cauſæ.

MELANCHOLIA Hypochondriaca.

His alia ſpecies accedit, quæ Græcis ὑποχονδριακὰ, vocatur, nobis flatuoſa ſeu flatulenta, vel præcordiorum. MATHETES, Vnde vitium hoc contrahitur? GERON, Ex iecoris affectu, magis autem lienis: id quod ipſius, aut meſenterij tumor renitens, ac dolorificus teſtatur: tunc autem pernitioſius eſſe ſolet, cúm vel exigua atræ bilis aduſtæ pernitioſæ portio, halitu ſuo omnia labefactat. MATHET. Quæ eius notæ ſunt? GERON, Eædem ferè quæ priorem melancholiam indicant. MATHETES, Quomodo ergo hæc ab illa differt? GERON, Sub hac præcordia ſurſum conuelluntur, grauantúrque, & interdum æſtu feruent, arteriæq́ vehementer, & cum moleſtia pulſant: vertigo, ſonitus aurium, cruditas, ructus acidus, copioſus, tenuis, ſaliuæ ſputum vrgent: eóque nulla ſitis adeſt: pituitę autem vomitus, nunc bili permiſtus, nunc acidus inſequitur: quo dentes etiam ſtupent: dolor medijs in ſcapulis, dum cibus in ſtomacho concoquitur, accedit: eo autem iam concocto, ſtatim remittit: aluus ſæpè compreſſa eſt, & ventre intento, creber intus ex ſpiritu ſonus eſt: nec non cor ſubinde palpitat, & quo-

& quodammodo strangulatur. per cruditatem morbus iste increscit: per concoctionem valdè leuatur, longéque iam recitato leuior existit. MATHETES, Symptomata affectus huius, cùm ex inferioribus initium sumit, narrasti: quæ superueniunt, cùm mali huius vis cerebrum occuparit? GERON, Ægri in furorem, & febrim hecticæ consimilem, & marcorem statim aguntur. *Melancholiæ obnoxiæ.* MATHETES, Quínam huic vitio magis sunt opportuni? GERON, Si ætatem spectes, iuuenes, ac consistentes, senésque: inter hos autem fœminæ grauiùs illo affligi solent. Præsagire in hoc morbo licet, quòd tumor lienis, hæmorrhoides, aut varices, aut aqua inter cutim comitari illum soleant: atque hac superueniente plærunque solui. fit etiam vt melancholia hæc, in morbum caducum, & hic rursus in illam conuertatur. Si recens malum est, non difficillimè curatur: inueteratum vix vllis remedijs subtrahitur. MATHETES, Restátne alia dementiæ species? GERON. Ea quæ nobis insania seu furor rabiésue, græcis μανία, vocatur. *INSANIA, seu furor.* MATHETES, Quo indicio hæc ab alijs speciebus dignoscitur? GERON, Eo, quòd hac laborantes, perinde quidem vt alij melancholici delirent: non autem adeò violenter se gerant, effrenati, iracundi, torui, ac terribiles. At pro humorum qui in illis abundant varietate, inter se differunt: nam in quibus sub hoc malo plus sanguinis inest, risus continuus & dissolutus oritur: in quibus autem bilis vincit, ægri temerarij, atque crudeles nimiùm existunt: sin atra copiosior fuerit, tristes sunt. Omnes hoc morbo laborantes, magna ex parte febris expertes sunt. quanquam ea etiam accedat, præsertim vbi bilis illa putredinem experta fuerit. Sunt qui huic furoris vitio adiungant, miserrimum genus morbi, aquæ timorem, qui Græcis ὑδροφοβία appellatur, ex rabiosi canis morsu contracta. *AQVÆ TImor ὑδροφοβία.* MATHETES, Quæ eius notæ sunt? GERON, Ægri rabie, siti, & aquæ metu cruciantur: initio quidem moderatè: postea verò dolores intenduntur: mens alienari incipit, ægri morosiores fiunt, feroces & iracundi: multa secum obmurmurant, quasíque ab alijs interrogati, frequenter sibi ipsis respondent: deinde aquam conspicere metuunt, & canem in ea occultari existimantes: metuentésque vociferantur, inhorrescúntque. tanta est eorum obliuio, vt ne familiares quidem cognoscant. tandē adeò rabiosi fiunt, vt alios morsu ferarum modo impetant: alij veluti canes occurrentes quosque allatrant: alij citra veneris desiderium semē emittunt: alij potu suffocati moriuntur. At omnibus accedunt somnia tumultuosa, neruorum distentio, singultus, sitis vehemens, sudor frigidus, virium resolutio. MATHETES, Quando ista hoc morbo laborantibus euenire solent? GERON, Post quartum decimum à canis morsu diem, ali-

quando poſt quadrageſimum, aliquando poſt ſextum, aliquando poſt menſem ſeptimum, aliquando poſt tempus multò longius. Sed de his iam ſatis dictum eſſe puto.

Affectus ex frigida morbi intemperie, & humore pituitoſo.

MATHETES, Qui contrarij his calidis morbis affectus exiſtunt? GERON, Qui ex frigida cerebri intemperie, aut humoribus pituitoſis contrahuntur, vt eſt ſtultitia, infirma mentis functio, Græcis μωρώσις, ſiue μωρία, dicitur: item amentia, quæ illis ἄνοια, vocatur, ſub qua imaginatio eſt abolita. Huc accedit memoriæ & recordationis amiſsio, qua res in obliuionem veniunt. At non ſolum frigida cerebri intemperies vitia iſta progenerat: ſed etiam ipſius, vel temporum vehemens ex ictu, aut vulnere, concuſsio. Qui verò ab ipſo natali die, & prima origine ſtolidi, amentéſque nati ſunt: ijs cerebrum malè fuit ab initio conformatum, aut nimis exiguum, quale Homerus Therſitis caput depinxit. In quibus humor frigidus pituitoſúſque abundat, plærunque non ſomno ſimplici, ſed grauiore, aut lethargo infeſtantur? MATHETES, Quem vocas grauiorem? GERON, Naturali maiorem. MATHETES, Quæ ſub vtroque eueniunt? GERON, Sub naturali ſomno cerebrum, & facultas animalis à functionibus ſuis conquieſcunt, ſpiritus ac vires reficiuntur, quæ vigilijs, & exercitijs, fuerant diſſipata. vnde corpori iam inanito, defatigatóque, ſomnus plærunque arctior, dulciórque ſuperuenit: ſub illo, qui vltra naturam vrget, cerebrum vapore quodam halituoſo, ſicuti poſt balnea, poſt cibum, vinúmque largiùs aſſumptum, vel poſt aluum ſuppreſſam, vel ex humore abundante, neque calido, neque frigido, vehementer repletum eſt. Nam is cerebro eiúſque ſinibus inſertus, grauiorem ſomnum inducit, aut etiam lethargum.

LETHARgus. Veternus.

MATHETES, Quod vitium eſt Lethargus? GERON, Eiuſmodi affectus, quem latini Veternum vocant, ſub quo memoria, & ratiocinatio aboletur, imaginatióque infirmatur, & quaſi deficit: cui etiam ſuperuenit, marcor, & penè inexpugnabilis dormiendi neceſsitas, febríſque lenta ſine calore acri: nec non dementia, tantáque rerum omnium obliuio, vt dum oſcitant ægri, hiante ore aliquandiu perſiſtant, tanquam id claudere ſint obliti: etſi ad vrinam reddendam incitentur, matuláque ipſis porrigatur, hanc ſe manu continere, neſciant: ſi violenter ab aſsidentibus excitati à ſomno expergiſcuntur, rurſus ſtatim ſoporantur, idque ſæpiùs tam grauiter, vt etiam pilis euulſis non doleant, ſed truncorum inſtar, ſtupentes decumbant. Corpus illorum vniuerſum pigrum grauéque eſt, & inprimis caput: aliquando etiam ſingultire incipiunt: pulſus habent magnos, molléſque, vt in pulmonum inflammationibus, quanquam tardiores, rariores, minus inæquales, magis au-

gis autem intermittentes , quàm intercurrentes : aliquando bis ferientes, ſemper autem vndoſos : reſpirationem raram,& imbecillem habent:aluum magna ex parte liquidiorem, nonnulli coactam magis,quando valdè exigua vitæ ſpes ſupereſt: vrinam iumentorum modo turbidam reddunt: ſupini decumbunt, & cùm ab alijs in latus vertuntur , ipſi rurſus in dorſum reuoluuntur. Hoc malum acutum eſt, & niſi ei tempeſtiuè ſuccurratur , celeriter iugulat, nempe diebus ſeptem: Tremor, frigidúſque circum caput ſudor,in ſtatu ipſius ſuperueniens, magnum periculum indicant. Quod ſi quis ex hoc morbo conualeſcat, huic ferè ſuppuratio in pectore fieri,ſæpè abſceſſu iuxta aures oborto finiri ſoluíque ſolet. MATHETES, Vnde omnia iſta ſymptomata prouenire putas? GERON, Ex frigido humidóque humore, nempe pituita putrida, in cerebro abundante: quæ principem animæ partem humectarit,imbueritque,ſiue inflammationem aliquam ſiue nullam experta ſit. MATH. Quis huic morbo veternoſo proximus eſt?

Cauſæ ſymptomatum.

GERON,Is qui Græcis κάρος, Mauritanis Subech vocatur, latino deſtitutus nomine. in hoc omnes principes animi functiones,ita offenduntur: vt eo laborans neque ſentire,neque moueri, neque intelligere, neque meminiſſe poſsit, ſic tamen,vt reſpirationem reſeruet liberam. quanuis hæc quoque interdum quodammodo vitietur, vbi affectus ipſe magnus euaſerit. MATHETES, Quam partem corporis hoc vitium occupare dicis? GERON,Maximè cerebri ſinus, eiúſque priorem potiùs, quàm poſteriorem regionem. MATHETES,Quibus notis malum hoc dignoſcitur? GERON, Ægri oculos ſemper clauſos habent, ſomnóque altiſsimo premuntur,vt dum punguntur,ſentiant quidem, ſed non loquantur,neque oculos aperiant. MATHETES, Hac ratione affectus iſte Lethargo ſimilis eſſe videtur? GERON,Non per omnia:Lethargici enim interrogati reſpondent, & non in totum ſine voce decumbunt: adhæc Carum febris,eáque vehementior præcedit:Lethargum verò ignauior ſubſequitur.In eo autem Carus & Lethargus conueniunt, quòd ambo frigidam in ſinibus cerebri intemperiem, potiſsimum ex ſimili humore craſſo, aut prorſus viſcoſo ortam,comitentur,quódque non derepente accedant.Id autem obſeruandum eſt, quòd humor putredinis expers Carum,putridus autem Lethargum procreare ſoleat:propter quod etiam hic ab illo differt. Hoc rurſus diſcriminis inter affectos iſtos accedit,quòd Carus etiam alijs cerebri affectibus,alijsque cauſis, à quibus Lethargus gigni non poteſt, ſuperueniat: vt in muſculis temporum oblæſis, ac nonnullis morbis acutis, nec non cum medius cerebri ventriculus,oſſe quodam terebra perforato attritus fuerit,quem-

CARVS.

Pars affecta.

Notæ Cari.

Cari & Lethargi differentia.

Carus quibus ſuperueniat.

admodum etiam si quis, dum caluariæ os negligentiùs, ac vltrà debitum perforat, membranam cerebri premendo lamina, quæ Græcis μηνιγγοφύλαξ, id est, membranæ custos dicitur, violauerit. Item vbi os caluariæ vehementer attritum, sinus cerebri, præsertim medium comprimit: nec non cùm dolores vehementes infestant, sic vt spiritus animalis debilitetur: postremò etiam cerebri contusionibus, siue ictu, siue casu, & febrium morbíque comitialis accessionibus succedit. At cùm variæ causæ hunc affectum progignant, cerebrum ipsum non vno semper modo, sed multifariam affici, rationi est consentaneum.

CATALEPSIS seu Catoche.

His similes ferè sunt affectus, qui Græcis κατοχὴ, vel κατάληψις, hoc est, subita tum animi, tum corporis detensio, comprehensióque. nam quocunque in habitu quis illa correptus fuerit, in eo perseuerat, siue sedens, siue cubans, sic vt quandoque videas ægrum, qui loquebatur, os apertum retinere, & nunc loqui non posse: oculos clausos, vel apertos seruare, & nunc non videre, omnésque illas partes in eodem statu compræhendi, in quo corripiuntur, sic vt putes ipsum stupore quodam pressum esse. Hoc igitur vitio laborans: subitò mente, sensu, motúque destituitur: nisi etiam maturè curetur, stupidus, ac velut frigore quodam enectus, moritur. vnde malum hoc Latinobarbaris congelatio, non prorsus ineptè appellatur. alij Græci etiam ἄγρυπνον κῶμα, hoc est, soporem vigilantem nuncupant, quia mens sensúsque omnes subitò affectu isto correpti, vigilantis licet formam retineant: omnis tamen eorum functio est abolita. MATHETES, Quæ pars corporis huic vitio patet, quæue causa illud efficit? GERON, Posterior cerebri, sicut in Caro prior: ac in illa principes functiones animales, & propriæ imaginationes resoluuntur. quanquam etiam reliquæ animæ functiones in eo vitientur, sicut ex eiusdem indicijs depræhendi potest: quanuis naturalis spiratio, in Caro, seruetur incolumis. Porrò sanguinis minus frigidi, quàm in Lethargo: magis autem humidi, aut minus calidi, quàm in phrenitide, abundantia, malum hoc in cerebro ipso generat: sicut etiam melancholicus cerebrum ipsum occupans, & mœror. is enim ad caput defluens, obstructionem parit. MATHETES, Quæ signa hunc morbum testantur? GERON, Ægri oculos veluti defixos, ac palpebras penitus immobiles habent: aliquando ijsdem apertis, aut nictitant, aut intentè vident, adeò vt neque oculos claudant, si quis manus ipsis obtendat: vocis ac sensus sunt expertes, neque audiunt, neque respondent: manus suas modò ad caput, modò ad oculos, modò ad nares, admouent, veluti qui validè vellicentur: verùm hoc non sentiunt. Lethargicorum pulsum

Pars affecta.

Causa catalepsieos.

Catalepsios signa.

ſum quodammodo & æqualem, non tamen ita languidum, neque mollem, neque æqualem obtinent: reſpirationem verò aliâs crebram, aliâs raram, & per interualla quædam magnam: aluus & vrina, in his propter ſenſuum ſtuporem ſupprimuntur. MATHETES, Habéſne exempla eorum, qui hoc vitio laborarunt? GERON, Galenus de conſodali ſuo, in hunc modum ſcriptum reliquit. iacebat ligni inſtar omnino inflexus, rigidus, atque extenſus, videbatúrque oculis apertis aſtantes ita intueri, vt ne conniueret quidem, ſed nihil tamen loquebatur: quæ autem illi proferebant, audire ſe dicebat, quanuis non euidenter ac clarè: nonnulla etiam memoria tenens referebat, omnéſque præſentes ſeſe conſpicere aiebat: ſic vt quorundam actiones recordatus exponeret, ſed neque ſe loqui, neque membrum vllum mouere poſſe, vbi conualuiſſet fatebatur. Talis autem, magna ſanguinis per nares eruptione liberatus fuit. MATHETES, Cui morbo malum hoc ſuperuenit? *Cauſa.* GERON, Frigidæ ac ſiccæ cerebri intemperaturæ, ex frigidiore, ſiccioréque materia procreatæ, ſi Galeno fidem adhibemus. Ego quoque olim Meti medicamentarium vidi, qui cum ex profectione longa, per ſolis æſtum domum reuerſus, refrigeria quæreret, præſertim capite nudato, in ſimilem morbum inciderat. Sunt, qui ex mœrore & triſtitia eodem laborare ſoleant, & per interualla rurſus conualeſcant: deinde iterum ſi eadem cauſa occurrat, in illum morbum incidant.

Simile ferè malum eſt, quod Hippocrati κῶμα, Galeno καταφορὰ, *COMA ſiue SOPOR.* nobis ſopor ſiue grauis ſomnus, aut in eum propenſio, appellatur. hoc laborantes, vigilantium munera obire nequeunt: vt qui oculos non apertos, ſed conniuentes habeant, palpebráſque claudere, & ſomno indulgere cupiant: interdum autem quidam ex eis, licet palpebras clauſas habeant, non tamẽ dormire poſſunt, ſed plurimùm vigilant: quidam verò ſtatim pleno ſomno, eóque diu, premuntur: cuius rei gratia, duæ ſoporis ſpecies ex Hippocratis, & Galeni ſententia numerantur: *Duæ ſoporis ſpecies.* quæ hoc inter ſe habent commune, quòd ægri oculos eleuare nequeant, ſed mox grauentur, & obdormire velint. quanquàm ſopor ſiue cataphora, ſomno magis familiaris fuerit, & naturæ eius aſsimilis. *Cataphora.* Ea ſoporis ſpecies, qua ægri protinus dormiunt plenè, & diu: veteres ſoporem, ſeu in ſomnum propenſionem, nunc ſimpliciter, nunc cum appendice, ſomnolentam, ob cauſam deſignatam nuncupant. illa verò in qua ægri oculis non apertis, ſed palpebris clauſis, ſomni conciliandi gratia, detinentur (quanuis obdormire nequeunt, ſed plurimùm vigilant) non ampliùs abſolutè ſopor, neque cum hac additione, ſomnolentus, ſed vigil ſiue inſomnis vocatur, qui olim à veteri- *Vigil ſopor.*

bus græcè κάτοχος, dicebatur. Idem rurſus ſopor vigil duplex eſt Hippocrati. primus proprio, ac ſomnolentus: alter generis nomine appellatur. In vtroq; commune eſt, quòd ægri & loquantur, & delirent. MATHETES, In qua corporis parte diu iſta vitia conſiſtunt? GERON, In cerebro. atque ex animalium functionum, præſertim imaginationis offenſione, proueniunt. MATHETES, Quibus notis ſingulæ ſoporis ſpecies dignoſcuntur? GERON, Somnolento ſopore laborantes, non ſolum graui ſomno grauantur: ſed etiam difficulter expergiſcuntur: iiq; mox, plenè, & diu obdormiunt, ſicut lethargici peculiariter, & ſemper ſolent: motus & vocis expertes iacent: eis, qui arctè dormitant, aſsimiles, vigili ſopore preſsi, inſomnes, & verſuti ſunt: cùm vocem & ſonum audiunt, facilè ſurgunt. ſi quis corporis eorum partem attigerit, aut illos alloquatur, illicò ipſi oculos attollunt, & illum intuentur: cùm in ſomnum grauem inciderint, vel manum, vel crus, vel corpus totum mouent, citráque rationem ſubitò è cubili deſipientium modo exiliunt: nec non aliena quædam loquuntur. hic affectus inter lethargum & phrenitidem medius conſiſtit. Pigro ſopore oppreſſi, aſſurgentes magis ſapiunt, non multùm mouentur. MATH. Vnáne ſoporum cauſa, an diuerſę exiſtunt? GERON, Cùm omnes ſoporoſi, aut graui ſomno, aut leui, aut vigilia premantur: cerebrum diuerſis modis affici neceſſe eſt. nam vbi id immodicè humore irrigatum, ſicut in ebrijs fuerit, ſopor ſequitur. Nonnunquam ille ex ſolis vaporibus calidis & humidis, dum in febribus, à præcordijs ad caput exhalant, ipſúmque replent, contrahitur. Sæpè ex ſola frigida cerebri intemperie oritur: aliquando ex humida & frigida, in qua grauior ſomnus exiſtit: ſicut leuior ex frigida tantùm, vel humida cerebri intemperie prouenit. Eſt cùm idem affectus ex virium imbecillitate naſcatur, in qua palpebræ apertæ ſeruari nequeunt. nam vbi ægri oculis conniuere cœperint: aut multùm, aut parum dormiunt: quanuis autem vigilant, palpebras tamen attollere non poſſunt. In his etiam pulſus parui, tardi, rari, & languidiſsimi apparent. atque hac ratione ſopor ille ab eo differt, quem humida & frigida intemperies excitauit. MATHETES, Quæ vigilem ſoporem gignunt? GERON, Tam bilioſus quàm pituitoſus humor, cerebro moleſtus, eóque mixta ipſius affectio permanet. interdum ſopor tum ſomnolentus, tum vigilans ex copia ſanguinis, cui bilis acris ac rodens permiſta ſit efficitur, ſic vt cerebri facultas à ſanguine quidem abundante grauetur: à bile verò adeò irritetur, vt ſomnus impediatur. Fiunt præterea ſoporoſi affectus, vbi cerebrum ictu, vel caſu vehementiùs fuerit concuſſum. nulla enim actio ſpiritibus agitatis, commotíſque edi poteſt:

Sopor vigil duplex.

Notæ ſoporis.

Soporis cauſæ.

Vigilis ſoporis cauſæ.

test, sed tunc æger quasi attonitus subsistit, quemadmodum illi, qui aut timore, aut verecundia obstupescunt. Quòd si caluaria violenter contusa, impetúque fracta, aut depressa, cerebrum ipsum, eiúsue membranas comprimat, æger sensus sermonísque expers, stupescit. At cùm cerebrum ipsum effractum est, aut nerui inde prodeuntes quodammodo diuulsi, grauissimus sopor oritur, de quo parum spei salutis superest: id quod Hippocrates his ce verbis testatur. à capitis ictu stupor, malum est. item quibus ‹‹ cerebrum aliqua ex causa concussum est, eos subitò mutescere ‹‹ oportet. MATHETES, Qualia de singulis præsagia existunt? ‹‹ GERON, Quod ex virium imbecillitate prouenit, exitiosissimum *Præsagia.* est: quod cum calidis & siccis morbis, insignem cerebri refrigerationem obtinet, non minùs periculosum habetur: quod autem ex frigida & humida cerebri intemperie prouenit, minùs periculosum: quod ex contrarijs, magis. MATHETES, Principis animæ facultatis offensas percensuisti: nunc quæ motus sensúsque noxæ sint, sicut cætera, edocere ordine digneris.

GERON, Cùm caput, & omnia quæ cernuntur, circumagi videntur, sic vt æger huiusmodi symptomata expertus, corruat, *VERTIGO.* nisi exteriore adminiculo sustineatur: græcè modò ἴλιγξ, modò δῖνος, modò σκοτόδινος, Latinis vertigo, vel tenebricosa vertigo, vulgaribus scotomia nuncupatur, qui prædicta duo idem significare putant: etsi non tantùm appellatione, sed etiam reipsa discrepent. Cùm enim aliquis caput circumferri imaginatur, tunc nobis vertigo dicitur. quando autem repentinæ oculis tenebræ obuersantur, tenebricosa vertigo vocatur: ab accidente nomẽ sortita. Nam aliud est putare caput solùm circumagi: aliud visionem tenebricosam simul cum ea apparere. etenim in illa caput duntaxat circumagi videtur: in hac oculi, tenebris simul offundi, & caput circumferri putatur. MATHE. Vbi & vnde similia ista vitia generantur? *Causæ vertiginis.* GERON, In cerebro, ex inordinata spiritus flatuosi motione, qui vel in ipsomet prouenit, vel sursum ex inferioribus partibus exhalat. In vtroque symptomate animales functiones oblesę vidẽtur: quanuis non omnino ęędem, nec eodem modo. nam in vertigine simplici, imaginatio deprauatur, ac visio imminuitur, vel interdum etiam vitiatur: in tenebricosa quidem imaginatio corrumpitur, et visio aboletur, nec non omnia circumagi apparent, sensúsque videndi amittitur. siquidem ęgri tenebris oculos offundi putant, adeò vt interdum concidant. Vertigo igitur generali noxę functionũ tum imaginationis, tum visionis superuenit. tenebricosa autem non modò imaginationi falsæ, sed etiam visioni, & nonnunquam motrici facultati abolitæ succedit. MATHET. Quomodo

Causæ quibus differant affectiones vertiginis.

affectiones istæ inter se differunt? GERON, Quòd hæc magis, illa minùs functiones prædictas infestet. MATHETES, Cur non idem illas esse dicis? GERON, Quia licet imaginatrix facultas in vtrisque sit deprauata, tamen in vertiginosis sensus videndi non interit, sicut in scotomaticis, nec ægri concidunt, vbi affectio mitior fuerit. in his enim, cùm caput vehementer afficiatur, videndi sensus tam subitò amittitur, vt ipsi interdum collabantur, præsertim vbi in orbem aguntur. id nanque ipsis ob vnam causam euenit, quod cæteris à plurimis accidere solet. siquidem alij idem perpetiuntur, siue rotam, siue vertices in aquis, siue simile quiddam circumuerti viderint. Quinetiam idem sine circuitione fieri videmus, quod in circumductione frequenter accidit. Differt autem vertigo à comitiali, de quo statim agemus, quòd illa ægros neque sensibus priuet, vt in hoc, neque distentione afficiat. MATHET. Quot modis vtraque vertiginis species generari solet? GERON, Bifariam: nempe si cerebrum, vel primariò affectum est, vel consortij lege. MATHETES, Quæ sunt inditia primarij illius affectus? GERON, Vehemens capitis dolor, grauitásque præcedens, aurium sonitus, odoratus læsus, & alius quisque sensus, qui à capite trahit originem. MATHETES, Quæ secundarij? GERON, Nausea, cibi fastidium, stomachi rosio, quæ Græcis καρδιωγμὸς, dicitur, & oris amaror, & si quæ pars alia mali huius initium fecerit, ipsa quoque affecta, notas suas habebit: verbi gratia, si vertigo ab occipitio orta fuerit, pars eius minima indolescit, etiamsi blandissimè attingatur: humor concitatus, vaporem in sensus omnes expirat, quo statim offusi detinentur. MATHETES. Quæ vertiginis causa proxima existit? GERON, Tenuis calidúsque vapor, per arterias cerebri exhalans: qui dum spiritus humorésque in plexu reticulari exagitat, & variè impellit, sensus motúsque turbulentos efficit. At vapor iste, ex humore vitioso conflatus, non continenter & assiduè, sed per circuitus, & quoties euidentium causarum vi, & impetu cietur, efflari consueuit. MATHETES, Quæ causæ euidentes, vertigini obnoxijs accessionem mouent? GERON, Solus æstus, exercitatio immodica, & quæcunque humores calefaciunt, exagitant, aut cerebrum concutiunt: nec non rotarum, & vorticum modo in aquis circumagitant. MATHETES, Quid affectiones istæ vertiginum portendunt? GERON, Sicut initio illarum leuius symptoma est suffusio, qua duntaxat fumi, nubes, nausea, aliáque his similia, ob oculos volitare putantur: ita postremò eis superueniunt, morbus comitialis, & attonitus. in medio autem illarum affectus obueniunt, tum qui periculo vacant, tum perniciosi. Nam vt vertigo simplex, ita & tenebricosa, in perniciosis-

Quomodo vertigo à comitiali differat.

Modus duplex vertiginis.

Notæ primarij.

Secundarij.

Vertiginis causa proxima.

Quæ vertiginis accessionem moueant.

Præsagia.

ciosissimos affectus conuerti potest, vtpote illis proximos, præsertim ad comitialem & attonitum. Si ægri ea, quæ oculis obuersantur, cruenta magis esse putant, insaniæ futuræ metus est: in qua non tantùm imaginatio, sed ratio quoque læsa est. si purpurea, morbi comitialis. MATHETES, Quo anni tempore vertiginosa, siue scotomatica affectio vehementior inuadit? GERON, Per hyemem, aut uerni temporis initio: quo sæpè comitialem morbum futurum denunciat: veteres eum paruum comitialem appellarunt. MATHET. Quis alius pręter hunc affectum superuenit?

Vertiginis conuersio in comitialem.

Vertiginis tempus.

GERON, Symptoma quoddam, quo quis per somnum grandissima mole opprimi, vel ab alio tanquam hoste inuadi, vel ab alio ad concubitum violenter vrgeri, vel ab alio pectori suo insidente, suffocari imaginatur. vnde ei gręcum nomen est inditum ἐφιάλτης, hoc est, insultor, siue incubus, vel πνιγαλίων, & πνιγάμων, latinè suffocatio nocturna, quæ respirationem offendit, vocémque intercipit. MATHET. In qua corporis parte vitium hoc prouenit? GERON, In cerebro, vt cuius tum principes, tum mouendi sentiendíque functiones, sub eo sint offensæ. Nam neque facile sentit, neque mouetur, neque vocem metu suffocationis, aut saltem incertam admodum, exilémque, ac benè discretam edere potest: tandem autem vehementer anxius, somno interrupto, repentè expergiscitur. MATHETES, Quæ mali huius causa est? GERON, Crassus, ac frigidus vapor, pituitosi ac melancholici humoris soboles: quæ à præcordijs ad cerebrum delata, ventriculos ipsius obstruxerit. Qua ratione fit, vt crapulæ ac continuæ stomachi cruditates, vnde illæ exhalant, hoc malum præcedant. hinc septum transuersum pulmonésque premuntur. MATHETES, Quo tempore noctis affectus hic inuadere solet? GERON, Per somni initia, quando calor innatus à vigilijs, per quas vapores dissipantur, quiescit, intróque se conuertit, illis generandis incumbens, eísque cerebrum opplens: præsertim eo tempore, quo alimenta elaborat: non tamen absolutè euincit. MATHETES, Qui huic vitio magis sunt obnoxij? GERON, Luxui & crapulæ dediti, & qui in magna cruditate sæpe esse, & supini, non in latus decumbere consueuerunt. grauius malum est, cum vigilantibus etiam superuenit. pessimum est, vbi per somnum inuaserit, & ægris iam experrectis, frigidi sudores tremorésque cordis oriuntur. MATHETES, Quid de solutione eius sperandum est? GERON, Si non statim per initia discutiatur, sed diu, & frequenter infestet, tandem in vertiginem, in morbum tum attonitum, tum comitialem, insaniam, neruorum distentionem, aut subitam mortem delabitur. quippe hoc modo plerique etiam in ipso cubili

EPHIALTES.

Incubus.

Pars offensa

Causa ephialtæ.

Tempus ephialtæ.

Ephialtes præsagia.

DD 2

mortui deprehenduntur. MATHET. Quis affectus hunc sequitur?

DISTENTIO. SPASMVS.

GERON, Is, quo nerui musculique ad originem suam contra hominis voluntatem distenduntur, & Græcis σπασμὸς, Latinis distentio, vulgo conuulsio appellatur: nihilq́ue ferè à naturali, tum corporis, tum partium eius motu differt, nisi quòd citra arbitrium nostrum fiat. Sicut enim voluntas hominis sani in cerebro, iuxta neruorum originem constituta, motionis principium primis neruis, ac per ipsos, musculis suppeditat: ita in eodem affectu musculi, citra huiusmodi principiũ ad capita sua retrahi, & membra, quibus illorum tendines inseruntur, simul & adduci, & contrahi coguntur: nec non figuram suam natiuam mutant, doloréque nunc grauiore, nunc leuiore torquentur, & vires ipsorum subinde languescunt. Morbus hic est quidem rarus & insolens, sed tamen acutus, qui breui iugulet. Idem aliâs vni membro, vt oculo, cuti frontis, linguæ radici, maxillæ, labris, ori, vt in risu Sardinio, brachio, manui, cruri, pedúmque digitis molestus est: ceruicibus autẽ grauissimus, aliâs omnibus partibus capiti subiectis, aliâs totis corporibus incidit. Priora ex his duo genera, Latini rigores neruorum, Græci τετάνους vocant.

Rigor neruorum.

MATHETES, Quod tertium illorum genus est? GERON, Sub quo, cùm caput quoque laboret, tum mens, tum sensus vnà vitiantur: idq́ue non continuè, vt in alijs, sed per temporum interualla recurrit. MATHE. Quid ceruix, vel corpus in rigore perpetitur? GERON, Flecti non potest, sed vel rectà intenditur, vel in priorem partem incuruescit, sic vt mentum pectori annectatur: vel in posteriora abducitur, vt caput scapulis adiungatur. prior grecis τέτανος: altera ἐμπροσθοτανὸς: vltima ὀπισθοτανὸς, appellatur. MATHET. Quibus alijs notis affectus iam dicti internoscuntur? GERON, In rigore rectà tendente, facies rubet, dolétque: maxillæ quasi ligneæ obrigent: os vix aperitur, oculi distorti illachrymantur, dorsum riget, crura atque manus vix contrahuntur. In eo rigore, qui ad posteriora vergit, æger vociferatur, ingentíque dolore excruciatur: hoc augescente, è cubili exilit, & plurimùm nugatur: finiente verò, ad mentem reuertitur, & conquiescit: idem pugnum comprimit: crura autem non contrahit, neque manus extendit. In accessione morbi, nonnunquam etiam vocis vsum amittit, facitque omnia furiosi hominis similia. quando certum imminet exitium viribus destituto, & desudanti, potúmque per nares reijcienti. MATHET. Quæ sedes harum affectionum primariò affecta est? GERON, Interim cerebrum ipsum, interim spinalis medullæ initium: aliâs neruus quidam, aut musculus singulari motioni dicatus. MATHETES, Quomodo id dignoscam? GERON, Facilè. nam si musculi faciei

Rigorum signa.

Sedes in rigoribus affecta.

ciei

ciei etiam cum toto corpore distenduntur, indubiè cerebrum ipsum affectum esse indicatur: sin autem faciei musculi incolumes permaneant, spinæ initium læsum est. At si pars quædam distendatur, neruus, aut musculus motioni eius inseruiens, offendi notatur. MATHETES, Quid si tres istæ distentionum species in certa vna parte, non autem in corpore toto constiterint? GERON, Tunc id tantum discernendum erit, num capitis & faciei partes læsę sint, an saluæ permanserint. Si nanque primario modo hoc vitium euenerit, cerebrum ipsum affici: si secundario, non cerebrum, sed spinalis medullæ initium, ex toto, aut partim oblæsum esse constat. MATHETES, Vnde certa quædam pars distendi cognoscetur? GERON, Ex ipsius consectionis anatomicæ notitia. MATHETES, Quot sunt causæ distentionis neruorum. GERON, Variæ, quę tamen omnes Hippocrati duæ tantum numerantur, nempe exinanitio, & plenitudo: illa ab ardente febri, vel à purgatione, siue veratro, siue alio medicamento tentata: vel à grauissimis vulneribus: vel ab alia quauis sanguinis profusione: vel à neruorum puncturis: vel ab immoderatis vigilijs: vel ab inædijs: vel à labore immodico, concitata. hæc ab inflammatione, vel à luxu, & temulentia, vel à vacuationis necessariæ suppresione, vel ab exercitatione intermissa, prouenit. Atque hæ distentiones ex contrarijs istis causis procreatæ, sic inuicem discernuntur, quòd plenitudini dicata, subito generari sine vllis signis præcurrentibus soleat, factóque bilis vomitu statim conquiescat: eóque ad stomachi affectum magis quàm ad febrim pertinet: exinanitioni verò propria, sensim, longóque temporis cursu prouenit. Notandum autem, si neruorũ distentio ex repletione comitata fuerit, causam eius esse, aut cerebri, initijue spinalis medullæ, seu alterius partis neruosæ inflammationem, aut succorum copiam, partibus modò dictis adhærescentem. sin autem ex humorum abundantia duntaxat excitata fuerit, inquiri debet, vnúsne absolutè humor, an plures inter se mixti, ex æquo increuerint. MATHETES, Quæ aliæ pręter has distentionis neruorum, musculorúmque species restant?

Causæ distentionis.

GERON, Vna quædam leuis, & flatuosa, græcè φυσώδης, dicitur: eò quòd maximum licet dolorem, perbreuem tamen, & vix horæ spatio durantem indicat: vt quæ sola frictione mitescat. MATHETES, Quas partes infestare solet? GERON, Plerunque manuum pedúmque digitos: nonnunquam etiam crura, summo ipsa cruciatu extendens, vel in sese contrahens. MATHETES, Quis huius mali auctor est? GERON, Crassus lentúsque vapor, neruorum propaginibus insertus, qui illas veluti liræ chordam replet, contrahitque. MATHETES, Quæ alia distentionis generandæ ra-

Distentio flatulenta.

Distentionis flatulentæ pars affecta.

Distentio ex consensu.

tio superest? GERON, Quæ consortij lege, non autem ex neruosarum partium plenitudine, neque exinanitione, sed potius ex qualitate quadam fieri solet, quæ illas ordine continuato immutarit: eóque ad cerebrum ascendat, aut spiritu quodam ipsas accedente, aut veluti leui aura ad neruorum originem exhalante infecerit. MATHETES, Qualis igitur huius causa existit? GERON, Non modò exterior, nempe scorpionum, aut phalangiorum, aut alterius uenenosi animalis ictus, verum alia etiam interior materia subnascens, ex qua simile generari potest, nulla exteriore causa accedente. Contingit enim, vt si os ventriculi ab humore æruginoso, aut potius ab ipsa ærugine rodatur, totius corporis distentio superueniat. vbi autem illa per vomitum euacuata fuerit, hæc statim vt febris, cessat. MATHETES, Estné alius adhuc motus vitiatus? GERON, Est sané, quo membra contra voluntatem concutiuntur, latinis tremor, græcis τρόμος, appellatur. MATHETES, Quis huius auctor est? GERON, Facultatis motoriæ, ac neruorum imbecillitas: ob quam membra suapte natura grauia, attolli nequeant, sed dilabi coguntur. nam tunc facultas cum membris veluti pugnans, grauitati ipsorum resistit, ac tantum illa in sublime eleuat, quantum ipsa pondere suo deorsum feruntur. MATHETES, Vnde imbecillitas neruorum, & facultatis mouendi contrahitur? GERON, Vel ex ætate senili, vel ex morbo longo ac graui: vel ex immodica intempestiuáque venere: vel ex timore, siue alio animi affectu, vel ex illis, quæ tota natura neruis aduersantur, qualis est immoderatus argenti viui vapor: vel ex his, quæ neruos acrius feriunt, ac replent: cuius generis est liberalior vini meracioris vsus: adhæc lenti, crassíque humores neruos obstruentes. quanuis hæc causa leuior quàm in stupore & resolutione existat. MATHETES, Quales sunt isti humores? GERON, Pituita, nec non flaua bilis: ob quam tremor sæpius ante morborum acutorum finem, suboriri consueuit. MATHET. Quid est morbus comitialis?

Causa distentionis ex consensu. — *TREMOR.* — *Imbecillitas neruorum vnde.*

COMITIALIS morbus. — *Epilepsia.*

GERON, Crebra totius corporis distentio, non tamen perpetua, vti vera, quæ in ceruicis rigoribus apparet: sed quæ per temporum interualla accedit, græcis ἐπιληψία dicitur: Hippocrati aliquando παιδικὸν πάθος, quasi puerilis morbus, quòd pueri, præsertim humidiores eo sæpius corripiantur. Nam horum ætas ob neruosi generis infirmitatem, distentionibus est opportuna: Aristoteli Herculeus, quòd non facilè superari euincique possit: Celso maior, quòd homo ob eius grauitatem prolabatur: alijs Lunaticus, quòd lunæ cursus ratione, & nascatur, & propellatur: vel quòd interlunio editi, eò ferè corripi soleant: alijs aliter nominatur. MATHETES, Quæ pars in hoc malo potissimùm affecta est?

Herculeus morbus.

Morbus comitialis vbi potissimum consistat.

ćta est? GERON, Cerebrum: vt eius propriæ functiones principes, sensiles, & motrices oblæsæ testantur. Nam sub hoc malo homo statim concidit: mens ac sensus omnes intercipiuntur, sic vt ille neque audiat, neque videat, neque præteritorum meminerit.

Differentiæ tres comitialis morbi.

Tres autem sunt morbi istius differentiæ: in quibus omnibus cerebrum communiter est offensum. vna ex primario ipsius affectu: altera ex ventriculi consensu: tertia ex remotioris partis, vt pedis, aut vteri, aut manus, aut similis cuiusdam consortij lege, contrahitur. MATHETES, Totúmne cerebrum, an aliqua eius regio offenditur? GERON, Medius sinus, vel postremus. MATHET. Quæ illarum causæ?

Causæ comitialis morbi.

GERON, Primæ, humor crassus, pituitosus, aut melancholicus, viscosus, copiosior in medio cerebri, vel postremo ventriculo collectus, qui spiritum animalem impedit, ne in totum corpus distribuatur: non autem intemperies, vt quidam autumant. MATHETES, Quare? GERON, Quia sinuum cerebri obstructio, ex crassis humoribus, & subitò generatur, & statim soluitur. At non solum noxij eiusmodi humoris copia, sed etiam venenata qualitas, cerebro ipsi plurimùm aduersaria, hunc morbum procreat, siue calida, siue frigida: dum illa hoc ipsum ferit: id vicissim, eius qualitati tanquam hosti singulari certamine repugnat. nec non cerebri abscessus, aliâs corrupta membranæ cerebri portio caluariæ adhærens, summo cum dolore eum gignit: vnde noxius humor in cerebri sinus penetrat. MATHETES, Quid secundam speciem excitat? GERON, Materia vitiosa, aut vapor in ventriculo natus, qui ad cerebrum exhalarit. quod vitium illud ex oris ventriculi consensu experiri dicitur, sicut oculos suffusionem. MATHE. Quid tertiam? GERON, Qualitas, vel spiritalis quædam materia, ab inferioribus partibus primariò affectis, vt à pedum manuúmque digitis: vel à crure: vel ab vtero, si mulier grauida est, per abditos meatus: vel à summo capitis vertice, in cerebrum transmittitur. MATHETES, Quibus notis singulæ species dignoscuntur?

Notæ comitialis morbi primæ speciei.

GERON, Prima laborantes, antequam morbo tenentur, capite grauantur, & dolent, præcipuè cum iracundia permoti fuerint, facies pallet, oculi obscurantur, caligántque: mens & sensus stupent, horrenda infestant insomnia: spiritus difficulter trahitur: venter flatibus vehementer intumescit: vrina præter consuetudinem tenuis & cruda apparet. in accessione autem vehementem distentionem experiuntur: vocem obscuram edunt: linguam inordinatè mouent: eámque loquendo mordent: stertunt, circumaguntur, tremúntque: spumæ ex ore mouentur: deinde interposito tempore ægri ad se redeunt: pérque seipsos consurgunt. interdum musculis resolutis, vrinam, vel

Secundæ speciei signa.

alui excrementum, vel semen præter solitum emittunt. MATHETES, Quæ secundam speciem indicant? GERON, Eius accessionem præcedunt ventriculi dolor, distentio, rosio: ægri difficulter inediam sustinent, & cum accessio in propinquo est, nausea, cordis dolore, aut animi defectione torquentur: vbi verò illa desierit, vomitio nunc pituitæ, nunc bilis comitatur. MATHETES,

Tertiæ speciei signa.

Quæ tertiam speciem notant? GERON, Frigidior quædam quasi aura, per continuatas partes in cerebrum ferri ab ægro percipitur, sic vt à pede, vel crure initium capiat: inde per femur, lumbos, & latera, ad ceruicem vsque recta ascendat, donec ad caput perueniat. Eodem modo in ictu scorpionis, aut alterius virulentę

Morbus comitialis quando grauissimus.

bestię accidere consueuit. MATH. Quando comitialis morbus est grauissimus? GERON, Tunc, quando continenter recurrit, breuissimáque accessionum habet interualla, diu autem, vbi inuasit, immoratur, præsertim si magna simul vertigo vrgeat: nec non spiratio difficilis, agitatio corporis vehemens, & longa: post hanc grauis sopor, κατοχῆ, similis: sub quo homo quasi vitam amisisse creditur: adhæc æger in summo versatur periculo, vbi spuma ab ore

Morbo comitiali obnoxij.

detersa, sępiùs reuertitur. MATHETES, Qui huic malo sunt magis obnoxij? GERON, Viri potiùs, quàm fœminæ: pueri nuper nati, quàm adultiores: minimè autem senes, & ætate confecti. MATHETES, Quid de morbi huius solutione sentis? GERON, Diu

Prognosticum.

admodum perseuerare consueuit, si per initia neglectus fuerit. interdum crebris, & vehementissimis accessionibus veluti peracutus redditus, ægrum ilicò iugulat. At si neque pubertate, neque menstruorum initio, aut puerperio discussus fuerit, sed post id temporis remanserit, tunc ipse ad mortis diem vsque prorogatur: nisi accuratam medicus ei curationem adhibuerit. Qui post vige-

Quandiu morbus comitialis perseueret.

simum quintum annum vitio isto correptus est, difficillimè, aut nunquam consanescit, per totam vitam illi obnoxius, præsertim si ex parentibus huic malo oportunis natus, aut à fœmina men-

In grauida morbus comitialis quando soluatur.

struali conceptus fuerit. Quòd si morbus ille prægnanti mulieri obuenit, fœtu eliso finitur: & si quid inde vitij hic contraxit, id magna ex parte tollitur, vbi ipse in lucem editus, statim multum excrementi aquosi vomitu reiecerit: sin minùs, morbus remanet. Quinetiam alphos albi coloris in capite natus, & crustosa puerorum scabies, morbi remouendi spem aliquam faciunt, maximè si

Comitialis à parte aliqua.

is non est inueteratus, & ex victu tantum immoderato secutus: aut si futura accessio ab vna corporis parte, nempe à manu, vel pede magis, quàm à lateribus, aut ab ipso capite percipiatur. At si malum istud è contrario simul corpus afficiat, non autem à parte aliqua accedat: sed homo quacunque in ætate subitò concidat,

vix

vix ei succurritur: sicut neque cum mens læsa est, & neruorum facta resolutio, cúmque longa febris, & præcipuè quartana illi superuenit, nulli cedit remedio.

APOPLEXIA.

Proximum huic malo vitium est, quo corpus & mens stupet: hoc est, in quo omnium corporis partium, cum motus, tum sensus, principísque animæ functiones impediuntur, sola respiratione superstite. vnde ægri, quibus illud accidit, subitò tanquam fulminis ictu percussi concidunt: vnde Latinis attoniti nominantur, sicut casus ipse Græcis ἀποπληξία. MATHETES, In quo corporis loco origo morbi huius consistit? GERON, In vtraque cerebri sede, priore scilicet & posteriore, sicut etiam morbus comitialis. MATHETES, Cùm ergo in vtroque affectu, tum cerebrum, tum principes eius sinus, hoc est prior, & posterior ventriculus offendantur, quid inter illos discriminis habetur? GERON, Cerebrum in hac magis, quàm sinus ipsius, vnáque & pariter afficitur. MATHET. Quis mali huius auctor esse dicitur? GERON, Frigidus, crassus, & viscosus humor, siue pituitosus, siue melancholicus, aut inflammatoria quædam cerebri affectio, vt phlegmone, erisypelas, abscessúsque, ventriculos illius obstruentes: sicut etiam immodici vini, aut cibi, quanuis optimi ex valenti materia vsus, aut cruditas, aut aëris admodum frigidi occursus, aut casus, aut capitis ictus: vnde sinus cerebri oblæduntur, & spiritus seu facultas animalis ad idoneas partes transire impeditur. MATHETES, Quæ communia sunt attonitorum signa, & quæ singularum eorum causarum propria? GERON, Si humores morbi auctores sunt, subitus ferè capitis, acutúsque dolor, vertigo, oculorum caligo, dentium in somno stridor, totiúsque corporis, maximè exterioris frigus percipitur. In accessione verò, homo malo hoc correptus, subitò cum clamore prolabitur: mox clausis oculis stertit, & magna spiritus difficultate orta, propemodum suffocatur: pectus tanquam vinculo quodam astrictum attolli prohibetur, sic vt à solo spiritu vitæ spes pendeat. Nam cum hic difficulter trahitur, aut prorsus intermittitur, apoplexia magna & pestifera dicitur, quæ nullam curationem recipit. cùm autem faciliùs redditur, parua, aut leuior vocatur: quæ licet remedijs cedat, tamen difficillimè, idque cum lateris resolutione. Si verò hoc primis diebus quatuor non fiat, hominem opprimit. Est cùm aliqui adeò leuiter hoc affectu laborent, vt solo ore distorto, nulla autem neruorum resolutione oborta, sensu motúque licet amisso, neque spumam emittant, neque stertant, sed remedijs curati, rursus consanescant. Hodie omnium mali huius specierum sanatio promittitur. MATHETES, Quibus vitium hoc magis familiare est? GERON, Natura-

Attoniti. — *Sedes apoplexiæ.* — *Auctor & causæ apoplexiæ.* — *Attonitorum signa.* — *Apoplexia magna.* — *Parua.*

Ad apoplexiam procliues.

frigidis, crebráque capitis grauitate, sopore, oculorum caligine laborantibus, breui & angusta ceruice præditis, otiosis, liberaliori potui & cibo indulgentibus: præsertim si iam annum quadragesimum, nondum autem sexagesimum excesserint. Interdum etiam adolescentes, iísque grandiores, & alij. sed non nisi maximis ex causis illo infestantur, præsertim tempore æstiuo: nam sub his ferè mors consequitur. Hyems aliâs huic affectui opportunior est, maximè si venti perfrigidi spirent, & dies sint nebulosi, ac frigidi. Hinc etiam frigora in corporibus, & torpores nihil boni portendunt: sudorésque in accessione erumpentes mortiferi, propter spiritum impeditum existunt. In eodem casu corpus sæpè extinctum apparet, quod adhuc viuit, præcipuè fœminarum, & eiusmodi virorum, quorum natura est frigidior: MATHETES, Quomodo hoc dignoscere potero? GERON, Si pluma naribus admota, aut in ore suspensa dispergatur, aliqua spes vitæ: si immota manet, nulla superest: similiter, vbi vasculum aquæ plenum pectori superimpositum, moueri aliquantum videtur, vitam adesse notat: si prorsus immotum persistat, amissam esse testatur. sicut etiam in sano homine aliquando accidere Hippocrates prodidit: vt, qui subito dolore capitis correptus, mutus euadit, stertitque, intra septimum diem intereat: seruetur autem, si ante id tempus febris superueniat. MATHETES, Qui alij affectus attonito respondent, & quibus notis inuicem distinguuntur? GERON, Comitialis, grauisque sopor, de quibus anteà tractatum est: item syncope, & vteri strangulatus: de quibus posteà agetur. Attonito igitur remedijs finito, partis cuiusdam corporis resolutio succedit, quæ Græcis παραπληγία, seu παράλυσις, dicitur: comitiali non item: quia in hoc vniuersi corporis distentio, quę vulgo conuulsio vocatur, non autem resolutio, vt in illo exoriri solet: sub qua functio animalis in totum amissa est. In sopore graui, & vteri strangulatu respiratio facilis, & libera ferè seruatur: in hoc autem propemodum tollitur. Rursus in sopore priores cerebri partes opprimuntur, & sensus ab his prodeuntes obtunduntur: posteriores autem saluæ permanent: sic vt spiritus, quod satis est, neruis motioni dicatis, ad hanc conseruandam infundant, & maximè respirationem, quæ ad vitam tuendam inprimis est necessaria, asserant. in attonito, motus omnis respiratióque tollitur: ob quod etiam potissimum homo suffocatur. Porrò in vteri strangulatu, cùm cerebrum toto vapore feriatur, respiratio multò minus impeditur, nisi fauces obturentur. In syncope, nullus arteriarum pulsus, aut valdè obscurus deprehenditur, sicut aliâs audies: in attonitis plenus & vehemens, nisi cùm mors in propinquo est. At in leuiore apople-

Quæ anni tempestas, & ætas hominis apoplexiæ oportuna.

Apoplectica corpora mortuis similia, quomodo dignoscantur.

Qui morbi attonito respondeant

Comitialis quomodo differat ab attonito.

Paraplegia.

Sopor, & vteri strangulatus, in quo ab attonito differat.

Vteri strangulatus & syncope, in quibus discrepent ab attonito.

apoplexiæ vitio, interdum ſenſus quidem, aut motus ſupereſt, ſed ſtupidus admodum, & incertus, ſub quo tunc ferè pars altera corporis reſoluta ingraueſcit. MATHETES, Cùm iam reſolutionis paulò ante memineris, dic obſecro, quidnam verè illa exiſtit? GERON, Cerebri offenſio, qua motus & ſenſus intercidit, idquè in altero corporis latere, vel dextro, vel ſiniſtro, vel in ſingulari quodam membro. ſi alteri laterũ, nunc dextro, nunc ſiniſtro accidat, inde nomen habet: ſi membrum aliquod infeſtet, nempe manum vel crus, illius affectus talis eſſe dicetur. quanquam cùm motus ſolus præcipuè, aut ſenſus interit, etiam quodammodo reſolutio, licet non abſolutè, dici poteſt. Siue igitur ſenſus, ſiue motus, ſiue vterque amittatur: tamen reſolutio vocari ſolet. MATHETES, Quare in hoc neruorum vitio interim ſenſus, motu incolumi, interim motus, ſenſu ſaluo, interdum vterque amittitur? GERON, Quia duplex neruorum natura eſt, & ex his quidam mouendi, quidam ſentiendi vim, à facultate animali recipiunt: ea autem deſtituti, neutram actionem obire poſſunt. Eſt porrò reſolutio quędam perfecta, quædam imperfecta: illa totius corporis, quæ apoplexia dicitur: hæc vnius cuiuſdam partis propria eſt: quæ nunc ſenſum tollit, motu ſuperſtite: nunc motum, ſenſu incolumi. poteſt enim alterutrum altero manente nonnunquam interire. Eſt cùm in hac eadem reſolutione. ſenſus motúſque torpeat, & ſtupeſcat: ſicut nonnunquam in temulentis accidere ſolet, motu illæſo. Adhæc reſolutio, aliâs ex morbo attonito leuiori, aliâs ex ſtupore ſenſim aucto prouenit, qui illam denunciare ſolet. MATHETES, Quibus membris incidit reſolutio, quæ attonito morbo ſucceſſit? GERON, Modo toti corpori, quod capite inferius eſt: modò alteri eius lateri duntaxat. MATHETES, Quid ſi nullo morbo antecedente incipiat? GERON, Tunc aliâs membra nuper comprehenſa occupat: aliâs vnam quandam partem, vt linguam, oculos, malas, labra, brachia, crura, pedes, & ſimilia. atque hanc futuram, in vna illarum ſemper prænunciat, vt ex qua ſenſim augeſcente, illa procreatur. MATHETES, Vtra ex ſupradictis duabus reſolutionibus grauior, periculoſiórque exiſtit? GERON, Prior, eóque ſæpè in attonitum morbum, vnde prodijt, reuertitur: poſterior, licet æquè ferè diuturna, longè tamen mitior eſſe ſolet. MATHET. Quid in vtraque commune reperitur? GERON, Quòd nunc ſenſus interiat ſaluo motu: nunc motus aboleatur, ſenſu incolumi: ſæpè etiam quòd vterque periat. adhæc quòd pars reſoluta protinùs refrigeſcat, graueſcátque: & ſi attollatur, rurſus mole ſua decidat, laxa molliſque: & cum malum in vetuſtatem incidit, ipſa alimenti penuria contabeſcat; facies autem in aduerſam partem

Reſolutio vera quid ſit.

Dextri aut ſiniſtri lateris reſolutio.

Cur nunc ſenſus, nunc motus, altero ſaluo amittatur: cur vterque.

Reſolutio perfecta.

Imperfecta.

Reſolutio ex apoplexia nata, cui obueniat.

Quando ſingularem partem inuadat.

Reſolutio totius corporis periculoſior.

Quid commune in vtraque reſolutione.

Resolutionis sedes.

sanam detorqueatur. MATHETES, Quæ prima resolutionis sedes existit? GERON, Sicut attoniti morbi origo, in toto cerebro consistit: ita lateris dextri, vel sinistri resolutio, ex dimidio quoque cerebro originem habet. Nam faciei partes dextræ, vel sinistræ cum similibus quoque corporis membris, resoluuntur. MATHET. Ob quid partis alicuius faciei sensus aboletur? GERON, Ob neruos, qui à tertio cerebri pari prodeunt, offensos. MATHET. Ob quid motus? GERON, Propter primas spinę vertebras oblęsas. MATHE. A quo omnium partium resolutio contrahitur? GERON, A totius spinæ initio affecto. MATHETES, Vbi hemiplegiæ causa existit? GERON, Non in tota spina, sed in altera duntaxat ipsius regione. MATHE. Vbi alterius cruris, aut vtriusque resolutionis origo? GERON, Infra lumbos. omnes autem subditę partes, tum dextræ, tum sinistrę, resolutionē experiuntur, cum tota spinę medulla, in transuersum est affecta: quæ verò è regione offensionis duntaxat sitæ sunt, ex altera medullæ parte læsa resoluuntur. Proinde in quauis parte resoluta discendum est, in eáne sola vitium, an in illius neruo inhæreat: adhæc sciri debet, num in toto nerui processu, an in parte eius aliqua, númque in origine solum, an in ipso cerebro, aut in spinæ medulla consistat. Sin autem facie dempta, vna quædam ex prædictis, sensus motúsque expers euaserit, affectus ipsorum ex primo spinæ processu, originem ducit. MATHETES, Quo in loco noxa subsistit, cum inferiora facie membra resolutionem experta sunt? GERON, In eodem spinæ initio affecto, quæ tanquam communis omnium neruorum, qui sub facie habentur, origo existit: sic tamen, vt spina ipsa non leui, sed ingenti affectione laboret, offensáque sit. Porrò si quæ pars singularis duntaxat resoluta fuerit, illa, vnde neruos accepit, inuestigari debet, vt iamdudum in consectione didicisti. quemadmodum si ipsamet quoque spinæ medulla, non in eius initio, sed propè inferiores partes, ac vertebras offendatur, subiecti quoque loci noxam sentiunt: si magnam, omnes: si exiguam, & paulatim, illi qui è directo subiectæ sunt, afficiuntur. Cùm igitur quælibet resolutio ob penuriam animalis facultatis generetur (vt dixi) non immeritò cerebrum ipsum, aut spinæ medulla, seu nerui quidam singulares illic orti, denique sentiendi mouendíque instrumenta affecta esse solent: in quæ vis illa animalis, ex superioribus membris delegatur. Quomodo autem dignoscas, num vna, vel altera pars primariò afficiatur, superius est explicatum. MATHETES, Quæ sunt resolutionis cuiusque inditia? GERON, Nulla alia, nisi quòd membrum ei obnoxium, sensus motúsque expers, deprehendatur. MATHETES, Quæ ergò causa ipsius existit? GERON, Non vnum ipsa morbo-

Sensus partis faciei vnde aboleatur.

Motus vnde pereat.

Vnde omnes partes resoluantur.

Hemiplegiæ causa vbi.

Cruris alterius aut vtriusque resoluti causa.

Qui affectus ex primo spinæ processu læso tiabatur.

Inferiorum facie membrorum resolutio vnde.

Resolutio qualibet ex penuria facultatis animalis

Resolutionis inditia.

morborum genus, sed varium sectari consueuit. interdum enim intemperiem plus iusto frigidam, cum similium etiam humorum viscosorum, & insigniter crassorum abundantia, vel sine ea. Magis autem ferè est crasior pituita, neruo tenaciter impacta, quæ spiritum animalem impedit, & parti, in quam neruus propagatur, influit, distribuitúrque. Quinetiam alius quiuis humor, spinali medullæ infixus, resolutionem excitare potest: sæpè quoq; flaua bilis hanc inducit, vbi sub febrium intermittentium finem, in spinam dorsi, & in neruorum origines effunditur. Adhæc inflammatio, aut scirrhus, aut quiuis alius tumor naturæ contrarius, in parte aliqua prædicta, aut ei vicina subortus, dum neruum aut medullam constringit, resolutionem parit. quinetiam vitium hoc gignitur, cùm nerui ipsi à re quadam dura, extrinsecus accedente comprimuntur: vel vbi laqueo, aut manibus constringuntur: sicut etiam cùm ijdem nerui contusi ex casu, vel ictu fuerint: vel cùm ex luxatis, siue fractis spinæ vertebris, aut alijs osibus arctiores euaserint. Pari modo resolutio ista aliquando fieri solet, vbi vulneratum, seu vlceratum cerebrum, aut spinæ medulla, aut alius quidam singularis neruus fuerit. MATHETES, Vnde cognoscam, à quibus causis singulæ resolutiones proueniant? GERON, Proprijs ex signis facilè deprehendes: sin autem exterior eius causa fuerit, ex ægro, vel asistentibus. MATHETES, Quid de hoc morbo sperandum, aut metuendum censes? GERON, Qui per omnia membra, vehementer resoluti sunt (vt ait ille) celeriter rapiuntur: ac si corrupti non sunt, diutiùs quidem viuunt: sed raro tamen ad sanitatem perueniunt, & plærunque miserum spiritum trahunt, memoria quoque amissa. In partibus verò nunquam acutus, sæpè longus, & ferè sanabilis est. quanquam hodie vtrunque ferè eius genus sanari posse credatur, vt postea in altero commentario audies. Quæ ex rupto neruo, aut transuersim inciso contracta est: nulla medicina ægrum, si febris, aut tremor ei accedat, liberare potest. MATHETES, Post sensus motúsque vitia, qui corporis affectus, adhuc sunt reliqui?

Causæ resolutionis. *Pituita crasior.* *Flaua bilis.* *Inflammatio, scirrhus, vel alius tumor.* *Nerui compressi, vel constricti, vel coarctati.* *Cerebri vulnus, vel vlcus, vel spinæ medullæ, vel nerui singularis.* *Præsagia.* *Celsus.*

GERON, Qui ex cerebri recremento proueniunt, in subiectas corporis partes defluente. MATHETES, Quid est illius excrementum? GERON, Superflua alimenti ipsius materia, naturæ eiusdem respondens, vtpote tenuis, aquosa, & per initia quidem dulcis: processu autem temporis, si diutiùs hærescat, plærunque vel salsa, vel acris: aliâs ipsa moderata: aliâs plus æquo copiosa existit: præsertim si ipsummet cerebrum insigniter frigidum, humidúmque, aut alia ratione imbecillum sit: siqúe alimentum, vel liberalius, vel minùs idoneum ei suggeratur. MATHETES, In quam par-

RECREMENTORUM cerebri morbi.

Cerebri excrementa vbi contineantur, & quomodo sinus eius repurgentur.

tem capitis, excrementum reconditur? GERON, Moderatius in priores illius sinus omninò: immoderatum extrinsecus circa cerebrum, eiúsque membranas diffluit, quò interiores venæ oris pertinent. MAT. Per quę emissaria sinus cerebri expurgari solent? GERON, Per palatum: sicut reliqua eius portio etiam per idipsum, tum per nares, pérque aures, & oculos. MATHETES, Nusquámne aliis in locis, quàm supradictis excrementum cerebri congregatur? GERON, Indubiè etiam in externis, præsertim sub cute verticis: in quam venæ per faciem, & tempora in caput excurrentes pertingunt. Quando enim hæ, serosa materia ampliter repletæ sunt, superfluam alimenti partem sub cutem expellunt: quæ vix ob eius crassitiem, & densitatem exhalare forâs potest. vnde nonnunquam insignis tumor, ceræ instar mollis extuberat, qui cutem densat, plurimúmque eam à caluaria separat. hinc quodlibet capitis excrementum, in extimas corporis partes, præcipuè in malas, dentes, ceruicem, scapulas, brachia, latera, dorsum, lumbos, coxas, crura, & artus tandem vniuersos destillat: vnde articularij quoque, & alij dolores omnes generantur. MATHETES, Quomodo affectus appellantur, qui ex cerebri sinuum recrementis, in partes subiectas defluentibus, proueniunt?

Capitis excrementa quomodo in partes inferiores destillent.

Affectus ex recrementis cerebri quomodo appellentur.

DESTILLTIONES.

GERON, Communi quidem nomine latino, destillationes, græco κατάρροι, vel κατάσταγμοι: siue humores à capite ad pulmones, per asperam arteriam, siue ad inferiora per venas defluant: proprio autem pro inferiorum partium, in quas delabuntur ratione, vt si tenuis pituita è cerebro in os fluat, nobis destillatio, Græcis κατάρρος vocetur: si in nares, grauedo latinis, illis κόρυζα: si in fauces, ac asperam arteriam, nobis raucitas, græcis βρόγχος, vel ἀρτηριακὸν, nuncupetur. Notandum autem hîc, alias quoque partes, iam dictis vicinas, tum interiores, tum exteriores, sicut etiam ventriculum, & intestina, excrementitijs cerebri humoribus infestari. MATHETES, Quæ partes corporis in hisce vitijs potissimum offensæ dicuntur? GERON, Primariò cerebrum ipsum, idque in destillatione, ac grauedine, vt stomachus in cruditate. ex consensu autem nares, in grauedine: item os, ac nonnunquam fauces in destillatione: adhæc guttur, seu aspera arteria, aut ipsæ quoque fauces, si immodico humore sint imbutæ. MATHETES, Quot, & quæ caussæ cerebro huiusmodi vitia inducunt? GERON, Admodum frigida humidáque, vel calida intemperies, ob quam illa morbi propriè vocari possunt: item plenius, minúsque idoneum alimentum, ipsum grauans, oneránsque. quamobrem symptomata seu casus meritò appellantur. MATHETES, Nullæne aliæ causæ destillationum existunt? GERON, Si Arabum familiæ credimus, vapores,

CATHARRVS

Grauedo.

Partes corporis destillationibus obnoxiæ.

Destillationum caussæ.

pores,qui ex calidiore iecore in caput elati, ac deinde cerebri frigore in aquam conuersi decidunt, perinde vt terræ exhalatus, in nebulas concrescunt, ac statim in imbrem,siue aquam liquantur, funduntúrque. At si rem accuratiùs expendamus, minima excrementi portio,hac ratione colligi potest. nam destillationes etiam in ijs, qui vel temperamento, vel frigidiore iecore sunt præditi, fieri consueuerunt. Quare non à calidis iecoris vaporibus solùm, sed à cerebri imbecillitate,ex intemperie frigida,aut calida magis contrahuntur. quoniam hæ inter omnes caussas frequentissimæ sunt,& efficacissimæ.In summa,omnium capitis symptomatum, interiores ferè caussæ sunt,intemperies simplex,& vitium humoris excrementitij,qui vel intra,vel extra caluariam consistit. MATHET.In quibus autem illius partibus? GERON,Vel in cerebro ipso, vel in eius membranis, vel in prioribus meatibus continetur, ac ex illis in partes subditas defluit. MATHETES, Quæ frigidam intemperiem notant? GERON, Excrementa copiosa,& minimè acria,caput, & frons vndique distenta, meatus narium colatorij adeò clausi,vt vox obtundatur:frigidior victus ratio antecedens, taléque hinc temperamentum,præcipuè cerebri, ac similis ætas, anni tempus, regio: nec non talis aëris tempestas, & aquilonia. huiusmodi enim intemperies, dum caput cogit validiùs, & quodammodo comprimit, cerebrum excrementa ipsius,ad inferiora capitis loca prolabi sinit:cúmque illud, id, quod alimenti gratia ad ipsum fertur,frigoris sui causa concoquere nequeat:hoc veluti excrementum iam redditum, rursus ad inferiora descendit, eò quòd nullo modo contineri ab illo posit. Quinetiam vapores ab inferioribus partibus ad cerebrum educti, cùm ab illo discuti nequeunt,auctiores,crassioréśque redduntur:atque rursus ad inferiora delegantur. siquidem frigus nullam humoris abundantiam,in quauis corporis parte discutit,sed illum quodammodo adauget. Hinc etiam cerebrum casu ob frigidam intemperiem repletur, ac veluti instrumentum copia infestatur : id num ex frigidis humoribus eueniat, per capitis tum distentionem, tum grauedinem dignosces:præsertim si oculi caloris & acrimoniæ,ac facies ruboris,expertes appareant.MATHETES,Qui potissimùm hisce morbis sunt opportuniores? GERON,Primùm,qui capite imbecilli natura constant, nec non subiectis infrà visceribus nimiùm calidis,vt corde, iocinore, vel renibus: deinde qui pleniore cibo & potu, præcipuè frigido se replent, aut in quibus cruditate sæpiùs substante,aluus non deijcitur:adhæc qui febrim experti,ab ea colliquantur. MATHETES, Quomodo partes corporis habent, quando calida intemperies destillationes parit?

Vbi defluxionũ materia contineatur.

Frigidæ intemperiei notæ.

Vapores partium inferiorum elati.

Defluxionibus obnoxij.

Destillationis ex calida intemperie notæ.

GERON, Arteriæ in capite multum concitantur, febris magna ex parte oritur: sed malum nihil ex ea leuatur: facies, aliæquè particulæ, quæ fluxionem sustinent, rubescunt: humor acris, salsus, tenuisque, tum per nares, tum per os destillat: aures sonant: nares tumidæ sunt, & nonnunquam ipsæ, alięquè partes fluxione laborantes, exulcerantur, quando illa acrior fuerit. frons & caput admodum calere manu admota deprehēduntur, idque certius, si calida ætas antecesserit: nec non simile temperamentum, habitus, anni tempus, regio, aëris tempestas. adhęc vehemens cibi fastidium vrget. MATHETES. Qua ratione calida cerebri intemperies defluxiones excitat? GERON, Quia humores extenuat, dissoluitque, non vti frigida cogit, ac constringit. dum autem ipsa attrahit, per se quoque caput replet: præcipuè vbi vinum copiosius, meracibusquè assumptum fuerit, aut cibi pleniores, calidique: item si balneæ calidiores, siue largior capitis ex aqua calida profusio, antecesserit. nam hæc quoque, sicut austri, & in his pluuiæ, aliáque omnia quorum natura calida, & humida est, manifestè caput humoribus replent. postremò etiam leuis capitis dolor & grauitas, euidénsque caloris sensus, calidam esse intemperiem ostendunt

Calida intemperies quo pacto defluxiones excitet.

Destillationi ex causis externis oportuni.

MATHETES, Qui procliuiùs ab externis caussis in destillationes incidunt? GERON, Calido natura capite præditi: sicut frigido, ab internis faciliùs ad illas inclinant. MATHETES, Quibus indicijs singularum partium destillationes distinguuntur? GERON, Si materia in nares fertur, eáque frigida, & ignaua est, tenuis per has pituita stillat: caput leuiter dolet, sed multùm grauatur: oculi ex somno caligant: sternutamenta sunt crebra: extimę nares frigent: grauedo sæpè illarum meatus adeò obstruit, præsertim in frigida intemperie, vt vox obtundatur. inter hæc ferè vrina cruda, atque turbida apparet. Si materia humoris excrementitij in fauces, asperámque arteriam defluat, raucitas, & tussicula mouetur: si in pulmonem, grauis tussis, ac spirandi difficultas: quę si non intra vigesimum diem sputo expurgetur, in anhelationem transit. Sæpè etiam laterum inflammationis (quæ græcis πλευρῖτις dicitur) metus est: præsertim si is quoque morbus tunc in vulgus grassetur. Quòd si humor excrementitius in fauces, asperámque arteriam profluat, cùm tussiculam & raucitatem mouet, tùm loca illa exasperat at si in pulmonem humor ille destillet, corporis adest grauitas, crebra sternutamenta, tussísquè difficilis, sitis, lassitudo, æstus, vrina biliosa. MATH. Quid de destillationum generibus prę sagire licet? GER. Si in nares defluant, leue est vitium: si in fauces, peius: si in pulmonem, pessimum: si in asperam arteriam deteriùs, quàm si in fauces: non tamen ita pessimum, quàm si in pulmonem

Destillationum singularum dignotio.

Destillationes quæ inducant pericula.

Præsagia ex destillationibus quæ.

destillet

destillet. vt autem reliquæ omnes destillationum species breues: ita si neglectę fuerint, longę esse consueuerunt, nulla autem magis pestifera est, quàm quæ pulmonem exulcerauit: vnde grauis tabes oritur: quę hominem spatio consumit: eam vel adesse, vel iam instare, vrina oleacea significat. quanquam neque ex toto salubris sit, curatúque facilis, si asperæ arteriæ caput, aut ea ipsa ex destillatione exulceretur, maximè si ad cartilaginis ipsius orbes vsque peruaserit. Magis autem hoc vitium timeri debet, si vetus iam destillatio corpus gracile occupet. Non caret periculo, vbi humor ille superfluus loca sub septum transuersum sita, nempe ventriculum, infestat. quoniam sæpè eius appetentiam, concoctionémque subuertit, & quæ illi ingesta sunt, corrumpit. adhæc cùm is hûmor acris est, tunicas ventriculi erodit, aluíque profluuium excitat. interdum venas quoque meseraïcas, & intestinum colon conuellit. Sed hęc de destillationibus satis dictum sit: nunc ad oculorum morbos digrediar.

Cum igitur oculi ingentibus, & varijs casibus pateant, paucis ipsorum naturam indicabo. Habent itaque summas tunicas, ex quibus superior à cornu κερατοειδὴς, vocatur. inferior huic adiuncta est media parte, qua pupilla est, modico foramine concaua, circa, tenuis: vlterioribus partibus ipsa quoque plenior, græcis ab vuę acino ῥαγοειδὴς, dicitur. infrà rursus tenuissima tunica subsistit, reti, seu telæ aranearum similis: vndé græcis ἀμφιβληστροειδὴς, vel *OCVLORVM affectus.* ἀραχνοειδὴς, nominatur. Atque hę tres membranæ oculos custodiunt. Est adhuc alia quarta numero, non tamen propria, vt quæ neque ex cerebro, neque ex aliqua eius membrana, sed ex illa, quę caluariam foris ambit, pericranio dicta, originem ducat, Græcè ἐπιπεφυκὼς nuncupatur: quòd alijs tunicis, quæ oculum ipsum constituunt, extrinsecus agnata sit, ossáque circundata toti oculo, alliget, simulqúe musculos ipsum mouentes contegat. MATHETES, Sunt ne hæ tunicæ omnes oculi partes, quę vsum visus præ- *Oculorum humores.* stent? GERON, Non solæ, sed etiam tres humores. primus à glacie κρυσταλλοειδὴς græcè nominatur: qui eam facultatem obtinet, vnde visio perfectè absoluitur. reliqui duo, vsui eius præsunt: atque ex his prior ab oui albo ὑδατώδης: alter à vitri similitudine ὑαλώδης vocatur. MATHETES, Quot modis visio lædi solet? GERON, Tribus. primò, cùm humor crystalloïdes, principale sensus instrumentum noxam aliquam sustinet: secundò, cùm pars aliqua ex ijs *Visionis læsio quot modis fiat.* quæ principali sentiendi instrumento inseruiunt, affecta est. tertiò, cùm ipsa sentiendi facultas, quæ à cerebro per neruum in oculum ipsum descendentem procedit, quocunque modo fuerit impedita. Quæcunque enim pars, ex iam dictis oblæsa fuerit, vi-

Interiora visionis vitia, vbi consistant.

sio, vel deprauari, vel in totum aboleri solet. MATHETES, In quibus partibus interiora visionis vitia, consistunt? GERON, Alia in spiritu, alia in neruo visioni dicato, alia in humore crystalloïde. nam vt in bono corporis statu, spiritus copiosus, & ethereus, acutè distinctéque cernit: ita copiosus quidem, sed crassus, longinqua licet, & vicina etiam videat, vix tamen ea discernit. modicus autem & æthereus lusciosos efficit, qui propinqua planè distinguit, distantia veró non cernit. paucus, & crassus, hebetes reddit, qui neq; longinqua, neque vicina discernit, quod senum ferè proprium est vitium. MATHETES, Quæ mala cerebro, vel neruo visorio, vel humori crystalloïdi attribuuntur? GERON, Cæcitas, obscuritas, omnisque videndi imbecillitas. MATHETES, Quod

Intemperies.

cerebri vitium est? GERON, Intemperies, aut simplex, aut ex humore. MATHETES, Quis nerui visorij affectus est? GERON, Ob-

Obstructio nerui visorij.

structio ex humoris crassioris influxu contracta, vel coarctatio ex tabe, aut tumor naturæ contrarius, aut eiusdem nerui ruptio, per exteriores causas facta. MAT. Quod peculiare crystallini humoris vitium est? GER. Ipsius ex sede propria deturbatio, quæ vel casu,

Crystalloides humoris deturbatio

vel ictu accidit, quibus oculus vehementer concussus est. MAHTETES, Quibus notis certò cognoscam, læsę visionis vitium, & cau-

Notæ læsæ visionis & causæ in cerebro.

sam esse in cerebro? GERON, Si non modò videndi, sed etiam alij sensus sunt imbecilli: num verò ex simplici intemperie, an ex humore vitium sit inductum, ex signis cerebri affecti, supra commemoratis, deprehendere licet. sin autem causa vitiatę visionis in cerebro non reperiatur, in neruis visui addictis, aut infra etiam hos consistit. si verò cæcitas subitò, bræuique tempore inuaserit, humor qui oculis influxit, eam excitauit: si paulatim longóque tempore oborta fuerit, aut intemperiei, aut astrictioni fertur accepta. MATHETES, Vnde intelligi potest, quantùm neruus viso-

Obstructionis vel astrictionis nerui visorij indicia.

rius obstructus, vel astrictus fuerit? GERON, Si pupilla, dum æger oculum sanum claudit, altero videre conatur, dilatescat, nonnihil adhuc spiritus per neruum influentis est reliquum. sin autem illa eandem etiámnum figuram, similémque magnitudinem reseruet, nihil planè spiritus transmitittur, vt cui iter sit interclusum. MATHETES, Ex qua re neruus visorius, ruptionem expertus, & crystalloïdes, è suo loco motus esse intelligitur? GERON, Ex ictu,

Ruptionis nerui visorij, notæ.

vel casu, vel alia quauis causa euidenti, violentáque. Interdum neruus idem citra hanc, ex solo materiæ acrioris influxu, subitò

Humoris crystalloidis è propria sede motio.

rumpi, cum intolerabili dolore, & humor crystalloïdes, è propria sede moueri, pupilláque dilatari solet. MATHET. In quem locum ille moueri consueuit? GERON, Aut in vtrumlibet oculi angulum, aut sursum deorsúmue. cùm autem hoc fit, ægro quæcunque

que

que cernuntur, gemina apparent. MATHETES, Quomodo affe- *Visionis affectus duplices.* ctus ex vitiata cernendi functione contracti, distinguuntur? GE. *Interni.* Alij interiores, alij sunt externi. MATHET. Qui sunt interiores.

GERON, Suffusio, quæ Græcis ὑπόχυμα, siue ὑπόχυσις, Arabi- *SVFFVSIO.* bus, aqua, Latinobarbaris cataracta nominatur, qua humor pupillam adeò offendit, vt eam aut omnino obcæcet, aut impediat, ne clarè, & perspicuè cernat. nō solùm autem pupilla sed etiam membrana rhagoïdes, interdum liquor crystaloïdes afficitur. MATH. Quæ causa vitium istud gignit? GER. Humor crassus, & lentus ex cerebro per neruum visorium pupillæ infusus, isq́ue copiosior, quàm natura postulat. MATH. Estne vna tantùm suffusionis speci- *Suffusionis causa.* es? GER. Non vtique, sed duplex. prima sanè propria, quæ per se videndi actionem lædit: altera oculis nulla peculiari affectione, *Species duplex.* sed consortij lege infestatis, accidit: dum materia quædam, præser- *Propria.* tim non satis concocta, ex ventriculo ad caput exhalat. quanuis oculi interim adeò perfecta sinceráque visione sint præditi, vt vel *Accessoria.* minimum quodque cernere poſsint. MATHETES, Qua de causa hoc accidit? GERON, Quia humor crystalloïdes, & præcipuè tenuis, aquosusq́ue, purior existit: & symptomata semper in eis, pro vi- *Cur minima quæque cernant oculi.* rij magnitudine respondent. MATHETES, Quomodo illa, quæ à ventriculo proueniunt, suffusorum similia, ab ijs differunt, quæ in veris suffusionibus apparent? GERON, Quæ ex humorum ventriculo inhærentium vitio contrahuntur, vtrique oculo, tum si- *Suffusio vera & secundaria quomodo differant.* mul tum æqualiter occurrunt. quæ verò ob peculiarem illorum affectum superueniunt, ea alteri tantùm illorum obuersantur, non autem simul in vtroque, neq; similiter. Iam ex tempore quoque species istæ suffusionis, distinguuntur. nam si illius symptomata tribus, aut quatuor, siue pluribus mensibus durarint, propria oculi existit affectio. si verò non adeò multum temporis intercesserit, æger autem per interualla conualuisse videtur, à ventriculo malum prouenisse suspicio est, præsertim si nullum visum suffusione laboranti, cibo benè concocto, apparet: multò adhuc magis, si cùm visa apparuerint, æger ex rosione oris ventriculi doleat: maximè verò si symptomata remiserint. vbi res acris, quæ stomacho inhæsit, vomitu fuerit reiecta, aut medicamento dialoës per aluum expurgata: vel si illa inualescant, vbi ventriculus in cruditate est, aut nausea premitur, aut os illius dolet. MATHETES, Sempérne morbus hic eadem symptomata, & notas eorum repræsentat? GERON, Non certè, sed per initia, cùm tenuis adeò humor ip- *Suffusionis temporum notæ differentes.* sius est, vix vt depræhendi poſsit, fumi & vapores, deinde etiam veluti muscæ, & culices quidam exigui, caligiñésque ante oculos *Signa principij suffusionis.* sæpe obuersantur: nunc pilis, nunc lanarum, aut aranearum fila-

mentis similia, nunc circa lucernas circuli apparent. Cùm morbus processu temporis augescit, & humor manifestè crassus, *Augmenti.* concretusq́ue, & albus euaserit, eadem symptomata, paulò antè dicta etiam augentur. Interdum pupilla ijs pura videtur, qui minùs accuratè ipsam intuentur: interdum illa colorem aquæ marinæ refert. *Status.* Vbi verò tandem suffusio expleta est, æger non videt, pupillæq́ue color ad albedinem vergit, & omnino non transllucet. MATHETES, Súntne plures suffusionis colores? GERON, Vtique. *Suffusionis colores.* nam quidam eius aërem, quidam vitrum refert: alij cærulei: alij cæsij. qualiscunque autem suffusorum color fuerit, omnes tamen illi lucem aut multam, aut paucam vident: atque hoc discrimine *Hebetudo & glaucoma à suffusione differunt.* ab ijs, qui hebetudine & glaucomate laborant, separantur, eò quòd hi nullam prorsus cernant. Cæterùm si totum rhagoïdis *Ragoidis membranæ foramen obtenebratum.* membranæ foramen, crassa illic substante materia obtenebratum sit, facultas certè videndi prohibetur. si verò illud non totum obscuratum fuerit, sed pars eius aliqua pura adhuc remaneat, singula quæ extrinsecus occurrunt, per se sola, illius ope, nihilo deteriùs, quàm antè cernuntur: quanquam non similiter vt prius, vno tempore multa: quia visus acies angustior, quàm aliâs euasit. MATHETES, Quid si exigua suffusio in pupilla media constiterit, sic vt reliquæ ambientes partes puræ existant? GERON, Omnibus sic affectis, tanquam fenestras se habere videtur, quando id quod in modio situm est, non cernitur, sed veluti excisum apparet. At in quibus crassę materiæ, circa pupillam consistentes diuulsæ, minúsque inuicem coniunctæ sunt, & tenui in humore fluitant, ij veluti culices quosdam, sibi ante oculos foris occurrere putant: sępé etiam ipsi ex crassiore humore, simulacrum aliquod, oculis apparere imaginantur, præsertim à somno: & pueris, largóque vini potu vsis, & pleno capite præditis: licet casus superiùs recitati, & alij quidam ex tenui humore superueniant, si is à naturali colore recesserit. *Prognosticon.* MATHETES, Quæ suffusio spem, aut desperationem ostendit? GERON, In quibus altero oculo conniuentibus, altera pupilla dilatescit: in ijs si acus admoueatur, visus recipiendi spes est. in quibus autem nō dilatatur, nulla, etiamsi acus omnino cum dolore, sed commodissimè administrata fuerit. Quemadmodum verò recens suffusio sanari medicina, ita inueterata nulla, nisi manu potest. nam ipsa interdum oculi potentiæ qua cernit, se opponit. nonnunquam per initia certis obseruationibus discutitur. Ad cæsium vergens colorem suffusio, insanabilis est, quòd hęc ex humore crasso, iuxta pupillam valdè concreto, exiccatóque, procreata sit. MATH. Quis oculorum morbus huic proximus est.

MIDRIASIS. GERON, Qui græcis μυδρίασις, vocatur, in quo pupilla quatuor mo-

tuor modis à naturali ſtatu immutari ſolet, nempe cùm vel dilatatur, acieſq; eius hebeſcit: vel cùm imminuitur: vel cùm rumpitur: vel cùm in aliam partẽ detorquetur diuellitúrq;. MAT. Quid ſinguli iſti caſus mali adferunt? GE. Dilatatio ſiuè ab origine, ſiuè poſtea proueniens, ſemper viſui incommodat. imminutio autem, quę à natiuitate incepit, acutiſsimum viſum generat: quę verò poſtea ſuperuenit, hebetem. reliqui duo ſiue à natali, ſiue poſt hũc inciderint, nihil propemomodum viſioni officiunt. MAT. Quid autem propriè eſt Mydriaſis? GER. Pupillę effuſio, ſeu dilatatio, cùm ſcilicet illa colore quidẽ nihil euariat, multò verò latior efficitur, quàm naturalis ſtatus poſtulat, vt interdum ad iridis circulum accedat. MATH. Oculus ne in hoc affectu totus vitiatus eſt? GERON, Non, ſed iuxta pupillam: quia hęc à naturali ſtatu receſsit, & quantò id magis efficitur, tantò etiam plus viſio ipſa offenditur. Interdum cùm valdè naturalem mediocritatem excedit, viſus in totum impeditur: interdum verò ægri vident, ſed obſcurè, & omnia quæ videntur ab ipſis, minora quàm ſint, eſſe putantur: eò quòd ſpiritus viſorius in eis diffundatur. Quamobrem pupilla, ſiue à natali die, ſiue poſt eum laxior euaſerit, totus illam ſpiritus implere nequit, vnde ipſe diffundi diſſiparíq; cogitur, eóque tum natiua, tum acceſſoria pupillę dilatatio, vitioſa exiſtit: imminutio autem non item: quare amplitudo ſiue dilatatio pupillæ, integræ viſioni ſemper detrimentum adfert.

Dilatationis cauſa.

MATHETES, Dic quæſo quæ cauſa dilatationem iſtam efficit? GERON, Humor excrementitius, qui aut vniuerſim, aut paulatim affluit, & tunicam rhagoïdem latenter diſtendit, pupillámque magis dilatat,

Dilatationi obnoxij.

MATHETES, Quibus hoc malum potiſſimum obuenire ſolet? GERON, Pueris magis, ob tunicarum debilitatem: atque illis qui oculos natura nigros habent: quibus magnæ plærunque pupillæ inſunt, ob quas facilè in hoc malum dilabuntur.

Præſagia.

MATHETES, Quid de hoc vitio prænoſci poteſt? GERON, Natiuum inſanabile prorſus eſt. quod poſtea ſucceſſit, difficillimè penè eliditur. nam cùm tunica rhagoïdes membranoſa exiſtat, vbi ſemel diſtenta fuerit, indureſcit, neque facilè poſtea contrahi poteſt. nonnulli interdum cùm aliquandiu nihil viderint, repentina profuſione alui lumen recipiunt, ex qua omnis noxia materia, ad inferiora depellitur.

TABES OCVlorum.

Quemadmodum iam pupilla dilateſcit, vt diximus, ita etiam interdum imminuitur, ſic vt anguſtior, obſcurior, & rugoſior euadat, græcis φθίσιν, Latini tabem, vulgus conſtrictionem pupillæ nominant. MATHE. Quæ pars in hoc vitio affecta eſt? GERON, Pupilla duntaxat, quæ ita imminuitur, vt ceratoïdes tunica priuatim nihil ſentiat incommodi. nulli autem non manifeſtum eſt,

eò quòd alteri tantùm oculorum magna ex parte accidat, quódque sanus oculus, qui in propinquo est, affecti vitium prodat. Verùm licet malum hoc cognitu sit facile, adeò, vt neminem medicorum latere posit, si oculus sanus cum offenso conferatur: ex eo tamen deprehendi potest, quòd tabe ista laborantibus, maiora quàm naturaliter esse solent, appareant, quæ ab ipsis ob pupillæ angustiam videntur. MATHETES, Vnde hoc malum oriri putas? GERON, Ex pupillæ densatione, quæ siccitatis soboles est: nonnunquam ex periculosa imbecillitate, aut ingenti capitis dolore. Hoc autem notandum, pupillæ tabem, ab oculi macie, & affectu quo alimentum non sentit (græcis ἀτροφία dicitur) differre. nam illa pupillam tantùm angustiorem, minorémque efficit: hæc autem totum oculi orbem minorem & humiliorē reddit, eóque duplex causa, pupillam morbi vitio minorem facit: vna, tunicę rhagoïdis ratione duntaxat: altera humoris tenuis, oui albo similis, vitio, qui medius inter tunicam rhagoïdem, & humorem crystalloïdem effusus, subsistit. MATHETES, Possúntne contraria pupillæ vitia, tum dilatatio, tum imminutio, ab eadem causa excitari? GERON, Minimè, sed tunicæ rhagoïdis tensio, quæ exiccationem sequitur, pupillam dilatat: eiusdem verò relaxatio, quæ humectationi succedit, illam imminuit. At non simplex pupillæ paruitas, siue imminutio, sed quæ vitiosos iam dictos affectus sequitur, deteriorem visum parit. nam si pupilla ob tunicæ rhagoïdis extensionem, relaxationémque imminuitur, certè vitium hoc non pupillæ angustia efficiet, vt oculus deteriùs cernat. Quòd si eadem tunica ob humoris, oui albo similis, inopiam contracta, rugatáque in se ipsam concidat, imminuátque pupillam, non ideo quòd hæc minor euaserit, sed quòd humor crystalloïdes, humoris oui albo similis, à quo ipse largiter fouebatur, penuria siccior euadat, & tunica rhagoïdes in se concidens, spacium, quod inter ipsam & crystallinum humorem intercedit, angustius efficiat. Quare idem humor crystalloïdes commercium paruo interstitio cum externo splēdore habere cogitur. sustinere autem ipsum sine offensa nequit, si vno ex munimentis ipsius, putà humore tenui, sit destitutus. nam quandiu hic adhuc adest, crystalloïdes humor splendorem sustinere potest. MATHETES, Hæc ergo causa est, cur imminutus pupillæ humor visum deteriorem, & tunicę rhagoïdis foramen minus efficiat? GERON, Procul dubio: sicut tunica rhagoïdes, si ceu pars similaris tendatur, pupillam dilatare poterit, atque hanc dilatationem rhagoïdis ipsius tunicæ tensio ex siccitate facta producet. MATHETES, Solúsne humor pupillæ imminutus, visum deteriorem reddit? GERON, Non is solus, sed etiam par

Tabis pupillæ causa.

Tabis & atrophiæ differentia.

cior spiritus

tior spiritus à cerebro ad pupillam afflatus, vnde ipsa corrugatur & in ętate prouectis, summóque senio confectis videre licet: quanuis etiam tunica ceratoïdes rugosa interdum in ipsis appareat: ob quàm affecti vel malè, vel nullo prorsus modo cernant. Hinc constat, vniuersum spacium, quod humori crystalloidi succedit, spiritu simul, & humore tenui assiduè, necessarióque repleri. adhæc quòd humor reliquis in partibus: spiritus autem pupillæ potissimùm, isque copiosus insit. MATHETES, Qua ratione dignoscam, num pupillæ imminutio ex humoris tenuis, an ex spiritus inopia, vel ex tunicæ rhagoïdis laxitate ob humorem facta, procreata sit? GERON, Si, quæ oculis apparent, ægri ætatem, temperamentum, superuenientem vitæ rationem, & reliqua perpendas. MATHETES. Quæ in hoc oculorum vitio prænosci possunt? GERON, Pupillæ exilitatem non semper esse vitiosam. nam quæ natura talis est, tanquam bona commendatur: eò quòd in ea spiritus colligatur, constringatur, ac densetur: id quod oculo ad sensus integritatem conducit. Sin autem pupilla morbi, non naturæ vitio minor euaserit, mala portendit, ac multò deteriora, quàm mediocris: eò quòd multò grauiores affectus comitetur. maximè verò insanabilis est, si ex tenuis humoris penuria gignatur. minus periculi inest pupillæ, si propter tunicę rhagoïdis humorem, minor euaserit. Difficilius enim est humorem, cuilibet parti similari siccatæ restituere, quàm humectatam desiccare. MATHETES, Quæ alia interiora oculorum vitia restant?

Præsagia tabis.

GERON, Imbecillitas, ex qua quidam interdiu satis, sole occiduo, obscuriùs, noctu nihil penitùs cernunt: vnde etiam græci affectum hunc νυκτάλοπα vocant: nonnulli cæcitatem nocturnam. Plinius eo affectos lusciosos appellat. MATHETES, Quæ pars in hoc malo est offensa? GERON, Oculus ipse, cum cernēdi functio in eò sit vitiata. non enim fieri potest, vt illa oblædatur, oculo prorsus incolumi. MATHETES, Vnde malum hoc prouenit? GERON, Ex capitis ipsius, magnáque spiritus visorij debilitate, ingenti tristitia, & diuturno morbo antecedente, neruis visioni proprijs collapsis, vel vtique corrugatis: nec nō ex humorum oculi, ac tunicarum crassitie: ex quibus causis hebetudo quoque oculorum progignitur. MATHETES, Quibus vitium hoc superuenit? GERON, Plerisque omnibus, malis humoribus præditis: sed in fœminam benè respondentibus menstruis, non cadit.

IMBECILLItas oculi. *Cæcitas nocturna.* *Pars offensa.*

Præter hanc affectionem obscuritas, caligatio oculis nullo modo grauatis accidit. in qua cernēdi facultas aboletur, aut prorsus impeditur, sic vt pupilla integra ac pura appareat: Græci vocant ἀμάυρωσιν, recentiores latinobarbari guttam serenam nomi-

OBSCVRITAS. *CALIGATIO.*

nant. Ab hoc malo differt hebetudo viſus, ſeu obtuſio, quę græcis ἀμβλυωπία dicitur: in hoc enim viſio non in totum aufertur, ſed manifeſtò minor euadit. MATHETES, Vnde iſta cernendi obſcuritas prodit? GERON, Ex cauſa quadam latenti. MATHET. Quomodo igitur hæ affectiones inter ſe differunt? GERON, Prout grauiores, aut leuiores exiſtunt. noxa enim actionis increſcit quatenus declinat, ac affectus intenditur. MATHETES, Eadèmne ratione conflantur? GERON, Non, ſed prior affectus alijs paulatim ac ſenſim, alijs ſimul incidit. MATHETES. Quid ſi per interualla generetur? GERON, Tunc oculus offenditur: quanuis non euidenter. MATHETES, Quæ potiſsimùm eius partes leduntur? GERON, Aut ſpiritus viſorius, dum incraſſeſcit: aut humores, cùm craſsi: aut viſcoſi fuerint: aut tunicæ, cùm denſantur, & craſſeſcunt. Interdum cernendi ſpiritus imminuitur, debilitatúrque, & nerui à viſione græcis ὀπτικοὶ dicti, ac tunicæ, vt in ſenibus, corrugantur MATHETES, Quid ſi affectio iſta vna vice ſimul incidat? GERON, Oculus effuſionem in neruis viſorijs experitur. MATHETES, Sub quo genere mali, ſymptoma hoc continetur? GERON, Sub noxa functionis ſenſibilis viſoriæ: quæ plurimùm ſit abolita: interdum inſigniter imminuta. Non autem hæc offenſio ex vno ſolùm morborum genere, ſed ex quolibet, vt ex intemperie, vitioſa partium oculi compoſitione, aut earum vnionis ſolutione, poteſt generari. MATHETES, Quæ notæ indicant affectionum illarum cauſas? GERON, Capitis grauitas, neruos humoribus craſsis viſcoſiſque copioſis refertos: maximè iuxta oculorum radices, affectionem hanc peperiſſe, teſtatur. Si oculus tardè, aut prorſus non moueatur, eorundem neruorum reſolutionem præceſsiſſe argumentum eſt. Si verò oculus primùm ſit prominentior, deinde verò cauatur, & non ſentit alimentum: oculum ex caſu à cerebri connexu diuulſum, ruptúmue eſſe in hoc malo oſtenditur. MATHETES, Quæ indicia caligationem, ſeu obſcuritatem oculorum ſignificant? GERON, Si cruditates aſsiduæ præceſſerint, aut meri potio, aut ſol inurens caput, aut corporis perfrictio, aut aſsidua ſecundum cibum lectio, aut balnea ſimiliter poſt illud tentata, vomitus, concubitus intempeſtiuus ac immodicus, ſpiritus violenter retentus. Hæc omnia eiſque ſimilia, dum fiunt, moderatè hebetem viſum, cùm immoderatè, caligationem: ſicut interdum fortes capitis ictus, aut caſus ex alto, pariunt: ſic vt aliâs neruus viſioni peculiaris reſolutus ſit, aliâs humorum copia, propter vehementem concuſsionem irruat, neruúmque viſorium obſtruat. atque hæc ex ægris ipſis, vel aſsiſtentibus depræhendi, & ſignis prædictis facilè diſtingui poſſunt. MATHETES, Qualis

Cauſa.

Partes læſæ.

Ex quo genere morborum ſit obſcuritas.

Signa cauſarum.

Caligationis indicia.

Qualis vtriusque caligationis curatio speranda est? GERON, Eius quæ paulatim contrahitur, sicut etiam hebetudinis, non admodùm difficilis, nisi senioribus accidat: quoniam à moderatis, non ab immoderatis causis trahit originem. illius autem, quam vna simul vice, nempe ob validos capitis ictus, aut casus ex alto prouenisse dixi, inter difficillimas habetur. Expeditissima verò contrà eius, quę ex humoribus copiosis, ob vehementem concussionem influentibus, neruúmque visorium obstruentibus conflata fuit. Hactenus morbi interiores sunt expositi, nunc exteriores subsequentur. MATHETES, Quinam illi sunt? *Prænotio.*

GERON, Qui ceratoïdi, & agnatæ membranæ insident, idque vel in morbo, vel sine hoc, in senectute, aliáue imbecillitate: quales etiam cùm alij, tum caligo. Interdum eidem membranæ tenuis humor inhæret, ob quem æger veluti per nebulam, aut vaporem, aut fumum, res omnes intuetur. At cùm idem humor sensim in tunica iam dicta crassescit, tandem albuginem generat: vt quæ nihil aliud sit, quàm crassus albúsque humor, in ceratoïde: & super hanc adeò concretus densatúsq; est, vt totam sæpè aciem oculorum perstringat. Hæc sanè duo vitia sensim succrescunt, ac sępiùs ex lippitudine, humoréq; influente: nonnunquam etiam ex proprio, eóque lento, qui ex spatijs inter membranam adhærentem, & ceratoïdem positis, ad pupillam effunditur. *Exteriores oculorum morbi* *Caligo.* *Nubecula.* *Albugo, seu leucoma.* *Causa.*

IAM aliud vitium ex tunica illa ipsa, alieno colore imbuta, prouenit: quo etiam foris omnia tincta cernuntur, vt in morbo, regio, lutea: in suggillatu, & inflammatione, rubra: id malum hallucinatio Latinis, παρόρασις Græcis dicitur. Interdum eadem membrana rumpitur, vel eroditur: ac vitium hoc Græcis ῥῆξις vocatur, in quo per initia, humor albo oui similis emanat, & oculus multò minor euadit: deinde pars ipsius tunicæ procidit, aut ingens eius inflammatio tanto impetu erumpit, vt oculum sua sede propellat: quod vitium Græci πρόπτωσιν nominant. Cùm id nondum creuit, à muscę capitis figura, recentioribus grecis μυοκέφαλος: vbi verò auctior euaserit, ab vuę acino σταφύλωμα nuncupatur. Si adhuc maior facta fuerit, & palpebras excedat, grècè μῆλον, à mali similitudine dicitur, Diuersa ab hac est oculi confusio, in qua humores ex ictu, citra eruptionem vllam permisti, confusique existunt. At callosa in albo oculi tubercula, extra palpebras egressa, à figuræ similitudine, latinis claui, Græcis ἧλοι vocantur. In hoc affectu non omnes oculi partes, sed ceratoïdes ragoïdésque tunica obsessa est: illa quidē per erosionem, vel rupturam: hæc autem per situm alienum, totiúsque oculi figuram. Porrò alia mala oculis insidere solent, quæ Latinè pustulæ, Græcè φλυκταῖναι ap- *HALLVCINATIO.* *RVPTIO.* *Proptosis.* *Myocæphalos.* *Staphyloma.* *Melon.* *CONFVSIO.* *CLAVI.*

pellantur, à procidentia illorum diuersa. nam sub illis pupilla auulsa omninò est, sic vt ipsa non appareat, vel alieno in situ figuráque subsistat: nec non ceratoïdis tunicæ erosæ labra, nigra, aut cœrulea, aut circa partis prolapsæ fundum alba existant: pustulę autem vndique similiter nigræ sint, quanuis non euidenter. his ruptis varia manent vlcuscula, sordidissimo pure repleta. quinetiam huic tunicæ inflammationes, carbunculi, & carcinomata, quanuis rarissimè superueniunt. MATHETES, Possúntne vitia hactenus recitata emendari? GERON, Procidentia quacunque ex causa euenerint, medicamentis rectè adhibitis, sicut etiam staphylomata recentia. quæ verò alborem, aut callum contraxerint, nullis cedunt remedijs, MATHETES, Ceratoïdis tunicæ oculorum morbos exposuisti: qui sunt adhęrenti, siue agnatæ?

Præsagium.

VNGVIS.

GERON, Vnguis, πτερύγιον Græcis vocatur, barbaris vngula. Est autem membranula neruosa, ab angulo maiore vt plurimùm rariùs à paruo, rarissimè à superna, vel inferiore palbebra oriens: sæpiùs à narium, interdum etiam à temporum partibus nascitur: nonnunquam ad pupillam quoque peruenit, eámque offendit, & vbi arctior euaserit, obtegit. atque id ratione primaria, non casu efficit, ita vt visus aciem aut vitiosam reddat, aut prorsus aboleat. MATHETES, Quæ pars oculi in hoc malo afficitur? GERON, Non solum tunica agnata, sed etiam ceratoïdes, & vbi plurimùm increuerit, pupilla quoque obscuratur, visúsque impeditur: vnde constat plures oculi partes, in eo oblædi. primùm tunicam adhærentem, deinde ceratoïdem, posteà pupillam. MATHET. Quibus signis hoc vitium depræhenditur? GERON, Etsi nullis indigeat, cùm sensui euidenter pateat: tamen album in oculo magis augescit, aut caro ex scabra quadam lippitudine, aut ex assiduis lentorum humorum defluxionibus, supercrescit. MATHETES, Quid de hoc vitio curando prænosci potest? GERON, Recentius & mediocre, cuiusmodi tenue & album est, curationem admittit: inueteratum solam manum postulat. MATHETES, Quæ reliqua adhærentis membranæ vitia restant?

Pars oblæsa.

Signa.

Prænotio.

EPIPHORA.

GERON, Humoris tenuis cursus, lacrymarum modo oculos infestans, græcis ἐπίφορα nominatur. Est autem is humor aliâs frigidus, planéque aquosus, qui sine ardore, aut rubore influit: aliâs acris, aut salsus, qui adeò rodendo excruciat, vt etiam palpebras exulceret. MATHETES, Vnde fluxio ista oritur? GERON, Ex sincipite ferè, & summo capitis vertice, vbi humor extra caluariam, & supter cutim colligi consueuit, & posteà per membranam caluariam ambientem, in adhærentem destillat, tandémque forâs per oculos excidit, sicut etiam destillationes, ex eadem regione,

one, modo in dentes, modo in malas & maxillam fieri constat.

Similiter inflammationem ex oculorum angulis, totam adhærentem membranam, seu ossi capitis ac caluariæ circundatam, sępius obsidere notum est: quæ Latinis lippitudo, Græcis ὀφθαλμία dicitur. MATH. Quę pars in hoc malo afficitur? GERON, Non solum oculus ipse, sed etiam tunica adhærens? MATHETES, Quæ lippitudinis sunt indicia? GERON, Oculus in ea valdè dolet, ipsiúsque adhærens membrana rubescit, intenditur, adeóque interdum intumescit, vt quæ oculo circundata sunt, ad malas vsque simul attollantur. interdum etiam oculus tanquam acu, aut spina infixa pungitur. Idem feruente lacryma impletur, sequitúrque pituita, modò paucior, modò largior: nec non sordes etiam quædam maiori oculi angulo inhærescunt: arteriæ vehementer vndique pulsant: anguli oculorum ad totam adhærentem membranam vsque laborant: tenues oculi venæ turgent. atque illæ, quæ per sanitatem in oculi albo fuerant obscuræ, conspicuæ redduntur. id autem quòd in toto oculo album ferè esse debebat, rubescit. At non semper sibi similis est lippitudo, sed variare solet. nam aliâs maior, aliâs minor existit: quarum vna Gręcis τάραξις, Latinis perturbatio: altera Græcis χήμωσις vocatur: Latini Græcos imitati etiam chemosin appellant: tertia vera lippitudo, Græcis ὀφθαλμία propriè dicitur. MATHETES, Quot communes omnium lippitudinis specierum causæ, existunt? GERON, Duæ: scilicet interiores & exteriores. sub internis compræhenditur, nunc sanguinei humoris in toto corpore abundantia: nunc humorum influentium acrimonia, veheménsque erosio: nunc extensio, quam crassus succus, seu flatuosus spiritus excitat. MATHETES, Quæ sanguineum humorem abundare significant? GERON, Non solum tunica adhærescens, sed etiam facies rubens & humida: venę ampliores: membra grauida, pigráque ad actiones consuetas: lacryma calida, sed non acris, præsertim si ægri temperamentum, ætas, regio, anni tempus, & præcedens victus ratio, humori sanguineo largiori respondeat. MATHETES, Vnde rodens acrísque humor noscitur? GERON, Ex vitioso corporis succo abundante, lacryma rodenti & acri: à quibus non solum oculorum anguli, sed etiam malę vehementer roduntur, exulcerantúrque: idque si tristitia, curę, insolatus, & ira antecesserint: ęgrique natura biliosa, & ætas sit iuuenilis. MATHETES, Quæ pituitam lippitudinis effectricem esse notant? GERON, Corporis grauitas, calor, aut rubor tunicæ adhærentis exiguus: qualis etiam in facie apparet: ac hæc quæ præcesserunt, comitantúrque. At spiritum flatuosum qui distendit, dolorémque mouet, lippitudinis opificem esse constat, si adhæ-

LIPPITVDO.
Pars affecta.
Lippitudinis signa.
Lippitudinis species.
Causæ lippitudinis communes. Interiores.
Sanguinis in lippitudine abundantis signum.
Humoris acris rodentísque nota.
Pituitæ notæ.
Spiritus signum.

rens membrana neque feruore,neque roſione, neque vehementi grauitate vrgente, extendatur,adeò vt videatur rumpi,doleátque,& lacrymæ nullæ, aut paucæ appareant, licet interdum eadem tunica rubra cernatur. MATHETES, Quæ cauſæ ſunt exteriores? GERON, Sol, fumus, puluis, & oleum: quæ ab ægris ipſis, aut eorum familiaribus, qui eis adeſſe ſolent, cognoſci poſſunt. MAT. Quę peculiares vniuſcuiuſque lippitudinis ſpeciei, tum notę,tum cauſę exiſtunt? GERON, Prioris,quam perturbationem vocaui,cauſa eſt externa:ac in ea oculus,calidus,humidúſq;,& ruber contra naturam apparet.alterius interior,&magnus in illa ardor, dolórq; vehemens oculos obſidens: adeò vt vtræq; palpebrę inuertantur, oculúſq; ab ipſis vix contegatur,& album eius ſublimiùs euadat,rubrúmq; ferè magna ex parte nigrum occupet. MAT. Quę verę lippitudinis cauſa eſt? GERON, Tum interior, tum exterior. MATHE. Quando morbus iſte futurus cognoſcitur? GERON, Quando tempora capitis in ſecunda valetudine ſæpè dolent,corporáq; noctu inſudant,& frons prurit.ac principium morbi eſſe oſtenditur, vbi tenuis ex oculo pituita ferri incipit: incrementum autem,quando illa craſſeſcit albeſcitque. ſtatum verò iam adeſſe conſtat, vbi tota pituita craſſa multáque eſt reddita, & oculos veluti glutine per ſomnum oblinit.Declinatio morbi ſignificatur,vbi &pituita,&ſigna morbo propria minuuntur. MAT. Vnde colligere potero, quid tutò, vel periculoſè,in hoc vitio euenturum ſit? GER. Ex his quę ſequuntur.vbi lacryma, tumor,&pituita craſſa eſſe cęperint,eáq; lacrymæ calidę miſta,albáq;, & tumor non durus,longæ valetudinis metus non eſt. At ſi lacryma multa & calida,pituitę paulùm,tumor modicus,iſq; in vno oculo,longum id vitium,ſed ſine periculo futurum eſt.atque hoc lippitudinis genus minimè cum dolore eſt, ſed vix ante vigeſimum diem tollitur:nonnunq; per duos menſes aut ad diem quadrageſimum durat:quibuſdam ad ſexageſimum vſq; protenditur:quandoque citiùs finitur.Adhæc ſi pituita alba & mollis eſſe incipiat,lacrymęque miſceātur:aut ſi ſimul hę vtrunq; oculū inuaſerint,poteſt eſſe breuior,ſed periculum vlcerū eſt.ſicca autem pituita &arida,dolorem quidē mouet,ſed maturiùs deſinit:niſi quid exulcerarit.At tumor magnus,ſi ſine dolore, & ſiccus ſine vllo periculo eſt:ſi ſiccus quidem,ſed cum dolore fuerit,ferè exulcerat,&nonnunquam ex eo caſu fit,vt palpebra cum oculo glutinetur. Eadē exulceratio in palpebris pupilliſq; timenda eſt,vbi ſuper magnū dolorem,lacrymę ſalſę,&calidę:aut etiam, ſi tumore finito,lacryma diu cum pituita profluit. Peius etiam eſt,vbi pituita calida,aut liuida,nec nō lacryma calida,aut multa deſtillat,capútq; calet,&dolor à temporibus

Cauſæ exteriores.

Cauſæ peculiares vniuſcuiuſque lippitudinis & notæ.

Veræ lippitudinis cauſa & notæ.

Præſagia.

Lippitudo quæ breuior.
Lenior & longior.

Periculoſior & breuior.
Tutior
Exulceratio palpebrarum.
Deterior.

poribus ad oculos pergit, vigiliáque nocturna vrget. MATH. Cur hoc deterius est? GERON, Quia oculus sub his plærunque rumpitur, optandúmque est, ne tandem vlceretur: quòd si forâs ruptus procidat, sine auxilio est: si de nigro aliquid albidum factum est, diu manet. sin asperum & crassum est, etiam post curationem, vestigium aliquod relinquit. si lippitudine affecti, alui profluuio corripiantur, bonũ est indicium. Si lippientibus caput assiduè, longóque tempore dolet, futuræ cæcitatis testimonium est. Cùm in curatione lippitudinis error aliquis incidit, quidam ægrè confuséque videre: temporis autem processu, suffusione, vel nimia pupillæ dilatatione, vel tabe, vel corrugatione: idque medicamentorum præsertim stupefacientium vsu, laborare solent. MATH. Quo tempore lippitudo oriri consueuit? GERON, Hyeme sicca & aquilonia: vere autem pluuioso & austrino. æstate verò mulieribus, & viris natura humidioribus. porrò in regionibus meridianis, frequentius gignitur, statímque remouetur: in frigidis autem plagis, sicuti etiam in similibus anni temporibus, rarius excitatur. Similitudo quædam huic vitio est, cùm humorum cursu in oculos facto quàm epiphoram appellaui. hoc autem inter vtraque discrimen est, quòd in lippitudine oculi album, in epiphora, solum palpebræ cilium rubescat.

Desperata lippitudo.

Lippitudinis solutio ex alui profluuio.

Cæcitatis futuræ nota.

Lippitudinis originis tempus.

Aliud vitium sequitur quod Latinis suggillatio, græcis ὑπώπιον: recentioribus ἐκχύμωσις, vel ἐκχυμωμα ὑποφθάλμιον, & ὑπόσφαγμα: barbaris oculi macula nominatur. Fit autem cùm sanguis tenuibus circa cutem vasis, potissimum ruptis, aut contusis, in spatia illis circundata effunditur: qui per initia cruentus, posteà liuidus apparet. MATHETES, Quæ pars in hoc malo offenditur? GERON, Totus quidem oculus ipse, sigillatim verò tunica agnata, siue ceratoïdes. Et si vitium hoc visionem impediat, plus oculo inesse materiæ, quàm debeat, intelligitur: si verò illum non ledat, symptomatum generi ascribendum est. MATHETES, Quibus signis agnoscitur? GERON, Per initia oculi cruenti cernuntur: deinde liuidi, aut nigri. atque hoc malo affecti, omnia quæ aspiciunt, rubra esse putant. METHETES, Quę suggillationis huius causa existit? GERON, Externa, potissimùm ex ictu, aliquando etiam interna, licet rarò: qualis vel insignis vasorum ipsorum repletio, aut nimius sanguinis venarum feruor. MATH. Vnde causas istas internoscam? GERON, Exteriores ex ęgro, aut ipsius familiaribus: interiores ex tuopte ingenio. MATH. Quid de hoc vitio sperãdum est? GERON, Nisi curationem eius aggredieris priusquam nigrescat, parum in illo proficies. nam vbi sanguis in grumos coïerit, difficillimè discuti potest, & oculus tandem liuescit, nigrescitque.

SVGGILLATIO.

Pars affecta.

Suggillationis signa.

Causæ.

Prognosticum.

His iam dictis morbis, graues pleriq; dolores, ac cruciatus succe-
DOLORES oculorum. dere solent, ex humorum acrium influxu: ex ardore in lippitudine: ex flatibus, qui tunicas oculorum distendunt: ex inflammatione: ex carbũculo, & carcinomate, inde contractis: quanquam ex pustulis & vlceribus ceratoïdem infestãtibus, nullus dolor, aut ad modũ leuis superueniet. Atq; hi sunt morbi, qui intra oculos oriuntur: restãt adhuc, qui extrinsecus palpebras & angulos exercent.

ABSCESSVS exiguus oculorum. Exiguus igitur abscessus, seu parua fistula, per quam pituita assiduè destillat, in oculi angulo, qui naribus propior est, ex vitio aliquo nasci solet: quæ si aperta fuerit Græcis αἰγιλὼψ vocatur: vbi autem nondum eruperit, αἰγχίλωψ. Id vitium assiduè malè habet oculum: nonnunquam etiam exeso osse, vsq; ad nares penetrat: interdum etiam carcinomatis naturam habet. vbi intentæ venæ recuruatæ sunt, color illius pallet, cutis dura est, & leui tactu irritatur, inflammationémque in eas partes, quę coniunctæ sunt, euocat. Atque sic vitium istud, primùm ex praua compositione, deinde ex intemperie: postea ex continui diuortio conflatur.
Causa suggillatus. quæ autem pars in eo afficiatur, ex descriptione eius, & sensu patet. MATHETES, Ex qua causa progignitur? GERON, Ex tenui biliosóque sanguine, qui vel à toto corpore, vel à temporum, frontis, facieiq;, venis ad locum quem dixi defluxerit. MATHETES, Quid de curatione huius mali præsagis? GERON, Eorum qui quasi carcinoma habent coniunctum, periculosa est. nam mortem
Prognosticum. quoque ea res maturat: illorum verò quibus ad nares tendit, superuacua, eò quòd non sanescant. Quibus in angulo vitium est, ijs difficulter succurri potest, & quantò foramen id, angulo propius est, tantò difficilius.

Post hos affectus malè curatos, sequitur etiam sinus, qui
SINVS. Græcis κόλπος, & fistula, quæ σύριγξ ab illis nominatur. Nam cum αἰγίλωψ non maturè aperitur, aut cùm pus non liberè effluens, cute adhuc integra lõgius impeditur, foramina efficit, ac partibus vicinis tãdem exesis, sinum parat: in quo illud copiosius coaceruatur. hinc ad os vsque subiectum penetrat, & iter in nares proximas aperit: ex quibus pus fœdi odoris exilit. At si idem in angulũ maiorem viam capessat, fistulam sibi excauat. nam illuuies illa in sinu collecta, angulo compresso, per fistulam illius emanat, tumórque tunc subsidet, donec nouæ materiæ influxu repleatur.

Iam vitium aliud his malis ferè superuenit, in quo caruncula, ex angulo maiore abscinditur, vel imminuitur. vnde etiam an-
RYAS. gulus latior euadit. ideo si illa abscissa est, foramen patescit: per quod posteà semper humor descendit, Gręci ῥυάδα vocant. Fit hoc malum etiam alijs de causis, vt pote ab humoribus medicamentísque rodentibus.

Contra-

ENKANTHIS.

Contrarium huic malo vitium est, in quo ipsa caruncula ex curatione, vngue parum exciso, nimiùm in angulo excrescit: aut tuberculum nascitur, quod palpebras parum diduci patitur, ἐγκανθὶς Græcè nominantur.

OCVLI imminuti.

Euenit etiam, vt oculi vel ambo, vel singuli minores fiant, quàm esse naturaliter debeant: idque & acer pituitæ cursus in lippitudine efficit, & continuati fletus, & ictus parùm benè curati, sicut Celsus vetustus auctor prodidit.

LIPPITVDO scabiosa, aut arida.

Laborant etiam sæpius palpebræ, scabiosa & arida lippitudine: ex qua prior ψωροφθαλμία: altera ξηροφθαλμία nuncupatur: illa ex calido, & acri humore constat, cilia potissimùm obsidens: hæc ex humore salso, atque nitroso pruritum excitat. MATHETES, Quæ supersunt adhuc palpebrarum vitia?

PALPEBRArum vitia. Superioris. Interioris.

GERON, Vnum superioris palpebrę, quod parum descendit, ideóque oculũ non contegit: alterum inferioris, & parum sursum attollitur, sed pendet hiátque, neq; potest cum superiore committí. Atque id quoq; euenit interdum ex simili vitio curationis: interdum etiam senectute: gręci ἐκτρόπιον vocant, quasi inuersionem, qua pars eius interior rubra prominet. Gignitur autem vel ob cicatricem, vel ob subditæ carnis excrescentiam, qualis sæpè exchemosi oriri solet.

KRITHI.

In eadem palpebra super pilorum locum, tuberculum paruum nasci Celsus refert, quod à similitudine ordei, à Græcis κριθὴ nominatur. est quiddam tunica compræhensum, quod difficulter maturescit.

Nascuntur alia quoque in palpebris huic non dissimilia: quædam non eandem figuram repræsentant. mobilia autem sunt simulatque digito huc vel illuc impelluntur: prius in abscessum ferè desinit.

PILI palpebrarum.

Quinetiam pili, qui in palpebris sunt, oculum irritare duabus de causis solent. nam modo palpebræ summa cutis relaxatur, & procidit, eóque pili eius ad oculum ipsum conuertuntur: quia non simul cartilago se remisit: modo alius ordo pilorum sub ordine naturali succrescit, qui protinus intus ad oculum tendit. rursus pili ex cilijs atque supercilijs fluunt: atque hoc vitium μαδάρωσις Græcè appellatur.

PEDICVLI palpebrarum.

Genus quoque vitij est, quo pediculi, inter pilos palpebrarum nascuntur, id Græci φθειρίασιν vocant. MATHETES, Cùm hactenus de oculis satis egisse videaris: nunc ad aures transeas?

GERON, Rectè mones. harum nanque vsum proximum à luminibus natura nobis dedit. quanquam in his aliquanto maius sit periculum. nam vitia oculorum intra ip-

AVRIVM DOlor.

ſos nocent: interdum etiam ad dementiam mortémque præcipitant. MATHETES, Quæ nam ſunt iſta? GERON, Præcipuè aurium dolor, qui Græcis propriè ὠταλγία vocatur. quanquam etiam quolibet affectuum genere infeſtentur? MATHETES, Quæ partes in dolore offenduntur?

Partes affectæ.

GERON, Tum neruus auditus, ſenſui proprius: qui meatui huius non longè à cerebro dilatatus inſeritur: tum alia, quæ vſum ei preſtant. Poteſt igitur aurium doloris nomen, de eo affectu vſurpari, qui in qualibet earum parte, quauiſque de cauſa excitatus fuerit: potiſsimùm autem de eo, qui in alto excruciat. MATHE. Vnde internoſcam, num ſola cutis meatum auditorium ambiens, ſeu ipſemet in alto, aut exteriores auriculæ indoleſcant?

Doloris diſcrimina.

GER. Ex ipſo doloris ſenſu eiúſque vehementia. nam aliâs aurium dolor, eodem modo quo cęteri habet: aliâs pro cauſarum ratione variat.

Ex calida intemperie nati ſigna.

Nam in eo qui ab inſolatu, ſeu ęſtu, aut à vẽtis calidis, aut fontibus medicatis, ſiue ad delitias, ſiue ad corporis commoditatem adhibitis prouenerit, ardor locum offenſum exercet. ſi inflammatio ex ſanguinis calidi influxu illum pepererit, ęgri feruorem, pũctionem pulſationémq; ſine grauitate ac tẽſione ſentiunt.

Ex frigida orti indicia.

ſi caput auriſq; grauitatem percipit, doloris illius cauſa eſt frigida intemperies, ex ventis in itinere perceptis frigidis, & humidioribus, aut ex balneis ſimilibus contracta: vel craſsiores viſcoſioréſq; humores obſtructi: quos cibi & potus, ſuccis frigidioribus, humidioribúſq; generãdis idonei, antea aſſumpti procrearint.

Ex ſpiritu flatuoſo & craſſo doloris nota.

Quòd ſi diſtẽtio, ſine capitis, vel auriũ grauitate oborta fuerit, ſpiritus flatuoſus & craſſus, qui nõ habeat exitum, dolorem excitaſſe cenſetur: Sin grauitas ſimul & diſtentio, calor & pulſatilis cruciatus percipiatur, in flammatio dolores auriũ commouiſſe dicetur.

Ex inflammatione concitati ſigna.

Interdum ſanioſi humores in auribus nati, ſicut etiam acres foris illapſi conſimiles dolores, pariunt. Sunt autem acerbiſsimi, grauiſsimiq;, qui ex inflammatione, aut ex flatulẽto ſpiritu proueniunt: quia in prioribus acris, & valdè tenuis ſanguis, inter craſſiorem cerebri membranam, & eam quæ auditorio meatui obtenditur, collectus, has ob humoris acrimoniam pungit ſtimulátque: in reliquis autem, ex ſpiritu natis membranæ plus æquo tenduntur ab oſſéque diuelluntur. nullus in ea tumor, nullúſque rubor apparet, niſi externę etiam partes conſortij lege afficiantur. Multò leuior dolor exiſtit, quem frigidus craſſúſque humor, interiori auris regioni impactus, & citra ardorem, grauitatem, & diſtentionem altè fixus efficit: euidens pituitæ redundantis fomentum. MATH. Quæ cauſas doloris aurium comitari ſolent?

Quæ cauſas doloris aurium comitantur.

GERON, Putris materiæ iam maturatæ excretio, quæ membrana aurium vel rupta, vel rarefacta, vel eroſa per ipſarum, anfractum fieri ſolet. Quibus cerebrum imbecil-

imbecillum eſt, excrementiſq; plenum, ex eorum auribus aut pus album, aut ſanies liquidior emanat. Interdum pus, aut aliud ſordidum genus, citra inflãmationem effluit, dũ copioſa cerebri colluuies per eam partẽ, viam ſibi, & exitum molitur. Quin & vlcus ſordidum ex hiſce cauſis ſæpe generatur, cùm vel pus, vel humor influens ſumma conſtat acrimonia. Adhęc caro in vlcere humido excreſcit, quę auris meatum obſtruit, auditúmque peruertit. Pręterea ſordes copioſæ, vel concretæ, vel obduratæ: nec non calculi & alia nobis imprudentibus in aurem illapſa, meatum illum obturant: item puris ac ſaniei obſtructio, ſupreſsióque diuturna, & vlcus ſordidum, vermes progignit. MATHETES, Quomodo & quando aurium dolores finiuntur? GERON, Qui cum febri continua ac vehementi inuaſerint, non facilè tolluntur. delirij nanq;, & mortis periculũ in ea imminet. ęgri natu minores ſeptimo die, aut citiùs opprimuntur: maiores autem longè tardiùs: vt quos febris & delirium minùs infeſtet. Quòd ſi doloris aurium recidiua eueniat, plurimos occidit: iuniores verò priuſquam ſuppurentur aures, è medio tollit. *Prognoſticum.*

Aliud vitij genus eſt, vbi aures intra ſeipſas ſonant. atq; hoc quoque fit, ne externum ſonum accipiant. Græci ἦχον appellant: latini ſonitum aurium intra ſeipſas: vulgares tum ſonitum, tum tinnitum, tum ſibilum, tum ſtrepitum communiter vocant. Eſt autem propriè ſonitus ſenſus cuiuſdam intra aures ipſas, externum ſonum impediens, ne ab ipſis accipiatur. MATHETES, Quæ pars in hoc affectu oblæſa eſt? GERON, Meatus auditorius, vbi potiſsimùm ipſe terminatur, & neruum dilatatum attingit, cùm & ipſe ſenſus audiẽdi, qui in parte (quàm dixi) abſoluitur, affectus exiſtat. MATHETES, Quid autem ipſe eſt? GERON, Symptoma, quo functio ſentiendi vitiatur, id enim facultas audiendi ſentit, quod ſentire non debet, eóque actio eius deprauata dici poteſt. MATHETES, Quot vitij huius cauſæ eſſe dicuntur? GERON, Complures: nunc flatuoſus ſpiritus: nunc acutus ſenſus vaporum, ex ore ventriculi ad aures ipſas exhalantium: nunc humor craſſus obſtructus: nunc aurium ipſarum imbecillitas, vt in ijs, qui ex morbo ſe recolligunt euenire ſolet: nunc etiam criſis, vt in nonnullis febribus vſu venit. Externæ autem, capitis ictus, vel hic, aut ille morbus, vel cruditas, ſeu larga vini potio, vel multus violentúſque vomitus, vel medicamentorum auricularium vſus. vt igitur artificioſa quadam cõiectura dignoſcas, vnde morbus prodierit, cùm certò non poſsis, ægri quoque temperatura, habitus, & ſuperioris victus ratio in memoriam reuocari debet: adhæc obſeruari, num ſonitus per interualla ac ſenſim, an ſimul

SVRDITAS aurium. *Pars læſa.* *Quid ſonitus.* *Cauſæ ſonitus.* *Internæ.*

vnóq; tempore obuenerit. præterea vtrum malum hoc paulatim repetat, an continuè perſeueret. MATH. Vnde ſonitus prouenit, ſi nunc excitatur, nunc ceſſat, & tempore interpoſito reuertatur?

SONITVS nunc exoriens, nunc ceſſans, nũc reuertens vnde.

GERON, Ex ſpiritu flatulento, cui facilis exitus non patet, præſertim ſi æger anteà cibis vſus fuerit, qui flatus generare ſoleant. ſiq; multæ cruditates præceſſerint. MATHETES, Quid ſi eundem ſonitum, ex flatu ventoſo interclufo, procreatum eſſe ſuſpicer, eóq; ſiccantibus, extenuãtibus, & diſcutientibus, ſaliuámque per os educẽtibus remedijs vſus, & ratione totius capitis habita, nihil profecero? GER. Tunc ſanè ob ſubtilem audiendi facultatem illum proueniſſe, coniecturandum eſt: maximè ſi æger acuto audiendi ſenſu præditus videatur. MATH. Quæ cauſæ eius ſonitus eſſe poſſunt, qui non repentè oritur, ſed paulatim increſcit? GERON, Humores craſsi, & viſcoſi, præſertim ſi grauitas capitis percipiatur, & cruditates, balneorúmque intempeſtiuorum, & aliorum, quæ crudos ſuccos procreare ſolent, vſus anteceſſerit. At ſonitus qui ægris à morbis ſe recolligentibus obtingere conſueuerunt, ob locorum imbecillitatem oriuntur. In febribus autem & earum criſibus depræhenſi, iiſdem ex cauſis trahunt originem. Quòd ſi externę ſonitum auriũ excitarint, eas ex ęgris, & ipſorum familiaribus cognoſces. Porrò ſonitus, qui perpetuò continuantur, ex ipſiſmet auribus affectis proueniũt: qui verò per interualla repetunt, ex aliarum partium cõſenſu, vt interim deſinant, deinde rurſus excitentur, nẽpe à corpore repleto, aut exinanito, aut à motu, aut à vehemẽti calore, vel à frigore. atq; ſic omnes ſonitus ſuperius dicti, ex motu & agitatione eorum, qui intimam aurem occupant, ſicut etiam vitioſa auditio, naſcũtur: ſingulę autem priuatim hoc modo. Sonitus quidem ex craſsiore flatu plenius erumpẽte: ſibilus ex tenui leuiter elabẽte: ſtrepitus ex valido impulſu. At nihil horum auditu percipitur, ſi interior ipſius cauſa, quæcunq; ea ſit, cõquieſcat. Perpetuò autem ſonitus, aut ſtrepitus perſeuerat, vbi vlcus ab inflammatione, vel abſceſſu, multóq; pure madidum, nõ probè coaleſcit. Quãuis enim nullus flatus naturę contrarius ſubſit: tamen ſpiritus per arterias violenter impulſus, auditionem lęſam offendit. MAT. Prauúſne auditus etiam ſalua aure generatur?

Sonitus ex ſubtili facultate.
Cauſæ ſonitus paulatim orti.
Sonitus ex morbis ſe recreantium.
Sonitus perpetui.
Per interualla repetentium cauſæ.
Sonitus ſpecies vnde peculiariter prodeunt ſingulæ
Quando ſonitus aut ſtrepitus ſemper durent.

MALVS AVditus.

GERON, Vtique. interdum ex capitis conſenſu, vt qui per omnes eius arterias effundi percipiatur: ſicut ferè tum in ſummo febrium æſtu, tum extra illas accidit: quando calida ampláque exſpiratio ad caput effertur. Nam arteriæ tum hac exhalatione, tum ſpiritu fla[illegible]oſo diſtentæ vehementiùs pulſant, & multum calidi ſpiritus, in cerebrum & aures effundunt. ab his autem ſanus alioquin audiendi ſenſus, perturbata confuſáque vitioſe percipit

cipit. MATHETES, Quid de vniuſcuiúſque ſonitus habitu, & natura profers? GERON, Lenis eſt, qui ex grauedine contrahitur: peior, qui ex morbis, capitíſque longis doloribus incidit: peſsimus, qui magnis morbis venientibus, maximéque comitiali prouenit. Cùm autem ſonitus aurium, viſúſque hebetudo, & grauitas narium, in ardente febri accidit, ægri more melancholico, mente mouentur. MATHETES, Quæ præterea auditus vitia exiſtunt?

Præſagatio.

GERON, Vnum, quo grauius ſeu difficiliùs aliquis audire incipit, Græcis βαρυκοία vel δυσηκοία, Latinis grauis ſeu difficilis auditus vocatur. eo laborantes ſurdaſtri, vel grauiter, difficultérque audientes nominantur. Alterum vitium, ſurditas nobis, κώφωσις Græcè dicitur: vbi auditus adeò offenſus eſt, vt ægri neque magnas, neque exiguas voces percipiant. MATHETES, Quæ pars in ipſis afficitur? GERON, Vel cerebrum, vel primum audiendi inſtrumentum, vel auris anfractus, nunc læſus, nunc impeditus. MATHETES, Quæ cauſæ partes iſtas infeſtare ſolent? GERON, Aut ſimplex intemperies calida, aut humoris vitium: præſertim calidi ac bilioſi, aut frigidi, craſsi, aut pituitoſi. Bilioſa nanque aluus quando ſiſtitur, ſurditas excitari conſueuit: quando illa deijcitur, hæc finitur, vt Hippocrates ait. pituitoſus autem vehementer impactus, & conquieſcens, omnium partium ſenſus, functionéſque obtundere colit. præterea inflammatio, vel abſceſſus, vel vlcus, ſurditatem gignere poſſunt. MATHETES, Quæ aures impediunt? GERON, Quæ anfractum ipſius obturant, vt pus, ſordes concretæ, tuberculum, callus, ſcirrhus, & alia in ipſas illapſa. MATHET. Vnde grauis auditio prodijt, quæ à prima natali die in vetuſtatem incidit? GERON, A ſtructuræ vitio, quo aut figura adeſt deprauata, aut inſtrumentum aliquod deeſt. MATHETES, Quæ bilioſos humores ſurditatis auctores eſſe indicant? GERON, Si illa repentè exoriatur, & potiſsimùm in febribus, ægrique natura, ætas, ac habitus, calidus & ſiccus fuerit, victúſque ratio talis anteceſſerit, & ſimile anni tempus, regio, & aëris ſtatus adſit. MATHETES, Quæ craſſos humores ad aures decumbere teſtantur? GERON, Tum illarum, tum capitis grauitas, nec non quæ pituitam abundare notant. MATHETES, Quomodo affectus iſti finiuntur? GERON, Quæcunque ſurditates à prima hominis origine, vel paulò poſt ortæ, tandiu perdurant, donec abſoluantur, nullo remedio diſcutiuntur. Quæ verò non abſoluuntur, tandiu tamen perſeuerant, etiam nullam curationem, aut certè difficillimam recipiunt. Surditas quoque, morbos acutos & turbulentos ſubſecuta, periculoſa eſt quæ ex bilioſi humoris ad ſuperiora impetu procreatur, ea illius euacuatione medicamento purgante facta tollitur: quidam

AVDITVS vitiorum ſpecies.

SVRDITAS.

Pars affecta in ſurditate.

Cauſæ ſurditatis

Impedimenta aurium.

Grauis auditio ab infantibus.

Prognoſtica.

etiam bile sua sponte inferius descendente, surditate liberantur. aliis sanguis è naribus erumpens, aut aluus turbata affectum hunc discutit. Grauis auditus etiam periculo subiectus est: quia paulatim augescens, temporis processu surditatem perfectam inducit. MATHETES, Quid præterea auribus incidere solet?

PAROTIS. GERON, Nihil. verùm sub illis, modò in secunda valetudine, ibi inflammatione orta, modò post longas febres, morbi impetu illuc conuerso, abscessus quidam interdum oboritur, qui græcè παρωτὶς dicitur. MATHETES, Quæ pars huic malo obnoxia est? *Partes affectæ.* GERON, Glandulæ circa aures sitæ: affectus autem ipse, partim inflammationum, partim ex intemperiei & diuortij vnionis generi annumeratur. *Causæ parotidum.* MATHETES, Quot sunt eius causæ? GERON, Non vna, sed plures. nam interdum sanguis abundans, isq; non admodùm crassus illam gignit: id quod tumores magni, rubrique, dolores continui, atque vehementes grauantésque: nec non temperamentum, ætas, & habitus sanguineus, præcedens victus ratio, quæ multum sanguinis gignere potest, & reliqua id genus alia indicant. adhæc eiusdem vitij auctor est biliosus sanguis & tenuis: quod tumor rubicundior citra grauitatem, ac igneus Erysipelati persimilis, demonstrat. ægri in eo tanquam ardere videntur, vt tangentes eos manifestum calorem percipiant: similiter, quæ præcesserunt, ac simul comitantur, vt corporis habitus, ætas, temperamentum, victus ratio, & reliqua ostendent. At si melancholicus sanguis parotidas excitarit, neque rubor, neque dolor aderit: sed tumor quidam scirrhosus, veluti si pituitosus sanguis illas generauerit, laxus, qui οἴδημα Græcè dicitur, in quo nihil sentitur doloris, aut aliquis renixus: adhæc quæ præcesserunt, sanguinem melancholicum, aut pituitosum etiam, procreare potuerunt. Deniq; omnes ex æquo parotides, nunc ex humoribus capiti impactis, atque inde ad partes iam citatas transmisis: nunc citra capitis affectum generantur: maximè in febribus, quando natura humores superfluos, ex vasis ad regionem inter cutem, & subiectas partes per crisim deponit: & glandulæ portionem humorum effusorum sibi vendicant, affectúq; iam dicto laborant. Copia igitur & qualitas materiæ quæ influxit, parotidásque excitauit, acuratè obseruari debet. nonnullæ enim ipsarum, per crisim concoctione apparente fiunt, quæ non prauæ, sed curatu faci-*Prognosticum.* les existunt, multósque magnis periculis liberant: nonnullæ ex copia cruda, naturam grauante simul & irritante, contrahuntur. Qua de causa processu temporis etiam periculosæ sunt, & medicis varia tentantibus vix suppurantur, aut concoquuntur.

Post aurium affectus, proximi sunt, narium & odoratus vitia, in

tia, in

NARIVM & odoratus vitia.

tia, in quibus ipse, vel in totum aboletur, vel deprauatur. MATHE. Quæ partes in his læduntur? GERON, Meatus priorum cerebri ventriculorum, aut ij, qui à colando Græcè ἠθμοειδεῖς appellantur. nam odoris sensus in prioribus cerebri finibus perficitur, dum vapores, ad ipsos per foramina meatuum illorum exhalant. MATHET. Quibus notis illas dignoscam? GERON, Si odorandi facultas læsa est, vox autem manet incolumis, priores cerebri sinus laborant. sin autem vox quoque mali consors fuerit, difficilior quodammodo reddita, ossibus ethmoïdibus vitiatis, malũ attribui debet: præsertim in sarcomate, vel polypo, vel inflamatione, vel grauedine. MAT. Quo affectu priores cerebri ventriculi afficiuntur, si odoratus vitiũ in eis hæreat? GER, Intemperie sola, aut etiam humorum abundantia: sicut, vbi ethmoïdibus meatibus insistit, obstructio eorum tantumodo non intemperatura duntaxat, illud generat. MATHET. Quomodo odoratus offensio, ex obturatis meatibus colatorijs, orta esse depræhenditur? GERON, Ex narium excrementis contra consuetudinem retentis, sic vt mucus, ac destillatio sæpiùs antecesserit. quanquam ijdem meatus, ex putridis etiam quibusdam materijs superfluis, obstrui possint, sinúsque cerebri oppleri, ac intemperie quadam infestari: vnde etiam fœdus odor excitari solet. MATHETES, Quid de finiendo isto malo spei habes? GERON, Quòd si diligens ei cura adhibeatur, siue intemperies, siue excrementorum copia priores cerebri ventriculos obsideat, nõ ita difficulter soluetur: sin autem negligatur, periculum erit morbi comitialis, aut apoplexiæ: præsertim si humores in ventriculis cerebri, non solum prioribus, sed etiam in medio, & posteriore simul abundent: sicut euenire solet, cùm illis repleti, supini tota nocte decumbimus. adhæc non parùm discriminis imminet, cùm odorandi functio est vitiata, præsertim in morbis acutis: & si putris quidam odor, ac fœdus, percipiatur. MATHETES, Qui alij morbi narium præter enumeratos existunt?

Partis affectæ signa.

Causæ.

Intemperia narium.

Obstructio.

Causarum signa.

Prognosticum.

VLCVS NArium.

GERON, Vlcus, quod per initia neque dolore, neque acrimonia vrget, eóque diu sæpè occultatur, donec sordibus oppleatur & tenera ossa exedat. recens autem inde deprehenditur, quòd nares ipsæ, sanguine crebrò madeant, præsertim cùm aut attinguntur, aut irritantur, crustásque & odorem fœdum habent. Inueteratum iam, ac putre, ὄζαινα Græcè nominatur, è quo crusta sordidior, atque etiam fœdi odoris mucus excidit. hoc vitium ideò vnionis diuortium, siue solutio dici potest. MATHET. Vnde nascitur? GERON, Ex acriũ putriúmque humorum influxu. nam id, vt similes narium alas, aut earum interstitia, aut tenera cartilagineáque ipsarum ossa depascitur, magnáque deformitate putrefacit. sæpè pa-

Ozæna.

latum penetrat, præsertim vbi carcinomatis formam repræsentat, aut à lue Hyspanica prouenit. differt autem ab aliis, quæ ab acribus, non autem fœdis contrahuntur. MATHETES, Potest ne huic vitio succurri? GERON, Quanquam difficulter, tamen aliquid tentandum est.

HYPERSARCOMA.

POLYPVS.

Aliud vitium est carunculæ excrescentia, modò alba, modò subrubra, quæ narium ossi inhæret, ac Græcis ὑπερσαρκῶμα appellatur. hæc adeò plærunque increscit, vt forâs ad labra vsque pendeat, narésque impleat, polypodi marino similis: vnde Græcè πολύπους dicitur. sæpe mollis, rarò dura. est cum retrò per id foramen, tendat quo spiritus à naribus ad fauces descendit, augetúrque adeò, vti post vuam conspici possit: ac vitium hoc ferè καρκινῶδες est, naribus peculiare, spiritum magis impedit, nares dilatat: eóque hominem tandem, maximè austro, aut euro flante strangulat.

Causa polypodis.

MATHETES, Quæ eius est causa? GERON, Humor crassus, viscosúsque, vt palàm cognosci potest: id circo malum hoc ferro curari solet. quanquam interdum medicamentis quibusdam adurentibus inarescat. MATHETES, Estné alia adhuc affectio, quę præter superiores naribus accidere consueuit?

SANGVINIS profluuium.

GERON, Interdum sanguis inde exit, vel exesa parte aliqua, vel rupta, vel ore alicuius venæ patefacta: interdum ob sanguinis ipsius qualitatem, vel ob excretricem naturæ facultatem. MATHE. Quomodo autem habent vasa, ex quibus ille profluit? GER. Nimis sunt mollia, vel dura, tenuiáue naturaliter: aut propter causam aliquam superuenientem extrinsecus vitiata. MATHETH. Quando sanguinis qualitas fluorem eius concitat? GER. Cùm ille vasa quibus continetur, erodit, vel adeò abundat, vt ab illis contineri nequeat, sed ea, modò dirumpat, modò ora ipsorum patefaciat. MATHETES, Quando ob facultatem excretricem sanguis è naribus erumpit? GERON, Cùm illa met ora vasorum aperit. MATHETES. Ergò sanguis ob vnam saltem ex prædictis causam, è naribus profluit? GERON, Vtique. nam modò venarum, aut arteriarum ora aperta sunt: modò tunicæ ipsarum diuisę vel rarefactæ: modò sanguis ipse vitiatus existit: aut facultas, quę ora vasorum eo tempore aperit, quo aliena ipsique molesta excernit. MATHETES, Quę res vasa ipsa adaperiunt, patefaciuntque? GERON, Nunc imbecillitas, nunc sanguinis ad ora illorum ruentis copia: nunc acris quædam illius extrinsecus incidens qualitas. MATHETES. A quibus vasa diuiduntur? GERON, A vulnere, aut contusione, aut ruptura, aut erosione. MATHET. Vnde illorum fit adapertio? GERON, Ex tunica rarefacta, & sanguine attenuato: quanquam etiam ex gracilium vasorum oris patefactis fieri possit. MATHETES, Quomodo dignoscam

Causæ.

Res ora uenarum aperientes

sanguinis

sanguinis profluuium ex vasis aliquo modo affectis, ortum esse? GER. Facilè, siue interior siue exterior causa extiterit. non enim aderunt illius, vel abundantis vel vitiosi profluentis indicia, neque malus corporis habitus apparebit, neque sanguis tempore crisis per acutos morbos erumpet. MATHETES, Quo pacto percipiam num sanguis in naribus, ob causam exteriorem euenerit? GERON, Si ob casum aliquem ex alto, aut ob ictum, aut ob vehemens exercitium, aut ob insolatum, aut ob id genus similia profluxerit, ex ęgro, eiusúe familiaribus cognosces. MATHET. Quid si nulla exterior causa aderit? GERON, Interior inquiri debet, num scilicet vasa sint molliuscula: id quod ex humore copiosiore depręhenditur, sicut cùm duriora existunt, ab ariditate. MATHE. Quid si vasa non ob exteriorem causam affecta, sanguinem fundant, sed eô quòd molliora euaserint, aut duriora? GERON, Prioris, humor copiosus, alterius, ariditas inditium est. At sanguinis fluor ob vasa rupta, aut adaperta factus, ex tenuitate ipsorum, ob inædiam, aut naturalem structuram prouenisse, ostenditur. MATHETES, Quæ nota est sanguinis ex vasis ruptura, aut adapertione erumpentis? GERON, Copiæ, aut vitiositatis index: nam illa, vasa rumpit, hæc, id est qualitas acris, erodit: sic ut prima in pleni corporis, altera in vitiosi statu cernatur. MATHETES, Quæ facultatem expultricem sanguinis fluorem excitasse testantur? GERON, Non vasorum neque illius vitia, sed morbus quidam acutus, qui eius profluuium antecesserit. idque nunc cum functionis alicuius noxa, nunc viribus ipsis firmis: quanuis eiusmodi fluxus naturæ omninò, excretæ materiæ ratione, aduersetur. MATHETES, Quid vocas naturæ aduersari? GERON, Quod non tempestiuè seu in tempore expurgatur. MATHETES, Quid sanguinis per nares exitus præsagit. GERON, Si immoderatus est, & longo tempore perseuerat, periculum est, ne animus deficiat, aut iecur debilitetur, refrigeretúrque, & tandem malus corporis habitus, & aqua subter cutem sequatur. In his, corporis color, pallidus, liuidus, aut subuiridis efficitur, extremáque vehementer refrigescunt, & syncope, mortis proximæ nuncia succedit. Adhæc si cum exiguis sudoribus sanguis è naribus effluat, periculosum est: sicut etiam, cum nigra, aut rubra per aluum, post illius eruptionem deijciuntur. Iis verò qui rubicundi sunt, capitáque habent robusta, prodest. nec non si quarto die sanguis per febres è naribus largiter emanat, bonum est indicium, præsertim in minoribus, qui nondum trigesimum annum attigerunt, eo quòd ille, in ea ętate abundantior, facultas robustior, & calor efficacior existat: si purum exeat, perniciosum, testatur: quià aut copiam materiæ, quæ ferri nequit, aut na-

Sanguinis fluor ex vasis.

Interior causa sanguinis profluuij.

Præsagium.

Quid in sanguinis fluore bonum vel malum.

turæ imbecillitatem indicat : quæ ſuperflua quidem excernere aggreditur, ſed nihil promouit. porrò ſanguis ex contraria regione erumpens, malum, vt in liene magno, ſi ex dextra nare fluat, aut in iocinoris inflammatione, ſi ex ſiniſtra. MATHETES, Quid notat ſanguis, ſi crebrò è naribus feratur? GERON, Aut lienis tumorem, aut capitis dolorem, aut caligines oculorum, ſuffuſionéſq; fieri. MATHET. Quid indicat, ſi in pueris ſanguis è naribus profluxerit: deinde proceſſu temporis fluere deſierit? GERON, Vel grauem articulorum exulcerationem, vel debilitatem, ex morbo aliquo tandem eis ſuperuenturam. MATH. Quæ faciei, & oris ſunt vitia?

Continuus ſanguinis fluor quid portentat.

GERON, Primùm puſtulæ ardentes, tum in naribus, tum in reliqua facie, magna feritate extuberantes, quas tenuis bilioſúſque ſanguis immodicus excitat, qui præter ſolitum fuerit ſuppreſſus. hic enim cutem raram, atq; tenuẽ, fœdo colore inficit. Huius generis eſt etiam rubor, qui vniuerſam faciem ſine puſtulis, ſupra modũ occupare conſueuit, ex feruidiore ſanguine contractus. Is, ſi per interualla repetat, ſolus vapor eò ſublatus, aut tenuis humor, nondum infixus, auctor eius exiſtit. Interdum quoq; luteus, albicans, liuidus, aut alius fœdus color, & cutis ſcabrities, faciem infeſtat, quales morbus regius, hydropíſque ſpecies, leucophlegmatias, & quilibet malus habitus excitare ſolet: qui ex humorum vitio, corporis ac viſcerum impuritate, trahunt originem. Eſt cùm tumor exiguus & durus, qui Latinis varus dicitur, faciem defœdat, ex frigido craſſóque humore, quaſi in callum concretus: aliâs fulua macula, aut ſubnigra obſidet: quæ, quia lenticulæ tum colorem, tum magnitudinẽ refert nomen, etiam inde accepit, & Græci φακὸν appellant: vulgo lentigo dicitur. Porrò in ſumma oris parte, interim vlcera quædam ſerpentia, non admodum caua exoriuntur: quæ Græcis vocantur ἄφθαι, vulgo alcolæ: infantes, teneróſque adhuc pueros infeſtare ſolent. à gingiuis incipiunt, deinde palatum, totúmque os occupant: tum ad os, faucéſque deſcendunt: item linguę latera, eiúſq; palatum inuadunt. cauſa eorũ non vna tantum exiſtit. nam ſi pueris lactãtibus ſuperueniant, vt plurimùm fieri ſolet, vitioſũ nutricis lac ipſa excitat: quia id, vim habet abſterſoriam, quam ſummę oris partes, lactantium puerorum, ob mollitiẽ ipſarum tolerare nequeunt. ſin autem lac non fuerit vitioſum, tunc vlcera ideò talia fiunt, quòd lactantes pueri ipſum non probè concoquant. MATHET. Vnde adultioribus aphtæ iſtæ proueniunt? GERON, Non ſolum ex eorum quæ aſſumuntur acrimonia, ſed etiam ex humoribus vitiatis, ad os defluentibus: ex calidiore iecoris halitu, & bilis feruore per gulam, aut latentes meatus in os exhalante: interdum ex ſalſa capitis pituita in os deſtillante. ar-

FACIEI vitia & oris.

PVSTVLÆ.

RVBOR faciei.

VARVS.

Lentigo.

ÆAPHTA.

Aphtarum vlcerum cauſa.

lente, atque hæ frequentes in febribus, aliquando sine illis oboriuntur: quales sæpè etiam in menstruis suppressis obueniunt. MATHETES, Vnde aphtæ ex acribus cibis natæ cognoscuntur? GERON, Ab ægro, eique assistentibus. MATHETES, Vnde reliquæ? GERON, Ex diuerso ipsarum colore. nam cùm fuerint rubicundiores, humorem sanguineum vincere significant: cùm flauiores, amaram bilem: in quibus etiam tactu, immodicus calor percipitur, quanuis multò maior in flauioribus, & ex bile procreatis depræhendatur. Quòd si albidæ appareant, pituitam superare: si liuescant et nigricent, atram bilem ostendunt. has vtrasq; si contingas, minimè vehementer calidas offendes. Magis eas cognosces ex corporum temperamento, ætate, habitu, & victus ratione antecedente. MATHETES, Quæ spem vel metum prænunciant? GERON, Quæ in pueris lactantibus extant, ijs similes, quæ in lue venerea ex hydrargyri vnguento natę sunt, facilè curantur: idque etiam plurimùm, ætatis ratione. illæ verò quę perfectam ætatem agentibus attingunt, non ita facilè, præsertim ex vitiosorum humorum influxu excitatæ. MATHETES, Cur puerorum aphtæ promptiùs curationem recipiunt? GERON, Quia ijs, quæ modicè astringunt, discutiuntur, vtpote mitiores, & leniore ex causa ortę: in prouectioribus fieri nequit, aut certè raro. quanuis pueri etiam ętatis ratione faciliùs, quàm viri ab ijsdem consumantur, sic vt in illis quoque periculosiores esse dicantur: veluti si ab humoris vitiosi influxu generatę fuerint, id quod sępiùs adultioribus accidit, semper cacoëthes euadunt. Hoc autem notari debet, eas aphtas esse periculosissimas, quas malignus atræ bilis humor peperit: quæ verò inueterascunt, & putridum quidpiam processu temporis acquirunt, ægrè soluuntur. Græci has, nomas, quasi depascentia vlcera nominant: quia malum hoc semper latiùs serpit, & nullis cedit remedijs. MATHET. Quæ post hæc oris vitia restant?

Notæ aphtarum.

Præsagia.

GERON, Dentium dolor, qui ipse quoque maximis tormentis annumerari potest, Græcis ὀδονταλγία vocatur: quanuis autem omnia ossa doloris sint expertia, tamen dentes non solum dolent, sed etiam pulsant: interdum quoq; ob neruum, qui ex tertio pari distributus, omnibus dentibus ad radices ipsorum subijcitur: interdum ob gingiuarum inflammationem, dolore afficiuntur. MATH. Quomodo autem dens affligi per se cognoscitur? GERON, Si æger dolorem in alto sentire se affirmet, sic vt nullum in gingiuis signum inflammationis existat, neruus autem ille, qui radici dentis subiacet, infestatur: quãuis is confusam, aut indistinctam, incertámq; doloris imaginationem plerisq; exhibeat. videtur enim ac si ipsemet dens indolescat, peculiariter ac per se affe-

DENTIVM dolor.

ctus, id quod ex vehementissimo cruciatu cognosci potest, quem ægri in alto valdè percipiunt. prȩterea dentes non liuidi, aut alio modo mutati cernuntur, sicut neq; gingiuæ: & cùm illi exempti fuerint, exiguus dolor ad huc remanet, quòd is inde tantũ lenior euaserit. At si dolor ab inflammatis dentium gingiuis proueniat, facilè id ipsis inspectis, animaduerti potest.

Causæ doloris dentium.

MAT. Quȩ causa dentium doloris esse censetur? GERON, Vel inæqualis intemperies, vel coniuncta ei tenuium capitis humorum, siue calidorum, siue frigidorum, nunc in malarum membranam, nunc in dentium neruos, nunc in illos ipsos facta destillatio, quȩ ex capitis vertice, per tempora in malas, vel in maxillam decumbit: & si quis dens exesus est, adeò, vt foramine patescat, in eum maximè illorum defluxio tendit.

Notæ causæ.

MATH. Vnde calida intemperies dignoscitur? GERON, Ex acriore dolore, subruffa ægri facie, calido totius corporis temperamento, ætatis flore, anni tempore, & regione, aërísque statu, calida victus ratione antecedente. MAT. Quid dolorem ex humore natum indicat? GERON, Primùm totius corporis, deinde eiam capitis status humidior, si ȩger lautiorem victus rationem secutus fuerit, idq; in locis humidioribus, tẽpestate humida, & vere: item si quȩ aëris tempȩstas, & anni tempus simile fuerit, quo dentes vnà cum partibus eis adhærentibus, laxiores, mobiléq; necessariò fiunt: quemadmodum etiã ex humorũ acrium erodentiúmque influxu roduntur, perforantúrq;. Quanquam autem laxi mobilesq; dẽtes ex humore facti, nullum dolorem experiantur: tamen copia illius grauati ipsi, & proximæ eorum partes nonnunquam indolitant. MATHETES, Vnde sicca intemperies, doloris causa esse depræhenditur? GERON, Ex ipsius vehementia: nec non ex corporis totius, maximè verò capitis temperamento, siti continua, nisi frigus siccitati fuerit coniunctum (tunc enim ȩgri parum expuunt) & autumnalis tempestas, vitáq; laboriosa, & victus tenuis, in regione sicca, similisque aëris status antecesserit.

Notæ intemperaturæ compositæ.

MAT. Quæ notȩ intemperiem compositam dolorẽ excitasse declarant? GER. Consimile corporis vniuersi temperamentum, & caput, quod huiusmodi humore facilè repleatur, pilosum & subruffum, idq; in regione calida & humida, verno anni tempore: in simili etiã aëris statu, nempe austrino. ad eũdem quoq; modum calida & sicca, aut frigida & sicca, aut frigida & humida intemperies.

Humorum copiæ qualitatum indicia.

MAT. Quibus indicijs humorum copia, prȩdictis qualitatibus coniuncta dolorem efficiens, cognoscitur? GER. Doloris ipsius natura, nam si punctorius est, bili flauȩ, & calori ascribitur: si partes dentibus vicinas distẽdit, pituitȩ & frigori: si altȩ quȩdã partes constringantur, atrȩ bili: si grauis existat, omnibus humoribus ex æquo redundantibus. adhæc si tenuis, & calida ma-

lida materia molestat, dolor est acerbior acriórque: sin autem tenuis ac frigida infestat, leuior, & malarum tumor sæpè comitatur. MATHETES, Ex alijs ne signis præterea doloris auctor comperiri potest? GERON, Indubiè, ex sapore humoris. nam amaror eius bilem testatur: salsedo pituitam: acor nigram bilem. interdum etiam ex inflammatione partium, dentibus ipsis adhærescentium, qualis carnosis alijs accidere solet. Sicut autem dentes ex nimia alimenti copia, sæpè inflammantur, ita ex inopia ipsius extenuati afficiuntur. MATHETES, Quid dentes exedit, putrefacit, aut alueolis expellit? GERON, Crebra seu repetens sæpiùs humorum in eos defluxio. MATHETES, Vnde præterea exeruntur, aut longius prominent, aut atteruntur? GERON, Vel mandendo, vel exteriorum causarum violentia. MATHETES, Cur stupescunt? GERON, Frigidioris humoris, & acerborum crudorúmque fructuum esu. MATHETES, Ob quid nigrescunt, aut fœdo lentore obducuntur? GERON, Eò quòd minùs diligenter detergantur: vel ob dulcium calidorúmque ciborum esum: vel ex crudorum, & plus satis ingestorum: vel ex vitiosorum humorum, ob viscerum præsertim lienis impuritatem, à quartana relictam exhalationibus, & vnguentis hydrargyricis. MATHETES, Ex qua causa dentes sæpè vacillant, súntque mobiles? GERON, Ex ictu, vel quòd radix eorum, multo interdum madore scateat, eóque alueoli eorum laxescant. MATHETES, Quare tandem dentes exeduntur, perforantúrque? GERON, Humorum acrium, rodentiúmque influxu, sicut etiam gingiuæ, quę nonnunquam adeò excrescunt, vt dentes ferè integant, præsertim in ijs quibus molles sunt, & spongiosæ: quique in humidioribus locis habitant. MATHETES, Ob quid hæ flauescunt, & eroduntur? GERON, Ob acrioris & salsi humoris commercium, & vlcuscula, quæ dentium radices detegunt. MATHETES, Quo alio affectu gingiuę affligi solent? GERON, Inflammatione manifesta, quæ Græcis παρουλίς appellatur. hæc ad dentium radices, intus & foris, adeò prominet, vt partes vicinæ etiam disturbentur, rubescant, calescant, doleántque. Eadem ex maiore oculorum angulo ad malas: ex venis autem desinentibus ad maxillam per tempora procumbere, & tandem abscessus fieri consueuit: cuius pus non ad faciei cutem, sed ad dentium radices, tenui velamento tectas irrumpere. quòd si vlcus malè curatum fuerit, caruncula eminet, quæ Græcis ἐπουλίς dicitur. MATHETES, Quo morbo vltima faciei pars maxilla infestari solet? GERON, Conuulsione, & interdum resolutione: crebriùs autem destillatione, quæ è capitis vertice originem ducens, in eius articulum, ad auriculę radicem tendit, & plærun-

Signa ex sapore.

Ex inflammatione.

Quæ dentes exedant, putrefaciant & expellant.

Dentium stupor.

Nigror, & fœdus lentor.

GINGIVARUM affectus.

MAXILLÆ affectus.

quę ipſam reddit immobilem, ſic vt in loco dolor ſentiatur, duruſque tumor, & manifeſtus appareat. MATHETES, Cuius partis oris morbus iam ſequitur?

LINGVÆ vitia.

RANVNCVlus

GERON, Mollis ac laxæ, quæ linguæ ſubiacet tumor, qui interdum inflammationem, ſępius œdema refert: Gręcis ob ranę figuram βάτραχος appellatur: interdum lingua vel ſtupeſcit vel reſoluta eſt, adeò vt ſermo hominis non explicetur, aut ſaltem non articulatè: quòd nunc ex morbo, nunc per ſe accidit: modò vna, modò altera ipſius pars, nempe dextra, aut ſiniſtra, guſtu ſaluo, reſoluitur. Quòd ſi tota reſolutionem experiatur, apoplexiæ grauis periculum imminet: ſæpè etiam hæc illi, quanuis inueterata non ſuccedit. Omnes conſumata linguæ reſolutione laborantes obmuteſcunt: quidam à natali die muti ex figuræ linguæ vitio permanent: interdum aliquis ex defluxione capitis, diebus aliquot loqui non poteſt, motu aliarum partium, & ſenſu integro: liquore verò diaphoretico aſſumpto, vocem recipit. MATHETES, Cur blæſi, aut balbi ſermonem articulatè explere nequeunt? GERON, Vel ob linguæ breuitatem, vel ob nimiam eius craſsitiem: vel ob aliud ſtructuræ naturalis vitium: vel ob humoris ei affluentis copiam: vel ob cerebrum humidius: vel ob ebrietatem: vel quòd lingua ſiccior exiſtat, quàm naturaliter eſſe debet. MATHETES, Quid efficit, vt lingua, vel nihil guſtare poſsit, vel minùs quàm oportet, vel idipſum vitioſè? GERON, Molliores cerebri nerui, qui à tertio coniugio prodeunt, plus æquo refrigerati, aut aliquantum obſtructi, aut earum origo offenſa. MATHETES, Quid alienum ſaporem gignit? GERON, Ipſamet lingua, aut membrana eam ambiens, vitioſo ac prauo humore infecta, qui aut per ſe, aut cibo potúque imbutus, in illam, neruóſque molliores penetrat, & hos vitijs ſuis corrumpit: vnde aut ſalſus, aut amarus, aut acidus, aut alius vitiatus ſapor deprehenditur, ceu ab eſculentis poculentíſque impreſſus. Idem humor crebrò etiam ab inferioribus partibus aſcendit, gulámque & linguam inficit: aliâs è cerebro ad has deſtillat. MATHETES, Quæ partes oris præter linguam afficiuntur?

Muti ac blæſi quomodo fiant.

Guſtatus vnde offendatur.

TONSILLÆ.

GERON, Tonſillæ, quæ Græcis παρίσθμια vocantur, frigida deſtillatione, ſub malis intumeſcentes: id quod contingi cernique intus poteſt. Eſt autem tumor illarum ceu tuberculum quoddam, quod faucibus inhæręſcens, mole ſua ipſas premit, impedítque, ne cibus, potus, & ſaliua facilè deuorentur. Quilibet hoc in loco rubor, ſed nullus ardor, & ſitis adeſſe ſolet. ſæpè is tumor inflammationem coniunctam habet: nec nō dolorem, ardorem, ruborémq; ampliorem, & ſitim: ex quibus nihil in ſuperiore vitio animaduer-

animaduertitur: concocto ruptóque abſceſſu, materia puris in os & fauces emanat, oritúrque vlcus ſordidum: cuius putrido halitu, ſpiritus quoque fœdi odoris percipitur. Tale vlcus non raró abſque inflammatione, ex humore ſalſo vel acri gignitur, qui tonſillas molles, humidas, & ſqualidas, in totū exedit. Nonnunquam eiuſmodi vlcus, etiam incipiente morbo Neapolitano, ex contagionis labe familiare exiſtit.

Gurgulio, columna, aut columella, vua.

Quinetiam caruncula quędam inſummo palato, tanquam vocis plectrum dependet, ſi quis linguam toto ore plurimùm adaperto deprimat, conſpicua: ea, ſi laxior, longiórque facta, in fauces, & gulæ caput deſcendat, ſæpè moleſta eſt, & titillatione quadam vexat, adeò, vt ſuffocatus ſit periculum. MATHETES, Quo nomine veteres hanc appellarunt? GERON, Græci nunc γαργαρεῶνα, Latini gurgulionem, nunc κίωνα, quaſi columnam: poſteriores medici omnes κιονίδα, hoc eſt columellam vocarunt. non refert, an nonnulli ipſam Gręcè σταφυλήν, quaſi vuam nuncuparint. non enim particula ipſa, ſed quædam eius affectio, σταφυλή nominatur, eò quòd ſumma gurgulionum pars, vuæ acino ſimilis appareat. hęc quoq; ſola illius inflammationis ſpecies, Hippocrati vua dicitur. MATHETES, Quando hæc afficitur? GERON, Cùm pituita ex capite ad gurgulionem deſcendit, & hic præceps pendet, euaditque rubicundus: temporis autem proceſſu nigreſcit. idem aliâs fieri dicitur, cum ſumma gurgulionis pars aqua repletur, fitque rotunda ac pellucida, & ſpiritum intercipit. Rariùs hæc affectio collumellam inuadit: ſæpiùs autem inflammatur: ſicut etiam ea, quæ lorum dicitur gurgulioni obuenit, cùm ſcilicet ipſe ex ardore nimio gracileſcit, & loco ſimilis propendet. vtrunque, nomen à ſimilitudine impoſitum eſt. nam ſi longior, tenuiſque gurgulio fuerit, columella appellatur: ſi verò craſsior in rotunditatem creuerit, deorſúmque feratur, vua dicitur. In ſumma hoc vitium eſt inflammatio, eáque ex dolore, tumore, & rubore ipſius columellæ cum febri, ac deuorandi difficultate dignoſcitur? MATHETES, Quæ cauſa illam excitat? GERON, Cùm aliorum humorum, tùm ſanguinis ex capite ad gurgulionem defluxio MATHETES, Quibus remedijs gurgulio inflammatus, tumidúſq; curari, extenuaríque poterit? GERON, Omnibus alijs præterquàm manu. nam quandiu rubeſcit, magnúſque exiſtit ſectio, & ſcarificatio periculoſa eſt, eò quòd illam ſanguinis fluor, & inflammatio comitetur: præſertim ſi corpus ſuccis plenum fuerit. Raró hic morbus ſi ab initio rectè curari cæpit, hominem tollit. at quibus columella conſecta eſt, ijs pulmo facilè læditur, feréque tabes ægros ita curatos, perdit.

Vuæ affectus vnde.

Columellæ & vuæ nominum differentia.

ANGINA & eius species.

Aliud morbi genus est pestiferum acutúmque, sub quo fauces, hoc est extremæ gutturis, gulæqúe partes, inflammari solent: nostri anginam vocant, Greci κυναγχὴν & συνάγχην, inde quòd homines strangulet. Quatuor ipsius differentię apud Grecos numerantur: pro vt quatuor partes in eo affligi consueuerũt.

Angina ex internis gutturis musculis inflammatis.

Gutturis quidem interioribus musculis inflammatis, κυναγχὴ appellatur: externis verò παρακυναγχὴ. Similiter faucium interioribus musculis inflammationem expertis συνάγχη, exterioribus παρασυνάγχη. MATHE. Quid facuium nomine intelligis? GERON, Interiorem oris regionem, vbi gulæ, & gutturis partes extremæ conueniunt. MATHE.

Guttur.

Quid gutturis voce significas? GERON, Eam asperæ arteriæ partem, quæ veluti caput ipsius existit. MATHETES, Quæ sunt communia omnium anginæ specierum indicia?

Anginæ specierum indicia communia.

GERON, Æger non cibum deuorare, non potionem potest: spiritus oris quocunque modo deteriùs eliditur: quanuis thorax, aut pulmo sit incolumis. MATH. Quomodo partes affectæ inuicem discerni possunt?

Anginæ indicia propria

GERON, In eo quòd hęc maiorem, illa minorem deuorandi, siue spirandi difficultatem, aut incommoda pariant. MATH. Quę propria sunt cuiusque anginæ signa? GERON, In ea specie, vbi inflammatio interiores musculos gutturis exercet, neque color, neque calor, neque tumor, siue in ceruice, siue in faucibus apparet. Spirandi autem difficultas adeò augetur, vt spiritus non nisi recta ceruice trahi posſit. pectoris angustia, dolórque multus *in* gutture, & febris non lenis percipitur: item vox cum *spiratione* læditur. MATHETES, Quæ gutturis exteriores musculos inflammari testantur?

Gutturis musculorum inflammationis nota.

GERON, *Omnia quæ prædiximus*, sed remisſiora. non enim angustia, neque dolor, quanuis circa guttur adsint, adeò vehementes deprehenduntur: similiter neque spirandi difficultas. MATHETES, Quæ fauces inflammatione offensas ostendunt?

Fauciuminflammatarum signa.

GERON, Dolor prædictis asſimilis, rubor, tumórque, quæ ore adaperto, linguáque depressa conspectui patent: item quòd æger non adeò difficulter spiret, linguáque simul cum faucibus interdum simili modo afficiatur. MATHETES, Quibus signis exteriores faucium partes affectæ dignoscuntur?

Quo pacto exteriores faucium partes affecto noscantur.

GERON. Si non solum fauces, sed etiam ceruix, & pectus rubescant, ægérque non vehementer doleat, neque difficulter spiret, & partes faucibus vicinæ inflammatæ extrinsecus appareant. Prȩter has peculiares notas, & communes superius recitatas, aliȩ quædam in qualibet anginæ differentia incidere solent.

Signa gutturis laborantis.

Vbi gutturis partes laborant, interim ægri ore conniuent, interim adaperto aërem trahunt: aliquando potio assumpta ad nares regurgitat: dolórque inuadit. aliquando cùm nimiùm vrget inflamma-

flammatio, tum lingua, tum fauces in tumorem attolluntur. MAT. Quis morbi iſtius multiplicis, acuti periculoſique auctor exiſtit? GER. Humorum capitis ad partes ſupra citatas defluxio: non ſolum autem calidi, acris, & tenuis, quales ſunt bilioſi, quanuis hi præcipuè, ſed etiam frigidi, pituitoſi, craſsi, ac glutinoſi. MATHETES, Cur tenues, & acres humorum materias potiſsimùm anginas excitare dicis? GERON, Eò quòd huiuſmodi per anguſtiores venas, quæ guttur ambiunt, facilè penetrent, & in illud decumbant. MATHE, Qua ratione frigidi, craſsi, & viſcoſi anginam gignere poſſunt? GERON, Quia hi, cùm vniuerſas venas admodum anguſtas non ingrediantur: in capacioribus autem, quales in faucibus extant, magis quàm in gutture retenti, ipſas in tumorem naturę contrarium eleuant. MATH. Quę ſanguinem, anginam peperiſſe notant? GERON, Maxima ſpirandi, deuorandíque difficultas, ingens anguſtia, & pectoris grauitas, febríſque non exigua, corpus totum, ac caput ſanguine repletum. adhæc ſimile ęgri temperamentum habitus, ætas, anni tempus, regio, aëris ſtatus, & antecedens victus ratio. MATHETES, Quæ bilem huius mali cauſam eſſe indicant? GERON, Non adeò vehemens ſpirandi, & deuorandi cibi difficultas, anguſtiáque: nulla ferè grauitas, ſed multus dolor, ardórque circa guttur intolerabilis: ægri roſionem, & acrimoniam, oríſque amaritudinem percipiunt, ſitiúntque, & acuta febri laborant. nec non bilem teſtantur, calidum eorum temperamentum ſimiliſque ætas, habitus, & antecedens victus ratio. At ſi reliqui humores circa fauces decumbant, maior erit tumor, calórque, & color diuerſus. minor enim tumor, maior autem calor, rubórque flaueſcens, bilem abundare teſtantur: quemadmodum amplior tumor, calor minutus, color leuiter nigricans, ſanguinem ad partes affectas decumbere nunciant. MATH. Quid ſi ambo iſti humores, bilis & ſanguis mixti, anginam procrearint? GERON, Diuerſa etiam erunt indicia, & pro vt alter alterum magis, aut minùs ſuperauerit, ita vnius quoque ſigna, alterius vincent. MATHETES, Quibus notis frigidus, craſſúſque ſanguis, ad fauces potiſsimùm confluere oſtenditur? GERON, Si paruus dolor eas exerceat, & tumor ferè citra ruborem, aut cum exiguo, obſcuróque laxior quodammodo appareat: quanuis interdum ex craſsiore humore durus exiſtat, & febris nulla adſit, aut fortè exigua lentáque: adhæc còrpus totum, præſertim caput pituitoſo ſanguine plenum: nec non frigidum temperamentum, ætas, habitus, anni tempus, antecedens victus ratio, aliáque morbum ex frigido ac pituitoſo ſanguine ortum demonſtrant. In ſumma omnium quatuor anginę ſpęcierum communes cauſæ ſunt, bilioſus humor, aut ſanguineus, ex vena-

Cauſæ anginæ.
Calidi tenues & atres humores
Frigidi, craßi viſcoſi
Sanguinis notæ.
Bilis ſigna.
Indicia ſanguinis frigidi ad fauces confluentis.
Cauſæ communes omnium anginæ ſpecierum.

rum iugularium ramis ad fauces defluentes: qui vel inflammationem, vel erysipelas generant. At inter euidentes earum causas, frigus potius quàm calor existit: ictus: piscium ossa imprudenter deuorata, per mediásque tonsillas penetrantia, frigidæquè potio, & cùm se quis nimiùm vino, aut cibo replerit. MATHETES, Quid de angina finienda præsagis? GERON, Cùm morbus sit acutissimus, & subitò mortem inferat, acceleranda est matura ipsius curatio. MATHETES, Quæ inter omnes eius species est grauissima? GERON, Quæ nihil conspicuum, vel in ceruice, vel in faucibus obtinet, vt quę ęgrotantem etiam eodem die tollat è medio. Cùm enim nihil naturę cõtrarium, extrinsecus apparet, inflammationis, vnde ægri strangulantur, guttur intus exercentis suspicio est. At quę similem dolorem superiori inducit, tumorem autem & ruborem in faucibus excitat, ea quoq; admodum exitiosa est, sed paulò diuturnior, quàm modò commemorata. Porrò in qua fauces & ceruix rubent, hæc longiùs trahit: minimè verò periculosa est, in qua ceruix & pectus ruborem contraxit: erysipelas autẽ ad interiora non reuertitur: sic vt humorum fluxio guttur quidem non affligat, sed aut in ceruicem, aut in hæc vtraque decumbat. Omnium autem leuissima est, in qua rubor forâs maximè tendit: si verò materia in pulmonem vergit, dementia sequitur: atq; inde plurimùm fiunt purulenti, nisi illa subinde tussi educatur. Qui ab *angina liberantur*, ait Hippocrates, & *fluxiones ad pulmonem ferri sentiunt, ij intra dies septẽ pereunt: si verò non ad illum tendunt, suppurantur. Cæterùm quæ ad cutem erumpunt, aut per initia sic deferuntur, ijs quę in altum decunbunt, multò leuiores existunt.* Pueri rarò *tali affectu laborant, nisi quando affectę ceruicis vertebrę loco excidunt.* Atq; hi cùm seruari non possint, curatio quoq; eorum non est tentãda: iuuenibus verò malum hoc familiarius est. Atq; hę quatuor enumeratę anginę species, verę ac legitimę dicuntur.

Præsagia.

Angina periculosissima.

Leuissima angina

Qui angina laborare soleant.

Alia quandoque ex pituitosa in fauces, & ceruicis musculos destillatione conictatur, ac spuria seu falsa nuncupatur. In ea tumor quidem apparet, sed sine rubore, ardore, & febri: quanquam dolor quoque excruciet, acutis tamen morbis annumerari non potest. quanto autem longior existit, tantò minus periculosa. Alia quoque huic vicina est: quam casus, aut ictus antecedens peperit, quo ceruicis vertebrę, in partem interiorem luxatæ sunt, vel humor naturæ contrarius, qui vertebrarum ligamenta resoluit, vel nimia copia ipsas è sede sua propulit. In hac locus, vnde vertebrę exciderunt, cauus cernitur: cúmque is extrinsecus attingitur, indolescit: item lingua etiam propria è sede recedit, eò quòd ipsam vertebra luxata, iuxta radicem eius extruserit: adhæc

ANGINA falsa.

spirandi

ſpirandi difficultas magis affligit. vnde ægri aperto ore ſemper hiare, aërémque attrahere coguntur, & metu ſtrangulatus difficulter deuorant, doloréque afficiuntur, præſertim cùm potus per nares regurgitet. Atque hactenus de angina. MATHETES, Pergas igitur ad alia, honorate præceptor, ſi tibi viſum fuerit.

GERON, Nunc ad pectoris vitia me conuertam: in quorum numero continetur etiam tuſsis, quę Græcis βήξ appellatur. hæc autem eſt vitioſa inſtrumentorum ſpiritus motio: qua quicquid illis moleſtum eſt, natura expellere conatur. MATHETES, Quæ ſunt ſpiritus inſtrumenta? GERON, Fauces, aſpera arteria, pulmones, & quicquid thorace compræhenditur. MATHETES, Quæ eiuſmodi inſtrumentis ſunt infeſta? GERON, Nunc humores naturæ contrarij: qui ex capite in illam, & pulmonem defluxerunt: ſic vt quædam ceu titillatio in faucibus percipiatur, & ardor ſępe moleſtus ſit, ſpiritúſque difficulter trahatur: & ſi tenuis humor fuerit, nihil, vel ſaltem minimùm in ea elidatur. MATH. Quot ſunt tuſsis genera? GER. Duo pręcipua. vnũ vehemẽs, quod ſpiritus ad exteriora motio eſt, ſiue efflatio: è qua ille copioſior celerrimè foràs erumpens impetu ſuo excrementa meatus ipſius obſtruentia extundit, adeò vt ſi prior efflatio, ea quæ moleſta ſunt, emoliri nequeat, non grauetur iterum & tertiò in illa irrumpere. MAT. Qua ratione, & quando tuſsis hęc generatur? GERON, Cùm muſculi pręſertim intercoſtales efflationem moliuntur. vt autem ea excitetur, thorax omni ex parte admodum vehementer comprimitur: quò valentius id, quod in vijs ſpiritus reſidet, expellatur. MATHETES, Vnde motus in tuſsientibus incipit? GERON, A facultate thoracem mouente. violenta autem huius contractio, ſpiritum vehementer foràs elidit: hinc materia in fiſtulis pulmonis, quæ aſperæ ſunt arteriæ, expellitur. MATHETES, Quid ergo vocas propriè hanc tuſsim? GERON, Motum arbitrarium, quo natura ſemper conatur expellere, quicquid ſpiritum interceperit, ſiue humor id fuerit, qui è capite defluxerit, vt in deſtillationibus apparet, ſiue aliquid aſperis arterijs inhæſerit, vt in pulmonis, & laterum inflammatione accidit. atque ideò hic caſus morbum comitari ſolet, qui ex ſpiritus meatuum obſtructione prouenerit. MATHE. Quod ſecundum tuſsis genus eſt? GERON, Quod ex inſtrumentorum reſpirationi ſeruientium intemperie oritur. hac laborantes nihil inter tuſsiendum expuunt. ea neq; violẽta, neq; coacta eſt, ſed adeo exigua, vt vel in totum, vel aliqua ex parte, ſupprimi, & ne eueniat, prohiberi poſsit. Eadẽ verò non modò ſpiritus cohibitione fieri impeditur, ſed etiam leuatur, ſi non ſit admodum magna. Nam calor ſpiritu in ipſius in-

TVSSIS.

Spiritus instrumenta.

Tuſsis genera.

Quid tuſsis propriè.

ſtrumentis cohibito augetur, & hic à pectore violenter preſſus, compulſúſque omnes meatus permeat. quibus vtriſque peractis omnia ad temperamenti æquabilitatem rediguntur, præſertim ſi refrigeratis reſpirandi inſtrumentis procreata fuerit. MATHETES, Sub quo vitio hæc tuſsis continetur, & qua ratione gignitur, qúæque partes in ea afficiuntur, & quibus è cauſis oritur? GERON, Certè ſub eodem genere, quo rigores & horrores. in hoc autem differt, quòd ipſa celeriùs percipiatur: cùm reſpirandi inſtrumẽta nunquam conquieſcãt. Itaq; hęc etiam præcipuè autem thoracis muſculi, in tuſsi iſta ſunt affecti. MATHE. Quibus actionibus corporis oblęſis hęc tuſſis accidit? GERON, Naturalibus, præſertim excretrice: non autem animalibus: quia muſculi, vt ea expellant, quę moleſta ſunt, cõcutiuntur, tuſsímq; excitant, non autem vehementer pulmonibus incumbunt, vt multam celerémq; efflationem concitent. Atq; totus hic ferè motus, vti rigor naturali facultati attribuendus eſt MATHETES, Quibus notis hoc tuſsis genus à priore dignoſcitur? GERON, Primum validum, vehemens, ac violentum eſt: quod impediri prorſus nequit, ne eueniat: thorax valdè in eo comprimitur, vt multã eandémq; plenam efflationẽ excitet. Nemo enim citra vehemẽtem thoracis conſtrictionẽ, ſubmiſſionémq; tuſſire poteſt.

Secundum tuſsis genus.

Ægri inter tuſſiẽdum ſemper aliquid expuunt, niſi illa, quę ſpiritus vias obſtruunt, valde ſint aquoſa, & lenta, ſeu viſcoſa. ferè autẽ antecedit tuſsim exiguus ad illam excitandam impetus, qui gręcè κερχνὸς, dicitur, ſicut nauſeę vomitiões. Vt autem in nonnullis vomitus nauſeam nõ ſequitur, ita neq; impetum illum tuſsis comitatur, idque propter cauſæ prauitatem vt interim ex parua faucium aſpredine, interim ex tenui aliquo, exiguóque humore contingit. MATHETES, Quæ pars corporis in tuſsi afficitur? GERON, Cûm ſpiritus ab humore è capite defluente intercipiatur, aſpera ipſa arteria. MATHETES, Qualis humor ille eſt, qui vias ſpiritus obſtruit? GERON, Ex qualitate deſtillationis antecedentis percipi poteſt: nec non ex ipſa eſſentia & diuerſa qualitate eius, quod per tuſsim excernitur, inueſtigari. Iam ea quæ ex capite defluunt, illis reſpondent, quæ inter edendum, bibendúmque in guttur, & aſperas arterias deſtillant. Id autem conſtabit ex eo, qui ſic affectus eſt, & ex ſermone aſsiſtentium. Accidit interdum etiam, vt excrementum aliquod in aſperis arterijs, ac thoracis ſinu collectum ſit, eóque vehemens tuſsis excitetur, vt in laterum dolore & thoracis vomica, pulmonis inflammatione, ac tabe euenire conſueuit. Quæ verò tuſsis cum partium titillatione ab vtraque palati regione euenit, defluxum à capite ad aſperam arteriam, & pulmonem ferri oſtendit: quam malignam,

gnam & contumacem appellant. Alterum tussis genus diuersa habet signa, quàm superius sunt recitata. nō est validum, violentum sed exiguum, & imbecille, vt cohiberi, vincique, vel in totum, vel aliqua ex parte possit. MATHETES, Quæ causæ huiusmodi tussim generant? GERON, Spiritalium instrumentorum refrigeratio, & aliæ intemperies. nam tussis non maligna, ac arida, quę parùm, aut leuiter irritat, ob faucium, seu arterię asperitatem, aut ob spiritus instrumentorum intemperiem aliquando frigidam, vt sub ventis aquilonaribus, oritur. Etenim valde frigidus aër inspiratus interdum faucium, & asperę arterię regionem exasperat, refrigeratque: interdum etiam toti pulmoni pectoriq; intemperiem inducit. Plerunque ambo quoque hæc eueniunt: ob quæ arida, ac paruula tussis molestat. id indicat, quòd pulmo, cum spiritum attrahit, ad tussim prouocetur, præsertim cùm multus aër subitò, dum ægri loquuntur, oscitant, ac spiritum ore ducunt, ingressus fuerit. Quòd si quispiam aërem per nares attrahat, & externum in ædibus suis calefecerit, tunc certè parum, aut nequaquam tussit. Quapropter tussis hæc, tum ob aërem exteriorem frigidum, eúmque copiosum, quando membris prius refrigeratis exasperatísque obuius occurrit, tum ob æstum vehementem, nimiámque ariditatem, ab aëre circumfuso generatur. Nam ipsa, cùm spiritus instrumenta intemperie laborant, partésque nuper dictæ exasperatæ sunt, quod in febribus sæpe accidit, ab vtraque intemperie excitari potest. In hac autem tussi ægri frigidum aërem respirare desiderant, eóque iuuantur, & faciem habent rubicundam, sitiq; cruciantur. MATHETES, Potest né tussis ex sola humida intemperie prouenire? GERON, Nequaquam. quia acris adeò non est, vt motum hunc excitare, ac inęqualem intemperiem efficere queat. MATH. Potést ne à sicca? GERON, Opinor. quanquam citra calorem, aut frigus, eam omninò fieri nunquam dixero. Bona igitur ratione exigua hæc tussicula, ex calida aut frigida intemperie, nunc sola, nunc cum siccitate coniūcta excitatur. MAT. Vnde hęc tussis arida, ac leuis, in qua nihil expuitur, prouenit? GERON, Aliâs ex puluere, fumo, cibis & potionibus, quę fauces exasperant. aliâs ex lumbricis stomachū infestātibus, acriq; humore, qui ipsum perturbat. Quinetiā eadē aliquādo iocinore, liene, ac alijs quibusdā partibus affectis excitatur: id quod ex proprijs illarum indicijs dignoscere licebit. MATH. Est ne hæc tua sententia, quòd hęc tussis ex inęquali instrumentorū intemperie, non autē ex meatuū obstructione proueniat GERON. Est vtiq;. MAT. Quot modis igitur tussis arida leuiter irritās oriri cōsueuit? GER. Tribus, nempe, aut ob spirādi instrumentorū intemperiem,

Causæ secundæ tussis.

Tussis ex aere inspirato frigido & ex æstu vehementi quando fiat.

An tussis ex sola intemperie humida.

Tussis arida.

Tuſsis arida quot modis fiat, & ex quibus

aut ob faucium aſperitatem,aut ob tenuem aliquem,&modicum humorem deſtillantem.At ſi eadem inde generetur, quòd craſsi lentique ſucci circulis cartilagineis aſperæ arteriæ firmiter infixi ſint,vel quòd humor è capite ad aſperam arteriam deſtillans,aquę modo tenuis exiſtat, non amplius exigua leuiſque, ſed valida, & magna excitabitur. Sunt,qui duas tantum tuſsis ſpecies enumerent,humidam nempe,& aridam. MATHETES, Quid de illis curandis ſperare licet? GERON, Quæ ex humore capitis ad ſubiectas partes deſtillante oriuntur,vel ex viſcerum ſpirationi familiarium cuiuſdam vlcere, aut ex quodam illorum abſceſſu,,aut pure in eis collecto: omnes ſunt malignæ,& contumaces, eóque periculoſæ:Hippocrati ferinæ appellantur.reliquæ autem tuſſis ſpecies tam prauæ non ſunt,neque periculum minantur, ſed curatu faciles ſunt.MATHE. Quo tempore homines frequentius tuſſiunt? GERON, In ſtatu aëris aquilonari. hoc autem obſeruari debet, quòd ſanguinis ſputum validæ tuſsi inueteratæ ob vehementem thoracis motum ſuperuenire ſoleat. quamuis autem ipſa ob faucium exulcerationem ferè moleſta ſit: interdum tamen per ſe quoque oboritur, & vix, cum inueterauerit, eliditur. at ſi ex inflammatione pulmonis,aut laterum, aut ex pure in thorace collecto,aut ex tabe,aut ex alio id genus vitio in ſpirandi inſtrumentis contracto,aut ex ſpiritus difficultate, ſeu anhelatione excitetur,facilius curationem recipiet. Quæcunque autem promptè aliquid emolitur,materiámque educit leniter, ídque citra dolorem,& oculorum rubedinem, ea ſecuritatem pollicetur. quæ contra vix aliquid expellit,peſſima cenſetur.quæ prius humida fuit,nunc autem ſubitò redditur ſicca,ſic vt pectus graue maneat,febris vel putridæ,vel hecticæ, vel pulmonis exulcerati periculum indicat. Præterea omnis tuſsis mala iudicatur,qua ſomnus eripitur,ſeu interpellatur. illa quoque malè habet ægrum, quæ frequens longo tempore grauiter hominem deſtillatione moleſta exercet: quia hinc ſanguinis ſputum,&tabes comitari ſolet.At tuſsis,quæ ſemper continuatur,pulmonem vitiatum, aut veterem pectoris obſtructionem indicat.quæ à deſtillatione prouenit,ea per interualla, pro vt humor influit, bis terúe per annum repetit.ſi lentus autem humor intus eſt,tuſsis vehementiſsima,eáque ſicca euadit,qua nihil ferè eliditur,ſpiritus difficulter trahitur, ídque cum ſtertore quodam ac ſibilo, vt in anhelatione, ſeu aſthmate percipi ſolet. MATHETES,Quod vitium eſt difficilis ſpiratio?

Prognoſticum.

Tuſsis ſpecies malignæ.

Sanguinis ſputum poſt tuſsim.

SPIRANDI difficultas.

GERON, Quælibet reſpirationis offenſio, aut ſimplex, aut compoſita, ſiue illa exigua, ſiue magna, ſiue imbecilla, aut vitiata fuerit,Græcè δύσπνοια vocatur: eáque non ex toto ſtrangulat:

gulat: cùm autem magna, & grauis incidit, suffocatoria nobis, Græcis πνιγώδης dicitur: in qua celeris, crebra & magna est respiratio, sed paucus aër attrahitur, & in pectore, spináq́ꝫ, vbi pulmones membranis adhęrescūt, grauitas percipitur. quę autem vehementiùs vrget, Græcè ἆσθμα dicitur. ea verò spirandi difficultas, qua non nisi recta ceruice spiritus trahi potest, Græcis ὀρθόπνοια nuncupatur. Tres igitur species, pro maiore, aut minore offensionis modo differentes, sub denso crebróue spiritu continentur. si quę moderatè talis fuerit, ea communiter difficultas spirandi appellatur. in qua ille verò magis creber fuerit, anhelatio, siue asthma: in qua frequentissimus, sic vt iacentes ægri suffocentur, ea ὀρθόπνοια dicitur. MATHETES, Quę igitur affectio vocatur spirandi difficultas? GERON, Crebra seu densa quædam respiratio, citra sonum & anhelationem febrémque. atque in hoc omnes tres species spirandi inter se conueniunt, quòd febri careant. MATHETES, Quæ nam partes in ijsdem afficiuntur? GERON, Instrumentariæ, & in ijs aspera arteria, quæ in ceruice, & thorace continetur, seu eius propagines, quæ in pulmones distribuuntur: quod sæpius eis accidit. sunt enim arctiores, eóq́ꝫ promptiùs obstruuntur, strictioréśque, seu angustiores euadunt. MATHETES, Vnde constat, quòd aspera arteria in hisce tribus vitijs afficiatur? GERON. Inde, quòd licet thorax maximè dilatetur, eóque magna fiat respiratio: tamen aëris inspirati copia, nequaquam illius distentioni proportione respondeat. siquidē modicus aër inspiratur, vt ægri ideò crebrò & celeriter spirare cogantur. Qua de causa duo respirationis magnę sunt discrimina: quorum vnum pro magna thoracis dilatatione æstimatur: alterum ex aëris ipsius inspirati copia. Quantus igitur spiritus semper attrahitur, tantum etiam thorax distēditur: quando instrumenta illius naturaliter se habent. quando autem malè fuerint affecta, fit interdum, vt thorax plurimùm distēdatur, sed parum externi aëris inspiretur. verùm ea nō pro respirandi instrumentorum affectionum omnium proportione, sed pro asperarum solum arteriarum inspirationibus contingunt. id autem non alio modo dignoscere poteris, quàm si ipsum tantummodo aërem inspicias, quantus inspiretur, quantúsq́ꝫ rursus expiretur. MATH. Quid mouet aliquem, vt difficulter spiret, præsertim cùm omnes thoracis musculi mouentur? GERON, Aut virium imbecillitas, aut vehemens cordis & pulmonis calor, aut viarum spiritus angustia: quamuis duę, aut tres, licet rarò causæ ex iam commemoratis concurrere possint. MAT. Quomodo dignoscitur, vnde difficultas respirationis generetur? GERON, Si motus omnium thoracis musculorum, & septi transuersi quoque paulatim fiat, eorúmq́ꝫ actio

Anhelatio.

Communis spirandi difficultas.

Anhelatio.

Signū commune tribus spirandi speciebus.

Partes in spiratione affectæ.

Duo respirationis discrimina.

Quid difficilem respirationem effecerit.

Signa cuiúsque causæ respirationis.

neque frequens, neque rara fuerit, neque thoracis dilatatio magna, nulláque efflatio fiat ab ore, & ſpiritus ex ſolis naribus emittatur, ſique harum pinnæ per inſpirationem manifeſtè contrahi videantur: ex ſola virium imbecillitate prouenit. vbi autem cordis, & pulmonis calor ſpirandi difficultatis auctor extiterit, tunc omnes quidem thoracis muſculi mouentur celeriter, crebrò & vehementer: nec non ſpiritus calidus frequenter efflando eliditur eſt. quando autem vniuerſus thorax magna ex parte, & celeriter, & crebrò dilatatur, & efflatio prorſus intercidit, & calidus ſpiritus non emittitur: tunc ſpirationis difficultas, anguſtiæ inſtrumentorum ſpiritus fertur accepta. Atque hæc ſunt ſpecierum illarum ſpirandi difficultatis indicia. vt iam rectiùs intelligas, quis ſit reſpirationis difficilis affectus, dico actionis voluntariæ eſſe offenſam in omnibus, non autem abolitionem, quæ Græcis ἄπνοια vocatur: ſed imbecillitatem, aut interdum quoque deprauationem: quamuis rariùs, & in ea, quæ non niſi recta ceruice fieri poteſt, vnde Græcis vocata eſt, ὀρθόπνοια. MATHETES, Quibus proprijs indicijs ſingulæ inuicem ſeparantur? GERON, In ſpirandi difficultate generaliter appellata, ſpiritus denſus duntaxat, iſque modicus citra ſonum, & anhelationem apparet. in hac præter maiorem illius denſitatem æger ſine ſono, & anhelatione ſpirare non poteſt, in orthopnæa non ſolum magna ſpiritns frequentia percipitur, ſed ille etiam non niſi recta ceruice trahi poteſt, & cum ægri decumbunt, ſtrangulari videntur. Id autem omnes illæ ſpecies commune habent, quòd aſperæ arteriæ anguſtiam comitentur: quanuis interdum viæ ipſæ, per quas aër inſpiratur, obſtructæ & coarctatæ malum hoc, pro vt variæ ſunt cauſæ, generare poſsint. MATHETES, Quæ cauſæ potiſsimum, & quot eiuſmodi difficultatem ſpirationis excitare ſolent? GERON, Non vna, ſed plures, lenti, ac craſsi, ſiue copioſi humores fiſtulis ipſius inhærentes, aut hi ipſi aliunde ad ipſos delati, qui arteriam ipſam obruunt: aliquando alia materia pulmonum arterias opplens. fiunt autem tum hi, tum eorum arteriæ etiam natura anguſtiores. Porrò non modò ij, qui depreſſo conſtant pectore arctóque, ſed etiam illi, qui ex victu pleniore, & vita otioſa fiunt obeſiores, huic vitio ſunt opportuni. Nam in his omnes corporis meatus valdè ſunt arcti, & exiles, ſpiritus paucus leui occaſione, ſinéque humoris influxu, interdum aufferri extinguique ſolet. MATHETES, Quo pacto omnes iſtæ cauſæ diſtinguuntur? GERON, Ex ſymptomatis antecedentibus. etenim, ſi quis per bonam valetudinē, cùm ſolitas actiones obire poteſt, difficulter ſpirare inceperit, pergátque magis ac magis paulatim, ſic vt

Sub quo affectu ſit ſuſpirandi difficultas.

Quibus notis reſpirationis ſpecies ſeparentur.

Cauſæ difficultatis ſpirandi.

Qui natura difficulter ſpirent.

Cauſarum diſtinctio.

ſic vt neque ſtertat inter reſpirandum, neque quicquam expuat, nulla deſtillatione præcedente, crudi tuberculi orti ſupicio eſt. At cùm non ſolum difficilis reſpiratio, verum etiam pulſus omninò varius, inæqualis, intermittenſque, vel interciſus fuerit, nec non cordis palpitatio, animique defectio quædam, corde iam oppreſſo acceſſerit: tunc vel tuberculum, vel aliud quippiam non aſperis, ſed leuibus pulmonum arterijs inhæreſcit. Quòd ſi reſpiratio ſonum ſtertendo adferat, copiæ lentorum craſſorúmque humorum pertinaciter inhærentium fiſtulas pulmonis infeſtantis, nota eſt. Si quis illicò ob anguſtiam difficulter ſpirauerit, defluxionem humoris, vel à cerebro, vel à vicinis ei partibus, in pulmones incidere denunciat. Porrò ſi affectiones iſtæ ex alijs quibuſdam cauſſis nonnunquam oriantur, vt ex angina, pulmonis, & laterum inflammatione, pectoris ſuppuratione, aut humore aliquo tanquam abſceſſu in pulmone excitato, aut id genus alijs, ex proprijs ſuperiorum vitiorum notis dignoſcendæ ſunt, maximè verò, quòd non ſine febri vrgeant. MATHETES, Quid de his præſagire licet? GERON, Prima ſpirandi difficultas diutius prorogari poteſt ſine incommodo: laborantes autem ea nunquam melius habent, quàm per quietem, ieiunium, & cęlo ſereno: reliquę duę, anhelatio & recta ſpiratio acutę eſſe ſolent, vt quę ob vehementiſſimas acceſſiones ægros interdum ſtrangulent. anhelatio valida ſenibus oborta, ad mortem vſque ipſos comitatur. Qui gibboſi ex anhelatione, aut tuſſi fiunt: ante pubertatem intereunt. Cæterùm hoc vitium magis viros quàm mulieres, magiſque ſenes, pueros, teneróſque alios quàm iuuenes & robuſtos, idque per hyemem quàm in æſtate, noctu quàm die magis infeſtat. Hi ipſi autem ad anhelationem ſunt procliues, qui frequenter deſtillatione & tuſſi laborant, præſertim ſenes, & anguſtis pulmonibus præditi. MATHETES, Ad quarum partium morbos, honorate præceptor, nunc tranſeundum putas?

Crudum tuberculum in pulmone.

Copiæ lentioris humoris nota.

Defluxionis humorum indicum.

Præſagia.

Anhelatio periculoſa.

Gibboſi

Spirationis difficultati & anhelationi, qui ſint obnoxij.

GERON, Ad viſcerum, & imprimis ad pulmonis. cuius vehemens & acutus exiſtit, quem Græci περιπνευμονίαν vocant. Eſt autem inflammatio, ſub qua, aut phlegmone, aut eryſipelas Græcè dicta continetur. MATHETES, Quæ morbi huius eſt conditio? GERON, Magna ſpiritus difficultas, præcordiorum totiúſque pectoris grauitas, magnæ febres, continua vigilia, cibi faſtidium, tuſſis bilem, vel pus trahens, & tabes ſubſequitur: malę ſupra modum tanquam inflammatæ rubent, oculi intumeſcunt: idque magis ex pituitoſo ſanguine, quàm ex bilioſo: & ſi phlegmone infeſtat, ſputum cruentum eſt, niſi morbus admodum crudus exiſtat: præcordiorum ac totius pectoris anguſtia præmit,

PVLMONIS affectus.

Quæ ſuccedant pulmonis affectui.

summáque pectoris, & dorsi grauitas sentitur: quanquàm febris acuta non admodum hominem occupet. Si verò erysipelas affligat, tussis flauum sputum trahit, non multo cruore tinctum: pectoris angustia, & grauitatis sensus minor percipitur, febrísque ardens vrget. adhæc vitium istud modò per se oritur, modò anginæ, vel pleuritidi succedit, dum humor repentè è faucibus, aut à latere in pulmones fertur. MATHETES, Quæ pars in malo hoc affecta dicitur? GERON, Pulmo, quocunque ex humore illud ducat originem: id quod spirandi difficultas, & tussis, quę necessariò comitantur, indicant. Quia verò communia tum partis affectę, tum morbi huius sunt indicia, necesse est, vt singula quoque explorata habeas. MATHETES, Ea igitur obsecro mihi percenseas GERON, Pulmonem inflammatum indicant, maxima spirandi difficultas, atque angustia: qua laborantes suffocari videntur, rectíque sedere conantur: nec non calidum sentiunt spiritum, maximè si inflammatio fuerit erysipelacea. Quare vbi illi plurimùm efflant, iuuari videntur, multúmque aërem frigidum attrahere percupiunt. quinetiam grauitatem quandam thoraci incumbentem doloremémque ex imo, ad ipsum spinámque peruenire frequenter sentiunt: eò quòd etiam membranæ eundem ambientes ibi suspendantur. At pulmo nunquam vehementi dolore cruciatur: membranarum autem ipsius ratione, cum grauitatem, tum extensionem quandam, vel ad pectus, vel ad spinam interdum percipere potest. Porrò si ille inflammatione laboret, acuta etiam febris incidit: si erysipelas eundem occupet, intolerabili incendio flagrat: angustiæ verò & grauitatis sensum minorem experitur. Quòd si ægri sputum inter tussiendum edant, id sicut in pleuritide, nunc hoc, nunc illo colore tinctum cernitur, pro vt humor diuersus fuerit, qui inflammationem excitarit. MATHETES, Quod proprium in peripneumonicis signum existit? GERON, Malæ rubræ, pulsus magnus, languidus, mollis, inæqualis & vndosus: nonnunquam etiam bis feriens, Græcè δίκροτος dicitur. Cum autem omnes pulmonis inflammatione affecti, acuta febri laborent, & soporis aliquid habeant, vtrum ex ipsis exuperet, pulsus frequentia ostendit. nam in febri ardentiore, ille multò est freqentior: si sopor excellit, minùs ille creber erit. Postremò alia quoque symptomata pulmonis inflammationem comitantur, vt anxietas, impotentia, iactatio, lingua flaua: quamuis temporis processu nigrescat. Interdum etiam delirium, oculorum tumor, nares simæ, & venæ temporum elatæ, cibiq; fastidium. MATHETES, Quibus notis humor inflammationis opifex dignoscitur? GERON, Si sputum tussiendo redditum, rubrum apparet, sanguis indicatur: si flauum, aut pituitosus:

Pars offensa.

Pulmonis inflammati notæ.

Pulmonariorum signum peculiare.

Humor, inflammationis auctor quibus noscatur.

sum, seu pallidum, biliosus sanguis: si spumosum, & candidum, pituitosus: si nigrum, aut liuidum, melancholicus illum generasse ostenditur. MATHETES. Quid si nihil expuatur? GERON. Tunc coniecturam sumes ex maiore, vel minore calore, seu incendio thoracis, angustia, respirationis difficultate, grauitate, temperamento, ætate, habitúque diuerso, regione, aëris statu, anni tempore, & antecedente victu. MATHETES. Quem in hoc morbo euentum promittere potero? GERON. Plus periculi, quàm doloris habet. ac de, eo vt breuissimè septimo die, aut quartodecimo iudicatur: vt longissimè verò, decimo octauo. pauci malum hoc euadunt: sed vbi diem vigesimum excesserint, non amplius intereunt, sed pus expuunt, pectoréque dolent, & tussiunt: quia ex hoc quoque vitio, pectore suppurati fiunt. Quòd si sputum flauum non multo sanguine permistum inter initia excreetur, inflammatio pulmonis bonam spem ostendit: si verò die septimo, aut tardiùs, minorem: si vires in ea sunt imbecillæ, perniciosa est: si spumosum ac biliosum, & nonnunquam cruentum, valdéque floridum per tussim reddatur, exitium minatur. quando etiam vigiliæ magis vrgent, aut somni breues, quæ stuporem ac delirium inducunt. quibus imaginatio mentem perturbat: & mala præsentia non admodum percipiuntur: extremáque membra frigent: & vngues liuidi incuruantur: quarto, aut septimo ad summum die emoriuntur. Quòd si morbus ad melius conuertatur, multus sanguis è naribus erumpit, aut aluus largos humores biliosos spumosósque excernit: interdum pus inflammatione iam suppurata per ventrem, aut vrinam expurgatur, statímque ægri omni molestia leuantur. Sin autem pus in pulmonem largiter eruperit, aut strangulat ægrotantem, aut in tabem per graues accessiones conuertitur. Porrò inflammationes pulmonis ex laterum affectu obortæ, minus sunt periculosæ, quàm quæ ab initio contrahuntur. quamuis quæ illi superuenerint, nihil boni denuncient. MATHETES. Quæ alia vitia huic sunt proxima?

Prænotio.

Quando pulmonis affectus vel sanabilis, vel desperatus.

SVPPVRATIO

GERON. Pectoris suppuratio, quæ Græcis ἐμπύημα dicitur: sub qua pulmo totus pure, vel ex ipsiusmet, vel ex laterum inflammatione, vel ex angina contracto repletur. nisi enim partes affectæ per tussim expurgentur, abscessus exoritur. hoc tandem rupto, pus vniuersum sæpe in sinum thoracis influit, idémque tamdiu etiam postea è sordido vlcere destillat, donec immensa denique copia accumuletur: quæ ægros plærunque strangulat: aliquando pus ex abscessu in os erumpit, excreatúrque. MATHETES. Quot igitur eius sunt species? GERON. Tres potissimùm: vna, qua cuiusque partis inflammatio in pus degenerat: altera

Tres suppurationis species.

qua hoc vniuersum in thorace & pulmone continetur: sic tamen vt partes istæ inflammationem sint expertæ: tertia ac præcipua existit, qua inflammatio lateris, aut pulmonis, non in pus transit, sed hoc in regione illius & thoracis intermedia colligitur, seu in eam infunditur. atque hi, in quibus id accidit, suppurati propriè vocantur. vt autem ea, quæ dixi, rectè intelligas, omnis suppuratio, quacunque in corporis parte contineatur, puris est, tum generatio, tum congeries seu collectio. peculiariter autē, ea quę in thorace, aut abdominis sinu gignitur. quæ verò in alia corporis sede excitatur, si grandiuscula est, abscessus: si minor, vomica nominari debet: de qua postea agemus. MAT. Quæ pars in hoc malo potissimùm, ac verè afficitur? GERON, Thorax perpetuò, præsertim intermedia eius, & pulmonis regio: eóque ægri, cum illa pure scateat, angustia vrgentur, adéstque spirandi difficultas, tussis, & grauitas quædam in imo pectore percipitur. At si pus nondum in eandem sedem influxerit, sed totum in parte prius inflammationem experta substiterit, pulmonē, aut membranam costas succingentem malè habere, ex spirandi difficultate, aut laterum dolore antecedente cognosces. MATHETES, Quomodo depræhendam, vbinam pus contineatur? GERON, Si in pulmonis, tum dextra tum sinistra parte colligatur, ęgri tanquam onus quoddam ambásque partes ęquè calidas persentiunt, & tam leniter, ac promptè in vno quàm in altero latere decumbunt. MATHETES, Quid si in altero tantum suppuratio fuerit? GERON, In altero quoque potius, quàm in vtroque pus collectum erit: neque, vbi in in dextro hæret, in finistrum: neque contra, vbi in sinistro existit, in dextrum traduci potest. MATHETES, Vnde pars affecta cognoscitur? GERON, Inde quód calidior sit, quàm reliquæ, quódque ægri in eadem duntaxat dolorem, seu grauitatem sentiant: & cùm in partem sanam decumbunt, onerare eam ex pondere aliquo videntur. MATHETES, Cùm suppurationem triplicem esse dixeris, oro te, vt proprias cuiusque speciei notas explices. GERON, Cùm inflamātio ad suppurationem tendit, rigor pręter rationem inuadit, febrísq; vehementior quàm antea comitatur: nec nō grauitas potius quâm dolor multus percipitur. adhęc grauitas pectoris, tussis valida & sicca cum dolore affligit: interdum etiam humida adest, ob quam ægri quoque releuari videntur. MATHETES, Quę signa abscessum erumpentem indicant? GERON, Quamuis dolor, febrísque pure iam confecto, mitiores appareant: tamen, cùm abscessus breui erupturus est, ægri rursus vehementiùs cum horrore quodam febricitat: sermo eorum præceps & intercisus est: nares inter spirandum arctantur adeò, vt sibilus per eas elidatur.

Suppurati.

Notæ inflammationis suppurascentis.

Abscessus erumpentis indicia.

MATHE-

MATHETES, Quæ ſuppurationis propria ſigna exiſtunt? GERON, Abſceſſu rupto, puréque inter thoracem, & pulmonem effuſo, febres vehementes, dolórque magna ex parte remittunt. quamuis ægri continua quadam hectica febri laborent. præterea ſudor multus oritur: tuſſiendi adeſt cupiditas, & pené nihil in tuſſi excreatur: oculi ſunt caui: malæ rubent: venæ ſub lingua inalbeſcunt: vngues in manibus fiunt adunci: digiti maximéque ſummi calent: in pedibus tumores ſunt: ſpiritus difficiliùs trahitur: cibi faſtidium ſemper vrget. eo autem aſſumpto corpus grauius habere incipit: puſtulę toto corpore oriuntur. MATHETES, Qualis ſuppuratio eſſe ſolet, vbi ab vlcere pulmonis intus colligitur? GERON, Superiori ſimilis: cùm iam incipit, pulſus in ea inęqualis, inordinatus, & in totum hecticus depræhenditur. vbi pus confectum eſt, paulò fit æqualior: vbi ſuppuratio erumpit, tardior, rarior, languidiórque percipitur. MATHETES, Quomodo ſuppuratio ab angina, vel ab inflammatione pulmonis orta, ab alijs diſtinguitur? GERON, Vtrumque ferè pectoris ſinum membrana interſeptum obſidet. MATHETES, Vnde ſuppuratio à lateris inflammatione procreata dignoſcitur? GERON, Inde quòd ipſa partem affectam tantummodò affligat. MATHETES Laborant né omnes ſuppurati febri, eáque hectica, ſicut antea docuiſti? GERON, Ita, quatenus verè ſuppurati ſunt. nam quibus ſuppuratio ex ſeroſo, aut pituitoſo humore capitis in ſinum thoracis defluente, ibique putreſcente contrahitur: ij citra febrim laborant, & tabidi potius quàm ſuppurati nominari debent. Hippocrates deſtillationes in thoracem factas intra dies viginti ſuppurari, hoc eſt concoqui, euinci & puri quidem ſimiles effici, non autem verè in pus conuerti docuit. nam ſi pituita ex capite ad pulmonem deſtillet, ibiq; diu hæreat ac putreſcat, ille temporis ſpacio exaſperatur, intúſque exulceratur: ſimúlque grauitas oritur in pectore, & dolor in priore eius, & poſteriore parte: nec non corpus magis incaleſcit, & totum imbecillius fieri, extenuaríque incipit. adhæc ſpiritus etiam tunc per ſibilum eliditur. Porrò quò magis vitium hoc inueteraſcit: eò pus ſincerius excreatur, magíſque febris inualeſcit, & tuſſis ſitíſque vrget vehementior. aliquando ingens cibi appetentia: aliquando vini meracioris. ſæpe etiam æger ſudoribus digeritur: poſtea pedes eius intumeſcunt: aluus inferius turbatur: ſputum retinetur: tandem interitus ſequitur. MATHETES, Quid ſub eo caſu expectari ſolet? GERON, Bona ſæpe valetudo: ſi pituita, priuſquam in pus traſierit, expuatur: aut ſi intra diem vigeſimum, vt ferè accidit, intus maturata: tunc quoque ſputo rejciatur. Niſi enim hæc eueniant, vel tabes, pulmone exulcerato, ſi hu-

Suppuratinis propria ſigna.

Suppurationes quomodo inter ſe differant.

Prænuncia

mor acris eſt, vel certè anhelatio, ſi lenis ac roſionis expers, comitari ſolet: nonnunquam pituita ex capite in latus defluit, membraniſque incluſa adhęreſcit, ſuppurátq;: atq; tunc illud plærunq; exardeſcit: multus ſpiritus trahitur: vox rauceſcit. quo in loco corporis morbus infeſtat, eo pectus modicè incuruatur, pedéſq; tandem & genua intumeſcunt: aliâs horrores incidunt: aliâs ſudores copioſi erumpunt. æger autem ſemper imbecillus eſt: modóq; calidus, modóque frigidus depræhenditur. vngues etiam contrahuntur, & aluus incaleſcit, ægérque demum ſtrangulatu, aut viribus certè exhauſtis emoritur: niſi pus vniuerſum ſputo multo, prius rupto abſceſſu euacuetur, quàm indicia hæc appareant.

Signa pulmonis exulcerati.

MATHETES, Quæ ſigna comitantur, ſi pulmo ob venam ruptam exulceratus, & pus collectum fuerit? GERON, Sanguinis portio ſtatim expuitur: portio in pulmonem fuſa computreſcit, ſuppuraſcitque: aliquando cruentum per tuſſim educitur.

Prognoſtica.

MATHETES, Quis huius euentus eſſe ſolet? GERON, Iuniores citius hoc malo tentantur, grauiúſque afficiuntur, quàm ſeniores. quanquam vtrique perire cogantur, præſertim ſi iam inueterauerit, & caput affligi, corpúſque contabeſcere ſimul incipiat. Idem etiam de ſuppuratione à vulnere facta, quod pectori aliqua parte illatum ſit, dici poteſt. nam ſanguis in vacuam illius regionem illapſus etiam in pus conuerti ſolet: eóque idem periculum ex eo metuendum eſt, vbi ſauciati pectoris vulnus foris tantum, non autem intus conſanatum eſt. nonnunquam venæ pulmonis lateriſq;, ceu varicibus quibuſdam obſidentur: quibus, quaſi acutus morbus incidit: atque huic deinde leuis dolor, & tuſſis arida ſuccedit. Quòd ſi iam diu nulla vitij huius ratio habita fuerit, paulum ſanguinis eiúſque ſubnigri expuitur: deinde ſinceriſſimus maiori copia erumpit: poſt hunc pus ipſum: cuius gratia æger proceſſu temporis tollitur.

Quæ communia ſuppuratis eueniant.

MATHETES, Quæ generatim ſuppuratis euenire ſolent? GERON, Si æger, qui hoc laborat, concuſſus magnum ſtrepitum intus audit, is minus puris habet, faciliúſque ſpirat, & ſpecioſor coloratiórque factus eſt. qui verò nullum ſtrepitum abſceſſu iam dudum rupto ſentit, ſed valde difficulter ſpirat, & vngues eius liueſcunt: is pure abundat, ac breui morietur. In quo latere pus continetur, id grauius, tum calidius exiſtit. vbi aliquis in ſanum latus cubare cogitur, maiórque anguſtia, & grauitas pectoris adeſt. vbi in eam partem, quæ afficitur, decumbere poteſt: tum ea ipſa, quæ dixi, minuuntur, ſomnúſque facilior ſequitur, & materia promptius tum matureſcit. tum expuitur. MATHETES, Quæ alia de ſuppurationibus præſagiri poſſunt? GERON Si dolores iuxta præcordia, & pulmones excruciant, periculoſum eſt: ſi quis

si quis ob hunc morbum vritur, aut inciditur, totúmque pus semel effluxit, certè mortis indicium est: sin autem paulatim, & moderatê emittatur, sitqúe leuiter cruentum, vel liuidum, vel nigrũ, vel viride: nec non sordidum pariter ac fœdũ, si incidit, ęquè certum interitus argumentum est: præsertim, si animi etiam defectio comitetur. Quinetiam si pus multa tussi è pectore sollicitetur, nihil autem eius elidatur, ægri viribus iam imbecillis, mors in vicino est. adhęc si quis, cum melius habere videtur, fœdi odoris sputum excreet: præsertim vbi candentibus iniectum est carbonibus, eum mali recidiua interimet. Tabes, & fusa aluus, puris sputo succedens etiam exitium denunciant. nouissimè, qui reliquis anni temporibus traxerunt, eos autumnus tollit è medio. MATHETES, Quibus notis huiusmodi suppuratione affecti ab alijs distinguuntur? GERON, Quòd neque spumosa per aluum deijciant, neque cum tussi excreent: asperæ verò pulmonis arteriæ humore, qui à capite defluxerit, concocto quidem, & puri simili, sed minimè spumoso, sæpiùs & manifestò sunt repletæ. MATHETES, Qui in suppuratis spem, vel periculum ostendunt? GERON, Qui febri eodem post eruptionem puris die liberantur, cibúmq; citius appetunt, & â siti vindicantur, aluúmq; reddunt modicam & coactam, ac pus album, leue, vniúsque coloris, & vacans pituita, absque dolore, & valida tussi excreant, superstites manent. At ij moriuntur, quos febris non deserit, aut, cùm iam desijsse videtur, denuò repetit, ægríque sitiunt: cibum autem non appetunt, & aluum habent liquidam: pus viride, liuidúmque, vel pituitosum, vel spumosum reddunt. MATHETES, Quid si alia ex his symptomata incidant, alia minus? GERON, Ægri partim intereunt, partim longo tempore consanescunt. MATHETES, Quid de suppuratis ex pulmonis inflammatione prædicis? GERON, Cùm hi per excreationem curari debeant, viribus egent valentioribus, ideóque minores natu potius quàm maiores seruantur. In alijs autem suppurationibus, cùm vehementiores dolores ac febres infestent, quando illæ fiunt, iuniores morte præuertuntur. MATHETES, Quid de suppuratis ex morbo laterali præsagiri potest? GERON, Si quadraginta diebus purgentur, ab eo tempore, quo fit suppuratio, liberantur, aut certè tabidi fiunt. Quòd si lateris, aut pulmonis inflammatio in suppurationem conuertatur, nunc sursum versus, quando etiam periculosior est, nunc deorsum erumpit. MATHETES, Quid si erumpat sursum? GERON, Pus, nisi quàm primùm excreetur, protinus tabem accersit, pulmonésque exulcerantur: si verò purulenta ista collectio inferius tendat, rumpatúrque, non adeò periculosa est: eò quòd per vasa quędam

Aliorum suppuratorum indicia.

Præsagia.

in aluum,&inteſtina,aut in veſicam tranſmittatur. At ij ſuppurati,quibus totus thorax ob multam puris inter illum, & pulmonem collectam materiam in reſpirando attollitur,celerrimè ſtrangulantur,tum affectus ipſius gratia,tum quòd vires omnium purulentorum ſint defatigatæ:vt quæ ob certamen,quod cum morbo habent,infirmiores reddantur. Porrò,vt non pauci intereunt:ita quoque complures manent ſuperſtites, præſertim, quibus purulenta congeries tuſſi expurgatur. Solent enim interdum ſingulis diebus ſex puris hæminæ,aut octo,interdum quindecim aut plures ſputo expurgari. MATHETES, Qua id fit ratione & modo? GERON,Dum expiramus,vniuerſus thorax vehementer conſtringitur:ac pus inter ipſum, & pulmonem contentum , per validam tuſſim comprimendo cogit: atque ad hunc ipſum impellit, ſic vt pulmonis membrana idẽ pus, ac quoduis aliud excrementũ ſimiliter penetrare concedat. Tunc enim thorax pulmonem vndiqꝫ, & vehemẽter admodũ comprimit:cúmqꝫ aſperæ arterię partes in ſinubus ſuis maiores quàm venę, lęuéſqꝫ arterię exiſtant,oriſque pateant amplioribus, & firmis adeò,vt non concidant,neque vndiquaque concludantur,eò quòd ſint cartilagineæ,pus in aſperas pulmonis arterias,non autem in læues,venáſqꝫ recipitur, & tandem per ſputum redditur. MATHETES,Quid vomica eſt cuius ſupra mentionem feciſti?

VOMICA.

GERON, Exiguus pulmonis abſceſſus , aliqua in pulmonis parte inhęreſcens,ac peculiari membrana incluſus adeò arctè continetur,vt vix aliquid fœdi in cor exhalet. frequens eſt in tabidis. non raro etiam extra tabem incidit : nempe cum ſanguis ex vena aperta,rupta, aut exæſa in paruam quandam pulmonis regionem ſecedens,in ea putreſcit, paulatímque in pus conuertitur. Latens hoc malum eſt,tum medico, tum ægro ſæpe incognitum:eò quòd hic conſueta adhuc numina obire poſsit. MATHETES,Quibus notis depræhenditur? GERON,Si ægri faciem habeant ſubliuidam,linguam humore quodam lento madidam : & ſi vrina longius à cibo & potu calidiore aſſumpto,corporíſqꝫ agitatione facile tingatur:pulſúſqꝫ ſit concitatior:adhęc ſi quandoqꝫ globuli quidã exigui , magnitudine piſi membranula incluſi, è pulmone,quãdo corpus vehemẽtius agitatur, excerni ſolent:qui digitis contriti pus fœdiſſimum referunt:quale excauo putríqꝫ, & carioſo dente nonnunquam expurgatur. Eſt,cùm repentinà vomicæ ruptæ materia in pulmonibus ſubitò hominem ſtrangulet : ex qua pus in cordis ſinum penetrarit, vim eius extinguens opprimenſque. quanquam non raro denſitas membranæ pus continentis prohibeat,ne tetrum quippiam in cor ipſum, vitæ officinam inſpiretur.

Vomica indicia.

tur. Hoc autem notandum eſt, omnes ſic affectos longè antequàm vomica erumpat, è pulmonibus cruenta ſimul cum tuſſi excreare, anhelitúmq; grauem, ac fœdum mouere: nec nõ corporis grauitatem, leuémque pectoris oppreſſionem, & ſpirandi difficultatem experiri: quando tabes rarò comitatur. MATHETES, Vnde vomica contrahitur? GERON, Ex membranæ coſtas ambientis, aut pulmonis inflammatione ſuppuraſcente: aut ex ſanguinis erumpentis, vlcere nondum ad cicatricem perducto: aut ex angina, quando ægri ab ea liberantur. MATHETES, Cùm iam ſputi ſanguinis mentionem feceris, cupio ex te ſcire, quomodo propriè græcis latiníſque nominetur? *Cauſæ vomicæ.*

GERON, His quidem excreatio cruẽta, ſiue ſanguinea, aut ſanguinis ſputũ: illis autem αἱμοπτύη, vel αἵματος πτύσις: quæ non ſolum inter alias illius excretiones, ſed etiã inter affectus naturæ contrarios perículoſior exiſtit, vt quæ pernicioſos longóſq; morbos magna ex parte excitet. MAT. Quid amâbo vitiũ hoc exiſtit? GER. Quęlibet ſanguinis ex ore eductio, ſeu excretio. cum autẽ ipſe à varijs corporis partibus per os feratur: diligenter proprijs indicijs diſtiguendæ ſunt. MAT. Dic quę ſint partes, vnde ille ferri ſoleat? GER. gula, ventriculus, thorax, pulmo, aſpera arteria, fauces, gurgulio, vel os ipſum, ſiue gingiuę. Id tamẽ obſeruari debet: ſanguinis fluorem à ſputo differre. ille enim plurimùm materiæ, hoc parum indicat. quæ ex gingiuis, aut vua, aut faucibus emittitur. MAT. Qua ratione, & modo ſanguis ex partibus illis excernitur? GERON, Ex gula & ventriculo, vomitione: ex ſpiritus inſtrumẽtis, tuſſi: ex faucibus & gurgulione, excreatu: ex oris, aut gingiuarum regione aliqua, ſimplici ſputo educitur. Sæpe etiam ſanguis á cerebro, & internis gurgulionis partibus ad fauces copioſiùs deſcendens, tuſſi effertur: vt qui ſubitò gutturi incidens, illam excitare poſſit. quod cùm accidit, nõ tantum affert periculi: quantum illius à pulmone admodum affecto, eruptio. Quinetiam interdum accidit: vt aliquis ſanguinem, ob hirudinem deuoratam, quæ in ea oris parte adhæreſcit, qua foramen ad nares tendit, pluribus deinceps diebus excreet. ſimilitér ſanguis hirudine epota, ex ventriculo per vomitum rejcitur. ſiue autem is ex illo, ſiue ex naribus, ſiue ex ore feratur, tenuis exiſtit, & ſaniem repræſentat. MATHETES, Quæ ſigna præter vomitum indicant ſanguinem è gula educi? GERON, Quòd non magna eius copia erumpat: cùm exiles illius venæ ſint, & ille cum nauſea excernatur, acrimoniáq; eius in deuorando percipiatur: pręſertim ſi aſtringentia, aut acria, aſſumantur. MATHETES, Quid ſanguinem ex ventriculo efferri oſtendit? GERON, Nauſea multa comitata, vomitióque: & ſi ille ſe-

EXCREATIO cruenta.

Partes leſæ.

Sanguinis fluor quid à ſputo differat.

Sanguis ex varijs locis, & diuerſa ratione educitur.

Sanguinis è gula prorumpentis ſigna.

Sanguinis ex ventriculo.

cundum cibum efferatur: idem cum hoc, vt etiam pituita, & bile nonnunquam permiſtus excernitur. MATHETES, Poteſtné mi

Sanguis ex iecore, vel liene.

præceptor ſanguis etiam ex proximis viſceribus, nempe iecore, & liene, in ventrem deferri, ex eóq; tandem vomitu reijci, iſque proprijs ſignis indicari? GERON, Poteſt, vti ex illorum confectione depræhendi licet. quòd autem ille etiam in ventrem inter-

Sanguis ex thorace erumpens.

dum defluere ſoleat, alterutrius viſceris tumor, dolórque oſtendet: nec non ſanguis grumoſus, concretúſq; & niger erumpens, eóq; magis, ſi à liene in ventrem deſcenderit. MATHET. Quæ ſanguinem ex thorace, pulmone, aut aſpera arteria educi oſtendunt? GER. Si ex thorace effertur: neq; multus, neq; ruber erit: ſed nigricans ac grumoſus, minúſq; calens tanquã è longinquo proueniẽs. Pręterea dolores circa eum vehemẽtiores ſunt: eò quòd complures nerui, ad thoracẽ ipſum perueniant: nec non, quòd hic muſculis oſsibúſq; abundet: item quòd ſanguis ex eodem prodiens, in-

Sanguis ex pulmone.

terim fœdum odorem exhalet, interim pure mixtus ſit. MATHETES, Qualis ſanguis ex pulmone ferri ſolet? GERON, Spumans, ſubalbidus, floridus, feruens: qui vniuerſè copioſéque citra dolorem, aut cum eo remiſſiore, & tuſſi reijcitur. Pulmo namque laxus, & ab iniurijs tutus, neruos duos admodum exiles, à ſexto

Sanguis per aſperam arteram.

neruorum cerebri coniugio duntaxat per membranam eius diſperſos, excipit: qui minimè per viſceris alta extenduntur. MATHETES, Quando per aſperam arteriam ſanguis ferri dignoſcitur? GERON, Quando paucus cum tuſſi effertur, dolórque iuxta aliquam

Sanguis ex faucibus.

illius partem ſentitur, & ille ipſe quodammodo pure eſt permiſtus, paucitáſque ſputi, & tuſſis non valida adeſt. MATHETES, Quando ſanguis è faucibus excreatur? GERON, Vel cùm ipſæ

Sanguis è capite.

primariò affectæ ſunt, vel ille conſortij lege à cerebro ad ipſas deſcendit. MATHETES, Quid ſanguinem à capite defluere demonſtrat? GERON, Quòd ille non ſolum ſcreatu, ſed etiam tuſſi interdum excernatur: adſitque palati ipſius titillatio, crebráque excreatio: quòdq; ægri ad tuſſim irritentur: quamuis non valdè tuſſiant: præſertim, vbi aliquid ſubitò gutturi incidit, capitíſq; grauitas vrget, aut dolor, auriumq; ſonitus vexat, faciei rubor apparet, venæ frontis eminent, vertigines accedunt, capitíſ-

Sanguis ex ore aut gingiuis.

que ictus nimirum, aut frigus, aut calor, aut temulentia anteceſſit: interdum conſueta per nares ſanguinis excretio cohibita. MAT. Quid ſi cum ſcreatu ſanguis educatur, faucéſque ſanguinolentæ

Sanguis ex capite in ventrem.

ſint, & veluti exulceratę? GERON, Hæ ipſę per ſe affectę eſſe ſolent. quemadmodum, ſi ſanguis ſputo ſimplici excreetur: tunc ex ore ſeu gingiuis profluere conſueuit. MATHETES, Qua ratione ſanguis à capite per gulam in ventrem defluere, vomitúque reijci

cogno-

cognoscitur? GERON, Ea, quòd omnia illa symptomata antecedant, sitque hic sanguis leuis, æqualis, atque purus, non adeò crassus, & colore niger, & quòd excreatu statim se in linguam inferat rotundus, facileque per sputum reijciatur. MATHETES, Cui affectui naturæ contrario cruenta ista excreatio ascribitur? GERON, Generi excretionum naturæ limites superantium: sic vt, nunc functiones offendant, nunc citra noxam appareant.

Sanguis quotmodis reijciatur.

MATHETES, Quot modis sanguis reijcitur? GERON, Aut adaperto vasis ore, aut rupto, aut eroso, aut etiam eo modo, quo sanguis è vasis exilit, Græcè, διαπήδησις nominatur. Quia igitur sanguinis profluuium, vel ob exiles venas reseratas, seu tunicas earum rarefactas, vel ob sanguinem ipsum attenuatum accidit: affectio hæc, vasorum apertioni attribuenda est, non autem cruentæ excretioni: cùm sanguis ille, qui profluit, seri speciem repræsentet: qualis per iecoris renúmque imbecillitatem frequenter emanare solet.

Sanguis rupturam vasis effluens.

MATHETES, Vnde agnoscam sanguinem ob vasorum rupturam profluere? GERON, Si copiosus ac vniuersè prorumpat. MATHETES, Quas ob causas vasa rumpuntur? GERON, Primùm ob externas, vt ob casum ex alto, siue is in ludo, siue in certamine contigerit: aut ob res quasdam graues corporibus superincidentes: aut ob magnam, ac violentam vociferationem.

Vasorum ruptura vnde fiat.

ob internas autem, vt cùm vas aliquod citra illam euidentem causam, cùm in reliquis corporis partibus, tum in pulmone, ob sanguinis abundantiam venas extendentem, vel seorsum, vel simul cum frigido, crudo & flatuoso spiritu rumpitur. quando indubiè vas ipsum, vel ob frigus è vicinis partibus contractum, vel ob insitam intemperiem extensioni resistit.

Venæ ex aqua frigida rumpuntur.

Potest etiam interdum aqua frigida venas rumpere, non quidem suapte natura: sed, quia venarum tunicas frigore suo duras efficit, vt extendi nequeant: faciliùs autem rumpantur.

Peculiaris venarum rupturæ causa.

MATHETES, Quæ igitur peculiaris rupturæ causa est? GERON, Aut exterior, vt quiuis vehemens motus: aut interior, vt humorum, siue sanguinis copia, siue repentina, & vniuersè facta profusio, vtrique causæ communis.

Sputum cruentum.

MATHETES, Quid sputum cruentum vase aliquo exæso profluere indicat? GERON, Quòd ipsum nō vniuersè, sed paulatim modicis interuallis excreetur, sic vt exigua sputa antecesserint, & acres capitis in pulmonem defluxiones.

Sanguis à pulmone fluens.

MATHETES, Quid à pulmone sanguinem fluere notat? GERON, Id, quòd ille multus spumosúsque tussiendo diutius erumpat, præsertim si nulla causa exterior præcesserit.

Excretio sanguinis aliũde quàm ex causis internis & externis.

MATHETES, Quid cruentam excreationem concitauit, si nulla ex prædictis causis præterquàm repletio antecesserit? GERON, Victus humidior calidiórque: balnei immoderati vsus: habitatio

Præsagia. nimis calida : similéque anni tempus, & aëris tempestas. MATHETES, Quid de sanguinis sputo præsagire licet? GERON, Immodica illius euacuatio, non modo periculum, sed etiam mortem *Vomitus sanguinis sine febri quid nunciat.* affert præsentaneam. si verò illa diutius perseueret : tandem vel interitum, vel tabem minatur. Qui sanguinem euomunt, idque sine febri: extra periculum esse dicuntur. cum febri autem, in pe- *Sanguis cum tussi eductus quid notet.* riculo versantur. quando sanguis ex pulmone cum tussi fertur, idque potissimum sine febri, parua salutis spes est. et si malum perseuerarit: febres postea succedent. quòd si mulier sanguinem euo- *Mulier sanguinem vomens.* muerit, mensibus erumpentibus, morbi solutio contingit. quòd si post sanguinis sputum pus excreetur: malum est indicium. ad- *Pus excreatum post sanguinem.* hęc sanguinis profusio ex pulmone, si intra triduum non curetur, inflammatio autem deinde accedat: nulla medicina periculo subtrahit: præsertim si vasorum erosio morbi fuerit initium. sin au- *Sanguis ex tunicis vasorum exerosis.* tem sanguis tunicis vasorum exæsis profluat: nihil boni sperandum est. etiamsi non ex pulmone erumpat: haud tamen omninò *Ex ore.* desperata est curatio. Quòd si ex ore, & gingiuis sanguis edatur: *Ex faucibus.* minus periculi timendum est. sicut etiam, vbi ex faucibus *Ex capite.* internísque partibus prodierit: fluor sanguinis ex capite inter omnes alios curatu est facillimus. ex gula, aut ventre, aut faucibus prodiens: facilem curationem recipit. ab vlcere autem factus: difficilem. at ex pulmone procedens, ob continuam spirationem omnium difficillimam. MATHETES, Qui morbus post pulmonis ex- *TABES.* ulcerationem succedere consueuit?

GERON, Tabes, qua corpus vniuersum emacrescit: ac plures eius sunt species. Prima, sub qua corpus alimentum non sentit: sic vt semper aliquid naturaliter decedat: nihil autem in eius locum surrogetur. vnde summa macies oritur, & nisi ei occurratur, ægrum tollit è medio. Græci hanc ἀτροφίαν vocant. Altera species Græcis à malo corporis habitu καχεξία dicitur: sub qua omnia alimenta corrumpuntur. Tertia Gręcis φθίσις, vel etiam φθοὴ, Atheniẽsium more nominatur, longè omnium periculosissima. Hęc tabes etiam tribus constat differentijs: sub quarũ vltima, pulmo est exulceratus, eóque tabe quasi vlcerosa laborat: totum corpus extenuatur, sic vt leuis febricula insanabilibus pulmonis vlceribus succedat. prima harum è capitis pituita ad pulmones defluente, altera à labore, tertia à spinæ medulla prouenit: qua potissimum *Tabis exquisita, & non exquisita.* salaces, & venerei corripiuntur. Porrò, quę pulmonis exulcerationem sequitur tabes, etiam duplici nomine appellatur: nempe exquisita, & non exquisita. in illa, corpus totum febri lenta, ob pulmonis: in hac ob thoracis, & faucium asperæqúe arterię vlcera extenuatur. quamuis autem hoc modo laborantes, reuera tabidi

non

non sint: eandem tamen curationem exigunt. Nam corpus in his quoque, sicut in veris tabidis conficitur: præsertim, si thorax, aut aspera arteria exulceretur: eò quòd cor ipsum æquè vt illa siccari cogatur. siquidem fieri non potest, vt animal sine principis visceris offensione in totum afficiatur, licet singulæ corporis partes non æqualiter in tabidis, sed cor & iecur minus quàm aliæ extenuentur. Quia enim cor valida trahendi facultate præditum est: sanguinem vehementer attrahit, & non antea, quàm omnia membra extrema laborent inædia, ipsum alimento indiget. MATHETES, Quid nam est, quod in singulis partibus, præsertim in corde per tabem primùm consumitur? GERON, Humor ipsis insitus, mediisque partibus similaribus inspersus: vnde membra primùm aluntur. Quousque verò aliqua eius portio in corde ipso reliqua existit: nulli, quamuis propiùs veram tabem accedant, rectè tabidi appellari possunt. postquam autem carnosa partium materia, aut fibrosa, seu membranosa consumi ob humoris natiui feruorem inceperit: tunc marcor exquisitus adest. vbi verò humor duntaxat, qui per medias partes simplices, præcipuè autē per cor, ac totum corpus dispersus exaruerit: tabes adhuc vocatur. Quamuis enim eam exulceratio semper antecedat: non tamen statim carnosæ partes, aut fibrosæ, seu membranosæ consumuntur, sed humor, de quo dixi, antea exhauritur. MATHETES, Quæ partem affectam indicant? GERON, Tussis & spiritus difficultas. quę verò ex eis fit, aliunde depræhenditur. Nam si pulmo offensus fuerit: multa materia sputo excreatur, idque citra dolorem. hic enim pulmonis vlcera non comitatur. Quòd si propria eius caro, quæ παρέγχυμα, Græcè dicitur, exulcerata fuerit: ex propria eiusdem pulmonis natura percipies, cùm ipsius caruncula per tussim reiiciatur. quemadmodum, si gutturis pars quædam inter tussiendum educatur: pulmo iuxta arteriam asperam exulceratus esse censetur. imò totum guttur excreari oportet. MATHETES, Quid arterias quasdam, aut venam in pulmone exulcerari testatur? GERON, Ipsarum quædam portio per tussim excreata. MATHETES, Quid vlcus in aspera arteria natum ostendit? GERON, Non solùm sputum purulentum: sed etiam doloris in parte affecta sensus. MATHETES, Quomodo autem vlcus arteriæ, àb illo, quod in pulmone ortum est, discerni potest? GERON Per ea, quæ excreantur: eò quòd exigua sint. nam plurimum puris ab vlceribus pulmonis educitur. MATHETES, Quo alio indicio guttur offensum esse depræhenditur? GERON, Quòd interdum particula quædam, quam Grecè ἐπιγλωττίδα superiùs appellauimus, per exulcerationem inde excreari soleat: nec non inde,

Animal non in totum afficitur nisi corde offenso.

Quid in tabe primum consumitur.

Verè tabidi qui.

Marcor.

Tabes.

Partis affectæ signa.

Caro pulmonis tussi reiecta quid signet.

Gutturis portio.

Asperæ arteriæ vlcus.

Vlcera pulmonis & arteriæ quomodo discernantur.

Gutturis offensi notæ.

quòd ęger dolorem in loco vlcerato percipiat. MATHETES, Quibus notis thoracem affectum esse cognoscam?

THORAX affectus.

GERON, Si sputum purulentum excreetur, manifestus doloris sensus in aliqua thoracis parte adest. MATHETES, Sub quo genere morborum malum hoc continetur? GERON, Sub continuitatis diuortio: quod est exulceratio. MATHETES, Quomodo ab alia dignoscitur? GERON, Crebra tussi: per quam modò pus, modò cruentum aliquid excreatur. quicquid autem excreatum est: si in ignem impositum est, mali odoris est. MATHETES, Quæ affectui huic accidere solent? GERON, Vt totum corpus extenuetur, carnésque consumantur, vt febris lenta vrgeat: quæ etiam si conquieuit, tamen & repetit. Proprium autem vlcerationis in thorace indicium est, ramentum, seu crustula quædam eius particulę, à qua excernitur: gręcis ἐφέλκις dicitur. in spiritalibus autem instrumentis, si tussiendo excernatur. proprietas verò ipsiusmet partis affectæ peculiare est indicium. MATHETES, Quibus alijs notis puris differentiæ discernuntur? GERON, Si materiæ pituitosę carbonibus imponantur. nam quicquid natura fuerit mutatum, veluti ex carnis defluxione proueniens, tetri odoris esse solet. adhęc sputa laborantium aquæ imposita. nam quæ secundum naturam habent, facile soluuntur: vitiata autem & mutata, perseuerant, tenuitate quadam coacta, subsidúntque: eò quòd sint grauia, naturæque contraria, ex carnis defluxione profecta. MATHETES. Quæ confirmatæ tabis sunt indicia? GERON, Carnes consumptæ, liuescentes malæ, vngues adunci, albidi, & pallescentes. malo iam vincente, capilli ex capite defluunt, alui profluuium superuenit: præcordia sursum conuelluntur: sitis ægros magis excruciat: cibi fastidium vrget. atque id, quod sursum per os excreatur, vehementer fœdi odoris est. Cœterum pulsus tabidorum languidus est, paruúsque propter virium imbecillitatem, non nimiùm velox, vt plærunque febricitantium existit: eò quòd non ardenti febri illi laborent. hecticus autem pulsus in tabidis depręhenditur: quoniam etiam hectica febri afficiuntur. MATHETES, Vnde tabes ducit originem? GERON, A capitis defluxione, quæ in pulmonem destillat, eúmque exulcerat. nam illius destillationes primùm tussim, & raucedinem excitant. Ac duę sunt potissimum causarum illius differentię. prima ex capitis defluxione, altera ex pulmonis ipsius vitijs prouenit: præsertim vbi sanguis vase rupto excreatur. plærunque etiam pulmo fluxione alia de causa, alijsqúe ex partibus, non ex capite repletur. MATHETES, Quo pacto tabis causæ iam compræhensæ distingui inuicem poterunt? GERON, Facilè, ex antecedente destillatione, sanguinis excreatu,

Sub quo genere vitiorum, exulceratio pulmonis contineatur.

Vlcerationis nota

Notæ puris.

Tabis confirmatæ indicia.

Tabidorum pulsus.

Tabis causæ.

creatu, suppuratione, pulmonis, & laterum inflammatione. MATHETES, Qui ad tabem sunt procliuiores? GERON, Iuuenes maximè, idque non ob eorum imbecillitatem: sed ob intemperantiam à decimo octauo vsq; ad trigesimumquintum annum, MATH. Quod anni tempus huic malo opportunum est? GERON, Autumnus. MATHETES, Quid de finienda tabe prædici potest? GERON, Sicut vlcera crebrò in pulmone fieri possunt: ita tabes difficulter, aut nunquam sanari potest: vt quæ citra tussim expurgari nequeat: & si hæc excitatur, ipsa lacerentur. adhæc quòd medicamenta vlceribus idonea locum affectum in pulmone contingere, sicut in ventriculo nequeant. quia dum partes interpositas transeunt, vires suas amittunt, atque vlcera respirando commouentur. Nisi enim vas in pulmone ruptum statim conglutinatum fuerit, ante quàm inflammatio excitetur: postea nunquam consanescit. & si quandoque curetur: remanet tamen in eo callosum quiddam, ac fistulosum: quod temporis spatio, leui occasione expellitur. quanquam si eruptiones quædam in pulmone sint ortæ, ob vlcerum exiccationem, præsertim asperæ & scabiosæ, restitui possint: sicut contrà nullam curationem recipiunt, qui vlcus ex succi viciosi acrimonia in pulmone experiuntur: eò quòd longum prorsus tempus requiratur, vt succi vicium emendetur. at thoracis vlcera etiam diuturna faciliùs curari possunt. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia id, quod in pectore continetur, multò commodiùs, quàm quod in pulmone subsistit, expurgatur: primùm quia vasa in illo sunt multò minora: deinde, quia sanies, ad spacium interius effluit: nouissimè: quoniam pectus ipsum magis carnosum, quàm pulmo existit. At interioris asperæ arteriæ tunicæ vlcera, præsertim summæ eius parti, quæ Græcè λαρύγξ dicta est, vicina, aut quæ in ea ipsa consistunt, curationi magis sunt oportuna, præsertim vbi interior eiusdem arteriæ tunica exulcerata fuerit. nam omnis eius affectus facillimè consanescit: nisi fortè magna ipsius portio à putredine erosa aliquando cartilaginem nudam prorsus reliquerit. cartilagines autem ipsius exulceratæ, aut nullam curationem, aut difficilem recipiunt. Porrò si sputa tabidorum grauiter oleant carbonibus iniecta, capillique defluant: mortis est indicium: sicut etiam alui profluuium, si illis tunc superueniat, quibus sputum retinetur, ij quoque in periculo mortis versantur. nam dum viæ spiritus occluduntur: ægri strangulatu pereunt. MATHETES, In quibus bona sperare licet? GERON, Vbi sputum album, leue, æquale totum, vniúsque coloris, & inflammationis expers existit. quod autem à capite defluit: ad nares conuertitur, præterea, si hoc effuso febris conquiescit, eáque vel

Ad tabem procliues.

Tempus ad tabem accommodatum.

Pronosticum.

Salutis signa in tabidis.

omninò non adest, vel tantula, vt neque cibum impediat, neque sitim faciat. item, si aluus quotidie reddat coacta, eaque conuenientia his, quæ assumuntur. adhæc, vbi corpus minimè tenue, maximéque lati, atque setosi pectoris, eiusque cartilago exigua & carnosa existit. Qui nihil horum in se habent, proximi sunt, vt intereant. sin autem quis euadere cupiat, inter initia malo huic occurendum est: neque enim id facilè, cùm inueterauerit, euincitur. MATHETES, Nondum explicasti morbum, sub quo sanguis ex laterum inflammatione reijci solet.

LATERVM inflammation, seu pleuritis.

GERON, Is græcis πλευρῖτις, dicitur, quasi morbus, seu dolor lateralis, sicut etiam ijsdem πλευριτικὸς νόσος, vocatur. MATHETES, Quìd latera propriè appellas? GERON, Eas duntaxat partes, quæ costis ipsis circunscribuntur: non illas, quæ ilia & inania latini, græci autem λαγόνας, & κενεῶνας, & λαπάρας, nominant. sunt autem complures prẹter costas & cutim, partes, vt musculi thoracis, & intercostales tum interni, tum externi: nec non membrana, quẹ costas cingit, ac græcis ὑπεζωκὸς, & περιεζωκὸς, id est succingens, vel circuncingens appellatur. quare cùm morbus lateralis esse dicitur, non omnes, aut plures laterum partes affectẹ intelliguntur, sed membrana costas succingens. quamuis, cùm ipsa primariò infestatur, nonnunquam partes musculorum intercostalium, prærtim interiorum ei consentiant. sicut etiam interdum accidit, vt membrana ipsa illis per se affectis similiter condolescat. MATHETES, Intelligo: verùm quis morbus lateralis exquisitus dicendus erit? GERON, Sub quo membrana costas succingens primariò affecta laborat. Hæc autem cùm laterum pars existat, bona ratione ab illa nomen sortita est: quæ nihil aliud quàm eiusdem membranæ costas succingentis inflammatio existit. MATHETES, Qualem esse inflammationem intelligis? GERON, Non siccam, sed humidam: non quæ à sanguine optimo, ac mediocriter crasso, aut à bile duntaxat, sed ex quouis siue optimo, siue bilioso, siue pituitoso, siue melancholico affluente sit orta. siquidem quælibet inflammatio, ex humoris cuiusdam multitudine contrahitur. MATHETES, Quæ pars lateris in hoc exquisito morbo afficitur? GERON Membrana, quæ costis obtenditur. Cùm enim ipsa spirandi instrumentis annumeretur, animal ea oblæsa difficulter spirat: nec non tussit, dolétque tanquam pungatur, longéque extenditur, & latissime diffunditur. Cùm igitur morbus hic ex magna intemperie, ac continui diuortio constet, necessariò tumor naturæ contrarius, rubor, ac dolor ei succedunt. MATHETES, Quare in hoc affectu homo dolet? GERON, Quia ille inflammatio est. MATHETES, Cur doloris species punctoria est? GERON, Quia pars ipsa

Membrana costas succingens.

In morbo laterali quæ partes affectæ intelligantur

Lateralis morbus exquisitus.

Membranæ costas succingentis inflammatio, pleuritis est.

Inflammatio ex humoris multitudine.

Dolor cur in pleuritide fit.

Spiratio qualis in pleuritide.

pars ipsa affecta neruosa est, membranosáque. MATHETES, Qualis in hoc morbo est spiratio? GERON, Parua, ac crebra, non autem multùm tarda: quia dolor non adeò grauiter thoracem affligit. MATHETES, Quæ alia comitari lateralem morbum solent?

Symptomata pleuritidis.

GERON, Febris: cùm affectus ipsius gratia, tum quòd offensa particula cordi sit vicina. Omni igitur parti inflammatæ duo hæc, calor immodicus, & tensio necessariò accidunt. MATHETES, Qualis pleuriticorum pulsus est? GERON, Velox ob vsum vrgentem.

Pleuriticorum pulsus.

durus autem, quòd pars affecta sit neruosa, & inæqualis in vno occursu, ob arteriarum intemperiem. quæ si ambo sint coniuncta, serrans etiam erit: sub quo alia pars arteriæ attolli, alia non videtur. MATHETES, Semperne eadem symptomata pleuriticis eueniunt? GERON, Non. quia interdum excreatio per tussim fieri, interdum non solet. & si ægri excreent sputum, nunc hoc, nunc illo colore tinctum, pro diuersa excrementi in parte inflammata contenti, natura excernitur. Quando enim multus simul, ac tenuis humor in parte inflammata, ipsáque pars rarior existit, plurimum ex ea forâs effluit. vbi verò è contrario fluor paucus crassúsque, & corpus spissum fuerit, minimè ad tussim irritat, ægríque nihil expuunt: sicut etiam cùm copiosissimus adest, ægri plurimùm tussiunt, multáque expuunt. MATHETES, Quid efficit, vt dolor nunc ad præcordia, nunc ad iugulum pertingat?

Dolor nunc supra nunc infra tendat.

GERON, Tum læsæ particulæ natura, tum inflammatio, quæ dolorem tensorium parit. si enim succingentis membranæ partes inflammatione laborent, dolor ad iugulum vsque pertinget, vt ipsum deorsum trahi videatur: si inferiores, dolor ad præcordia perueniet. MATHETES, Cur ægri faciliùs in alterum latus decumbunt?

Decumbens in alterum latus cur.

GERON, Quia aliâs parua inflammatio ad medias costas extenditur, vt neutram partem contingat: aliâs magna, quæ ad vtranque peruenit. Hoc quoque laterali morbo familiare est, vt æger faciliùs in hoc, quàm in illud latus decumbat. fit enim interdum, vt si in sanam partem cubet, minori dolore afficiatur: interdum verò, vt in vtraque similem dolorem percipiat, licet alterutrum necessariò pleuriticos comitetur. MATHETES, Quam ob causam? GERON, Quia, cùm succingens membrana duplex sit, si pars eius exterior circa ossa magis inflammetur, ægri faciliùs in oppositam partem declinantur: sin autem in affectam decumbant, opprimuntur. quòd si interior inflammationem experiatur ęgri in aduersam partem magis decumbentes dolore vrgeantur. Porro si vtraquæ membranæ costas succingentis regio offensa fuerit, ægri super vtroque latere etiam similiter decumbent. MATHETES, Repete obsecro, vnde morbum lateralem magnum,

Magni morbi indicia.

aut paruum fore cognoscam? GERON, Si ingens valdè dolor punctorius infestet, maximáque sit spirandi difficultas, nec non febris valida, & tussis multa, dolórque ad iugulum pertingat, seu ad præcordia: & si ægri vtroque in latere difficulter decumbant, nihilque cùm tussi excreent. Contrà exiguum indicant morbum dolor mediocris, febris, spiratio & tussis: sub qua ægri aliquid excreant coloratum, & neutrum latus statim doleat, nec ægri difficulter sub vtroque latere decumbant. MATHETES, Similesné morborum lateralium dolores existunt? GERON, Nequaquam: sed alij cum febre affligunt: in quibus exigua fit respiratio, & nihil expuitur. alij nulla omnino cùm tussi, aut certè exigua admodum vexant: alij sine sputo sicca tussi plurimùm excruciāt: alij non æquè adeò acuta febri, neque difficili spiratione ægros afficiunt: quidam ex parte inflammata extrinsecus, percipiuntur: quorum causæ materia sputo non expurgatur, eò quòd per initia nihil eius succi, qui inflammationem peperit, ad thoracis spacium peruenire soleat: verùm pus, nisi inflammatione cōcocta priùs discutiatur, ad cutim vsque effertur, inciditúrque: quidam sunt pulsatorij, quos recentiores medici non veros pleuriticos nominant: eò quòd inflammatio non in membranà costarum, ac musculis interioribus illis continuis, sed in exterioribus intercostalibus contrahatur: sicut etiam ex multa cruditate, cibo crasso & pituitoso, ex bulbis ac fungis similibúsque crudis, viscosis & lentis humoribus: gignitur: qui se interdum subitò in vacuam thoracis regionem, aut in ipsum etiam pulmonem ingerunt, quum dolores membranam costas ambientem multitudine sua intus distendentes pariant: nec non, dum spiritus viam intercipiunt, vehementem spirandi difficultatem inducunt, vt imperiti quasi inflammationem genitam esse putent: atq; hic dolor lateralis non verè pleuriticus nuncupatur. MATHETES, Quæ ergo exquisitæ pleuritidis causæ existunt? GERON, Sanguis, aut optimus, mediocriter crassus, aut biliosus, aut pituitosus, aut melancholicus: sæpiùs autem biliosus, qui membranæ nuper dictæ affluit. MATHETES, Vnde singuli humores pleuritidis auctores dignoscuntur? GERON, Ex vario sputi colore. nam si rubrum ex creatur, sanguinem membranæ costas cingenti influxisse indicium est: si flauum aut pallidum, biliosum: si spumans & album, pituitosum: si nigrum, aut liuidum, melancholicum. præterea etiam ex corporis temperatura, ætate, habitu, consuetudine, victu antecedēte, anni tempore, regione, aëris tempestate cognoscere poteris, qualis sanguis redundet, qui pleuritidē excitarit. MAT. Estne morbus alius, qui huius notitiam, quòd ei & similis appareat, impedire possit?

Parui morbi notæ.

Dolor dißimilis in pleuriticis

Pleuritidis non veræ signa.

Pleuritidis veræ signa.

Singulorum pleuritidis humorum notæ.

GERON,

IECORIS inflammatio.

GERON, Maximè, nempe iecoris inflammatio, ob quam aliquis in spuriarum costarum regione doleat, dum videlicet interiora ligamenta intenta sunt: quibus nonnullorum iecur alligatur. atque sic dolor ad membranam costas cingentem peruenit, vt pleuritis esse videatur: quanquam signis quibusdam dignosci possit.

Iecoris inflammationis notæ.

In iecoris enim inflammatione neque dolor punctorius, neque pulsus adeò durus, vt in laterali morbo deprehenditur: & si affectus iecori peculiaris cum illius inflammatione adsit, aluus similis erit aquæ, in qua caro nuper mactata, fuerit elota, qualis in pleuriticis non apparet. Præterea iecoris inflammatione laborantes, exigua tussi, eáque sicca perpetuò vexantur. thorace autem affecto tussis augescit, eóque tempore omninò ea apparent, quæ per illam excreantur: item lingua in hepaticis, faciésque & corporis vniuersi color mutatur, eiúsque decor amittitur,

Præsagia.

MATHETES, In quibus & quando omnis laterum inflammatio periculosa, aut extra periculum est? GERON, Senibus & fœminis vterum gerentibus, quibúsque iam secundo, aut tertio repetit, perniciosa est. MATHETES, Vnde morbus hic fit? GERON, Aut ex magnis symptomatis, aut strãgulatu, aut materia in alium locum translata: vnde inflammatio pulmonis, tabes, syncope, & insania excitatur. Quòd si per initia sputum in ea appareat, breuior: si postea, longior erit. magna autem ex parte die quartodecimo, aut certè vigesimo finitur: quamuis Hippocrates eum ad trigesimum quartum perdurasse scripserit. MATHETES, Quibus indicijs morbi huius tempora cognoscuntur? GERON, In principio eius ægri nihil ex latere affecto excreant, sed tenuem tantummodò ex pulmone pituitam, vel crassum quippiam, glutinosum, & rotundum, maxima cum tussi excernunt.

Quomodo sputum ratione morbi temporis variet.

In incremento, sputum iam vtcunque concoqui incipit: flauum copiosius, & faciliùs educitur: liquidum, magis crassescit: cruentum magis albidum redditur. in statu plurimùm sputum album, læue, æquale, promptiùs educitur: & dolorem maximè leuat. in declinatione etiam dolor cessat, & febris, similiáque finiunt.

Sputum optimum.

MATHETES, Quod aliâs sputum optimum censetur? GERON, Quod in statu existit: deinde quod protinus flauo admodum commistum est. post hoc, quod flauum non multo sanguine tinctum est, per initia quidem salutem portendit: septimo autem die, vel post, minorem securitatem pollicetur: nec non subcruentum ab initio, nihil mali indicat. mucosum, quod ad concoctionem citò coloratur, præsertim intra diem quintum, sine vllo metu est. E contrario, quod non illicò, sed longè post dolorem editur, flauum, vel non mistum, multámque tussim excitans, malam spem adfert: sicut etiam sincerum, vel cruentum, vel flauum,

sic tamen, vt hoc illo sit deterius. album ex cruda pituita, viscosúmque, & rotundum, periculum ostendit: eo deterius est id, quod ex viridi valde pallescit, spumosúmque & liuidum, vel ruginosum. tale etiam est vehementer cruentum. denique omne sputum, quantò magis mistos, & non inter se diductos colores habet, tantò deteriùs, & tamen nihil peius, quàm sincerum id edi, siue rufum sit, siue cruentum, siue album, siue glutinosum, siue pallidum, siue spumans: nigrum autem pessimum est. Porrò vt omnia sputa mala, quæ dolorem non leuant, sic optima, quæ illum finiunt. Cæterùm quicunque per morbi huius initia sputum omnino purulentum excreat, is tertio die, aut quinto perit. hunc si euaserit, tunc meliusculus septimo die, aut nono, aut certè vndecimo in suppurationem incidere solet: quanquam raro aliquis supra diem quartum decimum durarit, qui purulenta septimo aut antea excrearit. MATHETES, Quid de doloribus in lateris inflammatione dicis? GERON, Interdiu leuiores quàm noctu existunt. quòd si etiam idem morbus in neruorum rigorem, vel distentionem vertatur, exitiosum est, æquè vt pulmonis inflammatio. Similiter pestiferum est, si materia inflammationis ad cerebrum exhalet, ibique delirium, amentiámque generet. Non minus mali denunciatur, si morbus spinæ inhærescat: quando rigor ægrum inuadit, febrísque & tussis valde molestat: dorsum autem tanquam verberibus percussum dolet, magnáque fit respiratio cum anhelatione: pauca verò per tussim excreantur: nunc ex viridi pallida, nunc etiam leuiter cruenta: dolor autem ad inguina descendit: vrina aut tertio, aut quarto die cruenta redditur: corpus totum vt ex itinere defatigatum est: mors die quinto, aut certè septimo ægrum opprimit. sin ille diem hunc, quod rarò accidit, euaserit, ad sanitatem reuertitur. Hactenus certa exitij indicia percensui: nunc graues periculi notas subijciam. primum ingens vitæ discrimen significatur, vbi copiosum sputum intus in pectore strepitum excitat: si vultus ægri tristior: oculi colore aureo imbuti apparent. periculi etiam plenum est, si nihil excreetur, neque quicquam ad pulmonem excernatur, sed guttur repletum ferueat. non minus malum est, si homo antea probè excrearit: postea autem in totum excreare desierit, sic vt neque grauitas in pectore, neque dolor sæpe leuatus sit: adhæc pectus valde calens, extremis multùm frigentibus terribile est: nec non dolor augescẽs, vbi æger in latus, vel in sanam, vel contrariam partem decumbit, sic vt supinus esse cogatur. præterea aluus fusa, post morbi initium, viribus iam infirmis, vbi nec corpus conquiescit, nec spiritus faciliùs redditur, periculum indicat. Non minùs graue discrimen

Præsagia in laterum & pulmonis inflammatione.

Exitij signa.

est,

eſt, ſi dolores in ſuperiore, aut in poſteriore corporis parte vrgeant: aut ſi morbus ſiccus, ſinéque ſputo exiſtat, niſi ipſe adeò per ſe leuis ſit, vt parum materiæ expurgandæ ſubeſſe videatur. MATHETES, Vtro in latere morbus iſte plus habet periculi? GERON, In dextro. nam in ſiniſtro citiùs matureſcit, ſoluitúrque. MATHETES, Quo tempore dolor iſte laterum periculoſior eſt? GERON, Septimo ferè die, vel nono. atque hæc propè omnia periculum minantur. MATHETES, Quæ ſanitatis ſunt indicia? GERON, Si æger à primo ſtatim die facilè excrearit, & ſputum flauo miſtum ſit, eóque dolor leuetur, & æger morbum ipſum non difficulter ferat, facilè ſpiret, non ſitiat, neque ſtrepitum in pectore ſentiat: item ſi ſomnus, ſudor, vrinæ, aluúſque ſecundum naturam habeant, & totum denique corpus æquale, temperatum calore, ac molle exiſtat. MATHETES, Quando ſuppuratio, ſeu abſceſſus fieri ſolet, & quid ſignificat? GERON, Cùm dolores neque ſanguinis detractione, neque exercitio, neque victus ratione, neque fomentis, aut medicamentis conquieuerint: ſic tamen vt æger non peſſimè affectus videatur. certiſſimum autem indicium eſt, illam excitari, ſi inflammatio intra dies quatuordecim ſputo non expurgetur. ſin autem illa, poſtquàm eruperit, intra dies quadraginta tota excreata purgatáque fuerit, ægri conſaneſcunt: ſi non, tabes ſequitur. At quæ ſuppuratio ex ſputo adhuc vel ſincerè bilioſo, vel pure coniuncto oborta fuerit, magis periculoſa erit, præſertim ſi poſt ſeptimum diem, & talis ſputi excreationem fieri inceperit. nam mortem, niſi quid boni interceſſerit, die quartodecimo ſecuturam indicabit. MATHETES, Quæ ſingulares notæ ſuppurationis incipientis exiſtunt? GERON, Tuſſiendi magna cupiditas: qua tamen nihil, aut certè parum excreatur: nec non febres, nouáque ac inſolita grauitas, doloréſque acres, maximè per noctem: item magna ſpiritus difficultas, venæ ſub lingua albeſcentes, malæ rubræ, cibi faſtidium, potionis autem deſiderium: vigiliæ, & ſudores circa iugulum, & ceruicem erumpẽtes. vbi malum inueterauerit, oculi etiam caui apparent, vngues in manibus adunci, ſummíque digiti refrigeſcunt: in multis tandem ſudor toto corpore, & in pedibus tumor oritur. MATHETES, Quid pure iam confecto accidit? GERON, Febris & dolor paulùm remittunt: ſæpè etiam pro ſenſus iudicio deſinunt: grauitas autem partis affectæ augeſcit, tuſsíſque vehemens, & ſicca vrget: nonnunquam etiam humida: vnde æger ſæpè leuari videtur. MATHETES, Quid infeſtat, cùm turgens iam abſceſſus erumpit? GERON, Horror febríſque vehementior, tremor cordis, virium lapſus, ſpiratio imbecillis: æger in ſermone turbatur, inſpiratione offenſus.

Dolor laterum quomodo periculoſior.

Suppuratio.

Suppurationis notæ ſingulares.

Quæ poſtà pure confecto accidant.

pulſum habet languidum, tardum, & rarum. at hęc non ſtatim terrere debent, dummodò abſceſſus erumpentes non virium prorſus afflictarum ratione contingant, maximè, vbi etiam ſigna in ſputo & ſimilibus ſalutaria cernuntur. MATHETES, Quid eo tempore incidit, quo abſceſſus rumpitur? GERON, Tunc aliquid in alto pectore transfluere videtur, prout corpus variè inclinatur, atque inde pus aliâs fæculentum educitur. MATHETES, Quo die ſuppuratio erumpit? GERON, Quarto decimo, poſtquàm ipſa inceperit, ſed rariùs: ſeptimo autem rariſſimè: plurimùm circa vigeſimum: aliæ circa quadrageſimum. Ab eo autem die numerandum erit, quo loci affecti grauitas pro doloris ratione percipitur, & reliqua ſuppurationis ſigna apparent, nempe vehementiſſima febris: deinde ſpiratio difficilis, & dolores. Quo autem magis hæc vrgent, hoc ſuppuratio celeriùs: quò verò illa ſunt mitiora, eò hæc ipſa tardiùs erumpet. Ideò ferè accidit, vt, ſi vehementior tum dolor, tum tuſſis, tum ſpirandi difficultas ab ipſo morbi initio fuerit, abſceſſus circa diem vigeſimum, vel antè fiat. MATHETES, Poteſtnè abſceſſus tum lateris, tum pulmonis, etiam per alia loca quàm per os expurgari? GERON, Vtique, ſed rariùs: ac lateris quidem, per inteſtina & aluum: pulmonis autem per veſicam cum vrinis. ſæpiſſimè, & ferè perpetuò in vacuū pectoris ſpacium ſeſe exonerat: vnde materia per tuſſim intra diem quadrageſimum editur. quod niſi fiat, tabes ſubſequetur. MATHETES, Qui ex rupto abſceſſu ſecuriores exiſtunt? GERON, Hi quibus febris eodem die, quo abſceſſus, leuata eſt, quique cibum appetere incipiunt, ac aluus mollia, coacta, & probè figurata reddit, pus album, læue, inodorum, eiuſdem coloris, & omnis pituitę expers, facilè excreatur. Illi verò minùs tuti ſunt, quos febris nō deſerit, aut quos ſemel ea deſeruiſſe viſa eſt, eos iterum inuadit. ad hæc, qui cibi faſtidio laborant, ſiti vrgentur, aluúmque ex toto liquidam habent, & pus ex viridi pallidum, vel liuidum, vel pituitoſum, vel ſpumans excreant. pus etiam periculum indicat, quod ſub viribus imbecillis copioſum expuitur. Atque hæc omnia de vera lateris inflammatione, quam ſuperiùs pleuritidē appellaui, tractata ſunt, quæ ex ſanguine, eóq; magis bilioſo inter coſtas & membranam has ſuccingentem, aut ſaltem in muſculis intercoſtalibus ſubſtante procreata eſt. MATHE. Quæ eſt ſpuria, ſeu falſa lateris inflammatio? GERON, Quæ ex deſtillatione, vel ex flatibus vel ex alio modo originem duxerit: & ſi etiam vera inflammatio, vt prima exiſtit, exteriores tamen pectoris muſculos occupat. MATHETES, Quæ in hoc genere morbi ſymptomata incidunt? GERON, Omnia, quæ in vera laterum inflammatione, ſed mitiora, dolor

Suppurationis tempus.

Pleuritis falſa.

Notæ.

ta, dolor

ra. dolor autem, si quis extrinsecus partem affectam contingat, comprimátque, magis intenditur: æger in partem sanam difficulter decumbit: in affectam faciliùs. Pulsus licet frequens, & inæqualis, non tamen aut densus, aut durus est, eò quòd membrana afficiatur At acutus laterum dolor, tum ex pituitæ destillatione, tum ex flatibus ortus, quantum ad ipsum pertinet, febri caret. Quamuis autem dolor grauissimus ex illis excitetur, fomentis, tamen & frictionibus leuatur, & sæpiùs etiam discutitur. is ipse dolor non vna in parte hærescit, sed ferè huc illuc per latus vagatur. MATHETES, Quid si malum hoc pleuriticum ex frigidi humoris destillatione prouenerit? GERON, Primùm ceruices & scapulæ indolescunt: deinde materia ad exteriores pectoris musculos delata lateris ibi dolorem mouet: qui etiam ad manus tactum crescit, non autem, vt is, qui ex flatu contrahitur, fomentis discutitur. Sæpe etiam vera lateris inflammatio ex ijs doloribus oritur, qui tum ex distillatione, tum ex flatu constant, si nimium graues, vel diuturni sint. Quinetiam lateris dolor, aut iecoris, aut lienis tumidi causa excitari potest, dum membranæ horum viscerum contrahuntur. sed de his aliâs copiosius.

Palpitatio cordis.

MATHETES, Quis morbus post hunc sequitur? GERON, Cordis palpitatio, quæ græci παλμὸς τῆς καρδίας appellatur: sub quo cor ipsum concussum tremit & palpitat: siue ipsum per se siue ex aliarum quarundam partium consortio afficiatur. nonnulli perperàm hunc affectum tremorem vocant. Græci alij recentiores καρδιακὸν: licet etiam malè: cùm & καρδιαλγικὴ, & καρδιαλγία, & καρδίωγμο, non ipsius visceris, quod in thorace continetur, nempe cordis, sed oris ventriculi affectiones sint: eò quòd illud, cor appellare consueuerint.

Os ventriculi cor græcis dicitur.

MATHETES, Quid tandem propriè est palpitatio, & quomodo à tremore distinguitur? GERON, Partium earum, quæ dilatari possunt, eleuatio depressióque naturæ contraria.

Partes affectæ.

MATHETES, Quæ sunt illæ? GERON, Omnes natura molles, sic vt tum dilatari tum rursus summitti, ac subsidere possint, velut sępe cutis, nonnunquam subiecti musculi, non rarò ventriculus, vesica, vterus, intestina, iecur, lien, septum transuersum, cor & arteriæ. Qua de causa affectio hęc neque voluntariæ facultati, neque instrumẽtis ipsi idoneis, sed omnibus ex æquo partibus, quę distendi, & dilatari possunt, propria existit. Qua etiam ratione fit, vt neque os, neque membrana, aut cartilago vnquam, neque neruus palpitẽt, eò quòd cauitate careant, eóque dilatari nequeant.

Palpitationis causæ.

MATHETES, Vnde palpitatio contrahitur? GERON, Ex nebuloso spiritu, atro, seu flatuoso, in ætate frigidiore, similique corporis natura, regione, tempore anni, vita otiosa, satietate, temulẽtia cibis frigidis, flatuosisque, & om

nibus alijs, quæ refrigerant. MATHE. Qualis affectus eſt tremor? GERON, Motus, qui in partibus inuicem diſcedentibus ſurſum & deorſum contra voluntatem efficitur: ac Græcis τρόμος vocatur. MATHETES, Quare à palpitatione diſcrepat? GERON, Quia non idem eſt ſurſum ferri eleuaríque, neque deorſum agi, & deprimi. nam quæ ſurſum & deorſum feruntur, cum alio priorem locum mutant, vt in tremore: eleuata autem, & depreſſa, cùm veterem ſedem retinent, vt in palpitatione cernitur, nunc aëris aliquid aſſumunt, nunc amittunt. ideo non ſponte moueri, ſed contra voluntatem & naturam vtriſque eſt commune. MATH. Quid proprium eſt palpitationi? GERON, Quòd maiorem minorémque locum occupet, priore non relicto. tremori autem peculiare eſt, vt loca commutet, ne in eodem maneat: qui motus licet naturæ ſit contrarius, non tamen totus ex cauſa minùs naturali efficitur: ſicut in palpitatione & conuulſione accidit: ſed mixtus eſt quodam modo, ídque ex cauſa naturæ contraria, & facultate animali. MATHETES, Qualis igitur tremoris motus exiſtit? GERON, Compoſitus, vti arteriarum pulſus, præcipuè formicāti ſimilis. Sicut enim arteria in paruo ſpacio ſub hoc pulſu agitatur: ſic in tremore animalis particula, quæcunque ab imbecilla facultate mouetur. viciſſitudo autem motus, non à ſola natura, ſicut in arterijs, ſed ex pugna facultatis, & corporis pondere perficitur. Quanuis autem hoc ſymptoma cum conatu accidat, tamen ex virium infirmitate contingit. hinc tremor efficitur, dum facultas animalis nūc vincit nunc vincitur, & motus contrarij mutuo ſemper ſuccedunt. Licet autem pugnam manifeſtò cernere, dum neque facultas membrum decidere ſinit, vt in reſolutione, nec pondus id ſublatum ſeruare permittit, ita vt cùm adhuc valeret: ſed cùm vna motio incipit, altera huic aduerſa quaſi adiuncta dicitur. Atque hinc conſtat, tremorem & palpitationem ſymptomatis, & loci affecti ratione inuicem differre. nam tremor facultatis infirmæ actio eſt, eóque motoriæ facultatis, non autem inſtrumentorum affectus exiſtit, quia functiones non à ſolis inſtrumentis, ſed à viribus impediri ſolent. MATHETES, Quid in palpitatione offenditur? GERON, Non facultas, ſed inſtrumentum, ſiue partes ipſæ, quæcunque contra naturam dilatari poſſunt: eóque membris penitus immotis accidit. MATHETES, Quid propriè eſt tremor? GERON, Imbecilli motus ſymptoma, ſiue facultatis mouendi corporis imbecillitas. Differt etiam tremor à palpitatione, quòd ipſe non vna ex cauſa, vt hæc, generetur, nempe vt ex frigido, & nebuloſo, craſſo, vaporoſóque ſpiritu contrahatur. In ſumma tremor & palpitatio hiſce inter ſe diſtinguuntur, quòd vterque non idem ſit affectus contra-

Palpitationis & tremoris differentia.

Quid in palpitatione afficiatur

Tremor quid.

ctus contra naturam, neque eadem ſymptomata habeat, neque eundem locum affectum, neque eandem cauſam. Quamobrem illi à vero aberrant, qui palpitationem cum tremore confundunt: cùm illa ſemper voluntariam mouendi facultatem ſubſequatur. tremor autem nõ ita fieri poteſt, eò quòd nulli nerui ad cor ipſum pertingant.

Palpitatio, cui affectioni ſuccedat.

MATHETES, Cui affectioni cordis palpitatio ſuccedit? GERON, Frigidæ ipſius intemperaturæ, & vnionis diuortio. MATHETES, Quæ cauſæ præter ſpiritum craſſum, nebuloſum, atrum, flatuoſúmque illam procreant? GERON, Frigidior corporis ætas, regio, anni tempus, vita otioſa, repletio, largior vini vſus, cibi frigidi, ſeu flatulenti, & quæcunque alia corpus refrigerant. MATHETES, Alterinè parti etiam, quàm cordi ſuperuenire ſolet? GERON, Primariò quidem, ac per ſe cordi ſoli: conſortij autem lege etiam illius inuolucro, Græci περικάρδιον vocant, tali humoris materia, qualem puſtulæ ὑδατίδες dictæ emittere ſolent: quandoque onerato, vt ne illud attollatur, impedire poſſit: quandoque etiam tumore duro contra naturam obſeſſo.

Quibus hoc malum accidat.

MATHETES, Quibus hoc malum accidere ſolet? GERON, Non ſolum adultioribus & ſenibus, ſed etiã adoleſcẽtibus natura frigidioribus: magna verò ex parte ijs, qui infra quinquaginta, ſupra verò quadraginta años nati ſunt, euenire conſueuit. quanquam nonnulli id ex calida cordis intemperie prouenire docuerint: eò quòd perperàm accipiant palpitationem pro cordis dolore, qui Gręcis καρδιαλγία: deinde, quòd vẽtriculi roſionem pro motu quodã cordis veloci palpitationi ſimilem interpretẽtur, qui ex immodico cordis incẽdio nõ ex refrigeratione, vt palpitatio, contrahitur.

Præſagia.

MAT. Quid de palpitatione prænoſci poteſt? GER. Si increuerit, aut diutius traxerit, omnium virium lapſus, qui συγκοπὴ Græcis dicitur, expectari debet, & tandem mors ipſa ſubita: eò quòd vitalis facultatis imbecillitas illam ſubſequatur, ſicut in alijs acutiſſimis cordis affectibus fieri obſeruatum eſt,

Qui liberentur hoc malo.

MATHETES, Nullinè hoc caſu liberantur? GERON, Vtique, per ſanguinis detractionem, tenuémque victum, & commoda medicamenta: omnes tamen ante ſenectutem è vita decedunt: idque nunc per febres acutas, nunc cum magna virium defectione, cùm adhuc ſani videntur, nunc citra illam alia quadam mortis ſpecie intereunt.

Syncope.

MATHETES. Cùm mentionem feceris ſyncopæ, dic amâbo, quidnam ipſa ſignificet, quóſque morbos potiſſimùm ſequatur. GERON, Morbus eſt acutiſſimus, latino carens nomine. Huic videtur conuenire affectio, quæ gręcis λειποθυμία, vel λειποψυχία, latini animi defectio dicitur: quamuis non idem hæ ambæ exiſtant. Syncopa enim præceps eſt omnium virium, præcipuè autem vitalium lapſus: quo ſenſus motúſ-

Animi defectio.

que perit, vitáque periclitatur. MATHETES, Quid animi defectio propriè existit? GERON, Non omnium simul virium, vt in syncope interitus, sed spirituum duntaxat resolutio, & qui hanc experitur, præsentes audit, videt, & agnoscit. MATHETES, Quæ pars in syncope offenditur? GERON, Cor ipsum, sic vt munus suum integrè obire nequeat: vires eius non modò imminuuntur, vt in animi defectione, sed quasi in totum aliquando deficiunt, præsertim vbi sensus considerantur. MATHETES, Quę syncopę sunt indicia? GERON, Spiritus resoluitur, animus deficit, arteriæ parum, & obscurè pulsant: exterior pars corporis friget: corpus sudat, præsertim circa caput, faciem & ceruicem: Gręci hos συγκοπτικοὺς, vocant. atque hæc omnia calorem natiuum strangulari, aut extingui nunciant. Id non est prętereundum, ęgros in syncope sudore frigido: in animi autem defectione non item perfundi. MATHETES, Cur hoc euenit? GERON, Quia cùm vires in syncope admodum conuellantur, calórque natiuus ad cor, ceu ad proprium asylum confugiat, deserátque partes externas, humidum, quod in eis, præsertim solidis continetur, reseruari nequit: imò calore insito tãquam destitutum, & retentrice facultate adeò imbecilla, vt illum conseruare non possit, ad externas cutis partes confluit, eóque sudorem excitat. non enim is ex recrementitio solùm, sed etiam ex solidarum partium proprio humore prouenit. MATHETES, Cur sudores isti sunt frigidi? GERON, Quia calor naturalis vel prorsus, vel propemodum extinguitur, eóque solidis partibus iam refrigeratis, quicquid ex ijs profluit, frigidum esse oportet. atque hac de causa sudores in syncope exoriuntes necessariò sunt frigidi. MATHETES, Cur non in defectione animi etiam tales inueniuntur? GERNO, Quia vires in hac non adeò concidunt, nec calor innatus quasi extinguitur, neque solidæ partes sic destituuntur, vt in syncope, cùm minor sit in illa, quam in hac cordis affectio, eóque nec sudores, ijqúe frigidi in illa erumpunt: imò laborantes ea prorsus non sudant. MATHETES, Cùm superiùs docueris cor in syncope nunc proprio affectu, nunc aliarum partium consensu laborare: indices mihi, quomodo hoc dignoscam? GERON, Si ore ventriculi affecto, vomitus, nausea, aut dolor, ac rosio quędam primùm, deinde syncope successerit: cor ex illius consortio affici dicitur. sin autem syncope oriatur, sic vt nullius partis læsæ indicium præter quàm immodica quædam animi excandescentia antecesserit: cor primariò offensum esse censeo. MATHETES, Quibus affectibus syncope succedere consueuit? GERON, Quandocunque fiat, aut validę cordis intemperaturæ soli, aut vitioso, seu virulento humori coniunctæ, aut erysipelati, aut inflammationi, aut alteri cuidam tumo-

Pars in syncope affecta.

Sudor rigidus vnde.

Cur non sudores frigidi in defectione.

Syncope ex consensu.

Syncope primaria.

Syncope quibus malis succedit.

dam tumori naturæ contrario. At si ob inflammationem, aut erysipelas, syncope excitetur, antequam affectus tales augescant, laborans eâ interit. non eo modo fit, si ob simplicem cordis intemperiem illa, siue æqualis, siue inæqualis oriatur. Hinc itaque distinguere poteris, cùm syncope ob proprias simplicium partium intemperies genita fuerit. quoniam hæc repentinam mortem nō inducit: quemadmodum illa, quæ ad partes compositas pertinet, ac subitò iugulare potest: sic tamen, vt signa quædam interdum præcedant. MATHETES, Quæ syncopę causæ dicuntur? GERON,

Syncopæ causæ.

Quanquam nonnullæ esse possint: omnes tamen cor ipsum, aut eius spiritus offendunt: vtraque verò bifariàm lædi possunt, nempe quantitate, vel qualitate mutata. Quæcunque igitur causa syncopen efficit, aut solidas partes, aut spiritus ipsos corrumpit, aut certè eorum intemperiem mutat, in quibus vtrisque vires consistunt. hę autem ita conseruari debent, vt tum qualitate, tum quantitate naturaliter habeant. MAT. Ex quibus spiritus immutantur?

Spiritus vnde mutentur.

GERON, Tum ex succis vitiosis abūdantibus, tum ex aëris ambientis grauitate, qui aliâs ab alia causa in hanc est conuersus, nempe ex metallis, caminis, vel barathris, aut ex leguminum, olerum, animaliúmque putredine, aut ex halitu stagnorum, paludum, aut fluminum: nec non ex venenatis facultatibus, aut animalium virulentorum venenis. MAT. Cur spiritus ex aëre ambiente, ac vitiosis succis corrumpuntur? GERON, Quia ex subtiliori purioréq; sanguine: nec non ex aëre optimè temperato, omniq; excremento purgato, per inspirationem nutriuntur. MATHETES, Quomodo spiritus ipse vitiatur? GERON, Ex ingenti dolore, crebris motibus, quales etiam sunt vigiliæ: item ex immodica eius tenuitate, & corporis ipsum continentis raritate. Præterea ante hæc omnia ex ipso aëre, respiratu prohibito, nutrimenti inopia, animi affectibus

Vires quibus resoluuntur.

vt timore subito, ac vehementi: item ex illis, qui huic sunt contraria, vt ex maxima voluptate, nimiò gaudio, tristitia, anxietate, ira, curis, & frequentibus vigilijs, spiritúsq; corruptione, vires resoluuntur. atque ex his causis modò spiritus commutantur: modò corrumpuntur: modò disperguntur, modò vtraque hæc experiuntur. MATHETES, Vnde solidarum partium vires digeruntur, dissipantúrque? GERON, Ex morbis antecedentibus, alimenti defectu, ex febribus acutis, quæ corpus colliquant. MATHETES, Ex quibus earundem partium intemperies mutatur? GERON, Vel ex immoderato calore, vel frigore, vel humore, vel siccitate, vel quibusdam horum coniunctis. MATHETES, Potestné syncopa etiam aliunde prouenire? GERON, Potest ex immodica quoq; ventris inanitione, aut ex principum viscerum intemperie, aut ex motu, &

ijs,quæcunque spiritus,aut solidas partes mutare,aut corrumpere solent:id quod ex familiarium ægris assistentium sermone, partim tua industria cognoscere poteris. Cæterùm syncope interdum ex magna crudorum humorum copia,simul cum oris ventriculi offensione excitari consueuit. hinc enim præcordia inflantur,& totum corpus amplius,quàm naturaliter apparet: nec non albidius,similiúsque ijs,qui hydrope laborant: in quibusdam nigrius,aut magis liuidum, seu plumbeo colore infectum cernitur. MATHETES, Quales sunt syncope laborantium pulsus? GERON, Minores quàm calor exigit, si febricitauerint: nec non obscuri, prorsúsque inæquales plærunque multi ordine: quæ ratio συστηματικὴ, Græcè dicitur: semper autem in vno ictu. MATHETES,

Syncopæ causæ aliæ.

Quæ reliquæ syncopæ causæ extant? GERON, Flaua bilis os ventriculi infestans: quæ cùm ex alijs cognoscitur, tum inde quòd ipsa illud assiduè rodat,vellicet, ac dolore afficiat, anxietatémque inducat.item succi & spiritus adeò subtiles, vt celerrimè exhalent, & retentrix facultas per totam corporis molem valde imbecillis: expultrix autem immoderatiùs concitata sit. MATHETES, Quæ notæ in eiusmodi affectu apparent? GERON, Lethales statim, vt nares acutę,oculi concaui,tempora collapsa, frigidę languidęque aures, & imis partibus leniter versæ:color autem niger,perpallidus,aliáque id genus signa ab Hipocrate citata, multóque magis, si hæc ita sint,vt neque vigilia præcesserit, neque ventris resolutio,neq; inædia. Ex his enim minus malum est, quàm si absq; istis ægri crucientur. MATHET. Quæ spes,aut metus,syncopę finiendę esse potest? GERON, Si valida existat, nulla medicina periculo subtrahit: sin autem vires adhuc aliquãtulum constent,interdum ad pristinam valetudinẽ reditus est. Quòd si in syncope cor peculiari affectu laborauerit,sic vt animi robur etiamnum supersit:ex quibuscunq; affectibus ipsa excitetur,ęger nunquã succumbet. At si illa ob intemperiẽ eius prouenerit, periculosior,quàm ex cerebri intẽperatura existet. sicut hęc perniciosior erit,quàm si iecur per se affectum fuerit:quanuis syncope ex cordis intemperie nata nõ tam subitò interimere possit, quàm quę compositos eius morbos comitatur. MATH. Quę syncope est periculosa? GERON, Quę ex spiritu & sanguine extenuato nimiùm trahit originem:maximè vbi retentrix totius corporis facultas imbecilla, expultrix autem supra naturæ modum concitata fuerit. In totum autem mortifera syncopa existit, quę ex crudis succis plus satis extẽuatis prodierit: vbi iecur,aut ventriculus inflamatione laborat. At quę syncope ex oris ventriculi vitio gignitur, vnde Gręcis στομαχικὴ,vocatur, multámque nauseam mouet, tutior est, quàm si ex trium principiorum

Syncope perniciosa.

Syncope mortifera.

aliquo

aliquo contracta fuerit: licet cor ei consortij lege condolescat. Porrò quæ citra causas euidentes, stomachique noxam, crebra autem cum palpitatione cordis incidit, graue periculum minatur ipsique cordi in hæreſcit, Grçcis καρδιακὴ συγκοπὴ, nominatur. hæc tum senibus, tum conualescentibus, tum alijs quacunque ex causa debilitatis accidere potissimùm, mortémque, si crebrò adueniat, repentinam inferre consueuit. Atque hanc iam in vicino esse testatur facies liuida, viridis, aut nigra: vel si aëre medicamentum naribus inditum sternutamentum non moueat: nec non spiratio, pulsatióque arteriarum abolita, capútque in humeros, vel in pectus delapsum. Sicut enim cordis palpitatio, quæ syncopen gignit, mortem denunciat, sic illa, quæ cordis palpiiationi succedit, multò magis lethalis est. MATHETES, Quæ signa cordis percussi existunt? GERON, Sanguis multus profunditur, præsertim si grandiores arteriæ, & venæ sint vulneratæ: pulsus languescunt: color faciei pallidus apparet: sudores frigidi, malique odoris, tanquam in rotato corpore oriuntur: extremísque partibus frigidis, matura mors sequitur. MATHETES, Quæ indicant septum transuersum ictum esse? GERON, Sanguis spumans editur: præcordia sursum contracta, spina dolens, spiritus rarus, sputum cruentum, delirium, nonnunquam tussis, postremò febris, & tabes, nisi per initia ægri perierint. Atque hæ propemodum notæ sunt omnium morborum, qui caput, & thoracem infestare solēt: si mammarum affectionum signa adiunxero. pergam igitur ea quoq; absoluere, vt deinde ad ventriculi ac intestinorum vitia descendam.

Cordis percussi signa.

Septi transuersi icti nota.

MATHETES, Quæ sunt mammarum affectiones? GERON, Lactis defectus, & abundantia. MATHETES, Quando lac deficit? GERON, Cùm sanguis in toto copore modicus extiterit: vel cùm, licet non in toto exiguus fuerit, parcior tamen à mammis attrahitur, id, quod distingui potest, ex vniuersi corporis temperamento, ac habitu sicciore: item ex immodica eiusdem sanguinis, aut aliorum humorum euacuatione, vehementi exercitio, labore, vigilia, fame, mœrore, vel sollicitudine, ac curis, vel exsicca, & ardente febri, vel similibus alijs antecedentibus: quæ corpus plus satis exiccarint, ac calefecerint. Hęc enim inter alia lac imminuunt, ipsúmq; nasci prohibent, nedum sanguinem, cuius partim etiā qualitatem vitiant. quamuis ea simul, quę immodicè refrigerāt, id prçstare possint. MATHETES, Quid si hæc non adfuerint? GERON, Tunc mammæ ob propriam ipsarum imbecillitatem, ac siccam intemperiem emacrescunt, gracilescúntq;, & lacte destituuntur: eò quòd tantum sanguinis, quantum lacti generando sufficiat, attrahere nequeant. MATHETES, Quomodo depræhendam lac ip-

Mammarum affectus.

Lactis ob sanguinem vitiatum defectus nota.

ſum ob ſanguinem, bile, aut pituita, âut melancholico humore vitiatum-deficere? GERON, Ex ipſius materia, colore, & ſapore, præſertim ſi non in totum abolitum fuerit: ſic tamen, vt temperamenti quoque habitúſque totius corporis, & ætatis notitiam habeas. nam ſi billioſus ſanguis extiterit, lac erit tenue, flauum, & ſaporis amari, idq; in temperatura calida, habitu gracili, ac ætate iuuenili. ſi verò pituitoſus, lac craſſius, album, aut pallidum, acidum, odoríſque expers: nec non lactantis temperamentum, habitus, & ætas, pituitam teſtabuntur: lactis vehementer ſpiſſi, pauci, colore obſcuri, ac quodammodo nigri, melancholicus ſanguis auctor eſſe dicetur. MATHETES, Quid de lactis defectu prædici ſolet? GERON, Etſi infantibus magis, quàm mulieribus penuria ipſius noceat, non tamen ideo negligi debet: quia citra mulieris nutrientis affectum aliquẽ naturæ contrarium deficere nequit. Qua de cauſa cum lac imminuitur, aut prorſus aboletur, vel corrumpitur, vel ſpiſſatur, vel extenuatur, alia nutrix quærenda eſt: ſin id res quædam incidens non permittat, nutrix victu reficienda eſt, ne infans morbo implicetur: ipſa verò ad meliorem valetudinem teuertatur. MATHETES, Quando lac ſupra naturæ modum abundat? GERON, Plerunq; talis mam̃arum affectus in puerperio, alióq; tempore facilè tum viſu & tactu, tum etiam ex ipſius mulieris verbis percipi ſolet. MATHETES, Quæ vitij huius cauſa eſt? GERON, Boni ſanguinit copia, quæ venis, mammæ & vuluæ communibus repletis, contrahitur. Ea nonnunquam mulieribus vterum gerentibus ob fœtus imbecillitatem, nonnunquam, cùm mulier neque grauida eſt, neque peperit, ſed menſtrua ei defecerunt, euenire ſolet. Verùm hîc de illis non agitur: ſed de his, quibus lac à partu, aut reliquo lactationis tempore adeò in mammis increuerit, vt inde mulieres grauentur, doleántque: ac de mammarum inflammatione metus ſit. MATHETES, Quid ſi lac copioſum è mammis effluat? GERON, Tunc abundantia huius non amplius morbi cauſa, ſed ſymptoma erit: nec affectus aliquis contra naturam in mammis ipſis metui debet. MATHETES, Quid igitur de hoc vitio periculi inſtat? GERON, Ne mammarum inflammationem pariat, niſi ſtatim occurras, vel lac caſei inſtar coaguletur, ſiue in grumos vertatur: & ſi vitiatum fuerit, vaſa mam̃arum exulceret, ſcabiémque panos, & papulas excitet. MATHETES, Vnde lac ita cogitur? GERON, Ex ipſius copia, vel craſſitie: tanquam ambo affectus originem ex materia trahant. Itaque lac, ſiue craſſum, ſiue copioſum, in caſei formam redigi, aut in grumos conuerti ex immodico tum mammarum calore, tum ex frigore tanquam cauſis effectricibus, poteſt: ſic vt prima quidem tenuem, ac ſeroſam eius partem exiccet.

Præſagia de lactis defectu.

Lactis abundantia.

Lactis effluens è mammis.

Præſagia.

cet,ſecernátque:altera verò vt totum ipſum aſtringat,cogátque, MATHETES, Vtra ex illis lac in grumos conuertit? GERON, Solum frigus,ſicut calor ſanguinem in caſei formam coagulat, ſiue lac craſſum ſiue multum fuerit, niſi extra vaſa elapſus perfrixerit, in grumos concreſcit. MATHETES, Quali vitio præterea mammæ afficiuntur? GERON, Inflammatione; ſicut etiam aliæ partes. hoc autem intercedit diſcriminis,quòd hæ non ſolum ex ſanguine,ſed etiam ex lactis copia,aut eo quaſi coagulato inflammari ſoleant. MATHETES Quibus notis id cognoſcitur? GERON,Ipſo ſenſu facilè deprehenditur. cùm autem duplex inflammationis cauſa eſſe poſſit,nempe ſanguis,aut lac concretum, prior ipſam quouis tempore excitare poteſt,ſigníſque proprijs internoſci: altera non item,niſi in puerperis,aut vterum geſtantibus,ſeu quibus menſes contra naturam fuerint retenti. mulieres enim,vna quadam ex tribus ratione,lac in mammis,idque copioſius continent:quòd tum ex lactis copia antecedente, tum ex coagulatione eiuſdem dignoſcitur. MATHETES, Quid de eius curatione ſperandum eſt? GERON, Cùm moles earum latior,ac glanduloſa exiſtat, parúmque caloris innati habeat, metuendum eſt, ne ſcirrhoſum tumorem, tandémque in cancroſum deſinat, aut vlcus exedens eam ſuppuratam,aut in abſceſſum mutatam,ſubſequatur.

Mammarum inflammatio.

Præſagium.

Hæc de capitis & thoracis vitijs habui, quæ tibi ſatis eſſe poſſe exiſtimem: nūc ad inferiores corporis partes me conferam: inter quas primum locum obtinet ventriculus, qui duabus conſtat partibus, quarum prima os eius dicitur, cui ciborum appetentia commiſſa eſt: altera ſpatium ſiue ſinus ipſius appellatur, quo ciborum conoctio perficitur. MATHETES, Qui prioris eius partis ſunt affectus? GERON, Ii, qui cordi ſunt communes: vnde Græcis etiam καρδία, interdum στόμαχος, vel οἰσόφαγος, Latinis gula dicitur. quanquam Celſus nunc ſtomachum, nunc ſuperiorem ventriculi partem nuncupet. MATHETES, Quibus morbis os ventriculi conflictari ſolet? GERON,Nunc proprijs ſeu primarijs, nunc ſecundarijs, hoc eſt aliarum quarundam partium, maximè principum, vt cordis, aut cerebri dolentis, conſortij lege natis. cordis ſanè, quod huic ſit vicinum, ac exactam ſentiendi vim habeat. cerebri verò,quòd ei ob magnos molléſque neruos conſentiat,quos per ſextam coniugationem ab illo ipſo ortam recipit. Qua de cauſa os ventriculi, etiam acerrimo ſenſu prẹditum eſt,ac magis quàm cæteræ quælibet partes alimenti defectum percipit & ſic vt nullum aliud membrum, vtrúmque principium vnà ſecum afficit. MATHETES, Quis proprius, & peculiaris oris ventriculi affectus eſt? GERON, Qui adeò moleſtus eſſe ſolet, vt cum i-

Ventriculus duabus conſtat partibus.

Ventriculi morbi proprij, & communes.

LL

dem augetur, illud ob acrem ſuum ſenſum, cor ad doloris conſortium pertrahat, ipſúmque offendere videatur. quamuis tunc ſtomachicæ ſyncopæ fieri deberent, & non illud malum, quod trifariam apud Græcos vocatur: vt καρδιαλγία, quaſi cordis dolor: καρδιωγμὸς, quaſi cordis roſio: καρδιακὴ quaſi cordialis. Tria igitur hæc vitia, non ſolum nomine, ſed etiam re ipſa differunt. MATHETES, Quomodo? GERON, καρδιαλγία tum à parte affecta, nempe καρδία, hoc eſt corde, tum ab affectu ipſo, qui ἀλγία, Græcè dicitur, hoc eſt à dolore nomen acquiſiuit. notari autem debet his nominibus non cor in thorace contentum, ſed ventriculi os intelligendum eſſe. MATHETES, Quibus hic morbus ſuperuenit? GERON, Non ægris modò, ſed etiam ijs, qui paulò diutiùs ieiunium ſuſtinuerunt: præcipuè cùm ex valida exercitatione fatigati nihil cibi aſſumpſerunt: ſicut etiam, cum ventriculus roſionem in mœroribus percipit: item cum flaua bilis ex vehementi exercitatione in ventriculum confluit: qua deinde irritati eroſique ægri cordis dolore afficiuntur. MATHETES, Quid καρδιωγμὸν propriè eſſe dicis? GERON, Roſionem cordis, hoc eſt oris ventriculi, ex καρδία & ὠγμὸς compoſitum. Hac igitur ratione καρδιωγμὸς & καρδιαλγία ſimul conueniunt: quanquàm aliqui καρδιωγμὸν, non oris vẽtriculi dolorem, ſed motum quendam cordis ipſius palpitationi ſimilem interpretentur. MATHETES, Quid καρδιακὸς propriè vocatur? GERON, Stomachi etiam vitium eſt, ex prauis rodentibus, & virulentis ſuccis in ventriculi ore collectis. MATHETES, Quo pacto ille à καρδιαλγία diſſidet? GERON, Cardiacus cum acuta ardentique febri inuadit, & non ſolum à rodentibus, ſed etiam à virulentis humoribus originem trahit, ac nimia corporis imbecillitas in illo deprehẽditur: eò quòd immodico corpus ſudore digeratur: qui ſupra conſuetudinem, modúmque, & tempore alieno, ex toto thorace, ceruicibus, atque etiam capite prorumpit, vt pedes tantummodò ſicci permaneant, frigeſcántque adeò, vt hoc laborantes, in ſyncopen propemodum incidant. Cardialgia verò ex acribus humoribus duntaxat, ac os ventriculi rodentibus, vt pote bilioſis, non autem virulentis naſcitur. Quinetiam Cardialgica affectio citra febrim acutam interdum oboriri, cardiacus verò nõ poteſt. MAT. Quibus ſignis cardiacos cognoſcere potero, quando os vẽtriculi non autẽ cor in affectibus illis affligitur? GER. Ex dolore, & ſitu. nam in cardialgia angor quidã dolórq́; ac roſio in thoracis partibus inferioribus, nẽpe, ſub pectoris cartilagine percipitur: in Cardiaco autem grauior dolor, & roſio: eò quòd ventriculi os vehemẽter adeò in illo excrucietur, vt deſperatio quędam animi, & corporis iactatio accedãt. Hi duo caſus, ſiue ſymptomata, in hoc ſo-

Cardialgia quibus ſuperueniat.

Cardiogmos quid

Cardiacus quid.

Cardiaci & Cardialgiæ differens

Oris Ventriculi affecti ſigna. Cardialgiæ. Cardiaci.

hoc solum inter se differunt, quòd hic magis, illa minùs animales sentiendi functiones, præsertim tactum offendant. Nam in cardiaco calor natiuus, totúmque corpus languescit, labefactatur, ac resoluitur: qui os ventriculi acri sensu præditum habent, statim sub hoc intereunt: eò quòd immodicam humorum rosionem tolerare nequeant. Præter angorem & rosionem in Cardialgia ori ventriculi incidentem, etiam mera bilis vomitu quibusdam reijci consueuit: interdum per aluum descendit. In ægris extrema frigent: facies, pectúsq; sudant: corpus odorem terrestẽ nares ferientem refert: pulsus arteriarum circa cor ipsum vehemẽtiores sunt ac magni: animus desperat, angitúrq;, & corpus iactatur. MATHETES, Qui vtrisque vicijs obnoxij sunt? GERON, Non tantum calida oris ventriculi intemperatura præditi, sed etiam qui eiusdem rosionem, quæ vnionis est diuortium, experiuntur. MATHETES, Quæ causa istos affectus procreat? GERON, Humor acris rodensque, siue in ore illius contineatur, siue ad id confluat. Cardiacum autem morbum non tantùm acris, ac rodens, sed etiam virulentus, ac prauę qualitatis particeps generat: ob quod mirũ non est, si ille etiam ex lumbricis sursùm os ventriculi impetentibus rodenbúsque interdum oriatur. MATHETES, Ex quibus notis praui humores rodentes affectus huius auctores dignoscuntur? GERON, Ex eorum abundantia, ægri ętate, temperamento, anni tempore, victus ratione antecedente, & id genus alijs. MATHETES, Quomodo cardiacus ex lumbricis ortus depræhenditur.? GERON, Ex proprijs illorum signis, & victus ægrorum ratione antecedente, & reliquis modò enumeratis. similiter, cognosces hinc quãdo hoc vicium ex inflammatione contractum sit. MATHETES, Quid cordis rosio, seu cardiogmos tandem portendit? GERON, Si febricitantibus superueniat, malum: eò quòd os ventriculi rodatur. Sic etiam Cardialgia in febribus periculum ostendit: sin autem citra febrem, aut alios morbos eueniat, non adeò periculosa erit. At morbus Cardiacus, cùm semper acutę febri, & præsertim ardenti succedat, periculum minatur: eò quòd à succis rodentibus, ac virulentis, siue à visceris cuiusdam inflammatione prouenerit. adhęc idem morbus cardiacus, cùm à lumbricis, vt dixi gignitur, periculo subiectus est, adeò vt, qui os ventriculi acri sensu præditum habent, statim pereant: quia bestiæ istæ non minus quàm pestiferi humores repentinam mortem, & syncopas inducant, vt quidam statim cum lumbricis moriantur, intereáq; atque. MATHETES, Quibus mala ista potissimum eueniunt? GERON, Frequentiùs iuuenibus, quàm reliquis ætatibus, idque circa diem sextum: in augumento morbi, & præsertim eo tempore, quo æstas cali-

Cardiacus & cardialgia quid differant.

Cardialgiæ & cardiaco qui obnoxij sint.

Cardialgiæ & cardiaci causa.

Cardiacus ex lumbricis ortus.

Cordis rosionis præsagia.

Quo cardiaco & cardiogmo opportuni.

dior exiſtit. MATHETES, Enumeraſti morbos, qui partim ventriculo peculiares, partim cordi communes exiſtunt: refer nunc etiam, à quibus ille infirmari ſoleat?

VENTRICVlus à quibus potiſſimum infirmetur.

GERON, Ab intemperie tum ſimplici, tum humoris participe, nec non ab inflammatione, quanquam raró, abſceſſu rarius, interdum ab vlcere debilitatur. MATHETES, Quæ pars in eo præcipué afficitur? GERON, Os ſtomachi, ſiue ventriculi, ijs quos dixi, modis infeſtatum. MATHETES, Quæ notant ventriculum ex calore infirmum? GERON, Sitis continua, qua frigidam potionem expetit, cibi faſtidium, æſtus, ructúſque nidoroſus, noxius calidorum, commodus frigidorum vſus. MATHETES, Quæ ex frigore imbecillem teſtantur? GERON, Contraria his, quæ ſunt modo compræhenſa. MATHETES, Quæ humidum ventriculum indicant? GERON, Nulla, vel parua bibendi cupiditas: ſaliua multa: vtilis ſiccorum vſus. MATHETES, Quæ ſiccitatem eius referunt? GERON, Humor intus vitiatus, nauſea, vomitus, ructus, præſertim ſecundum cibum: & ſi flaua bilis intus coierit, præter ea, quæ calido ventriculo inſunt, os etiam amareſcit, ipſéque humor amarus vomitu reijcitur, ventriculus offenditur, præſertim per inædiam: vnde ſyncope etiã ſtomachica comitari ſolet, maximè ſi os ventriculi admodum acri ſenſu polleat. MATHETES, Quod pituitæ ventriculo inhærentis exiſtit indicium? GERON, Ea nunquam illum, niſi cùm ſalſa eſſe ceperit, rodere ſolet, neque ſitim facere, ſed multum ſaliuæ citra tuſſim excreatur: ructus quoque tunc acidus euadit, concoctio infirma, inflatio, tenſióque ventriculi. MATHETES, Quid vitium hoc, ſi multùm increuerit, ventriculo adferre ſolet? GERON, Tenſiones magnas, grauéſque dolores, præſertim horis aliquot poſt cibum, ac ſæpe etiam inſignium morborum initia, vt Hydropis & Ilij. MATHETES, Quod ſignum atræ bilis intus abundantis exiſtit? GERON, Cibi cupiditas, ſputum piſculentum olens, palpitatio in meſenterio: ex quo nunc morbus melancholicus, nũc comitialis naſcitur: adhæc ſomnus inanis: quo mens vanis imaginibus addicta eſt, & muſculi ſummo dolore ſurarum contrahuntur: denique animus triſtitia, atque mœrore afficitur. MATHETES, Quid appetentia, aut faſtidium ciborum ſignificat? GERON, Illa quidem ægros benè ſe habere ad ea quæ offeruntur: hoc autem per longos morbos, & poſt eos, malum denunciat, Si appetentia diu amiſſa eſt, non leue malum expectatur, præſertim ſi ex frigore fuerit contractum. MAT. Quid de magna illa fame, quæ canina appetentia dicitur ſentis?

Syncope ſtomachica.

APPETENtia canina.

GERON, Æquè periculoſum complurium ciborum deſiderium eſt: ſub quo multum voratur: quod vbi vẽtriculum grauat, iterum vomi-

rum vomi-

rum vomitu reijcitur: atque sic æger leuatus, iterum vorare noua cupiditate incipit, ac rursus canum instar quòd assumptum est, reuomit. Hoc grandis famis vitium sæpè altum soporem, intestinorum læuitatem, aquam subter cutem, alimenti defectum, & tandem interitum inducit. In eodem isto malo ægri primùm multa fame vrgentur, non tamen diuturna: animus plærúnque deficit: spiritúsque simul digeritur: & extrema frigent, quando syncope in vicina, & mors in propinquo est. MATHETES, Quot alijs affectibus ventriculus laborare solet? GERON, Varijs. ac primum intemperie, nunc sola, nunc cum humore. sub hac ille venas meseraicas alimentum sugere non percipit, aut hæ non sugunt. Nam si talis fuerit intemperies, quæ ventriculi ipsius oris sensum abolet, certe venas iam dictas sugere non sentit: idque fieri potest, vel dum illud primariò, vel cum cerebri sextiue neruorum paris, consortij lege affectum est. similiter etiam venæ sugere nequeunt, vel cum deest inanitio, vel cum reliquæ partes, ob earum imbecillitatem non sugunt, etiamsi fiat inanitio. Qua de causa, frigus in ventriculo, tanquam ad famem excitandam nõ parùm conducit: eò quòd partes corporis vacuas reddat, & dum tunicã ipsarũ cogit, astringitq;, famem inducat. MATHETES, Si frigus hoc præstat, quid calor efficit? GERON, Is inter efficacissimas, & proximas causas recẽsetur, quibus fames impediri solet. Etenim solidas partes resoluit, & ad functionem attrahendi imbecilles reddit: humidas autẽ dum fundit liquátque, immodicè extendit. quamuis frigida quoque oris ventriculi intemperies nimia, ipsam excitare queat. Ea nanque vires corporis emortuas efficit, prosternitque: vnde cibi fastidium generari quoque consueuit. MATHETES, Quænam ventriculi intemperaturas indicant? GERON, Calidam quidem, sitis ructúsq; nidorosi, vel oleosi, si cibus præter voluntatem assumptus fuerit: ad hæc ea laborantes, cibos frigidiores potius, & concoctu difficiles possunt cotingere. frigidam autem cõtraria ostendunt: quippe ægri in hoc non sitiunt, neq; frigidis iuuantur: acida nonnunquam eructant. MATHETES, Quid humores biliosos cùm intemperie calida abundantes signat? GERON, Quòd valetudinarij rosionem ventriculi sentiant, magísque nausea & siti torqueantur: & si humores computruerint, febres quoque interdum infestet. In quibus autem crassi ac viscosi succi, vnà cum frigida intemperie exuperant, ijs nec ventriculus roditur, nec sitis omninò molesta est. omnibus autem communiter superuenit: & si humores ventriculi sinibus infarcti fuerint, ex his etiam ipsis vomitus erumpit. si verò tunicis ventriculi adhærescunt, laborantes etiam, eo quod ingesserint educto, sola nausea non vomitu vexantur: nisi vbi cibos as-

Ventriculi intemperies.

Famem calor impedit.

Intemperiei ventriculi indicia. Calidæ.

Frigidæ.

Signa intemperiei calidæ cum humoribus biliosis.

Frigidæ cum crassis & viscosis succis indicium.

ſumpſerint. MATHETES, Quis morbus poſt intemperies explicatas ſequitur? GERON, Inflammatio, quæ ex ſanguine inter membranas iecoris immoderatiùs effuſo trahit originem:'qui tactu percipi, & nonnunquam viſui exponi poteſt: huic inquam inflammationi, febris ardentiſſima ſuccedit: corpus valdè iactatur, & inquietum eſt: ſiti inſatiabili cruciatur: aſſumpta continuò, aut per aluum excernuntur, niſi cum os eius fortè, aut portæ obſidentur: animus crebrò reſoluitur: vigiliæ vrgent, & frequenter deliria obueniunt. MATHETES, Quibus abſceſſus manifeſtatur? GERON, Pure, quod a ut vomitu reijcitur, aut per aluum deſcendit. MATHETES, Quæ vlcus ſubeſſe indicant? GERON, Siue id ex abſceſſu, ſiue ex pharmaco adurēte, ſiue ex humore ſimili prodierit: dolor plærunque ſubeſt, quanquam interdum etiam ſine illo ſerpat: alui deiectio, aut vomitus adeſt, quando potiſſimùm ex aliena qualitatc excitatur: adhuc febris lenta, eáque aſſidua ſine appetentia fatigat: concoctio, omnéſque ventriculi functiones languent. vnde corpus malè alitur, ſenſimq; macreſcit, dum tandem natiuo calore deficiente, vita finiatur. MATHETES, Quibus alijs vitijs ventriculus laborare ſolet?

Inflammatio ventriculi vnde oriatur.

Abſceſſus ventriculi inflammati nota.

GERON, Primùm pica, quæ Græcis κίττη, vel μαλακία dicitur: eáque non modò in mulieribus grauidis, ſed etiam in viris accidit, deprauata nimirum appetentia: quippe hac laborantes non copioſa, ſed vitiata appetunt. Eſt autem propriè hæc affectio, ſtomachi imbecillitas, nauſeáque & faſtidium: quod bilis ac pituitę vomitum mouet. nam modò acida & acerba, modò acria: interdum cimoliam terram, vel teſtas, vel carbones, aut alia id genus abſurda appetunt, MATHETES, Quæ pars in hoc morbo affligitur? GERON, Os ipſius ventriculi, cui functionis eius, ſcilicet appetentiæ noxa ſuperuenit: non copia, vt in fame: ſed in qualitate delinquens, qua laborantes, abſurda, ciborum loco, vt ſuperiùs expoſui, aſſumunt. MATHETES, Quibus notis iſti cognoſcuntur? GERON, Quòd crebrò expuant, ventriculíque roſionem, & angorem ſentiant. MATHETES, Vnde iſta eueniunt? GERON, Ex oris ventriculi intemperie, vbi tunicæ ipſius vitioſo quodam excremento infectæ fuerint. Qua de cauſa mulieres, præſertim grauidæ, tale vitium experiuntur, & pro humoris vitioſi in eis contenti diuerſitate, ipſæ quoque varia, & aliena appetunt, quæ etiam vomitu innoteſcere ſolent. MATHETES, Quando affectio hæc in grauidis accidere conſueuit? GERON, A conceptu ferè, circa diem quadrageſimum, ſæpe ad menſem quartum: interdum ad ſecundum ac tertium vſque durat. in quarto autem finitur: partim quòd humores vitiati expurgentur vomitu: partim quòd concoquantur.

PICA quid propriè quámq; partem affligat.

Pica laborantium ſigna.

Cauſæ.

Pica in grauidis quando accidat finiatúrque.

quantur. Nam tunc grauida parum cibi, fastidij causa assumit, & abundantia eius per euacuationem est imminuta. quia fœtus primis duobus mensibus parum sanguinis attrahit, vt qui adhuc sit paruulus: auctior autem factus multo indiget alimento. At tunc non modò quod optimum est, è venis allicit: sed etiam, quia plus ali desiderat, vitiosi aliquid simul attrahit: vnde corpus vniuersum ali minùs incipit, & minùs quoque humoribus vitiatis cruciatur. MATHETES, Quando viris ipsis quoque affectus hic obuenit? GERON, Quando humor aliquis non satis integer ad os ventriculi delapsus fuerit.

Viris quando obueniat pica.

FASTIDIVM cibi.

Porrò est etiam alius ventriculi affectus iam enumeratis contrarius: in quo cibi cupiditas imminuitur, aut omninò aboletur: quando vniuersi corporis partes nihil alimenti ex illo sugunt: Græcis nunc ἀνορεξία, nunc ἀσιτία, nunc etiam ἀποσιτία, & ἄση, nobis cibi fastidium nuncupatur: atque ea laborantes ἄσιτοι, & ἀπόσιτοι, dicuntur. Sed hoc inter se differunt, quòd illi cupiditate cibi carentes, eum non assumanr: reliqui oblatum fastidiant, contrario modo quàm qui canina cupiditate laborant. illi enim immodicè, hi omninò nihil appetunt. MATHETES, Quæ in his fastidij speciebus pars oblæsa est? GERON, Os ventriculi, sic vt non integrè functionem suam, vel omninò non obeat. MATHETES, Quot, & quæ sunt fastidij causæ? GERON, Duæ, aut stomachi intemperies, aut humorum abundantia. si enim humores abundent, certè ventriculus non exinanietur, præsertim si illi non solum in ore ventticuli, sed etiam in toto corpore exuperent. MATHETES, Qua ratione dignoscere potero, an immodica humorum, præsertim crudorum multitudo, inanitionem prohibeus fastidium pepererit? GERON, Facilè, vt in vrsis, & nonnullis alijs bestijs latitantibus accidit: quæ longo tempore à cibo abstinent, præsertim per hyemem. Non difficulter etiam scire licet, num exinanitio ob aliam quampiam causam, vt cutis densitatem, aut vitam otiosam impedita fuerit, secutúmque cibi fastidium. At si calidi succi & vitiosi totum corpus occupent, id cùm alia, tum rigor, febris, & cibi fastidium demonstrant. MATHETES, Quid in his affectibus boni speratur? GERON, Si per initia morborum, aut in statu accesserint, cùm vires constant, nihil periculi inferunt, vt in quo ægri pauco indigeant alimento: in declinatione verò, si cupiditas cibi aboleatur, aut in longa imbecillitate, aut viribus debilitatis, aut ex immoderata exinanitione proueniat, periculo non caret. Crescit hęc affectio etiam ætatis processu. pueri nanque ea infestantur grauiter, vt pote qui natura voraces sint, & assiduò ægeant alimento. MATHETES, De magna cupiditate cibi, & eius fastidio satis me

Fastidij differentia.

Fastidij causæ duæ.

Fastidij ex humorum copia orti notæ.

Fastidij prognosticon.

docuisti: restat vt de siti quoque similiter me instituas.

SITIS, siue potionis cupiditas.

GERON, Totidem potionis, quot cibi sunt desideria. interdum enim illa omninò deficiunt: interdum imminuuntur, quae ex ijsdem quidem causis originem trahunt, sed excessu defectúq; solùm differunt. At vitiosa potionis cupiditas prauę alimenti appetentiae respondet: aliquando immodicam potionem, aliquando alienam postulat, sicut etiam cibi appetentia. MATHETES, Quae pars in hoc symptomate offenditur? GERON, Siue ingentem, siue immodicam, aut vehementem sitim appelles, ventriculus, & praesertim eius os semper oblaesum erit: quamuis non perpetuo per se, sed interdum ex inflammati iecoris, praesertim cauae eius regionis, vel pulmonis, vel meseraicarum venarum, seu intestini ieiuni consensu.

Ventriculi in siti ingenti affecti notae.

MATHETES, Vnde id dignoscam? GERON, Si ex societate doloris affectum fuerit, ex indicijs inflam̄ationi proprijs: si verò per se, nullum eiusmodi indicium inflam̄ationis partium, quas superiùs nominaui, apparebit: quòd autem illud in hac affectione oblaesum sit, ex proprij ipsius muneris, quod tum cibi, tum potus cupiditas est, noxa constat.

Sitis ingens quid

MATHETES, Quid ingens sitis existit? GERON, Symptoma, quo functiones oris ventriculi offenduntur, & ipsius appetentia deprauatur. quanquam idem symptoma non vnum semper oris ventriculi morbum comitetur. ille enim, praesertim os ipsius, aut calida, aut sicca, aut vtraque intemperie afficitur.

Sitim quid efficiat.

MATHETES, Quid igitur sitim efficit? GERON, Aut humoris penuria, aut caloris abundantia. at non solùm nudae istae intemperies, sed etiam vitiosi quidam humores illis coniuncti, vt salsi, aut biliosi, ventrem rodentes.

Cur potio magis quam cibus ob salso humores appetitur.

MATHETES, Cur ob eos potio magis quàm cibus appetitur? GERON, Quia praeter quàm quòd illi ventriculum calefaciant siccéntque, tanquam sitis causae, etiam tum in illo tum in venis liquantur, funduntúrque. Cùm autem succi funduntur, ea quibus continentur, replent: sicut è contrario frigus euacuat. Quinetiam cùm succi modò compraehensi in ventris tunicis redundant, potus alieni similiter ac cibi pro illorum vitiositate, expetuntur. atque id sanè diu ijs, qui mala victus ratione vsi sunt, contingit.

Altera immodicae sitis causa.

MATHETES, Vnde aliâs interdum sitis immodica oboritur? GERON, Ex natiuo ipsius oris ventriculi humore in illo tanquam feruente: id autem fieri nequit, nisi eiusdem oris calor exuperet. atque hac de causa meritò ingens sitis, aut ob humoris inopiam, aut caloris copiam, aut ob vtrunque excitari dicitur.

Causae sitis quomodo distinguantur.

MATHETES, Quomodo causae distinguuntur? GERON, Non admodum difficulter. nam si ob humoris penuriam sitis excitetur, tum ex aegri verbis, tum ex his, quae antecesserunt, facilè percipitur: verbi gratia, si ipsa ob potionis

potionis inopiam inciderit, aut ob vrinæ profluuium, quod diabetes nominatur, aut ob largam aliquam euacuationem antecedentem. Poſſunt etiam ſitim excitare ij, qui à potu ſe valdè abſtinent, aut aquæ dulcis penuria, marinam bibunt. At qui ob caloris vehementiam citra acrium humorum multitudinem ſitiunt, ij præter nimiam ſitim, calorem in ventriculo ſentiunt, ídque interdum ex medicamento quodam calido, acri, ac rodente ſumpto accidit. Porrò qui calore & ſiccitate ſimul coniunctis ſiti cruciantur, ij in febribus ardentibus, & vniuerſis adurentibus, ac æſtate grauíq; ęſtu infeſtantur. quandoquidem in his, pręſertim febricitantibus, calor multus ſuccedit, ſic vt non parum humoris per febris vehementiam conſumatur. Quòd ſi humores vitioſi, ſalſi, aut bilioſi calori ſimul adfuerint, facilè diſtinguere præſertim ex diuerſo oris ſapore, ſalſo, aut amaro, licebit. MATHETES, Vnde ſitis prouenire dicetur, ſi humores bilioſi redundarint? GERON, A calida & ſicca ventriculi affectione: cùm ij ſucci tali natura ſint præditi. MATHETES, Ex quibus alijs nonnulli ſiticuloſi redduntur? GERON, Ex immodico vini meracioris, præſertim veteris potu, ciborúmque calidorum, & quandoque viperarum vſu, aut ex vino, in quo huiuſmodi ſerpens macerata ſit. Hoc autem notandum eſt, non exiguæ ac moderatæ ſitis, quæ ſanis aliquando corporibus incidere ſolet, mentionem fieri, ſed magnæ & vehementis, quæ ægris obuenit. quamuis enim ob ſiccitatem, aut calorem generetur, tamen neque à toto corpore, neq; ex magno ventriculi affectu concitatur: ſed ijs locis, per quos humor ab ore ad ventriculum delabitur, aridis, aut caleſcentibus, generatur: atque ideò, ſi ſomnus ſuccedit, illius eſt remedium, ſic vt penitiores loci corporis madefacti fuerint, ídque ſanguine ad interiora per ſomnum delato: vel quia idem ſomnus humores concoquit. *[Sitis à ſomno.]* At ſuperficiaria ſitis ex partium, quas retuli, calore orta, eáque à ſomno expergefactis, vigilijs facilè ſedatur. dum enim cibi in ſtomacho cõcoquuntur, calido quodam halitu ad eas partes accedente incaleſcunt: cúmque caloris per vigilias in ſuperficiem expanditur, laborãtes ab eiuſmodi ſiti facilè liberantur, dum partium calor euaneſcit. Quòd ſi illa ventriculo ex cibi potúſque vſu calefacto, à ſomno excitata fuerit, non abſq; extremo ſubſidio per vigilias ſedari poterit: eóq; ſomnus ſiti ſuperficiarię medetur: ei verò quę ex ſomno fit, vigilia quibuſdã ſuccurrit. At qui noctu bibere deſiderant, ijs ad modum ſitientibus, vbi ſuperdormierint, ſalutare eſt. *[Sitis quæ noctu infeſtat.]* neque enim omnibus à ſomno excitatis ſitis ab eodem affectu oboritur. Qua de cauſa magna vehementis ſitis ratio habenda eſt: *[Sitis perniciosa.]* quia, ſi nimium inualeſcat, ægris exitium adferre po-

teſt. Atque hactenus de ſiti, nunc ad ſingultum me conuertam.

MATHETES, Quid nam ille eſt? GERON, Motus quidam vehemens ſtomachi ac violentus, quo ille, quod ipſum infeſtat, expellere conatur, tanquam diſtenſoria oris ventriculi affectio, ſiue diſtentio quædam: Græcis λυγμὸς, quandoque λύγξ, dicitur. Hic motus quamuis in eodem genere, quo vomitus, conſiſtat, tamen illo fortior ac vehementior eſt: eò quòd ſtomachus per illum appetat, conetúrque aliquid eorum expellere, quæ in ipſo comprehenduntur: non quæ in latiore ipſius ſinu, ſed quæ in ipſomet ventre, quæque penitiùs in ipſius ore ſubſiſtunt. At ea quæ ſtomachus, ſiue os ventriculi veluti abſorpſerit, & ille per ſingultum excernere molitur, vehementiore motu, vt expellantur, indigent, quàm ea, quæ in ventris ſinu hæreſcunt, vomitúque expelluntur. MATHETES, Qualis igitur ſtomachi motus in vomitu exiſtit? GERON, Mediocris. nam per illum ea duntaxat excernere conatur, quæ in amplo eius ſinu conſiſtunt: in ſingultu autem fortior vehementiórque: cùm ea que penitiùs in ore ipſius hæreſcunt, quæque in ipſomet ventre infarcta ſunt, ventriculus expellere conatur. MATHETES, Quæ pars in hoc vitio affecta dicitur? GERON, Os ipſum ventriculi, cùm id acriori ſenſu ſit præditum. interdum non modò os illius, verùm etiam totus ipſe ventriculus: nonnunquam ea quoque pars, quæ propriè Græcis στόμαχος, nobis gula appellatur, affici poteſt: quanuis non adeò exacto ſenſu polleat. MATHETES, Sub quo genere motuum hæc affectio continetur? GERON, Sub communi vitioſorum, præſertim illorum, qui à facultate quidem fiunt, quam cauſa naturæ contraria irritat. eóque rectè ſymptoma dicitur, quod ſub naturalium ſtomachi ipſius functionum noxa comprehenditur. quippe non vnius ſolùm facultatis actio, ſed duarum prauus motus exiſtit, putâ expultricis retentricíſque. Fit enim interdum, vt tum morbi, tum ſymptomata vtriuſque facultatis miſceantur: ſed primùm quidem ventriculi prauus expultricis motus eſt: deinde retentricis. nam ventriculus per initia quidem prauo hoc motu expultricis facultatis auxilio, noxiũ reijcere cõtendit: ſecundo autẽ, cùm ventriculus ſingultit, retentrix facultâs quoq; offenditur: eò quòd cibus malè minúſq; naturaliter ob diſtenſoriũ vẽtriculi motum compræhẽdatur. MAT. Eſt ergò prauus hic motus, ventriculi diſtẽtio? GER. Non ex toto, ſed veluti dẽiſtſioni ſimilis, & cõmoune vtriuſq; facultatis ſymptoma: quanquam ſingultus iſte etiam ob duplicem cauſam, ſicut ipſa diſtenſio propriè dicta, excitari poſſit nempe ob multitudinem magna ex parte, & ob inanitionem, quanuis rariùs. MATHETES, Soléntne aliæ cauſæ hunc affectum

Singultus & vomitus differunt.

Motus ſtomachi in vomitu & ſingultu quomodo differat.

Singultus ſub quo motuum genere cõtinentur.

Singultus prauus ex putracis motus.

Singultum ob duplicem cauſam etiam fieri.

excita-

excitare? GERON, Indubiè, acres, aut ſeroſi, medicatique humores, ſtomachum rodentes: qui vbi vomitu reiecti fuerint, ille ſtatim finitur. ad hæc medicamentum ex pipere confectum, vel ipſummet piper cribro ſubtiliter incretum, ac deuoratum generare poteſt, ſi vinum poſtea ſtatim ſuperbibatur, præſertim aqua calida dilutum. piper enim calore potionis ad interiora fertur: acrimonia verò ſua ventriculum infeſtat. præterea ex cibo mordaci, oriſque ventriculi rigore, ſeu frigore contrahitur. MATHETES, Quantum ex te audio, poteſt etiam ſingultus non modò ex communibus & maximis, ſed etiam ex ſingularibus, & manifeſtis, vt vehementi calore & frigore concitari? GERON, Quid ni? ambo enim rodere, & dolorem diuortio vnionis intercedente mouere ſolent, ſic vt vnum rodendo, alterum diuellendo id præſtet. Porrò quamuis plures ſpeciales ſingultus cauſę eſſe dicātur: tamen ad duas has generales, plenitudinem, & vacuitatem reduci poſſunt. MATHETES, Qua ratione obſecro? GERON, Cùm omnes illæ roſionis nomine ſingultum efficiant, aut calidæ, ſimiléſque humores acres & rodentes, certè hæ, quia vim habent exiccandi, ſingultum ex vacuitate prouenientem, excitant: aut quæ ventriculum ipſum immodicè refrigerant, eundem efficere poſſunt. atque hic ei qui ex plenitudine oritur, annumeratur. Cùm enim rigor & frigus omnes partes neruoſas à perſpiratione impediant, id efficiunt, vt illę impleantur, eóq; inde ſingultus proueniat. MATHETES, Quomodo omnes ſigillatim dignoſci poſſunt? GERON, Facilè. nam ſingultum à vacuitate ortum, cauſæ inanientes, quæ antecesſerunt, vt immodicus ſanguinis fluor, aut alui profluium, & *Notæ ſingultus ex vacuitate.* id genus reliquæ demonſtrant. Ex copia natum, illius quoq; notæ oſtendunt. *Et plenitudine orti ntoa.* ex acribus autem humoribus, & medicata qualitate præditis procreatum, illorum etiam ſigna teſtantur: & quòd ægri, vbi vomitu eos reiecerint, ſtatim liberentur: quemadmodum, qui ex cibo in mordacem qualitatem conuerſo, ſingultiunt. At ſi ex rigore oris ventriculi, aut eius frigore, aut ex medicamento piperis deuorato, ſingultus incidat, æger facilè referre poterit. quamuis pueri magis ob alimentum in ventriculo corruptum, aut ob frigidam eius naturam ſingultire ſoleant. MATHETES, Quid boni, vel mali de ſingultu finiendo ſperandum eſt? *Singultus quid boni, vel mali oſtendat.* GERON, Si ex vacuitate fiat, aut ex immoderato ſanguinis profluuio, aut nimia purgatione, ſemper periculum minatur, ſicut etiam cùm à vomitu excitatur. MATHETES, Quamobrem? GERON, Quia vel cerebrum, neruorum originem, vel ventriculum non exiguam inflammationem experiri indicat. In altiore autem ſopore, aut animi defectione, aut neruorum diſtentione, ſiue rigore ex

citatus, mortem in propinquo esse denunciat. Si verò sternutatio singultui superueniat, huic medetur, quando scilicet ex plenitudine est contractus. MATHETES, Qui supersunt adhuc post singultum, stomachi affectus?

VOMITUS, nausea.

GERON, Nausea, & vomitio, quæ magnam inter se habent cognationem. nam hanc illa antecedit: quanuis non perpetuò vbi aliquis nausea pressus est, vomitus statim sequatur. nonnulli enim nauseant, & turbantur, nihil autem euomunt, cùm ipsæ ventriculi tunicæ humore vitioso imbuti sunt. MATHETES, Quid propriè est nausea? GERON, Prauus quidam expultricis facultatis vertriculi motus, quo etsi nihil eijciatur, sæpe tamen aqua pellucida, sponte, nullóque conatu ab ore profluit, vel si mauis irritum vomendi desiderium. quanquam etiam citra illud fiat. MATHETES, Quid vomitus est? GERON, Prauus etiam eiusdem facultatis ventriculi motus: quo eà quæ in illius sinu habentur, fluitant eúmque molestant, per stomachum celerrimè reijciuntur. MATHETES, Quis tandem locus in ambabus hisce affectionibus oblęditur? GERON, Os ventriculi potissimùm: quamuis etiam aliqua ex parte totus ventriculus, sicut etiam in reliquis iam dictis vitijs. MATHETES, Qui affectus autem ipsi sunt? GERON, Eiusmodi symptomata, in quibus causa quędam naturæ contraria illum ad tales functiones incitat. MATHETES, Quo pacto nausea dignoscitur? GERON, Quòd ipsa per inanem illam vomendi irritationem ventriculum ipsum tantummodò lancinet, nullum autem humorem educat. MATHETES, Quibus à subuersione stomachi distinguitur GERON, Quòd hæc non nisi cibo assumpto: illa verò sine cibo fiat: aut quòd ea ob solam ventriculi debilitatem, aut cum vitiato aliquo, licet modico humore: hæc autem ex multo, & valdè vitiato etiam citra cibum generetur. MATHETES, Quid vomitus à nausea differt? GERON, Quòd per illum aliquid perpetuò foràs excernatur, per nauseam verò nihil, licet vomitiones interim eam subsequantur, interim non. MATHETES, Quibus morbis hęc ventriculi symptomata succedunt? GERON, Qui multifariàm à diuersis quòque causis oriri possunt, idque ideo, vt eorum morborum tum notitia, tum curatio fiat euidentior. MATHETES, Quæ nauseam & vomitum pariunt? GERON, Duo in vniuersum præcipua, nempe humorum abundantia, vel prauitas: illa quidem sic vt ventriculum grauet: hæc vt rodendo affligat. MATHETES, Vnde humorum copia percipi potest? GERON, Ex pondere ac tensione, quæ in ventriculo sentiuntur. nam cùm is eos ferre nequit, ad nauseam se[illegible] vomitum excitatur. num autem ciborum sit abudantia, ex ægro, vel ex assistentibus facilè condisces: quemadmodum

Nausea quid. *Vomitus quid.* *Nauseæ notæ.* *Nausea & subuersio stomachi quomodo differant.* *Nauseæ ac vomitus causæ.*

Tensio à cibo quid significet.

modum, si tensio, seu pondus absque cibis orta sentiatur, humorum copiæ ascribenda est. Quòd si non multi humores, sed praui & biliosi ventriculum obsederint, oris amaritudo, sitis, ardórque simul cũ erosione oris ventriculi, & fastidio vrgent, cibíq; assumpti in amaram nidorosámq; qualitatem conuertuntur: sicut vbi frigidi fuerint, æger neque siticulosus erit, neque ardorem in ore ventriculi sentiet: sed è contrario frigus, & nonnunquam immoderatè cibum appetet, acidámque in ore qualitatem deprehendet. si verò salsa, maior quoque potionis: minor autem cibi erit cupiditas: ac forsan abolebitur: præterquàm quòd similis quoque in ore qualitas percipiatur. MATHETES, Quid si vomitus ob easdem has causas subsequatur? GERON, Humor abundans vomitu faciliùs dignoscetur: à medico, visu: ab ægro autem, gustu. At cùm humores saniosi, serosi ac tenues superauerint: ij non modò ante cibum, sed etiam post eum assumptum nimio motu agitati, vomitum concitant. MATHETES, Quomodo dignoscitur vomitus ex vitiosis ingestis cibis, aut in ventriculo corruptis prouocatus? GERON, Ex ægris, aut assistentibus: nec non ex eorum, quę vomitu reijciuntur, qualitate. MATHETES, Possúntne causæ ex hisce notis satis dignosci? GERON, Minimè, sed etiam diligenter obseruandum est, num eiusmodi humores in vẽtriculo solummodò recludentur: an ex alia quadam parte, siue ex toto corpore in illam confluxerint. item num ij, qui in vẽtriculo gignuntur, aut ab alijs partibus in eum transmittuntur, in lato ipsius sinu comprehendantur, fluitentque in eo, & innatent: an in ipsomet infarcti impactiq; sint, siue tunicis eius inhæreścant. MATHETES, Quomodo singula hæc internoscam? GERON, Si totum corpus plenum humoribus est, multitudinis signa apparebunt. si vitiositas eorum vrget, ex colore, & papularum cutis eruptionibus, vrináque ipsa deprehenditur. sin autem à parte quadam, vt capite, liene, aut iecore in ventriculum descenderint: æger primùm membri offensi noxam experitur. id enim aut incalescere, aut refrigerari, aut grauari, aut etiam durum tactu deprehenditur: & si nausea, aut vomitus excitetur, vehemens ac crebrior non erit, sed potiùs leuis: qui per longiora interualla repetat. Præter hæc ad maiorem horum dignotionem, etiam notandum erit: qua victus ratione æger vsus sit: númque in cruditatem, aut satietatem crebram inciderit: idque in vita otiosa præter consuetudinem. hoc etiam negligendum nõ est: an alia pars corporis certo temporis circuitu cruciari solita, nunc libera sit: vel num excretio quędã consueta, nunc retenta sit. nam si horum nihil adfuerit, & affectus prædicti crebrò, vehementer, continuéque vrgeant, constat ventriculum ipsum per se,

Humorum vitio sorum ventriculum obsidentium notæ.

Vomitus ex vitiosis cibis orti signa.

Causæ vomitus ac nauseæ quomodo distinguuntur internoscantúrque.

Ventriculi primariò affecti nota.

MM

ac primariò affectum humoréssque in eo copiosos esse generatos. num autem ij in amplo eius sinu contineantur, fluiténtque, vel ipsimet inhæreſcant, infixíque sint, hoc pacto internosces. Humor in ipso ventriculi sinu contentus, vomitu statim à nausea suborta, absque vehementia violentiáue reijcitur. At biliosos, vel serosos in ore ventriculi absorptos, vel viscosos eidem infixos esse intelligo, si nausea quidem excitata fuerit, sed nihil mentione dignũ per vomitiones reijciatur. Cùm enim humor aliquis in ventriculi tunicis inhæreſcit, nausea quidem premit, irritátque, sed inanis, citráque vomitum, quæ nihil humoris educat: quamuis etiam humores crassi, ac viscosi, qui, summo venti infarcti adhærent, nauseas, inanésque vomitiones ante cibum moueant: eóque nauseam ob eiusmodi humores oriri, rationi est consentaneum. MATHETES, Cur interim nausea citra vomitum excitatur, interim hic post illam sequitur? GERON, Quia facultas expultrix nunc est imbecilla, nunc robusta, & humores ventriculi tunicis adhæreſcentes, tenues: & exigua quædam eorum portio, ex nausea violenta in sinum ventriculi effunditur, eóque vomitu excitato, per os expurgatur. MATHETES, Cur humores ventriculi tunicis

Nausea cur citra vomitum, & hic post illam excitetur.

infarcti ipsum molestantes præsertim rodendo calidi, aut frigidi non singultum potiùs quàm nauseam excitant? GERON, Quia hi, cùm non adeò acres sint, vt rodant, nauseam: vbi verò valde rodant, singultum promouere solent: eóque non semper mordaces ventriculo ipsi impacti, singultum efficiunt. qua de causa etiam non solùm nauseam, sed aliâs vnum, aliâs alterum symptoma gignunt. MATHETES, Quid de his prædicit Hippocrates? GERON,

De nausea ac vomitu quid prædicendum.

Si vomitui singultus rubórque oculorum succedit, perniciosum esse, sicut etiam vomitum, qui, postquàm tuberculum intus eruperit, subsequitur. Quinetiam ille pestiferus est, qui Ilij morbum comitatur. quoniam is non semper incidit, sed quando Iliaci morbi exitiales sunt. MATHETES, Quid nausea futurum nunciat? GERON, Quandoque crisim, hoc est, morbum finitum iri, quandoque malum, vt in febribus pestilentibus. In ijs autem, qui à morbo conualeſcunt, frequentior illius recidiuã testatur. At vomitus, ex pituita ac bile, non autem multa, nec crassa admodum permixtis, securitatem pollicetur. sincerus autẽ, & vnius humoris vomitus deterior est: siue porracei, siue liuidi, siue nigri coloris sit, sicut etiam, vbi omnium colorũ humores vomitu redduntur. adhæc liuida excreta, grauis odoris, maturam mortem ostendunt. *in vniuersum onis subputris, ac fœtẽs vomitio exititalis est.* MATH. Nullane interdum valetudinis causa citari solet? GER, Vtique: sed quotidianus ipsius vsus illi noxius, qui valere diu, & seneſcere volet.

MATHE-

CRVDITAS ventriculi.

MATHETES, Cùm ventriculus primæ omnium morborum concoctioni dicatus sit, poteſtné etiam aliquando offendi, vt eam nequeat obire? GERON, Maximè: atque hoc illius ſymptoma, nobis cruditas, græcis ἀπεψία, ſeu cõcoctionis fruſtratio vocatur. Sub hoc quoq; aliæ duæ ſpecies continentur. ac prima earum Græcè βραδυπεψία, quaſi tarda concoctio dicitur: qua cibus difficulter, & longiore temporis ſpacio immutatur. altera δυσπεψία, ſeu praua, ac vitioſa concoctio: qua cibus nullam naturæ gratiam adipiſcitur. Quanquam autem ſingulæ iſtæ ſuis diſtinguantur nominibus: omnes tamen eadem voce cruditatis appellari poſſunt. MATHETES, Quæ pars ventriculi potiſſimùm in cruditate laborat? GERON, Inferior ipſius ore, nempe ſpacioſus eiuſdem ſinus: vbi minùs probè valet, quomodocunq; concoctio vitiata fuerit: modò læſiones, ſeu noxæ illius non ab exteriore quadam cauſa proueniant. nam cruditas quædam citra ventriculi affectum fieri poteſt. Quamuis igitur tria illa concoctionis ſymptomata, fruſtrationi functionis ſuccedant: non tamen ſemper facultas ipſa offenſionem experta fuerit. Cùm enim ſymptoma aliquod ex prædictis externo quodam errore contrahatur: nequaquam facultas ipſa offenſam ſuſtinet. MATHETES, Cuius facultatis noxæ ſunt eiuſmodi ſymptomata? GERON, Immutatricis, ſic vt actio eius, in concoctione tarda ſit imminuta: in difficili, vitiata: in cruditate, abolita. MAT. Quomodo priora ſymptomata dignoſcũtur? GERON, Facilè: nam ciborũ aſſumptorum qualitas, ſiue ructus, ſiue vomitus incidat, planè ſeruatur retineturq;: quamuis in tarda cõcoctione, acidi ructus interdum fiant: interdum ventriculus halituoſo ſpiritu impleatur. At victus ingratus euadens, vitioſam cõcoctionem palàm indicat, vt qui modò vnum, modò alium vitioſum ſaporem repræſentet: & ſi corrupti cibi per aluũ deijciantur, grauis eorum odor neceſſariò percipietur. MAT. Quæ cauſa communiter ea ſymptomata excitat? GERON, Immutatoriæ facultatis fruſtratio. MAT. Quot primæ fruſtrationis genera exiſtunt? GERON, Duo: vnum ex facultate ipſa oblæſa: alterum ab externo quodã errore excitatum. præterea noxa facultatis etiam duplex exiſtit: nempe, aut propriæ eſſentiæ culpa, ex quadam primarum qualitatem intemperie, vt ſi contra naturam calfacta, refrigerata, humectata, aut exiccata fuerit: aut ſi facultas ipſa à morbo quodam inſtrumẽtario vt eryſipelate, inflammatione, œdemate, ſcirrho, abſceſſu, aut alijs eiuſmodi offendatur: ob quæ omnia ventriculus, vi eius concoctrice offenſa, malè concoquit. At ſi ventriculus in ipſiuſmet temperaturæ vitijs labefactetur, concoctio violatur: in reliquis morbis inſtrumentarijs, duntaxat impeditur. Porrò affectus ex intem

Concoctionis ſymptomata.

temperie simul, & instrumentario morbo compositi, vtroque modo nocent. atque tot sunt interiores causæ, vnde ventriculus malè concoquit. MATHETES, Potestné concoctio etiam impediri, si ventriculus à nullis causis fuerit affectus? GERON, Vtique, cùm nimius cibus potúsque ingestus est, aut aliena qualitate infectus, aut intẽpestiuè assumptus: hoc est, antequàm prior descenderit, ac hora insueta: nec non ordine præpostero, aut somno exiguo, aut vitioso excremento subsequente. MATHETES, Cùm tot frustratæ concoctionis causæ existant, qua ratione secerni, ac dignosci poterunt? GERON, Quòd si vitia prædicta ex immodico cibo potúque, vel prauo, vel intempestiuè, hoc est, extra ordinem sumpto, aut exiguo somno profecta fuerint, ex ipso ægro, aut assistentibus facilè percipitur: si verò corruptelam ciborum, cruditas secuta sit, ex antecedente qualitate cognoscitur. nam si corruptio ciborum fumosam qualitatem refert, calidiores, magísque biliosi cibi cruditatem generasse censentur. At si in ventriculo cibi non suapte natura fumosi euaserint, & talis cuipiam ructus accedat, calidam ventriculi intemperiem hanc peperisse coniicimus: si verò acidum saporem referant, frigidam esse putamus. quamuis simili modo in excrementis fiat, cùm in ipso ventriculo continentur. frigida namque & pituitosa qualitas, acidas: calida & biliosa, fumosas generare consueuit. MATHETES, Quo pacto distinguis vtrum calida quędam intemperies, aut frigida duntaxat, an vitiosus quispiam humor ventriculum infestet? GERON, Cibi, qui suapte natura corruptioni maximè aduersantur, cruditate laborantibus exhiberi debent: panis quidem illis, in quibus fumosum quid eructatur: mel autem iis, qui acidum à cibo saporem percipiunt. adhæc excrementa, tum quæ vomitu, tum quæ per aluum eiiciuntur, considerare oportet: num scilicet humor aliquis cum his quidem biliosus ac calidus, cum illis autem pituitosus frigidúsque excernatur: an nullo humore euacuato, ipsa paululùm quiddam immutentur. nam si illa modicè immutata sine humore deiici videas, ventriculum intemperie tantummodo laborare dep̧rehendes: sin autem humor quoque descenderit, qui cibos potest corrumpere, conspicies hos tali humore infectos, ab ipsiúsque ventriculi actione manifestiùs immutatos. At si excrementum ventriculi tunicis infarctum fuerit, ex inani nausea, seu vomitione, quę solummodò irritat, nihil autem humoris educit, dignosces. si calidum fuerit, etiam sitis præter nauseam vehemens aderit, & nonnunquam febris. si frigidum, maior ciborum cupiditas vrgebit: nulla autem sitis, nulláque febris excruciat. At quia ventriculus in eiusmodi intemperiem calidam &, frigidam breui tem

Frustrata concoctio ex intemperie & vitioso humore.

pore

pore perduci:in humidam autem,& siccam sine longo nõ potest, adeò vt actionem amittat, vtriusque intemperaturæ tum humidæ,tum siccæ indicia minimè requiruntur. quamuis humidam, aqua subter cutem plærunque antecedat:siccam verò,aut senium aut marcor: eóque ex ijsdem dignosci possunt:sicut etiam ex illarum affectibus.nam frigore superante, frigida vitia: calore,contraria exitari solent. At si enumerata symptomata à morbis quibusdam instrumẽtarijs proueniant,ex proprijs eorũdem morborum indicijs dignoscuntur. MAT. Ex qua causa inter prædictas,tarda concoctio excitatur? GER. Ex somno breui,ex cibis,qui non facilè corrumpũtur,&ex plenioribus quàm natura postulat. frustratio cõcoctionis omninò citra corruptelam ciborum accidit,ita vt quales illi assumpti sint, tales per omnem eorum qualitatem maneant. MATHETES, Vnde ventriculus victus esse dicitur? GERON, A nimia ciborum multitudine,aut à maiori eorum modo quàm vires conficere possint:aut à valido frigore,seu ex ventriculi caloris natiui refrigeratione. quòd si autem ille etiam mediocres & consuetos cibos nullo prorsus modo confecerit,maximam eius intemperiem subesse testatur. At cruditas corruptioni ciborum cõiuncta, quam propriè grȩci δυσπεψίαν vocant,ex calida,vel frigida intemperie prȩsertim calida contrahitur:eò quòd nulla esca vehemẽter calefacta putredinis expers permanere possit. simili modo excremẽtis calidis,aut frigidis,aut vitiosis ciborum qualitatibus, in ventriculo substantibus. interdũ etiam ex cibo potúq; extra ordinẽ,aut intempestiuè assumpto gignitur. MAT. Quid de cruditate præsagire licet? GERON, Assidua maximè periculosa est, eò quòd vitiosi humores morbíq; ex ea procreentur,siue ex boni, siuè ex mali succi cibis orta fuerit. quãuis ea sit deterior,quam vitiosi succi esculenta effecerint. quæcunq; tamen symptomata suprà recitata ex cibis oriuntur,facilè corrigi solent. At quæ cruditas ex summo virium lapsu prouenit,lienteriam excitat,aut in id hydropis genus,quod tympanias vocatur,desinit. Porrò cruditas in biliosis naturis deterrima est,celerriméque febrim accendit: in qua nidorolenta, fumosáque qualitas cibos inficit. in qua verò acida illos imbuit,vt rarò talibus naturis incidit, ita quoque minùs est noxia. quin & nidorosa fumosáque cruditas minùs eisdem incommodat,si aluus fusior extiterit:sin astrictior,grauis est. nam naturæ vitiosæ ex eius astrictione,promptiùs in febres incidunt,præsertim,vbi ad consueta munia reuertuntur. Postremò tertia cruditatis species quam Græcè ἀπεψίαν nominaui,longè periculosissima est,si facultatis concoctricis vitio contrahatur, sicut secunda quam βραδυπεψίαν appellaui, minus periculi affert.

Cruditas si à morbis instrumentarijs prouenerit.

Præsagia cruditatis.

Cruditas deterrima quæ.

Ventriculi inflatio.

MATHETES, Quæ post hanc affectio sequitur? GERON, Interdum ventriculus inflatur, quando vis eius tetentrix imbecilla est: vitium hoc græcis πνευμάτωσις vel ἐμφύσημα, nobis inflatio nominatur: qua venter distenditur, indolescitque. nam cùm flatuosus spiritus in eo gignitur, aut per os excernitur, eóque ructum excitat, aut per aluum erumpit, nunc sonorus, nunc silens, vel neutra parte editur. Cùm autem venter imbecillis eum dissipare nequit, aliquando non inflatio, sed fluctuatio cum sonitu in ventriculo oritur: hæc ex potu, ventre admodum refrigerato nascitur, ac Græcis κλύδων, appellatur: illa verò ex propria ventriculi concoctione frustrata prouenit: eò quòd rententrix eius facultas, imbecilla cibos vndique prorsus non constringat, sed regionem quandam inter ventrem & cibos vacuam relinquat.

Inflationis differentia.

Alius huic affectus similis ventriculo accidit, qui à Græcis οἴδημα dicitur. sic autem ab inflatione differt, quòd digitis prementibus cedat. hæc verò nullum vestigium relinquat, sed instar tympani sonitum edat: imò quandoque non solùm venter, sed etiam totum pectus, ceruixque & dorsum in hoc vitio retrò grauatur distenditúrque. aliquando etiam os ventriculi intumescit, & ructus inanes succedunt, qui illum paulùm alleuant: quandoque flatus inhibentur, qui aliâs per aluum excerni consueuerant. hinc dolores quibusdam eueniunt Colicis similes: appetentia amittitur, & caput dolet. MATHETES, Quid inflationem generat? GERON, Spiritus flatulentus, qui ex succis quibusdam pituitosis, vel cibis non satis ob caloris natiui inopiam concoctis, sed in vaporem tantùm redactis, conflatur. MATHETES, Quæ notant inflationem ex cibis flatuosis ortam? GERON, Exiguus & breuis spiritus, qui vno, vel altero ructu edito euacuatur. MATHETES, Quæ ex cibis non flatuosis, sed in vaporem resolutis subortam indicant? GERON, Hæc non longè postquàm illi assumpti fuerint, prouenit, vt ex ægris ipsis, seu eorum familiaribus facilè cognosci potest. MATHETES, Quid si nulli tales cibi antea assumpti fuerint? GERON, Pituitosos humores in ventriculo contentos, solutósque in vapores, inflationis auctores esse iudico. metus enim & tristitia propriè prҫter cætera, affectionem hypochondriacam testantur, quam flatus quidem atræ bilis ventriculo infusæ soboles, generat. MATHETES, Quomodo me geram, vt commodè ei curationem adhibeam? GERON, Si diutius eam differas hydrops præcipuè sicca subsequetur: & si inflatio ventriculi augescat, recidiuam in conualescentibus minatur. Qui enim à morbis cibo nimio ad satietatem vsque se replent, flatibus toto corporis habitu inturgescunt: quamuis regio morbo affecti, non admodum

ΟΙΔΗΜΑ.

Causæ.

Inflationis signa pro assumptorum ratione.

Præsagia.

modùm flatibus distendantur. MATHETES, Quis morbus his proximè recitatis succedit?

GERON, Tum ventriculo, tum intestinis communis, quem Græci χολέραν: latini illos secuti similiter: barbari verò Cholicam, seu Cholericam passionem appellant. MATHETES, Cur græci sic eum nuncupant? GERON, Non quòd à bile, quæ χολὴ græcè dicitur, fieri soleat (quamuis etiam bilis non raròin hoc vitio tum suprà, tum infrà erumpat) sed quòd materia, quæ per ventrem fertur, ab intestinis, quæ veteribus χολάδες nuncupantur, excerni videatur. MATHETES, Vbi hoc malum versatur? GERON, Inter stomachum, & intestina, sic vt cuius potissimùm sit partis, non facilè dici possit. venter quidem totus primariò: stomachus autem & intestina consortij lege afficiuntur. MATHE. Quomodo hoc accidit? GERON, Cùm venter duplici ore constet, id quod graue, ac molestum in stomacho continetur, per superius: quod in ima eius parte subsistit, per inferius: quod in ipso toto excruciat, per vtrunque os expellere consueuit. MATHETES, Quæ indicant has partes simul affectas esse? GERON, Complura: primùm tum vomitus, tum deiectio simul incidentes: deinde inflatio intestinorum torsionésque. Sicut autem nausea, & vomitus, praui expultricis vẽtriculi facultatis motus existunt, ita etiam vera Cholera. falsa autem citra eius facultatis noxam superuenit: quamuis perpetuò affectum aliquem naturæ contrarium subsequatur. MATHETES, Vnde legitima hæc Cholera contrahitur? GERON, Ex ciborum qualitate. MATHETES, Quæ eius sunt indicia? GERON, Vomitus biliosus, nidorosus, acidúsque, non paucis horis continuè perseuerans: ventérque inferiùs eadem excernit, sequitúrq; sitis, & corpus frigido sudore digeritur: pulsus impeditur. Sæpe etiam suræ contrahuntur tenduntúrq;, ac non mera bilis suprà infráq; erũpit, sed primùm aquę similis, deinde talis, in qua recens caro lota esse videatur, interdum alba, interdum nigra, aut varia: interim ex magna ciborum prauitate: interim ex superfluis vitiosis humoribus trahens originem, vt quæ non ex vna sola causa, sed etiam ex multis contrahatur. MATHETES, Ex quibus? GERON, Ex copiosiore cibo assumpto corruptóque: eò quòd concoqui non potuerit. adhæc ex prauis humoribus cibísq; ac potionibus stomacho prę sertim noxijs, quales sunt pepones, pingues cibi, dulcésque, & oleosi: insuper ex nimia bile, quæ naturam sursum ac deorsum, ad expellendum irritat: nec non ex frigidis quibusdam admotis, aut frigidarum aquarum potu, aut earum insessu diuturno. præter has etiam aliæ singulares causæ esse possunt, nempe cibi & potus. MATHETES, Quomodo omnes inter se distinguuntur? GERON,

CHOLERA cur dicta.

Cholera situs.

Intestina quomodo afficiantur in cholera.

Ciborum aſſumptorum copia, aut praua eorundem, potionúmque qualitate: quæ ex ægro, eiúſque familiaribus facilè cognoſcuntur. quemadmodum etiam, ſi frigidarum aquarum, aut ſimilium medicamentorum foris adhibitorum vſus anteceſſerit. MATHETES, Vnde Cholera ex bilis aliorúmue prauorum humorum copia concitata dignoſcitur? GERON, Ex proprijs eorundem humorum ſignis. MATHETES, Cur Cholera inter acutos morbos refertur? GERON, Quia ſyncopen eximiam, & virium reſolutionem inducit. qua de cauſa propè internoſci, curaríque quàm celerrimè debet. Niſi enim omnes acuti morbi protinus diſcutiantur, periculoſi eſſe ſolent, ſicut etiam in hoc vitio, vel exigua ac leuis curandi mora interpoſita, magnam offenſionē, ac abſolutā ſubinde tabem adfert. MATHETES, Quo anni tempore, & in quibus Cholera frequentior eſſe ſolet? GERON, Æſtate, atque autumno, magíſque, in pueris quàm ſenioribus, verum his periculoſior. MATHETES, Quid ſpem metúmue in hoc morbo oſtendit? GERON, Vehemens ſitis inutilis eſt, & ſomnus ſuperueniens. è contrario autem vomitio ſuppreſſa, ſalutaris eſt: ſi ſyncope ſecuta, & vomitus fœdi odoris fuerit, ſummum diſcrimen indicant: ſi verò nullus odor adeſt, ſecuritas indicatur.

Cholera quando infeſtare ſoleat.

Præſagia choleræ.

MATHETES, Qui alij morbi ſequuntur? GERON, Duo, qui ferè ſibi inuicem reſpondent: primus à Græcis vocatur κοιλιακὸς, nobis quaſi ventriculi morbus: alter Græcis λειεντερία, nobis læuitas dicitur. MATHETES, Quomodo inter ſe differunt? GERON, Prior talis eſt, in quo cibus quicunque aſſumptus ſtatim per aluum deſcendit, quamuis non omninò crudus, & concoctionis expers: alter ſub quo inteſtina nihil continere poſſunt, ſed quicquid aſſumptum eſt, imperfectum protinùs deijcitur: ſic vt ventriculus nihil in eius materia, colore, odore, aliáue omninò qualitate immutarit: atque in hoc quidem ambo vitia conueniunt, quòd facultas retentrix in eis ſit offenſa: ſed in illo rurſus differunt, quòd in priore minùs, in altero magis ſit oblæſa. MATHETES, Quæ inter reliqua indicia Cæliacum morbum propriè teſtantur? GERON, Excrementa læuia, & humida, quæ venter imbecillis non ſatis concoxit, neque digeſſit: eóque aſſiduè excernuntur, fœdi interdum odoris: ſub quibus etiam ægri animo deficere, cibum faſtidire, colorem corporis amittere, & valdè graciles fieri ſolent. MATHETES, Quæ peculiariter læuitatem indicant? GERON, Si cibi aſſumpti, liquidi ſint, putredinis expertes, nihilque omninò mutati, ſubalbidi, inæquales, & valdè aquoſi: ſummatim, ſi tales ſine dolore deſcendant, quales anteà aſſumpti fuerint. MATHETES, Vter affectus alterum ſolet præcedere? GERON, Cæliacus læuitatem. nam in

COELIACVS. LIENTERIA.

Cœliacus & Læuitas.

nam in illo, cibus per initia exiguo quodam tempore permanet. procedente autem augeſcentéque vitio, non poteſt. In Læuitate cibus protinùs, vt aſſumptus eſt, excernitur: ſic vt retentrix facultas in priore morbo ſit imminuta, infirmáque: in altera prorſus abolita. MAT. Infeſtatnè Lęuitas ſola inteſtina: an etiã aliam corporis partem? GER. Non illa duntaxat: ſed etiam vētriculum, ſicut Cæliacus quoq; morbus vtraſq; partes afflgit. MAT. Cur cibi tam celeriter in ambobus vitijs deijciuntur? GER. Non quòd crudi permaneant: ſed quia ob imbecillem retinendi facultatem, citò elabãtur: ideò omnis concoctionis ſunt expertes. MAT. Quibus morbis hæc duo mala ſuccedunt? GER. Vel intemperaturæ cuidã, ob quam retentrix facultas, tum vētriculi, tum inteſtinorum infirma redditur: vel vlceribus, illis ſimilibus, quę ſummam oris cutem infeſtare ſolent. MATHET. Quæ ſignant imbecillitatem ex intemperie natam? GERON, Excrementa, quæ ſine vllo doloris ſenſu deſcendunt. MATHETES, Quæ rurſus vlcera notant? GERON, Extimæ totius ventriculi, ac inteſtinorum tunicæ ramenta. MATHETES, Quæ intemperies eſt, imbecillitatis ventriculi, & inteſtinorum cauſa? GERON, Calida, vel frigida: quamuis hæc ſæpius, quàm illa, ſic vt eiſdem humor aliquis ſit adiunctus, iſque vel calidus, vel humidus, rarò autem calidus: quia is ipſe etiam, cum deiectionibus excernitur, fortè exulcerat. MATHETES Quid in vtroque affectu, nempe Cœliaco, & Læuitate præſagiendum putas? GERON, Quòd ſi ille duret, parùm in eò ſpei eſt: ſi ægri tardiùs ad idoneam victus rationem perueniant, & ſi ab autumno incipiens in hyemem vſque prorogetur, difficiliùs omninò curari poterit. hinc fit, vt corpus alimentum non ſentiat: eò quòd id minùs perfectè in illud digeratur: ſi verò idem vitium in vetuſtatem incidat, tardè remoueri ſolet. Læuitas, quæ ex ſuperficiaria totius ventriculi, & inteſtinorum tunicæ ob acrimoniam humorum abraſione prouenerit: his ſublatis, ſtatim alimento denſandi viribus prædito, ſanatur. ſin autem longiùs perſeueret, in difficultatem inteſtinorum tranſibit. Quòd ſi acidus ructus tandem ſuperuenerit, qui antea non fuerat, bonum eſt indicium: eò quòd pituita diutiùs in ventriculo retineari, & à natura magis elaborari poſſit. Quæ verò Læuitas inteſtinorum ſpirandi difficultatem, & lateriſpunctionem affert, in tabem deſinit. Summatim Cœliacus & Læuitas inteſtinorum, cùm ambo ex retentricis facultatis noxa contrahantur, eadem quoque remedia requirunt.

Quibus morbis Cœliacus & Læuitas ſuccedant.

Præſagia Cœliaci & læuitatis.

MATHETES, Quod reliquum eſt inteſtinorum vitium? GERON, Difficultas eorum: quæ à græcis, δυσεντερία vocatur: latini eodem nomine, interdum quoque tormina appellant. nam in-

DYSENTERIA.

teſtina ipſa in hoc affectu dolore cruciantur, exulcerantúrque. atque hanc medici tum veteres, tum recentiores, veram dyſenteriam nuncupant: nonnulli non modò hanc, ſed etiam eam, quę cruenta ob excrementorum ſpeciem exiſtit, ſimiliter nominant. Sub hac, quatuor differentiæ continentur: vna ſanè ipſius ſanguinis, in ijs quibus artuum abſceſſus ineſt, vel qui exercitia omiſerunt, per circuitum repetens: atque ea etiam mulieribus menſtruis retentis accidere conſueuit. altera, cùm ſanguis aquoſus ex iecoris imbecillitate deijcitur, quem loturæ carnis ſimilem eſſe referunt. tertia, in qua ſanguis melancholicus, ac ſplendens deſcendit. quarta, ſub qua modò verus ſanguis, modò cruentus paulatim expellitur: item exiguum aliquid puris non rarò, ſicut etiam cruſtulæ vlcerum exeunt, quæ ἐφελκίδες Græcis vocantur. adhęc membranoſæ quædam inteſtinorum particulæ: prætereà ſtercus ſæpenumerò collectum, quod guttas ſanguinis in ſe contineat, excernitur. MATHETES, Quæ tandem ex quatuor hiſce excretionibus cruentis Dyſenteria propriè dici poteſt? GERON, Ea, ſub qua inteſtina ex acri humore abundante abſtergentéque vlcera ſiue iam dudum, ſiue nunc primùm, ſiue nondum adhuc experta ſunt. MATHETES, Quibus notis hoc deprehendam? GERON, Cùm vitium hoc incipit, pinguia quædam excernuntur: deinde ramenta inteſtinorum, quæ ex interiore eorum tunica prodeunt: poſtea carnoſa quædam ſimul deſcendunt. MATHETES, Quam partem maximè hic affectus offendit? GERON, Sola *inteſtina*: id quod ex dolore, ſitu, ipſiſq́ue excrementis & impedita eorundem functione conſtat. MATHETES, Quo pacto diſcernam, num vlcus ſuperiora inteſtina ac tenuiora, an inferiora ac craſſiora infeſtet? GERON, Si pinguia ſimul cum ramẽtis deijciuntur, craſſa inteſtina vlcerari, nota eſt. ſin autem cruenta cum reliquis excrementis vniuerſis ſint commixta, ſuperiora inteſtina rodi exulcerarique manifeſtum eſt. ſi verò ſupernatent, inferiora affici. At ſi neque excrementa ijs quę ab vlcere deſcendunt, admodum permixta fuerint, neque prorſus diſcreta appareant, media potiùs inteſtina cruciari coniectura eſt: id etiam abraſa excrementa teſtantur: quamuis non adeò manifeſtè, vt in cruentis. Adhæc cruſtulæ per aluum editę oſtendunt, quodnam inteſtinum fuerit offenſum, idque cum peculiari eſſentia, tum etiam eo modo, quo ipſę reliquis excrementis commiſceri, vel vni tantum eorum parti ſupernatare videtur. nam ſi latiores, craſſioréſque multò extiterint, quàm tenuia inteſtina exigant, craſſa vlcerata eſſe indicant: nec non ſtercora, quæ deijciuntur, multa eſſe, & flatibus permixta: nonnunquam etiam ſpumoſa, pinguia, cruenta illis commixta apparent. MATHETES, Quæ

Quatuor dyſenteriæ differentiæ.

Inteſtinorum vlceratorum ſigna.

Craſſa inteſtina ſi exulcerata.

Quæ tenuia inteſtina vlcerari indicant? GERON, Dolores circa vmbilicum: aluus biliosa, porracei coloris, & omninò varij: ſtercora plurimùm miſta ſine ramentis, ſic vt etiam tormina adſint: roſio, deſperatio, & animi diſſolutio, remiſſióque, ſitis, febris, alui deiectio crudior. MATHETES, Quæ ieiunum inteſtinum exulceratum eſſe oſtendunt? GERON, Deiectiones crudæ, quibus nigrior ſanguis valdè commixtus ſit, biliſque inſigniter flaua, ſitis magna, nauſeáque: interdum vomitus, ciborum faſtidium, dolor vehemens circa vmbilicum: interdum febres malignæ, facies ægri decolor, & deſudatio ad defectionem animi vſque, velox virium imbecillitas: æger non ſtatim ad aluum deijciendum vrgetur, ſed tempore quodam interpoſito, etiamſi roſio infeſtet. MATHETES, Subquo tandem morborum genere Dyſenteria compræhendi debet? GERON, Sub vnionis diuortio. MATHETES, Suntné etiam alij, in quibus ſanguis per aluum deijcitur? GERON, Eſt vtique ipſius iecoris cruenta excretio. MATHETES, Quomodo inuicem differunt? GERON, Aluus in hac nullum ramentum edit, ſed nonnunquam duobus, aut tribus diebus interpoſitis ſupprimitur: deinde iterum redit, & excrementa longè deteriora prioribus reddit. In Dyſenteria verò id non accidit: quia in ipſa deiectiones neque copioſæ, neque per longa temporis interualla fieri conſueuerunt. MATHETES, Enumeres igitur Dyſenteriæ ipſius tum communis, tum cuiuſque eius ſpeciei notas, quibus tum inter ſe, tum à iecoraria excretione ſanguinis diſtinguuntur. GERON, Generale omnium ſpecierum indicium eſt, quòd ſemper rodentes quidam inteſtinorum dolores pręcedant: deinde ipſe humor rodens excernatur: poſtea ramenta inteſtinorum ſequantur: nouiſſimè cruoris aliquid cum illis deſcendat ſenſim, exiguóque tempore: nunc verò ſanguini, nunc concreto ſimile : ſæpe etiam momentum puris edatur, & vlcerum cruſtulę, quę ἐφελκίδες, dicuntur: adhęc quòd membranoſę quędam inteſtinorum particulę, nec non ſtercus ſuper ijs collectum, frequenter deſcendat, quod ſanguinis guttas in ſe continet: quia inteſtina intus in hoc vitio exulcerantur. MATHETES, Cur ex ijs cruor manat? GERON, Quia inteſtina per Dyſenteriam exulcerantur: ille autē nunc cum ſtercore aliquo ſemper liquido, nūc cum quibuſdā quaſi mucoſis excernitur, nunc ſimul quædam carnoſa deſcendunt: frequens deijciendi cupiditas, dolórque in ano eſt: cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur: atque eò quoque tormentum intenditur, idque poſt tempus aliquod leuatur, exiguáque requies eſt: ſomnus interpellatur: febricula oritur. MATHETES, Quomodo tempora huius mali, quod veram Dyſenteriam appellaſti, diſtinguuntur? GERON,

Dyſenteria quis ſit affectus.

Dyſenteria à cruenta excretione quomodo differat.

Cur ex inteſtinis cruor emanet.

Dyſenteriæ veræ tempora quomodo diſtinguantur.

In primo pinguia quædam excernuntur: in ſecundo ramenta aliqua inteſtinorum ex ſumma interiore tunica abraſa: nec non cruenta quædam ſimul cum ramentis: in tertio carnoſa quædam deſcendunt: poſtremò ſaniei ſimilia: qualia ex morborum cadaueribus profluere ſolent. MATHETES, Quæ peculiares eiuſmodi ſymptomatum cauſæ ſunt? GERON, Nimius ardor, aut frigus, virulentorum medicaminum potus, ciborúmque alienorum, & acrium vſus: nec non cruditates, eiſque ſimilia, quæ ſingula facilè ab ægro, vel aſſiſtentibus cognoſcere licet. atque hæ ſunt exteriores. MATHETES, Quæ ſunt iam interiores? GERON, Omnes acres rodẽtéſq; humores, ſiue à toto corpore, ſiue à quadã eius parte ad inteſtina confluxerint, ſiue in ipſis fuerint geniti. MATHETES, Quales autẽ ipſi ſunt? GERON, Flaua bilis, quę magna ex parte Dyſenteriam excitat: aut atra, aut etiam pituita ſalſa: id quod ex recrementorum qualitate, ægri ætate, temperamentóque, & anni tempore, victu antecedente, & id genus ſimilibus cognoſcitur. nonnunquam inflammatio Dyſenteriam generare poteſt, vt ex illius ſignis facilè percipitur. MATHETES, Quid præſagiri de hoc vitio poteſt? GERON, Ea, quę iam facta eſt Dyſenteria, ſic vt veluti carunculæ, ſeu magnæ inteſtinorum partes excernantur, mortem minatur: cùm in tali neque caro concreſcere, neque cicatrix obduci poſſit. At in qua non tam magnæ inteſtinorum partes deijciuntur, neque pinguia duntaxat, ſed veluti ramenta etiam illorum, tunica eorundem interiore abraſa, deſcendunt: non adeò citò curabitur, vt ea, cuius primùm mentio facta eſt: neque difficilis curatu, vel noxia erit: ſicut illa, in qua tanquam carunculæ excernuntur, vt quæ inter primam & tertiam media quodammodò exiſtat. Porrò in longis Dyſenterijs, cibi faſtidium, malum teſtatur. Periculoſæ ſunt etiam Dyſenteriæ, quę cum vehementi inflammatione febríque, & cibi faſtidio generantur. Peſſimæ autem ſunt, in quibus excrementa plurima porracei, nigri, varijque coloris: grauis autem odoris deijciuntur. adhæc quæ ſordes magnas membranis commiſtas, ſimul cum excremẽtis emittunt. MATHETES, Quid de omni tum tenuium, tum craſſorum inteſtinorum exulceratione ſperandum putas? GERON, Quæ tenuia obſidet, difficulter curatur, præſertim, quæ ieiunum exercet. ſi verò in vetuſtatem inciderit, aut hominem tollit è medio, aut etiamſi finiatur, excruciat. Quæ ab acribus cibis, aut flaua bile originem ducit, in totum ferè medicinæ paret: ſicut, vbi ab atra bile prouenit, nulla medicina iuuat: cùm nihil à cancro vlcerato differat: quamuis ab eadem contracta, ſi quidem ratione febrilium morborum critica, illa excernatur, tranſitúque ſuo in inteſtina deſcendat, ea

Singulares dyſenteriæ cauſæ.

Humores dyſenteriæ auctores qui ſint.

Præſagia dyſenteriæ.

Prognoſticum.

dat, ea quoque curationi resistit. Quòd si atra bilis sua sponte nullo febrili morbo antecedente, neque concoctione bona apparente reddatur, nulla medicina ei subuenit. quando enim absque concoctionis signis exacta illa fuerit, semper in perniciem excernitur. vbi verò post illa descenderit, neq; pura, neq; exacta erit, sed vtilem euacuationem indicabit, vt qua corpus à natura expurgetur. MATH. Quid portendit dysenteria, quam aluus sincera peperit? GERON, Perniciem, sicut etiam, quæ lienosis superuenit, pestifera censetur, quàm humores crassi ac melancholici, lieni antea infarcti generarint. MATHETES, Quid ea prænunciat, quam salsa pituita, longiori tempore intestina rodens abradénsq; excitauit? GERON, Ferocissima existit, eóque periculosior, quàm quę ex bilioso humore contrahitur. MATHETES, Qua de causa? GERON, Quia hic obiter affligit: ille cùm sit lentus, moram trahit, ob eámque magis exulcerat, & intestinis diutiùs ob lentorem suum inhærens, semper aliquid abradit : non tamen adeò exitialis existit, vti quæ ex atra bile originem trahit. MATHETES, Quomodo cuiusque ætatis & sexus ægri in hoc morbo curantur? GERON, Mulieres faciliùs, quàm viri: senes & pueri promptiùs, quàm iuuenes : ætate autem vigentes, vt viri difficiliùs, quàm curationem recipiunt.

MATHETES, Dysenteriam satis clarè mihi exposuisti, soletné illud vitium quandoque aliud aut præcedere, aut comitari? GERON, Frequenter, præsertim quod græcis τηνεσμὸς, latinis etiam tenesmus, siue tenasmus vocatur, eò quòd sub hoc rectum intestinum quodammodo tendatur, dum ægri in desidendo vehementer exurgunt. MATHETES, Quid igitur hic affectus existit? GERON, Idem quod frequens quædam desidendi cupiditas: qua tamen sæpe nihil præter pituitæ mucisquę similia, interdum etiam læuiter cruenta excernantur. Eadem ferè in hoc casu quæ in dysenteria, euenire solent, nisi vehementiore maioréque ægri conatu. In hoc autem tenesmus à dysenteria differt, quòd non eandem regionem seu partem afficiat. nam vera dysenteria in omnibus æquè intestinis: tenesmus autem, non nisi in recto oriri potest. MATHE. Quæ affectum hunc indicant? GERON, Ingens conatus, & continua desidendi cupiditas, dolor, tensióque, sitis, sic tamen vt pauca admodum excrementa sequantur: item quòd hęc illis, quæ à superioribus descendunt, per totum morbi curriculum nequaquam misceri videantur: adhæc aluus mucosa cum flatibus descendunt: interdum sanguis post recrementa destillat, idque graui cum distensione. æquè dolor ·gget, vbi aliquid excernitur: interdum pituitosa mucosáque deiectio: interdum eti-

Tenesmus & dysenteria quid differant.

am subcruenta apparet: sed his interponuntur nonnunquam ex cibo quoq; rectè coacta. Olim calculos etiam ijs, qui in vesica nascuntur assimiles excretos fuisse, memoriæ est proditum. MATHETES, Quæ causæ huius morbi existunt? GERON, Eędem quæ dysenteriæ, modò ipsæ circa rectum intestinum exulcerationem pariant. nam citra hanc, tenesmus dici non potest: quanquam extent, qui hunc etiam à causis dysenteriæ, absque illa gigni posse cõtendant. verùm ij non in paruo errore versantur. quicunque enim tenesmus dolorem quidem infert, non autem rectum intestinum rodit exulcerátque, verus esse non potest. MATHETES, Qua ratione diuersæ tenesmi causæ inter se distingui possunt? GERON, Si tenesmus ob copiam excrementorum eueniat, imus venter grauiter distendetur, & alui excrementa naturæ contraria remorabuntur: copià verò non in cœco intestino, vt quidam opinantur, subsistet, eò quòd id adeò exiguum in hominibus existat, vt nullum ferè vsum præstet, neque fæces intra ipsum excipi queant, sed in ipsomet intestino recto, vel quòd primùm colo, vel alia in parte alligatum sit. MATHETES, Quibus morbis tenesmus annumerari debet? GERON, Neque acutis, neque longis: cùm & facilè tollatur, & nunquam per se iugulet. At si mulieri grauidæ superueniat, abortus periculum est, dolorem sane tensionis gratia excitat: molestiam verò, quòd assiduè in eo desidendum sit. quare etiam conceptus ob crebras desidendi necessitates, de abortu periclitatur: quandoquidem etiam grauidæ ob omnes alios validos motus atque dolores, abortire solent.

DIARRHOEA fluxus ventris, seu aluus fusa.

MATHETES, Quæ vitia post cruentas istas alui deiectiones restant? GERON, Primum quod græcis διάῤῥοια, latinis ventris fluor vocatur: sub quo, illa & liquida magis, & diuturnior quàm ex consuetudine fertur, idque sine inflammatione, exulceratione, & ingenti doloris sensu: summatìm, aluus est fusa, citra deiectionem cruentam, tenesmum siue tensionem, ac crudorum ciborum excretionem.

Pars affecta.

MATHETES, Quæ pars in hoc morbo affecta est potissimùm? GERON, Nunc totum corpus ventriculo incolumi, aut intestinis saluis: nunc cerebrum, aut ventriculus, aut intestina: nunc iecur, aut lien: nunc ventriculus ipse, aut intestinum aliquod, toto corpore sano, aut reliquis eius partibus integris.

Humores qui in diarrhœa fluant.

MATHETES, Qui humores in hoc affectu profluere solent? GERON, Modò pituitosus, modò biliosus, aut flauus, aut ater, absque sanguinis crudorúmque ciborum deiectione, & tensione.

Signum humoris ex corpore toto, an ex parte & qua fluant.

MATHETES, Vnde quæso dignoscere licet, num fluxus, seu diarrhœæ materia, ex toto corpore, vel qua ex parte huius profluat? GERON, Si deiectio est exigua, glutinosa, pinguis, fœdique odoris, ea ex

toto

toto corpore liquescente, in febribus pestilentibus, ardentibúsque, & hecticis: nec non in tabe, marcore, & in viscerum inflammationibus ad ventrem delabitur: sicut etiam, vbi corpus ob retentricis facultatis imbecillitatem extenuatum fuerit. At si excrementa tenuia, & spumosa, noctu magis, & post cœnam exeant: nec non, si per interualla capitis destillatio, & dolor antecesserit, prӕsertim, si calor subitus, & frigus infestarit, cerebri affecti notæ sunt. Si verò copiosӕ cremoris deiectiones fuerint, à iocinore originem traxerunt: si crassӕ & mucosæ sine certis interuallis prodeunt, intestinorum, mesenterij, aut ventriculi vitio ascribi debent.

Cerebri affecti notæ.

Vnde crassæ & mucosæ deiectiones.

Quòd si flaua ardénsque bilis, ac sæpè etiam spumans in ventrem descendit, idque certo tempore, & per noctem, sine magno tamen ventris dolore, is fluor ex iocinore, aut etiam ex mesenterio, quòd sæpius accidit obortus est. at hic eo breuior esse solet, qui ventriculo debilitato superuenit.

Fluor ex iocinore vel mesenterio.

Atræ bilis fluor.

Porrò atra bilis per aluum fluens, lienis, ipsiúsque mesenterij affectum indicat. multùm autem refert, num humor melancholicus, an sanguis torridus, concretus, picisque liquidӕ instar nigricans alui fluorem moueat. In hoc enim vomitus cruentus, quo lintea tincta inficiuntur, vel adest, vel antecessit: in atrӕ autē bilis deiectione nihil horum deprӕhenditur.

Intestina crassa affecta.

Quòd si crassæ, ac mucosæ pituitæ fluxus fuerit, crassa ferè intestina malè habent, vbi potissimùm illa solet concrescere: sæpe etiã ex mesenterio, in quo copiosior congregata, molles tumores, & duros, quos Græci σκίρρους & οἰδήματα vocant, progignit. atque hinc ferè omnis pituitosus fluxus trahit originem. quanquam Hippocrates tenuem spumosámque pituitam, è capite in ventriculum, & intestina: dilutam verò & dulcem, ex toto corporis habitu manare docuerit: eóque illius fluxionem aquæ inter cutem genus quod λευκοφλεγματία dicitur, soluere cõsueuit. Ideo etiam ex ore & lingua profluere solet: ex illo quidem in pueris, cùm dentes præcipuè caninos edunt, eò quòd alimentum non benè concoquatur distribuatúrq; ex hac autem in blæsis, aut balbis, qui cerebrum natura humidum obtinent, aut linguam, aut vtrunque. atque inde humores in ventrem descendunt: qui longum eius fluxum excitant. Cæterùm si nullum affectus totius corporis, aut partium, quas iam dixi, indicium appareat, tunc vitium hoc ad ventriculum, ac intestina referri debet. nam alimenta quoque tunc minùs probè concocta, deiectióque liquidior, & valdè aquosa existit. Quamuis autem talis alui fluxus nullos certos habeat circuitus, crebra tamen deiectio, exigua, albáq; vt plurimùm, & pituitosa aderit: interdum etiam nausea, & vomitus ipse vrgent, aliáque nonnulla symptomata, quæ retentricis ventriculi

& intestinorum, facultatis imbecillitatem demonstrant, Id notari hîc oportet, omnia, quæ per aluum excernuntur, aut ipsa illorum materia, aut copia, aut qualitate, à statu naturali degenerare, morbósque omnino reliquorum symptomatum instar comitari, idque vel concoctione, vel distributione frustrata, nisi intestinorum exulceratio antecesserit. MATHETES, Quæ ergò morbi huius causa existit? GERON, Cibus in ventre inferiore malè distributus, vel humor aliquis, qui ex toto corpore, seu aliqua eius parte, eò defluxerit: idque decretoria, aut symptomatica ratione. MATHETES, Quæ nota indicat, hoc vitium ex mala cibi concoctione, siue imperfecta eiusdem distributione ortam esse? GERON, Aluus admodùm aquosa, minimè fœtida, albicans, & nonnunquam spumosa. MATHETES, Vnde eiusmodi excrementorum fluor, ex ciborum copia, aut ex mala eorum qualitate, prouenisse cognoscitur? GERON, Ex ægro ipso, vel ei assistentibus: nec non ex illius temperamento, ætate, habitu, annique tempore, regione, & aëris tempestate, & vita antecedente. MATHETES, Quando ventris fluores commodi, aut noxij esse dicuntur? GERON, Cùm aquosi, crebrò & paulatim, aut simul, ac sæpe cum dolore fiant, non à natura, sed à rei cuiusdam irritamento incitati, insalubres existunt, præsertim vbi per initia nulla cõcoctione antecedente, & in febribus inciderint. Vbi verò multo tempore interposito, ac simul cum exiguo, aut nullo dolore, ac stridore contigerint, signáque concoctionis antecesserint, & deiectio corporis habitui respondeat, ægérque facilè illam toleret, sentiátque inde leuamentum, & cõualescat: tunc benè succedet, eò quòd natura noxios humores, corpori molestos per se expellat purgétque. Si Diarrhæa vno die perseueret, sæpius bonam valetudinem promittit: nec non etiam si pluribus, modò febris absit, & intra septimum diem conquiescat. purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, vtiliter effunditur. Quòd si alui fluxus maturè desinat, sine vlla est noxa: id quod contingit, quando nullus amplius motus, ventre iam contracto, manu imposita percipitur: simúlque flatus deiectionem extremam comitatur. Prodest etiam, si alui excrementa in melius mutentur: sicut etiam biliosæ deiectiones surditate accedente desinunt, ita hæc eisdem finitur. Longior ventris profusio, balbis est frequentior, & vomitione suborta conquiescit. Quinetiam in eadem vomitione acida, ructus qui postea, non initio accessit, vtilis existit. Cùm alui fluor in vetustatem incidit, tunc vomitu sua sponte oboriente cessat. vbi aluus diu non descendit, subitam deiectionem, aut febriculam minatur. Quòd si febris accesserit, aut deiectio semel finita iterum reuertatur, eadémque diu-

Causa diarrhææ · *Fluxus ventris quando noxij.* · *Præsagia.* · *Bona.* · *Mala.*

tius

tius trahere cœperit, periculi plena eſt, ſiue illa biliosa, ſiue cruda ac pituitoſa fuerit. ſimiliter etiam, ſi inflamatio iocinoris, aut prę cordiorũ, aut ventris ei ſuperuenerit: nec nõ ſi ipſa varia diu cum dolore profluat. Nihil boni quoq; indicat deiectio, quę ante tempus compreſſa fuerit. nam ſtomachus inde affligi incipit, febréſque, & viſcerum inflammationes oriuntur. Quòd ſi fluxus ventris materia ſurſum correpta fuerit, capitis dolores incidunt, vel inſania, vel lethargus, pro humoris aſcendentis ratione gignitur, multa ſimul, ac frequens alui deiectio, animi defectionem affert. ſi in aluo fuſa cibi cupiditas amittitur, aut ſingultus oritur, pernitioſum eſt. Quibus atra bilis ceu niger quidam ſanguis per aluũ deſcẽdit, pręſertim ex morbo, vel acuto, vel longo, vel ex vulneribus ij extenuati ſequenti die è medio tolluntur. Nigra atri ſanguinis inſtar excrementa ventris, quæ & cum febri, & ſine hac deijciuntur, peſtifera cenſentur: eóque magis, quò plures mali colores apparent. vſtæ bilis deiectio per morborum initia, mortis eſt indicium. ſic etiam illa, cui nauſea, vomitus, & delirium accedit. adhæc ſi ægro pulſus vermicularis & formicans aſſiduè ſuperuenit, nec melior etiam ſumpto cibo euadit. Quæ aluus à longo morbo fluere incipit, aut eo etiam non perſeuerante, nihil inde leuatur, ęgérque non facilè eum tolerat, certum mortis diſcrimen inſtat. Horrenda perinde eſt alui deiectio: vnde aqua inter cutem originem traxerit, aut quæ vlceri melancholico ſucceſſerit, qúæque ex ſuperiorum inteſtinorum, pręſertim ieiuni exulceratione prouenerit, aut in qua durante adhuc, puſtulæ, quæ antea fuerant, ſubitò deliteſcunt: aut ſi eadem deiectio in ſene inueteraſcit: aut ſi primò per eam veluti aqua excreta fuerit: deinde ſi humor vnguenti modo pinguis ſinceráque alui deiectio deſcendant, & longa inteſtinorum tormina perſæpe generant. vnde grauidæ exitium obuenire ſolet: & quamuis ipſa quandoque conualeſcat, partus tamen eius corrumpitur interitque. Longus alui fluor ſæpe efficere ſolet, vt pedes ęgrorum intumeſcant. Si verò longius deiectio perſeueret, periculoſum eſt. Interdum enim tormina, ac febriculas excitat, viréſque conſumit: in febribus curatu difficillima eſt: vbi in vetuſtatem incidit, balbuties excitatur. At exigua, glutinoſa, alba, & ſubpallida, pernitioſa eſt, præſertim cùm læuitate inteſtinorum: pernitioſior eſt nigra, aut liuida, aut pinguis, aut fœtida diuturna, & varij coloris.

MATHETES, Quot morbi inter ipſa inteſtina conſiſtunt? *ILEVS morbus.*

GERON, Duo. quorum alter in tenuiore eſt, quem Græci εἰλεὸν, interdum χορδαψὸν, latinobarbari voluulum nominant: alter in pleniore eſt, atque inde Gręcis κωλικὸς, ſicut etiam latinis appellari cę

Intestina quæ in ileo afficiantur.

pit, prior illorum acutus est: insequens longus esse potest. MATHETES, Quæ intestina in primo afficiuntur? GERON, Sublimia, graciliáque: non autem crassa: atque vehementissimi dolores, nunc supra vmbilici regionem, nunc infra torquent: necnon graues vomitus adeò excruciant, vt nonnulli tandem stercus suum euomere cogantur: è quo miserabili malo, vix vnquam aliquis euadere potuerit. nam ventris itinera, per quæ excrementa feruntur, adeò sunt impedita, ac pręclusa, vt neque clyster subiens ascendat, neque cibus assumptus deijciatur, imò ne, flatus quidem per inferiora erumpat: quo fit, vt omnibus, quæ inferius hęrent, propulsis, nausea, ructus inanis, humidáque ventriculi exhalatio antecedat, & crebra statim bilis ac pituitę vomitio subsequatur: spiritus difficulter trahatur: & cibus omnis licet infrà descendat, paulò tamen pòst (quia transire non potest) iterum vomitu impurus, malíque odoris reijciatur. Tunc autem ferè is per os effertur, cùm superior gracilis intestini pars laborat: contrà, si inferior regio afficitur, stercus per aluum quoque excernitur. Sub vtroꝗ verò casu hoc idem incommodum tunc accidit, cùm res ad extremum deuenit: lumbrici frequenter euomuntur: vrina non facilè redditur, præsertim, vbi vomitio est assidua, aluúsque adeò clausa, vt ne aciculam quidem admittere possit Nouissimè certam mortem nunciant malus stercoris vapor, odórꝗ, singultus, delirium, neruorum distentio, sudor frigidus, extrema frigida, tremor cordis, & syncope. MATHETES, Quæ huius mali causa esse poterit? GERON, Vehemens vtriusque intestini astrictio, quæ vel ob inflammationem, vel scirrhum, vel abscessum vel stercoris siccati durique in superioris intestini volumine aliquo, retentionem generata sit. adhæc ex multis, aut varijs cibis pręter consuetudinem assumptis, pręsertim pinguibus carnibus, interdum ex quibusdam plagis, vehementi frigore, & largo frigidæ potu, quem sudore diffluentes exhauserint. Quinetiam morbus iste ijs euenire solet, quibus intestinum vnà cum stercore in scrotum delapsum sit, indéque violenter retrusum & inflammatum existat. præterea ex veneni potione, & stercore duro, tenuibus intestinis impacto. MATHETES, Vnde causas istas dignoscere licebit? GERON, Exteriores, ex ægrorum, siue astantium colloquio: interiores tuopte iudicio, ac ex proprijs signis eorum, quæ antecesserunt successerúntque. MATHETES, Quid de hoc morbo prænosci consueuit? GERON, Vomitus, singultus, amentia, vel neruorum distentio eis superueniens, certum est periculum. adhæc qui hoc morbo sunt oppressi, stercus per os reddentes, miserabili tandem morte intereunt. In summa hoc vitij genus omni-

Cibus quando per os in ileo afferatur.

Ilei dolorum causæ.

Ilei morbi præsagia.

um quæ

um quæ inteſtinis aduerſantur, eſt acutiſsimum, & niſi reſoluatur, intra ſeptimum diem occidit, frequénſque in eo vomitus, & ſurditas eueniens periculum oſtendunt. At ſalutiferum eſt, ſi alui deiectio ex medicamento purgante fieri inceperit: præſertim ſi reliqua etiam ſalutaria ſigna appareant. minus quoque periculi adeſt, ſi dolor locum mutet, quàm ſi fixus vna in regione hæreſcat. MATHETES, Quibus malum hoc magis familiare eſt? GERON, Pueris quàm ſenibus, vt quos rariùs quidem, ſed penitùs occidat. MATHETES, De priore inteſtinorum morbo ſatis iam dixiſti: dic nunc quis in pleniore, & laxiore inteſtino exiſtat.

Ileus quibus familiaris potißimum.

GERON, Qui græcis κωλικὴ ὀδύνη, latinis coli, vel colicus dolor, ſeu morbus, vulgò colica dicitur: in ea maximè parte, quæ cæca eſt condita. nam craſſum illud, & plenius inteſtinum colon, multíſque anfractibus ſinuoſum in hoc vitio offenditur. MATHETES, Quæ huius mali ſunt indicia? GERON, Nulla ferè peculiaria: ſed tum partis ipſius oblæſæ, tum affectus, adeò ſunt communia, intérque ſe confuſa & permixta, vt neutrum ſine altero ſignificari poſsit. itaque non exquiſita illorum notitia, ſed potiùs artificioſa quadam coniectura deprehendere licet. MATHETES, Quæ igitur prima affectum hunc declarant? GERON, Grauiſsimus dolor per totum abdomen in ventre excrucians, idquè dextra magis parte, vbi læſum inteſtinum eſt. hinc enim ad ſiniſteriorem iliorum regionem vergens, zonæ modo ventrem cingit: ideo etiam iuxta renes & dorſum verſatur: nec non ſupra infráque vmbilicum, ſic vt magnam ventris portionem obſideat, modò dextram, modò ſiniſtram: vagus & omnino inſtabilis, præſertim ſi à flatibus originem traxerit, qui intus quodammodo incluſi murmurant, ſic vt neque ore, neque aluo erumpant. atque hoc primum colici doloris genus vocari poteſt. Alterum verò tunc accidit, cùm dolor altè fixus, vno in loco excruciat: quem tamen neque flatus, neque ructus erumpentes leniant. in hoc autem crebræ vomitiones vrgent, quibus pituitoſa, varia, porracea, & æruginoſa redduntur: maximè cùm pituita craſſa, vitrea dominatur. In vtroque iſto genere communia ſunt, cibi faſtidium, magíſque dulcioris, ac pinguis: nec non aſsidua ventriculi veluti punctura, multa ſitis, & magna potus aquæ cupiditas, quæ tamen ex eo non leuatur. adhæc ructus, qui cùm iam quaſi mouetur, ſtatim cohibetur, aluúſque adeò aſtricta eſt, vt ex ea ne flatus quidem aliquis exire poſsit: aut ſi quid illa vel ſponte, vel ſollicitata reddat, id ſiccum, modò ſtercoris ouilli in globulos coacti inſtar, modò vt bubulum, leue, flatibus plenum, quod aquæ ſupernatat. Prætereà vrina quoque ob nimium do-

COLICVS dolor vbi existat.

Coli doloris indicia.

Colicus dolor in qua parte excruciet.

Primum colici morbi genus.

Alterum morbi colici genus.

Vtriuſque doloris colici ſigna communia.

Renum cum colico dolore commercium.

lorem biliosa apparet: interdum suppressa, cùm renes colo affecto condolitant. nouissimè frigidi sudores, crebérque singultus, delirium, neruorum distentio, extremarum frigus, ac tandem syncope oriuntur. MATHETES, Si renes interdum cum colo lege consortij ac consensus simul afficiantur, quomodo ambarum partium dolores inuicem discernuntur? GERON, Non ita facilè, maximè per initia: id quod ipse quoque Galenus confirmat, dum se deceptum fuisse in eo fatetur, quòd cùm se calculo alteri meatuum vrinariorum impacto laborare putaret, coli dolore afficeretur. etsi nihil refert, an morbi vtriusque exordio similibus remedijs vtaris, modò postea diuersa adhibeas. MATHETES, Recenseas igitur propria singulorum tum coli, tum renum indicia, quibus inuicem discernantur. GERON, In colico dolore, nausea, vomitus, cibi fastidium magis vrgent, dolórque à dextra propemodum parte inferiùs incipit: atque hinc ad sinistram ascendit, idémque sæpiùs totum ventrem ambire ac circumire videtur, plurimáque loca occupat, modò in his, modò in illis violentior. Nephriticus autem, seu renum dolor, vno eodémque loco persistit: nisi quòd nunc ad coxam, nunc ad testiculum, qui è directo est, perueniat, feréque alterutrum latus iuxta renem obsideat. Idem si in loco renibus altiore fuerit, colicus manifestò esse iudicatur. quanuis autem renum perinde ac coli dolor, non tamen æquè efficaciter aluo clysteribus subducta, & flatibus emissis remittit. Adhæc in nephriticis vrina primùm tenuis, pauca & aquosa est: nonnunquam tota supprimitur: processu temporis copiosior fertur, crassa, arenosa, & bullans. interdum sola cum cruore excernitur, præcipuè si calculus asper, vel acutus fuerit: postea sabulosa: vnde etiam nephritici, vbi calculus cum vrina exit, à dolore leuantur. At in colici ęgri vrina neque calculus, neque cruor, neque arena, sed crassus aliquis, ac pituitosus humor subsidere videtur. MATHETES, Cùm coli dolores vehementes, dextra magis parte eueniant, etiámne in sinistra gigni possunt? GERON, Maximè: quoniam intestinum illud à dextra ad sinistram cinguli modo tam latè defertur, vt & lienem, & iecur sępenumero attingat, ventriculóque continenter adhærescat. Hoc autem animaduertendum erit, colicos cruciatus semper grandiores esse, quàm nephriticos, & illos eosdem faciliùs, quàm hos lenientibus clysteribus mitigari. MATHETES, A quibus, & quot causis colicus dolor oboritur? GERON, Vehementissimus quidem, quanuis interdum lenior fieri possit, sicut Iliacus, à pręcipuis quatuor internis gignitur: præsertim ijs, quæ refrigerant, vel calefaciunt, vel vnionem diuidunt. Sunt autem hæ, vel crassus pituitosúsque humor,

Renum & coli dolores quomodo discernantur.

Coli & renum propria indicia.

Coli dolores in sinistra parte procreati.

Colici doloris causæ quatuor.

mor,

mor intra membranas coli inteſtini ſubſiſtens: vel craſſus, ac flatulentus ſpiritus ibidem contra naturam retentus: qui illinc tranſmitti non poteſt: vel inflammatio inteſtinum illud obſidens: vel acris rodénſque ſuccus idem infeſtans. MATH. Quomodo craſſus pituitoſúſque humor coli doloris auctor eſſe noſcitur? GERON, Si is, præſertim vitreus, totum abdomen in alto excruciet, inteſtinúmque ipſum, quaſi perforare videatur: adhæc ſi ructus, nauſea, humoríſque cuiuslibet, potiſsimùm autem pituitæ vomitiones ſuperueniant: aluus valdè aſtricta nihil reddat: imò ſi ne ſpiritum quidem tranſmittat, quod magis eſt veriſimile, ſi continuus ciborum potuúmque maximè frigidorum, craſsíque ſucci vſus, ſatietas, cruditas, & id genus alia anteceſſerint. MATHETES, Quæ nota doloris colici ex flatuoſo ſpiritu contracti exiſtit? GERON, Quòd ægri magis tenſionem, murmuráque in ventre ſentiant, præſertim vbi cibi potúſque flatuoſi antea ſumpti fuerint, vtpote olera, fructus horarij, aqua frigida, & id genus ſimilia. MATHE. Quid dolorem coli ab inflammatione ortum indicat? GERON, Id quòd tunc vno in loco ſtabilis ſit: quódque valida vrgeat: quòd æger multo æſtu & ardore extrinſecus afficiatur: quòd intùs iuxta ventrem moleſta ſit pulſatio: nec non quòd ſitis, nauſea, quódque vrina ſimul & ſtercus retineatur: tandem quòd bilis vomitiones accedant, quæ tamen nihil morbum leuent. MATHETES, Quę acres rodentéſque ſuccos, coli dolorem generaſſe teſtantur? GERON, Eadem quæ inflammationem illius auctorem eſſe indicant. ſimiliter etiam æſtus, ſitis, & vigiliæ: quanuis in hac minùs, quam in illis. item febricula, vrina acris, & biliosa deiectio: ſæpe aluus etiam, ſi cum cruciatu maiore deijcitur: præter hæc cibi & potus calidioris vſus. atque iſtud morbi genus omnium eſt atrociſsimum. His colici morbi generibus aliud adhuc accedit, vehementia quidem illis ſimile, ſed non eadem in ſede proueniens, vt id ſpurium potius, quàm verum appellari poſsit, vt quod vel in peritonęo, vel in membranis, abdomini, ventríſque partibus obtenſis, non in colo gignatur. MATHETES, Quomodo à vero diſtinguitur? GERON, Eò quòd multò ſit grauius, & valdè diuturnum: quod neque medicamentis per os aſſumptis, neque per inferiora iniectis, neque fomentis extrinſecus adhibitis, breuitérque nullis quæ vero dolori colico conueniant, remedijs mitigari ſoleat. MATHETES, Quid hunc morbum generat? GERON, Materia, ſeu flatus tenuis, aut humor acerrimus, æruginoſúſque membranarum ſpacijs incluſus: è quibus ægrè extrahi poteſt. MATHE. Quos morbos hoc vitium comitatur? GERON, Febres longas, alióſque morbos bilioſos, qui difficulter finiuntur. cùm enim na-

Flatuoſi ſpiritus nota in coli dolore.

Colici ex inflammatione ſigna.

Humores rodentes colici morbi auctores.

Spurius colicus.

Falſi colici doloris cauſa.

tura in morbis noxios humores emoliri conatur, nullam autem expeditam euacuandi illius viam nanciſcitur: tunc illum è venis & viſceribus in membranas ſæpe auertit, ac dolores inde oriuntur priore morbo grauiores. Quinetiam continuæ ac tertianæ, ſæpius quartanæ febres huiuſmodi doloribus terminantur: qui diu certo circuitu exacuuntur, & parem acceſsionum ordinem retinent. MATHETES, Quæ ſpes in colico dolore finiendo expectari, aut quod periculum timeri ſolet? GERON, Vbi ſalus futura eſt, excrementa non nimiùm retinentur, dolor mutatur, atque etiam intermittit: æger poſt ſtercus flatúſque emiſſos leuatur, & conquieſcit, faciliſque ſpiratio dum morbus durat, ſemper eſſe conſueuit. Contrà periculoſus morbus eſt, qui in neruorum reſolutionem, vel in morbum tum articularem, tum comitialem, vel in aquam ſubter cutem degenerat, vel etiam in ileum tranſit, idque intra diem ſeptimum. MATHETES, Explica hoc apertiùs. GERON, Inter omnes coli dolores, grauiſsimus eſt, qui inflammationi fertur acceptus, vt qui in ileum degenerare ſoleat. adhæc vehementiſsimi quique, periculoſiores ſunt quàm mediocres. adhuc minori periculo ſubiectus eſt, in quo excrementa non prorſus retinentur, neque dolor vna in coli parte fixus percipitur. minus etiam periculi eſt, vbi excrementum aliquod clyſteribus iniectis deijcitur, aut flatuoſus quidem ſpiritus erumpit, vnde dolor remittat, quàm ſi nihil eorum vſu deſcendat, neque dolor leniatur. MATHETES, Cur morbus iſte colicus tam atrox eſſe dicitur, támque vehementes cruciatus inducit? GERON, Quia Colon iſtud inteſtinum, denſum, craſſum neruoſúmque exiſtit, & nihil quod in illud defluit, tam facile, quàm quòd in tenuioribus inteſtinis continetur, diſcuti poteſt, expellíque.

[Pro]gnoſticon in [c]olico dolore.

Quæ ſpecies doloris colici periculoſiores.

TARDA ALui deiectio.

MATHETES, Eſtne etiam deiectio alui aliquando tardior quàm conuenit, extra morbos hoſce colicos & iliacos? GERON, Eſt vtique tunc, cùm cibi excrementa rariùs deſcendunt, minorique portione quàm ille fuerit aſſumptus: idque ea de cauſa, quòd hæc diutius caloris vi retenta, ſicceſcant, dureſcántque: ac venæ meſeraicæ non modò tenuibus, ſed etiam craſsis inteſtinis inſertæ, ſemper nonnihil ſucci ab eis exugant, ſic vt excrementa præ ſiccitate inſigni effluere nequeant. his itaque relictis, caput vapore tentatur: corpus ingraueſcit: ventriculi concoctio offenditur: & reliquæ eius actiones deteriores fiunt. MATHETES, Quę alia aluum tardiorem reddunt? GERON, Cibi ſicciores, acerbi, aſtringentéſque, præſertim prima menſa aſſumpti nimiùm copioſi: quos natura pauco tempore neque vincere, neque digerere poteſt. denique etiam otium, decubitus, ſomnúſque longus. ad-

hæc

hæc ſenſus quoque obtuſior aluum tardare poteſt, quem morbi veternus, apoplexia, & reſolutio, antecedentes intulerunt, eius quod vitiare naturam debet, inopia: verbi gratia, ſi flaua bilis quę inteſtina obiter ad excretionem irritare ſolet, ab actione ſua prohibetur: id quod in arquato morbo frequenter accidit: vel ſi inteſtina obſtruuntur, aut aſtringuntur: quod ſæpiùs quàm reliqua euenire conſueuit. MATHETES, A quibus inteſtina aſtringuntur? GERON, A meſenterij, aut viſcerum tumore, qui inteſtina premendo coarctat: nonnunquam ab inteſtinorum ramice. MATHETES, Vnde illa obſtruuntur? GERON, A duris & ſiccis excrementis: vel à craſſa lentaque pituita: vel à cibis aſsiduè corruptis, tum multis, tum varijs, inſuetiſque: nec non à magna cruditate: vel à calculo concreto. Sunt quidam ex ijs, quibus aluus tarda deſcendit, ſic vt non niſi ſeptimo, vel nono, vel duodecimo quoque die excrementa deijciant: nonnunquam totos quadraginta dies citra manifeſtam corporis functionum noxam, nihil prorſus excernant: idque nec ob conſuetudinem, nec ob naturam, ſed ob ea, quæ nuper recenſui vitia: vel ob humorem naturæ contrarium in colo inteſtino procreatum: qui id ex toto obſtruit, & recrementorum deſcenſum impedit. MATHETES, Vnde putas accidiſſe, quòd nobilis illa virgo, ad quam nuper conſilij dandi gratia fuiſti accerſitus, non ſolùm aluum, ſed etiam vrinam, menſes, & ſudores iam annis amplius octo ſuppreſſos habuerit, neque hactenus quicquam natura potuerit excernere. GERON, Res eſt omnium admiratione maior, qualem nunquam me vſpiam legiſſe, vel audiuiſſe, vel conſpexiſſe fateor: omnes ſcilicet naturæ excretiones, tam diu eſſe quaſi abolitas in homine, quę aliâs cibum potúmque ſumere, & captare ſomnum poteſt. niſi enim excrementa nuper citata ex corpore pellantur, calor natiuus, qui vitæ fons eſt, extingui ſtrangularique cogitur. MATHETES, Quid ergo virginem illam in vita retinet? GERON, Quòd tertio quoque die clyſtere iniecto aluus ſubducatur: cum qua videtur quidem aliquid etiam vrinæ excerni, ſed non per meatum vrinarium. MATHETES, Cur autem natura deiectionem non molitur? GERON, Quia nerui huic operi dicati ex morbo, vel comitiali, vel vterino, & ſimili reſolutionem ſunt experti: quemadmodum ſuperiùs commemoraui. Quamdiu ergo nerui hiſce vitijs laborant, actiones naturæ perfici nequeunt. MATHETES, Quibus præter hæc vitijs aluus, ſeu inteſtina occupari ſolent?

Inteſtinorum aſtrictio vnde fiat.

Obſtructio.

Excretiones naturæ omnes ſimul abolitæ.

DE LVMBRICIS.

GERON, Lumbricis, quos græcè ἑλμίνθας appellant: quanquam alij quoque exigui interdum in renibus geniti cum vrina excernantur: alij in pulmonibus: alij in auribus: alij quoque in

dentibus orti cernantur: alij ſæpè in abſceſsibus, vlceribúſque neglectis appareant. MATHETES, Vnáne omnium ſpecies exiſtit? GERON, Nequaquam: ſed eorum, qui in ventre generantur, triplex: ſic, vt vna ſit teres, ſeu rotunda: altera lata: tertia tenuis. prima græcis ἑλμὶς στρόγγυλος: ſecunda ἑλμὶς πλατεῖα, ſeu κειρία: tertia ἀσκαρὶς nominatur. MATHETES, Quæ inteſtina ſpecies iſtæ ſingulæ infeſtant? GERON, Teretes, gracilia potiſsimùm: lati cùm longiùs extendantur, & gracilia, & craſſa: tenues ἀσκαρίδες, craſſum, ſeu rectum. MATHETES, Quæ communia lumbricorum indicia apparent? GERON, Venter in omnibus diſtenditur, murmurátque, & roditur: inteſtina læuitate laborant: corpus diſſoluitur: facies palleſcit: oculi ſuffunduntur, vel ſuggillantur: nares pruriunt. quando ſurſum illi repunt, agitantúrque, præſertim per inædiam, cibíque inopiam, inteſtina aut rodunt, aut exugunt, tuſsímque ſiccam excitant: os ventriculi, & præcordia pungunt, vel neruorum diſtentionem, vel animi defectionem, vel ſyncopem ipſam inferunt. cùm magis aſcendunt, ægri deuorare nequeunt, metuúntque ſtrangulari. quibus malis pueri ſæpè oppreſsi ſunt, & extincti. MATHETES, Cur hi potius quàm alij, lumbricis affliguntur? GERON, Quia calor illorum humidior, & vapore magis eſt perfuſus. MATHETES, Quibus notis lumbricorum differentiæ inuicem dignoſcuntur? GERON, Teretes, ac longi, qui in ſuperioribus tenuibúſque inteſtinis gigni ſolent, cùm cibus deſcendit, renituntur, & ſurſum in ventriculum plerunque obrepunt, eúmque vt inteſtina, præcordia, & ſtomachum mirum in modum rodunt, maximè ſi adeſt inędia, tunc quoque coli dolorem, appetentiam caninam, grandem famem, & cordis palpitationem pariunt, inde per gulam in os ipſum conſcendunt, ex eóque hiante, etiam fœdius redduntur: ex eodem verò clauſo, inter dormiendum ad palati ſinum emergunt, naréſque ſubeunt, & prodeunt noctu magis, quàm interdiu fatigantes: tuſsim exiguam ac ſiccam pariunt. ægri in ſomno tremunt: aliquando præter rationem excurrunt à ſomno, clamoréq; edito, expergiſcuntur, & è cubili exiliunt, itérumque ſopiuntur: interdum ſingultiunt: aliâs linguam exerunt: oculos claudunt: taciturni ſunt, & cùm excitantur, moleſto ferunt animo. vigilare imbecillitatis gratia nequeunt: dentibus ſtrident: os ſaliuæ plenum habent, quam ipſi quoque deuorare tanquam mandantes aliquid videntur, præſertim ſi infantes fuerint. Quidam pulſu deſtituuntur, ac refrigerantur, & tenui quodam frigidóque ſudore ſudant, ſicut ij, qui animo deficiunt, & magna ex parte liueſcunt: facies etiam maximè circa malas rubeſcit: ſtatim autem rurſus palleſcit magis quàm antea. pulſus adeſt inæ-

Quænam inteſtina lædantur à lumbricis.

Lumbricorum indicia.

Pueri cur lumbricis obnoxij magis

Lumbricorum differentiæ.

Teretes ac longi lumbrici.

qualis,

qualis, obscurus, deficiẽs, ac recurrens: in aliȷs cibi cupiditas amittitur: venter cibum vitiosum deȷcit, ac flatibus intumescit: reliqua pars corporis sine causa extenuatur, febris sine ordine, ac certa lege increscit: interdiu, vel noctu, ter quatérque præter rationem recurrit, extremáq; valdè frigent: aliȷ decubitum somno continuo dormientes mutant, anguntúrque, & ex vno loco in alium se proiectant: ac plerique vocis expertes omnino permanent: nec non cibum assumptum reuomunt, aut nauseabundi deuorare vix possunt. interdum venter cum murmure distenditur, multúmq; torquetur, aut tympani modo inflatur: oculi sanguine suffusi sunt. Atque hæc omnia accidunt, cùm lumbrici isti intestinis inhærescunt, aut cùm per eadem serpunt, rodúntque: nec non cùm praui humores ex calore febrili, ac putrido ventris humore ad cerebrum exhalant. adhæc antecedens victus ratio, lumbricos eosdem generatos esse indicat: nempe si cibi crassiores, concoctúque difficiles, ac largiores præsertim frumentariȷ assumpti fuerint, balneáque statim post illos successerint. MATHE. Per quę lati lumbrici ac breues cognoscuntur? GERON, Per ea, quę, cum excrementis per aluum excernuntur, semini cucumeris, siue cucurbitæ sunt similia. tales in cæco intestino, vel in coli sinibus procreantur, mirabili serie non rarò cohærentes, ídque in membrana, tenuibus intestinis obducta: nunc in morbis absque febri: nunc in longis cum febri infestantibus. Multa sanè hi lumbrici cum longis habent communia: sed id peculiare ac proprium, quòd ipsi cibum continuè depascant, eóque iam consumpto, statim intestina rodere incipiant. ideo qui huiusmodi lumbricis affliguntur, macri, imbecilles, atque inæquales euadunt. MATHETES, Quæ tenuium lumbricorum indicia existunt? GERON, Hi in ano rectóque intestino pruritum intus mouent: deinde in fœmora ac nates proserpunt, quoquo versus: sæpe magnus excrementorum fœtor, quem cibi praui corruptique pariunt, in deiectionibus sentitur: id quod etiam adultis non rarum est. ægri his laborantes assiduè desidere cupiunt: & post aluum redditam meliùs habent. MATHETES, Quæ lumbricorum originis causa censetur? GERON, Communis quidem cruda, crassa, lentáque pituitæ materia, putredini obnoxia: quam cruditas, luxuria, seu crapula, & ea, quæ facilè putrescunt, vt lac, caseus, fructúsque dulces & temporariȷ suppeditant. Hoc autem intercedit discriminis, quòd aliȷ ex minore calore: & rursus quidam ex multa, quidam ex pauca materia putrida originem trahant. MATHETES, Quid lumbrici portendunt? GERON, Vbi morbus per crisim finitur, lumbrici teretes commodè per aluum descendunt. Magna autem diligentia

Latorum ac breuium lumbricorum notæ.

Tenuium lumbricorum indicia

Lumbricorum causa.

Præsagia.

in ijs curandis adhiberi debet. nam plerique neglecti, exæsi sunt, neruorúmque distentione perierunt. MATHETES, Qui sunt inter lumbricos deteriores? GERON, Maiores minoribus, multi paucis, rubri albis, viui mortuis. Qui circa morborum, præsertim febrium initia procreati sunt, hi sanè ex subiectę materię putredine: qui in statu orti sunt, ex morbi malitia prouenerunt: qui in morbi declinatione prodeunt, ex omnibus, quæ in melius immutata sunt, originem traxerunt: si modò citiùs separentur. natura enim illos aliorum excrementorum modo forâs expellit. MATHETES, Qui lumbrici inter omnes eorum species minus sunt periculosi? HERON, Ascarides: quanuis ex deteriore forsan materia gignantur: tum quia tenues & exigui sint, tum quia recto intestino, à principibus partibus remotissimo, generentur: adhæc quia cum alui deiectionibus facilè excernantur: & quòd medicamenta assumpta statim eos attingant. illi verò minùs quàm teretes in pueris oriuntur: teretes autem hisce peculiares sunt. MATHETES, Qui inter latos & teretes deteriores existunt? GERON, Lati potius quàm teretes. MATHETES, Quos sæpius omnis generis lumbrici exercent? GERON, Communiter pueros, qui multa cruditate, vitiosisque cibis, vt caseo, & fructibus fugacibus vsi fuerint.

Lumbrici deteriores qui.

Lumbrici qui minus periculosi.

Lumbricis qui obnoxij.

ANI VITIA.

HÆMORrhois.

MATHETES, Quę post intestina partes affici solent? GERON, Anus quoque multa, tædijque plena mala recipit. primum quod græci αἱμοῤῥοΐδα, latini sanguinis profusionem vocant: deinde inflammationem, abscessum, fistulam, scissuram, condyloma. MATHETES, Quid propriè αἱμοῤῥοΐδα nuncupasti? GERON, Eiusmodi ani vitium, sub quo ora venarum in ea extantium tanquam ex capitibus quibusdam surgentia, sanguinem sæpe sine modo fundunt: sicut etiam in ore vuluæ fœminarum incidere solet. MATHETES, Qualis sanguis per eas, & vnde profluit? GERON, Primùm ater, & melancholicus seorsim, qui ex caua vena in extremas venarum partes defertur: deinde purus rubénsque: interdum grumi rufi instar, vt qui in recti intestini sinu concreuerit. Differt itaque sanguis hic ab eo, qui vel ex mesenterio, vel ex iecore, vel ex locis superioribus prodijt. nam modicus à mesenterio prouenit: à iocinore infirmo non verus, sed dilutus, & aquæ similis, in qua caro animantis nuper mactati lota fuerit. MATHETES, Qualis sanguis à ruptis, aut putrefactis superiorum locorum venis emanat? GERON, Picis modo retorridus, nigérque: at crassus ille sanguis, vbi in ea loca, quæ iam dixi, delatus, hinc rursus euacuari pro consuetudine non potest, vehementem dolorem excitat, præsertim vbi durum alui excrementum exprimitur. atque hæc cæca αἱμοῤῥοΐς dicitur. Externa conspicua ex ano vtcunque promi-

Sanguis hæmorrhoidum qualis.

Sanguinis profusi differentiæ.

Hæmorrhois cæca.

Conspicua.

prominet: quæ verò intus occultatur, ea sine omni ferè dolore, tumoréque sanguinem effundit. atque sic occulta hæmorrhoïs appellatur: quæ nihil sanguinis effundit. quæ verò iam aperta est, sanguinem interdum sua sponte in desidendi conatu semper profundit, nec adeò intumescit. Interiores hæmorrhoïdes, cùm corporis venæ, aut multo, aut acri sanguine turgent: superfluum nullo ferè sensu tumoris dolorisque emittunt: idq; solùm in desidendi conatu. atque is seorsùm, minimè autem cum fæcibus permistus conspicitur. MATHETES, Quæ hæmorrhoidibus euenire solent? GERON, Immoderata sanguinis profusio, eiúsque minimè consueta suppreßio. vtraque enim naturæ contraria est, grauiúmque morborum fit occasio. sola nanque euacuatio illa naturalis esse censetur: quæ quod graue infestúmque est, veluti onus inutile citra corporis infirmitatem, citráque virium iacturam deponit. MATHETES, Vbi continens profusionis causa subsistit? GERON, Vel in sanguine copioso, tenui, aut acri, violenter erumpente, vel in venis, siue apertis, siue exęsis, aut ruptis: MATHETES, Quid de eiusmodi sanguinis fluore præsagiendum putas? GER. Si nimius est, ingens periculum nunciat: nempe quòd vires hominis consumantur: liuidus faciei color pereat: coxæ grauentur: & crura multùm debilitentur: cruor non amplius ater crassúsq;, sed purus ac rutilus sit, thesaurus naturæ necessarius. Quòd si hoc malum in vetustatem inciderit, aquæ subter cutem principium affert. Non minus periculi est, vbi hæmorrhoides in ijs supprimuntur, qui sanguinis profluuio non fiunt imbecilliores. habent enim id purgationis non morbi vice: ideóq; curati quidam cum sanguine exitum non habent: materia in præcordia, ac viscera inclinata, subitis grauißimisque morbis corripiuntur: præsertim aqua subter cutem, aut tabe. Qua de causa rectè Hippocrates pręcepit, hæmorrhoïdas sic esse curandas, vt ex multis vna maneat aperta. Porrò in quibus hæmorrhoides maturè fluunt, hi neque lateris aut pulmonis inflammatione, neque vlceribus exedentibus, neque lepra, seu elephantiasi, neque vitiligine, neque melancholia, neque quartana febri tentari solent. Quibus autem hæmorrhoidum fluores intempestiuè curantur, hi ijsdem ferè morbis corripiuntur. Melancholicis, vel nephriticis, vel insanientibus, si hæmorrhoides fluere cœperint, salutares sunt. Quòd si hæ ipsæ nimiùm suppressæ fuerint, in mulieribus menstrua erumpere, aut sanguinem è naribus ferri conducit.

Hemorrhoidum symptomata.

Causa continens hæmorrhoidum.

Præsagia.

Hemorrhoidum suppreßio.

MATHETES, Vnde fit inflammatio? GERON, Cùm ex alijs causis, tum ex equitatione multa, duráque: sic vt sanguis copiosus è vena caua in partes inanes circa anum sitas, per hæmorrhoidas

INFLAMmatio ani.

Inflammationis notæ.

influxerit. MATHETES, Quæ notæ inflammationem indicant? GERON, Magnus admodum, pungénsque dolor, ex cæcis hæmorrhoidibus concitatus: qui compresso ano, & deiectionis nixu valdè exasperatur, forásque interdum pertingit: aluus ob ani tumorem difficulter, & summo cruciatu deijcitur: interdum febricula incidit, præsertim si aluus longo tempore non fuerit reddita, & vesica ob viciniam molestetur.

ABSCESSVS ani.

MATHETES, Quid de abscessu refers? GERON, In recti intestini cauitatem sæpius quàm in cutem erumpit: quia pus exedens in parte molliore promptiùs sibi viam parat. cùm autem abscessus ruptus est, vlcus manet purulentum, ac sordidum, quale etiam ex tenesmo neglecto interdum fieri solet: vel in fistulam quoq; breui, ob loci naturam degenerat: quia vix in parte humida, excrementísque peruia coalescit, callosúmque sordium copia diutissimè profluit. quamuis etiam dolor sit mitigatus, nec non pus ante primam deiectionem, aut certè in media ipsa sincerum, non excrementis mistum, emanet. MATHETES, Quando & quomodo pus erumpit? GERON, Vel deiectionis initio, vel seorsum, multóque aliter, quàm è mesenterij, aut superiorum partium vlcere. nonnunquam in vesicam penetrat, ac cùm vrina reddenda est, crepitus è genitali similiter, vt ex ano erumpit: deinde nonnihil puris atque excrementi vrinæ mistum. Interdum non abscessus, aut vlcus ex inflammatione relinquitur, sed venæ crassa ac melancholica sanguinis colluuie ad anum distentæ, magnos dolores, & cruciatus vicinis etiam partibus inducentes, illam postea intestinis immittunt, vel in condylomata transferunt.

Fistula ani ab excessu.

Pus quando & quomodo erumpat.

FISSVRA ani.

MATHETES, Quod vitium græci ῥαγάδιον vocant? GERON, Fissuram ani, vel vlcusculum oblongum: in quo cutis exciditur, ei simile quod inferius labrum, & manus pedésq; dilacerat. Huic respondet etiam quoduis leue ani vlcusculum: dolor hic acerrimus, ardórque citra inflammationem illud infestat: nec non vlceris extremum ano expresso plerunq; circumspectui patet. MATHETES, Vnde contrahuntur? GERON, Ex duriorum excrementorum asperitate, vel ex humoris acris, salsi, & siccantis erosione.

CONDYLOmata ani.

MATHETES, Quid est condyloma? GERON, Durum tuberculum, quod in ani superficie oritur, instar verrucæ, aut acini vuæ, aut maturi mori, aut ficus. MATHETES, Vnde contrahitur? GERON, Ex sanguine melancholico, & atro: qui illic paulatim exuperat, increscítque, tædij plus quàm doloris inducens.

ANI prolapsus.

MATHETES, Quomodo anus procidit? GERON, Modò sponte, modò deijciendi conatu: interdum totus ani musculus eam astringens: interdum totus inuersus prouolutúsque apparet, atq;

ret. atq;

ret. atque id efficiunt musculi resoluti, seu laxi, multo humore perfusi. Qua de causa etiam pueri, & infantes magis quàm adulti, huic vitio oportuni sunt.

STOMACHI, ventriculi, & intestinorum vulnerum notæ.

MATHETES, Omnes ferè offensas partium, per quas cibus fertur, exposuisti: vnum adhuc scire desidero: quibus notis vulnera illarum cognosci poterunt? GERON, Vbi stomachus percussus est, neque cibus, neque potio transit, sed citò redditur: singultus, & bilis vomitus insequitur: animus deficit: & nonnunquam nerui distenduntur. Ventriculi vulnerati nota est, frequens bilis vomitus: quódque cibus & potus statim reddatur: & quòd sudores extremis frigidis, oriantur: & post hos demùm mors succedat. At ieiuni intestini vulnerati, & ventriculi communia sunt: quòd cibus potúsq; per vulnus exeant, & in abdominis spatium delabantur, indéque in ventrem: adhęc quòd præcordia intumescant: & nonnunquam bilis per os reddatur. Cętera intestina icta, vel stercus, vel odorem eius exhibent.

MESENTERII.

MATHETES, Solétne etiam ea pars ventris, quæ inter iecur, & intestina consistit, vitijs quibusdam laborare? GERON, Vtique. nam cùm totius corporis veluti sentina existat, magnam sæpe humorum superfluorum colluuiem recipit: ac ideo, in quibus magnus vtriusque bilis & pituitæ prouentus assidua ingluuie contrahitur, illos natura firma, robustáque, non raro è iecore, & liene per ramos portarum illius in pancreas, & mesenterium, tanquam partes minùs nobiles, quàm intestina deponit: vnde grauissimorum morborum Cholerę, Melancholiæ, fluxus alui, torminum, mali habitus, summæ maciei, languoris, lentarum & errantium febrium, aliorúmque latentium affectuum principia generantur. MATHETES, Quid mesenterio sic humoribus superuacaneis repleto superuenit? GERON, Tumor primò ferè laxus, ac mollis, inflammationis expers: deinde temporis spatio siccatur, & ferè scirrhi modo durescit: idque adeò nonnunquam, vt vel os, vel calculus in abditis sub vmbilico partibus concreuisse videatur. MATHETES, Quomodo mesenterij tumor, ab alijs dignosci potest? GERON, Quòd sine dolore sit, tactúque maxime deprehendatur: vt qui penitiùs delitescat, eóque intestina ipsa vrgeat, arctétque, & aluum tardiorem efficiat, sine tamen dolore: vtpote quod huius naturę sit expers. Hæc autem non in abdominis musculorum tumore, neq; in ventre adipis mole prominulo eueniunt: in neutro enim intestina, vel aluus sollicitatur. Quinetiam adeps ventris manu deprehendi, & à musculis abdominis distingui potest. hi nanque intumescentes, primo contactu occurrunt, & semper, cùm premuntur, & interdum, cùm non premuntur, indolescunt:

nec non horum tumor forâs prominet, non preſſu, ſed blando tactu perceptibilis, figurámque recti abdominis, muſculi modo oblongam obtinet. MATHETES, Quomodo deprehendam, totúmne meſenterium, an partem eius aliquam duntaxat, & quámnam tumor occupet, molliſque ne, an durus? GERON, Tactu. MATHE. Quiſnam humor in meſenterio abundare ſolet? GERON, Eum non tactu, ſed notis, quas in iecore aut liene trademus, cognoſces. MATHETES, Quod vitium præter tumorem meſenterium infeſtare ſolet? GERON, Inflammatio vera, cui intus quidem grauitas, nullus autem manifeſtus dolor adſit, niſi fortè grauiùs prematur. MATHETES, Qui alij caſus illi moleſti ſunt? GERON, Nulli grauiores, quàm leuis & lenta febricula, ſine ſiti, alijſqúe incommodis: ſic vt æger ſub ea conſueta vitæ munia obire poſsit. incipiente morbo, rubra quædam ſanies: oborto deinde abſceſſu, pus album per aluum defluit, & vtrunque modò alui excrementis permiſtum, modò ſincerum, præcipuè ſi inflammatio verſus extrema inteſtina tendat. Hoc genus puris à ſolo meſenterio ferri certum eſt: eò quòd ab alijs locis deſcendere citra dolorem, vel mixtionem, vel magnam febrim non poteſt.

Inflammatio meſenterij.

MATHETES, Meſenterij, & aliarum ventris partium iam ſatis mihi explicaſti, obſeruande pręceptor: miror cur nihil de iocinoris, & lienis affectibus hactenus docueris. GERON, Iam aggrediar, & quanto licebit compendio, abſoluam: tu autem diligenter aduertas. Vtrunq; viſcus varij generis affectibus infeſtari ſolet, præcipuè duobus: ſcilicet nunc intemperie ſola citra tumorem, nunc tumore ſimul cum intemperie commiſto. Sed prius de iocinoris, poſtea de lienis vitijs agemus. Peculiare illius malum eſt, imbecillitas, quæ græcis νόσος ἡπατικὸς, hoc eſt, morbus iecorarius, & ægri, qui eo laborant, etiam hepatici, ſeu iecorarij nominantur: ſicut ſtomachici, qui ventriculum habent imbecillem. MATHETES, Quæ ergo eſt affectio, iecoris imbecillitas? GERON, Quæ propriam ipſius facultatem adeò debilitat, vt ſuccum, ſeu chylum ab inteſtinis attractum in ſanguinem exactè conuertere immutaréque non poſsit. MATHETES, Vnde noxa huius facultatis percipitur? GERON, Ex deiectionum ſpecie, quæ carnis cruentæ, animalis recenter mactati loturæ, aut ſi mauis dicere aquoſo ſanguini reſpondet. Nam ſi excrementa fęci ſanguinis ſimilia per aluum deſcendant, & ſanguis, qui excernitur, tum nigrior quàm naturalis, tum ſplendens apparuerit, vtpote ſanguine, & nigra bile commixtus, quamuis iecur affectum eſſe conijciamus: tamen ſanguinem ex eo torreri indicium eſt. Qua de cauſa eius affectio humidam ventris deiectionem repræſentat, quæ ad exactam

IECORIS IMbecillitas.

Imbecilli iecoris nota.

ctam quidem concoctionem est p r lucta: non tamen commodè est distributa. Nam sicut venter ab illa omnino grauatus, cupit eandem excernere: sic iecur, vbi nutrimenti probè in ipsum distribui fructum cœperit, non diutius id apud se retineri sustinet. Cùm autem illud rectà progredi vlla ex causa nequeat, necessariò ad ventrem iterum recurrit: eóque sanguis in eiusmodi affectione apparet: in qua iecur, non ipsummet, vt in superiori vitio affectum est, nec propria eius functio offensa: sed ob frustratam sanguinis distributionem multitudine eius grauatum, cùm diutiùs retineri nequeat, retrò iterum ad ventrem, & ad intestina reuertitur. Huc succus qui ex ventre in iecur distributus est, peruenit, cùm ipse, eò quòd vlteriùs non distribuatur, illic diutiùs subsistit. Porrò huiusmodi excretio quibusdam difficultas intestinorum, siue dysenteria, aut cruenta deiectio, quæ ex iocinoris imbecillitate oritur: alijs hepatica dysenteria appellatur: interdum pars aliqua affecta per ipsum iecur expurgatur: vbi vires eius præsertim expultricis facultatis robustiores euaserint, etiam dum integra constat valetudo: multitudine autem tantùm laborat: eóque sanguis sincerus ei similis excernitur, qui à mactata bestia profluit, ac talis fluor per circuitum repetit. MATHET. Quomodo is accidere solet? GERON, Vel membro aliquo mutilato, vel vbi quis se post exercitationem otio commiserit, vel menstruis retentis. MATHETES, Quot igitur cruentæ istæ excretiones existunt? GERON, Tres. in prima iecur ipsummet, ac facultas eius oblæsa est, ac cruentus humor per aluum deijcitur: qualis sanguis aqua mixtus, vel in qua caro victimæ recens mactatæ lota fuerit. In alijs duabus, aut iecur offensum non est, aut alterius facultatis noxam sustinet. in hoc malo homo sensim, ac spatio temporis minùs alitur, & decorem colorémque amittit: vnde iecur affectum esse constat. MATHETES, In quo genere noxæ functionum, hæc iecoris imbecillitas consistit? GERON, In naturalium, nempe immutatricis: speciatim autem sanguificæ, eiúsque non abolitæ, neque deprauatæ, sed diminutæ, ac imbecillæ. MATHETES, Quæ tandem huiusmodi iecoris imbecillitatem procreare solent? GERON, Quæuis intemperies propriam iecoris carnem, quam græci παρέγχυμα, id est, affusionem vocant, venásque, arterias, & materiem in spatijs earum contentam affligens. MATHETES, Quibus notis singulæ intemperaturæ dignosci possunt? GERON, Vbi calida intemperies quacunque ex causa proueniens iecur infestat, imbecillúmque reddit: primùm humores colliquescunt: deinde ipsius caro, & bilis crassa, fœdi odoris, & valdè tincta per ventrem descendit: sicut in febribus pestilentibus accidit: nec non eadem as-

Hepatica dysenteria.

Fluor cruentus per circuitum repetens.

Imbecillitas iecoris.

Intemperies iecoris.

ſat,aduritque tum humores,qui in ipſo continentur,tum eas,qui per venas meſenterij deferuntur: adhæc faſtidium cibi, maximè carnis vrget: quamuis inędia plurimùm incommodet: ingens ſitis excruciat, febríſque magna,ac vitioſorum humorum, ſæpe etiam æruginoſorum vomitus vexat: ſimiléſque deiectiones apparent:lingua ſcabra eſt:æger toto corpore, præſertim palmis,& pedum plantis calet. atque hæ partes etiam, ſi calori accedat ſiccitas,inareſcunt:ſi humor,madeſcunt:iecur quaſi colliqueſcit, & in cruentas ſanies intabeſcit. Temporis proceſſu, particulæ admodum fœtidę ex ipſa iecoris carne tandem excernuntur. Quò hanc intemperiem firmiùs dignoſcere poſsis, ægri temperamentum, ætatem,anni tempus, & victus rationem antecedenten conſiderato. nam iocinoroſi temperamento calidi, habitúque tenui, & pilis denſis præditi,nec non curis dediti, & animo ſunt iracundi. MATHETES, Quibus ſignis imbecillitas iecoris ex frigida orta intemperie dignoſcitur? GERON, Contrarijs. maior enim cibi cupiditas: ſitis autem nulla: præſertim ſi illa quoque humida ſit, in ea neque aſsiduæ alui deiectiones, neque multæ fiunt. quamuis autem iecur frigidiore intemperie laboret: imbecillitas tamen diutiùs perſeuerat,aluúſque largiùs per dies aliquot profluit,quę neque ſimiliter fœtet, vtique ex calore eſt liquefacta: adhæc neque coloribus ita variat, aut coacta eſt: verùm minùs fœtida eſt, & ſanguinis putridi,non carnis colliquatæ ſpeciem reprę ſentat. interdum ipſa ſanguinis nigri inſtar apparet. Sin autem diligentiùs conſideres, neque ſanguis ater eſt,neque grumus, ſed veluti quidam craſsi ſanguinis limus: qui ferè ad atram bilem accedit. at plures colores ventris in tali affectione apparent,cibíque cupiditatem interdum amittunt: interdum multò maior quàm antea adeſſe videtur: humores in iocinore contenti craſſeſcunt, ſic vt fluxui motuíque refragentur. Quod autem ad ipſum fertur,tum pituitoſum, tum crudum, tum ſemicoctum efficitur: ægrorum facies non collabitur,ac colorem decorémque amittit: febris languida incurſat:reliquum etiam corpus illorum,temperamentúmque ad frigidam magis inclinare videtur: ſicut antecedens victus ratio,vitáque otioſior: balnea frequentiora, & intempeſtiua, eáque ſecundum cibum indicant. MATHETES, Quæ ex ſicca intemperie iecoris imbecillitatem natam eſſe oſtendunt? GERON, Excrementa ſicciora, ſimiléque corpus, & tenuius: ſitis magna: deiectiones alui modicæ, & craſsiores. MATHETES, Quæ humidam intemperiem ſignificant? GERON, Quòd nulla ſitis, neque ſiccitas adſit, ſed lingua potiùs humida: item quòd facies & totum corpus in priſtino ſtatu perſiſtant: poſt hæc quòd plurimæ alui deie-

ctiones

Humores intemperati.

ctiones appareant, magisque tenues, & aquosiores. MATHETES, Quomodo cognoscam, si humores intemperaturis accesserint? GERON, Id fit, vbi hæ diutius inhæserint: & si iecur calore laboret, bilis subinde vomitu, vel aluo excernitur: primùm tenuis, ac pallida: deinde crassa, flaua, ac fœtida: præterea os amarescit: fastidium & sitis vehementer vrget: nonnunquam etiam febris incursat intermittens ferè tertiana, vel incerta, vel si iecur ipsum radicitus quoque vitiatum fuerit, lenta: propter quam corpus temporis spatio paulatim contabescit. MATHETES, Quæ frigidum humorem simili intemperaturę coniunctum esse notant?

Frigidi.

GERON, Aluus rara, & modica, fœtoris expers, sineq; varijs coloribus, & febri tertiana, aut certè cum rara: corpus autē magis plenum quàm gracile, aliáque superioribus contraria signa testantur. MATHET. Obsecro te honorate Geron, vt quæ de iocinorosis dixisti, breuiter repetas, vt accuratam eorum notitiam consequar. GERON, Primùm facies in iocinorosis pallore quodā decoloratur: aluus, si iecur minus quàm par est, attrahat, chyli seu cremoris instar, liquida est: quamuis ventriculus, aut mesenterium nullo tunc vitio laboret, aliâs vix vlla concoctionis nota in deiectione apparet,

Retentio iecoris vitiata.

Quòd si iecur humores ad se allatos non retineat, tunc varia, difficiliáque symptomata incidere post alui deiectionem possunt. per initia quidem alui deiectio, aquæ in qua carnes animalis nuper mactati sunt elotæ, respondet: sincera scilicet atque leniter cruenta: tempore interposito, eadem pro varia iecoris intemperie mutatur. Nam cùm iecur plus satis calidum existit, sanguis fœculentus, crassúsq; ex assatione, ac melancholia deijcitur: postremò atrabilis etiam descendit. inter hęc totum corpus liquescit, febris superuenit, fastidiúmque cibi, & sitis: pulsus occurrit velox: vrina redditur biliosa. MATHET. Quid si iecur absque calore infirmum existat, eóque non probè retineat?

Retentionis vitiatæ signa.

GERON, Sanguinis limosi, ac veluti in grumos deiectio sequitur: non autem assidua, neque copiosa, sed diuersis coloribus tincta, & certis temporibus cumulatior, non semper fœdi admodum odoris: pręsertim si malum diutius propagetur, & sine febri incipiat: quanquam languida ea interdum, sanguine in viscere putrefacto, suboriatur. At iecur æquo siccius aluum crassiorem, magísq; aridam: humidius, magis tenuem & dilutam efficit.

Iocinorosa deiectio, & dysenteria.

MATHETES, Qua ratione iocinorosa hæc deiectio, per quam cruenta excernuntur, à difficultate intestinorum, seu torminibus distinguuntur? GERON, Facilè. Nam in his sanguis cum dolore, rosione, & strigmentis sensim breuibúsque interuallis, paucus excernitur. E contrario, si iecur humores malè retineat, cruenta sine dolore, sinéque ramentis, largiùs

autem & duobus, aut tribus interdum diebus interpoſitis deſcendunt. Sin autem ſanguis vena intus rupta, aut adaperta erumpat, is ferè purus ab inferioribus locis, leuiter nigreſcens defluit: à ſuperioribus autem partibus ater protinus, ac pici liquidę ſimillimus, excernitur: qui in hoc ab atra bile diſsidet, quòd ipſo tincto lintea rubeſcant: illa verò non item. At vbi ſanguis ex grandiore membro mutilato, aut ex neceſſaria ſolitáque vacuatione ſuppreſſa, per aluum defluit, is ſincerus purúſque, & copioſus ſubitò erumpit, & deſinit, ſic vt longiſsimis temporum interuallis recurrat. Porrò ſanguis ab vlcere iocinoris proueniens, paucus admodum eſt, & paulatim deſcendit, multo pure, virulento turbidóque infectus. Quinetiam lenis dolor circa iocinoris regionem in hoc affectu percipitur. adhæc omnia, aluus ſanioſa, leniterque cruenta, quam iocinoris inflammatio peperit, proprijs ſignis internoſcitur. Hoc pacto ſanguinis deiectiones, quas paulò ante recenſuimus, à iecorarijs hiſce diſcernuntur. MATHETES, Alijſne ſignis iecoris iſta imbecillitas noſcitur? GERON, Omninò. frequenter enim ſanguis vel è naribus, vel ex vtero, vel ex hęmorrhoidibus, vel cum ſputo fertur. MATHETES, Eſtné ſimilis quædam imbecillitas adhuc reliqua? GERON, Eſt alia etiam huc referenda: qua licet iecur probè attrahat, retineátque: imbecilliter tamen concoquit, & ſanguinem imperfectè generat. MATHETES, Quem euentum morbi huius curatio habere ſolet? GERON, Si minùs diligentet adhibeatur, facilè ægri intereunt. Quamprimùm igitur iecoris imbecillitas ex calida intemperie nata, curari debet. nam temporis ſpatio primùm humores, deinde etiam caro iocinoris colliquatur: nec non totum corpus abſumitur. Similiter imbecillitati iecoris ex frigida intemperie contractæ maturiùs medēdum eſt: quia vbi ſanguis in viſcere, temporis proceſſu corruptus fuerit, febris oboriri conſueuit, quam medici ſæpe adeò negligunt, vt ægros interdum illius omnino expertes eſſe arbitrentur. Quòd ſi morbus iſte in vetuſtatem inciderit, & præſertim frigida intemperie augeatur, in malum corporis habitum, & aquam ſubter cutem commutatur. Quod ſi atra bilis prius deijci incœperit, quàm vitium hoc naſcatur: ægri vita in præcipiti eſſe dicitur. Quandoq; ſub hoc modo cibus non benè concoquitur, humorum cruditates oriuntur: deinde pedes, mox reliquum corpus intumeſcit. MATHETES, Quibus hoc vitium frequentius incidere ſolet? GERON, Iis, qui à morbis vel grauibus, vel longis conualeſcunt, aut quibus aqua inter cutem inſtat, aut quos durus iecoris, aut lienis tumor, aut morbus regius obſidet. MATHETES, Quibus alijs morbis iecur laborare ſolet?

Imbecillitas iecoris in concoquendo.

Imbecillitati iecoris qui obnoxij.

GERON,

GERON, Inflammatione, ſicut etiam reliquæ omnes corporis noſtri partes. verùm in iecore propriè ἡπατῖτις, in alijs partibus communiter φλεγμονὴ appelletur. ea fit vtrinque ex ſanguinis copioſioris quàm conuenit, influxu. MATHETES, Quomodo? GERON, Cùm ſanguis ipſe è venis immoderatiùs, vel ob copiam, vel ob tenuitatem, vel ob feruorem, & acrimoniam, vel ob exteriores cauſas erumpens in iecur ipſum cumulatior abſcedit, tunc extra propria vaſa putreſcit, inflammatúrque, nec non carnoſam viſceris partem ſimul eo imbutam labefactat, corrumpítque: vnde ſinus plærunque excauatur. Sanguis igitur primùm in putridam ſaniem conuertitur: atque hinc fit inflammatio: illa deinde natiui caloris adiumento in pus degenerat: huius ipſius congeries abſceſſus vocatur. Vbi tandem idem ipſum erumpit, vlcus cauum & ſordidum manet. atque ſic multa vitia ex vna origine proueniunt. MATHETES, Quæ inflammationem indicant? GERON, Dextra parte ſub præcordijs vehemens dolor eſt, præſertim cùm ea regio attingitur, idémque ad latus dextrum, & ad iugulum, humerúmque partis eiuſdem peruenit, idque ob incluſam materiæ colluuiem: quæ membranam coſtas ſuccingentem affligit. Similiter grauitas in dextro latere ſentitur, & cùm ſpiritus magis trahitur, vehementiùs excruciat, tuſsis exigua, eáque ſicca vexat: qua nihil excreatur. Notandum autem iecoris inflammationem, ab ea, quæ latera infeſtat, græcis πλευρῖτις dicta, tum hiſce notis, tum doloris ſitu diſsidere. febris ardens & acuta ex inflammatione gignitur: ſitis implacabilis, lingua ſcabra, lentáque pituita ei inhærens, initio quidem flaua, poſtea verò nigricans. adhæc nauſea, & cibi faſtidium moleſtat: aliquando ſingultus ferè ſtrangulans, corpus vt in regio morbo coloratur: vrinæ craſſę, ſubrubrę, turbidéque apparent: inſuper vomitio ſinceræ bilis, nunc luteæ, nunc æruginoſæ: ſæpe talis etiam deiectio vrget, quæ nonnunquam aut ventris fluxum, aut tormina inducit. Quòd ſi inflammatio eryſipelacea fuerit, febris ſuperuenit, ardor, vomitio, aliáque grauiora incommoda ſequuntur, ac tandem corpus marcore conſumitur. atque hæc generatim omni inflammationi eueniunt. Si verò ſigillatim caua iecoris regio magis inflammetur, nauſea, cibi faſtidium, bilis vomitus, aut deiectio vehementiùs excruciat. ægri difficiliùs in ſiniſtrum latus decumbunt: & tumorem iecoris inflammati manu contingente vix deprehendunt. Rurſus, ſi gibba potius iecoris pars inflammationem experiatur, ſpiritus ægrè trahitur, tuſsis dolórque infeſtat grauis, qui iugulum ad partes inferiores detrahat. In dextro latere difficilis eſt decubitus, quia illud affectum premitur: & cùm attingitur, premitúrq;,

INFLAMmatio iecoris.

Inflammationis & pleuritidis differentia.

Inflammationis eryſipelaceæ ſigna.

Magnæ inflammationis, & exiguæ indicia.

dolor magis intenditur: tumor facilè percipitur, vt qui nonnunquam promineat, pateátque oculis. Cùm magna eſt inflammatio, omnes iſtæ notæ euidentes apparent: cùm autem exigua, obſcuræ ſunt, & latentes. Non rarò enim accidit, vt iecur tuberculis, & abſceſsibus, tanquam furunculis occupetur: ſic vt nullus præcordijs dolor adſit: nullúſque tumor extet: æger in neutro latere difficultatem decubitus ſentiat: febri autem duntaxat, non tamen admodum ardente, nec non ſiti, cibi faſtidio, bilioſóque alui profluuio diuturniore laboret. Atque hęc de iecoris ipſius inflammatione ſatis. Quia verò interdum etiam muſculi, qui viſceri illi incumbunt, inflammari ſolent, ita vt ſæpe medici nonnulli iecur ipſum affici putent, cùm illi potiùs laborent: operæ pretium videtur, vt vtrarumqne partium affectuum ſigna cognoſcas.

Tumor iecoris inflammati qualis.

Iecoris igitur inflammati tumor rotundus apparet, & pro decubitus ratione variat. Cùm enim corpus in ſiniſtrum latus inclinat, maior exiſtit: cùm autem in dextrum, minor: eò quòd iecur ſub coſtas ſpurias cedat, neque conſpectui, neque tactui occurrens. adhæc in iecoris inflammatione cutis ei incumbens, naturaliter habere conſueuit: muſculis autem illam expertis hæc circumtenditur, vt ſi digitis eam apprehenſam attrahere coneris, non ſubſequatur. Siue autem inflammatio in imo, ſiue per ſumma conſiſtat, tactu accuratiſsimè diſcernere licebit. Rectorum muſculorum tumores naturę contrarij, oblongi, & per totum ventrem extenſi videntur, ſic vt vmbilicum comprehendant. Qua de cauſa illi facile dignoſcuntur, tum ſitu, tum figura, tum quòd nullo exteriore muſculo contegantur. hæc ſigna etiam obliquis muſculis, qui à thorace deſcendunt, communia ſunt. at eorum, qui his ſunt ſubiecti, notitia longè eſt difficilior: tranſuerſorum autem difficillima. Iecoris igitur inflammatio, cùm id intra hos muſculos ſub peritonæo ſitum ſit, tribúſque contegatur muſculis, certè tactu cognoſci non poteſt: niſi illa magna exiſtat, aut muſculi, qui ei incumbunt, ſint extenuati. Quare gibbæ eius partis inflammatio, præcipue ingens, perfacilè, vel ſolo tactu dignoſci poteſt. ea nanque à muſculorum tumoribus propriè diſcrepat, quòd moles ſub manibus deſinat, vel etiam ſoli iocinori peculiare eſt, vt vniuerſo tumore circunſcribatur. at cùm quiuis muſculus totus ſibi ſit continuus, inflammationis ipſius tumor paulatim imminuitur.

Cauæ iecoris partis inflammatio quomodo deprehendatur.

Porrò cauæ iecoris partis inflammatio non tactu, ſed alijs ſymptomatis inueſtigari debet. num autem caua iecoris regio, an gibba inflammata ſit, hoc modo dignoſces: illam nanque nauſea, cibi faſtidium, bilis vomitus, ingénſque ſitis comitatur: hanc verò maior quàm illam dolor inter ſpirandum torquet, maiórque

tuſsis

tuſsis vrget,ac dolor ad dextræ partis iugulum pertingit,adeò vt hoc detrahi videatur: quanquam inflammatio exquiſitè diſtincta,in neutra parte conſiſtere poſsit: eò quòd omnes vtriuſque partes ſibi inuicem continuentur.

Inflammationis cauſa.

MATHETES, Quæ iecoris inflammationis cauſa exiſtit? GERON, Sanguis optimus, mediocriter craſſus, & copioſior, quàm natura deſideret.

Præſagia de inflammato iecore.

MATHETES, Quid de affectu iſto præſagiendum putas? GERON, Singultus ei ſuccedens, malum portendit. hic enim non ſemper iecoris inflammationem comitatur, ſed cum ea magis inualeſcit, ferueſcitque. os ventriculi in hoc feruore conſortij lege afficitur: interdum neruorum conſenſus gratia. MATHETES, Quando os ventriculi iecori condoleſcit? GERON, Tunc ſolùm, cùm inflammatio magna, & ampla, & periculoſa fuerit: nonnunquam etiam ex bile multùm calida, copioſáque, in viſceris huius inflammationibus procreata. dum enim hæc ad inteſtinorum initium confluit largior, recurrítque ad ventriculum, os eius rodere conſueuit, eóque ſingultum excitare. nonnulli ventriculum ex magnitudine inflammationis premi, ac ſingultire, dum flatus non habent exitum, arbitrantur.

Singultus noxius in iecoris inflammatione.

Quacunque autem ex cauſa ſingultus fiat, ſemper ob iecoris inflammationem periculum denunciat. idem etiam indicat febris vehemens, & acuta: quæ iecoris inflammationem ſequitur. hæc enim idem viſcus valdè inflammatum eſſe demonſtrat, ſicut ea ipſa, vbi exigua, & non acuta fuerit, minus malum præſagit: eò quòd paruam quoque inflammationem eſſe teſtetur. quia febris perpetuò inflammationum magnitudinem, pro eius portione ſubſequitur.

Inflammatio eryſipelacea.

At ſi eadem febris valdè acuta, ac vehemens extiterit, magnáque ſiti ægros excruciet, nihil boni ſperandum erit: quia inflammationem eryſipelaceam, aut ipſum eryſipelas iocinori obortum demonſtrabit. tales nanque febres magna ex parte in tabem degenerant: & ſi iſta inſignior in corpore valdè calido, & ſicco generetur, æger omnino interibit, eò quòd viribus ſit imbecillis. Harum nanque virium robur tum his, tum pleuriticis, tum peripneumonicis, tum anginam, tum ventriculi inflammationem expertis vnam ſalutem adfert.

Inflammationis in abſceſſum conuerſæ ſigna.

MATHETES, Quæ notæ putridam iam ſaniem ex inflammatione iecoris in pus, ſeu abſceſſum conuerti indicant? GERON, Dolores, febres, & reliqua ſymptomata valentiùs inuadunt: ægros ſæpe inordinati, citráque rationem affligunt. omnia verò, vbi pus eſt confectum, remittunt: vires autem ægrorum multò imbecilliores relinquuntur: pulſus paruus, frequens, & languidus, crebráque animi defectio. At cùm pus rupto abſceſſu erumpit, cor virulento ipſius vapore inficitur: qui ſępe ęgrum cum graui defectio-

ne animi è medio tollit. Quòd si exiguus abscessus existat, viresq; ægri satis constent, pus vomitu interdum erumpit, aut per aluum vrináſque profluit: nonnunquam iecoris caro fissa, vel exesa, sicut etiam hydropicorum aqua in abdominis sinum elabitur. MATHET. Quid vlcus ex abscessu contractum minatur? GERON, Quia nutrimento continuè irrigatur, multáque colluuie sordescit, nunquam potest consanescere. Cùm enim iecur ipsum ex solida seminaria materia constet, non magis quàm pulmo restitui potest. Quia igitur sanguis non probè conficitur, corpus nostrum non sentit alimentum: sed planè contabescit, aluúsque putrida, saniosa, & interdum cruenta, & sæpiùs cadaueris liquati instar deijcitur. Vrina quoque sanie perfusa redditur: aut si ea in abdominis spatia subeat, difficillimus omnium hydrops generatur: qui & inguinum pubísque grauitate, & insigni tumore manifestatur, modò vires tam diu persistant: quod rarissimè accidit. MATHET. Quid huic iecoris vitio proximum est?

Vlcus abscessus quid minetur.

GERON, Obstructio, qua nullum viscus magis quàm illud laborare solet: græcis ἔμφραξις dicitur. ea verò in hunc modum fieri solet. Venæ, quę ab imę ventriculi partis, & summi intestini iunctura, quæ πυλωρὸς græcè appellatur, tenuissimis propaginibus in cauam iecoris partem vniuersam dispe rguntur: sæpius alimento, quod per eas transit, crassiore in iecore ob illarum angustiam obstruitur. non solùm autem hæ venæ, sed etiam arteriæ, materia quadam tum humoris, tum spiritus flatuosi obstruuntur: non autem propria eius caro, quam παρέγχυμα appellaui. MATHETES, Quæ pars in hoc vitio affligitur? GERON, Extremę vasorum, quas iam dixi, partes, non spatia ac sinus illi, qui in reliquis partibus inueniuntur. Sic igitur iecur in hoc affectu laborat, quòd alimentum per venas & arterias in corpus vniuersum distribuere nequeat. MATHETES, Quomodo obstructum illud rectè cognoscitur? GERON, Situ, & dolore, eiúsque etiam natura. nam ęgri in dextris præcordijs grauitate indolescunt, eáque tanquam suspensa videntur: quamuis dolor interdum sit obscurior: interdum euidentior, idque modò cum febri, vbi affectus est grandior longiórque: modò absque febri, cùm est recentior, leuiórque. Fit ergò hoc vitium, cùm meatus vasorum iecoris obstructi infarctíque fuerint adeò, vt alimentum siue sanguis per totum corpus, vel nullo prorsus modo, vel minùs integrè distribui queat. MATHETES, Ex qua materia hæc affectio generatur? GERON, Ex humoribus crassis, viscosis, aut spiritibus flatulentis, quibus non patet exitus. MATHETES, Quæ vnamquamque obstructionem indicant? GERON, Ex crassis, viscosis, & flatulentis contractam,

OBSTRVCtio iecoris quomodo fiat.

Pars læsa.

Obstructi iecoris notæ.

Obstructionis materia.

Obstructionum notæ.

tractam, grauitas & distentio, idque in dextra præcordiorum parte, sine tumore, sinéque febri. tunc autem grauitas distentióque manifestè apparet, cùm quis statim à cibo exercetur, aut balneis vtitur. MATHETES, Fiúntne obstructiones etiam ex alijs causis, quàm duabus prioribus? GERON, Indubiè ex calidis quoque copiosis succis, ijsque non solum in iecore, sed in reliquis quoque partibus. nam iecur sæpe etiam ob materiæ ipsum permeantis copiam, ceu principem causam obstruitur: quippe copiosior, cùm ex toto simul confluit, non minùs quàm viscosa, & crassa obstruendo interdũ hęrescit, infigitúrque: & si per meatus angustos transit, multò certè magis retinetur, eò quòd copiosior materia, quamuis non sit viscosa, & crassa, ipsius obstructiones generare posit. MATHETES, Vnde materia obstructionum prouenit? GERON, Cùm aliunde, tum ex cerebro: quæ vbi iam ad ventriculum descenderit, eúmque permearit, in tenues iecoris venas cum alimento penetrat, illásque obstruit. Idem etiam efficit cibus crassus, viscosus, & copiosus: cùm statim ab eo assumpto, balnea, aut motus vehementiores succedunt. hinc enim ille in venas tenues rapitur, aut impellitur, sicut etiam bilis flaua, quæ in iocinore contra naturam diutiùs coacta retentáque crassescit plurimùm, grauésque, & valde periculosas iecoris obstructiones inducit. Sub hoc vitio malus faciei color: spiritus interdum non facile trahitur, præsertim cùm æger inambulat, altiorémque locum ascendere contendit: vrina tenuis, diluta, & aquosa est: aluus, si caua iocinoris pars obstructione laboret, chyli seu cremoris modo liquida, copiosáque: nonnunquam etiam cruenta: si gibba regio obstructa est: aluus coacta siccáque est: si vitium vtraque parte hæret, aluus modò dura, modò liquida est. MATHETES, Quæ in obstructionibus finiendis obseruari debent? GERON, Multi graues casus superuenientes, nempe vel inflammatio, vel durus doloris expers tumor, vel hydrops, vel febris, vel alimenti penuria, vel alui fluxus. Porrò quęlibet siue iocinoris, siue alterius cuiusdam membri obstructio inueterata, putredinem excitat, febrémque accendit.

Materia obstructionis, unde proueniat.

Prognostica.

Ex hoc, quandoque tumor durus, quandoque etiam sensus expers prouenit: quem græci σκίῤῥον, aliâs σκλῆρον, vel σκλήρωμα nuncupant. is tumor iecoris situ & figura circumscriptus tangenti semper renititur, doloris, nisi durius prematur, expers: ac duplex eius est differentia: prior exquisitus scirrhus vocatur, tumor naturæ contrarius, insensilis, durúsque: alter, non exquisitus: qui licet non omninò sensu careat, difficulter tamen percipitur. Præter hos tumores scirrhosos adhuc extant, qui vbi plurimùm increuerint, induratíque fuerint, non solùm dolore, sed etiam sensu

SCIRRHVS iecoris.

Scirrhi differentia.

carent, aut certè exiguum habent. Iecur scirrho obductum euidentius apparet, quàm inflammatione obsessum: idq; ideò, quòd moles eius magis dura sit, & partes, quæ ei incumbunt, in hoc affectu extenuatæ. Quia verò scirrhi tumor, licet temporis processu magis augescat: non tamen facilè tactu dignoscitur, dum aqua inter cutem, quæ statim scirrho succedit, sensum impedit. adhæc iecur sub scirrho multò minùs, quàm sub inflammatione dolet.

Scyrrhus in hydrope non est manifestus.

Exteriores scirrhi notæ.

MATHETES, Quæ notę exteriores in vniuerso corpore apparent, in quo iecur scirrho afficitur? GERON, Nigredo, pallórque mixtus: venter & pedes intumescunt: superiores partes extenuatæ sunt: aluus quandoque copiosa, & tenuis est: eò quòd ora vasorum, per quæ cibus ex cauis iecoris partibus in gibbas transfertur, admodum sint coarctata: vrina ab initio quidem multa: vbi autem ægri in aquam subter cutem inciderint, pauca existit.

Scirrhus sub quo genere morborum sit.

MATHETES, Sub quo genere morborum hoc vitium comprehenditur? GERON, Primùm sub tumoribus naturæ modum egressis: deinde sub intemperie: tertiò sub vnionis diuortio.

Causæ.

MATHETES, Quæ morbi istius causa existit? GERON, Humor viscosus crassúsque induratis partibus contumaciter infixus: qui aliâs statim per initia colligitur, & paulatim augescit: sæpiùs autem gignitur, vbi medici imperitiores erysipelata, & inflamationes nimiùm astringunt refrigerántque. Id autem omnibus scirrhis commune est, vt quacunque ex causa oriri dicantur, semper tamen ex frigido, & crasso humore, hoc est, ex bile atra pituitáque nimis exiccata proueniant, eò quòd tumores scirrhosi materiæ omninò aut pituitosæ, aut melancholicæ, aut ex vtraq; mixtæ, ferantur accepti. Quia igitur scirrhi, aut tumores scirrhosi, ex frigidi humoris multitudine, frigorísque simul vehementia gignuntur, profectò, aut nullius planè sensus, ac doloris, vel certè exigui participes existunt. MATHETES, Quomodo diuersę scirrhi causæ internosci possunt? GERON, Si ex atra bile, quæ veluti sanguinis fæx est, scirrhus excitatus fuerit, corpus vniuersum nigrius apparet: sin ex crassa lentáque pituita, albidius: interdum veluti plumbeum colorem habet. Quali nanque colore alimentum corporis tinctum fuerit, sic etiam hoc coloratur. non solùm autem vniuersi corporis color morbi causam indicat, sed etiam ægri temperamentum, ætas, regio, anni tempus, ac antecedens victus ratio.

Præsagia de scirrho.

MATHETES, Quid de scirrhis curandis spei habendum putas? GERON, Qui iecur, aut alias partes obsident, omnes sunt insanabiles. quanquam per initia Galenus se curasse, inueteratum autem, nec se, nec alios vnquam sanasse prodiderit: eò quòd plærosque omnes sic affectos, aqua inter cutē necessariò insequatur. Quàmplurimi inter istos,

longo

longo tempore interpoſito: quidam etiam breui intereunt, qui ventris fluxu laborant. At qui ſcirrhoſi iecoris tumores curari, præſertim inter eorum initia, rectè poterunt, ijs ratione medendi, muſculoſarum partium ſcirrhis accommoda, diſcutiuntur. MATHETES, Infeſtántne iecur etiam alij tumores, præterquam ſcirrhus, de quo iam mentionem feciſti? GERON, Duo præterea, ex quibus vnus plærunque magnus iecur diſtendit: atque ijſdem notis, quibus ſcirrhus agnoſcitur, niſi quòd minus tangendi renitatur, & breuiore tempore prouenerit. MATHETES, Quas iecoris partes obſidet? GERON, Membranas illud ambientes: tactu facile deprehenditur. Tantus enim plærunque apparet, vt tota præcordia repleat: vnde neque coſtæ extremæ percipi, neque digiti ſub his infigi poſsint, neque vlla iecoris figura, aut circumſcriptio ſit conſpicua. MATHETES, Vnde eiuſmodi tumor oritur? GERON, Aliquando à flatu, aut à tenui humore crudo, quem vel immodica frigidæ potio, vel intempeſtiuus fructuum vſus, vel nimia crapula, & ſatietas contraxit. atque hic grauitatis, non denſitatis ſenſu percipitur, & breuiore tempore quàm ſcirrhus gignitur: aliquando idem tumor à craſſo lentóque humore, nunc bilioſo, nunc pituitoſo excitatur: quem iecur robuſtum à ſe propellens, in membranas proprias ipſum ambientes deponit. Is etiam magis quàm ſcirrhus tangenti renititur, moléque ſua illum premit, & non niſi longo tempore tum congeri, tum diſcuti poteſt. Alter ille tumor ſub præcordijs ſubſiſtit, abdominis muſculis inſertus, rarus, & inſolens: qui leni blandóque tactu potiùs, quàm compreſsione deprehenditur, vt qui forâs promineat, figuram rectorum abdominis muſculorum modò oblongam ſortitus.

ARQVATVS, ſiue morbus regius.

MATHETES, Quæ deinceps vitia ſequuntur? GERON, Quæ ex viſcerum, tum iecoris, tum lienis excrementis, ſiue totum ſuppreſsis, ſiue parum ritè ſeparatis contrahuntur. MATHET. Quomodo appellantur? GERON, Quædam proprio nomine carent: quædam vulgari nuncupantur: latinis quidem arquatus, vel regius morbus, vel aurigo: græcis autem ἴκτερος. MATHETES, Quando generatur hæc affectio? GERON, Cùm excretrix iecoris, ac veſiculæ fellis ei appenſæ facultas humorem bilioſum ad ſedes proprias propellere nequit: vnde icterus ſemper in eorum gegenere ſubſiſtit, quæ interioris corporis vitijs euenire ſolent. MATHETES, Quæ partes corporis in hoc malo afficiuntur? GERON, Iecur ipſum, veſicula fellis, & corpus vniuerſum. MATHET. Quot arquati ſpecies ſunt, & quibus ex cauſis naſcuntur? GERON, Variæ: ac ſimplex ſanè, quæ frequentius incidit, ex iecoris, aut ex veſiculæ fellis illi appenſæ vitio gignitur. Cùm enim bilis copio-

ſior in calido nimium iecore oritur, quàm ipſa tota è veſicula expurgari poſsit, eadem redundans in corpus vndiquaque erumpit. atque dum ipſe cum ſanguine, vel eius ſero in extimam corporis partem fertur, ipſam inficit: quinetiam eadem cùm in iecore plenius colligitur, molem eius ampliorem reddit, in tumorémq́ue tactu conſpicuum attollit: deinde ſpatio temporis craſſeſcens, dureſcénſque non modò meatus, per quos educi deberet, obſtruit: ſed etiam iecoris ſcirrhum renitentem durámque efficit: cui ferè hydrops ſuccedit. MATHET, Vnde aliæ Arquati ſpecies proueniunt? GERON, Vel ex obſtructione meatuum ad veſiculam fellis tendentium: vel ex inflammatione iecoris: cuius vi & incendio maxima ſanguinis portio in bilem vertitur, & vndiquaque in totum corpus diſtribuitur: vel ex virulentarum beſtiarum ictibus: aut ex venenis potis: quorum efficacia totus ſanguis corrumpitur, omniáque membra penetrat, & cutim luteo colore contaminat: vel denique ex febrium bilioſarum criſi, per quam natura noxiam illarum materiam ex alto corpore in extima forâs propellit.

Arquati notæ.

MATHETES, Quales ſunt arquati notæ? GERON, Partim communes, partim propriæ. communes quidem omnibus eius ſpeciebus ſunt, flauus vel pallidus totius cutis color, maximè oculorum: in quibus quod album eſſe debet, fit luteum, ſolétque accedere & ſitis, & dolor capitis, & frequens ſingultus, & præcordiorum in dextra parte durities. & vbi corporis vehemens motus eſt, ſpiritus difficultas, membrorum reſolutio. quando morbus manet diutius, totum corpus, præſertim facies, tempora, & malæ cum pallore quodam inalbeſcunt. Hoc etiam omnibus Arquaticis commune eſt, quòd mens eorum hebetetur, & vanis imaginibus addicta ſit, corpúſque moueri pigeat, & grauitas in præcordijs dextris ſentiatur: dulcium eſus, ingratior: amarorum gratior: venæ ſub lingua tument: tota cutis prurit: corpus ægrè ſudat.

Notæ peculiares arquati.

Peculiares autem notæ ſunt: primùm eius, qui ex iecoris, fellíſque veſiculæ offenſione contractus eſt, quòd aut nulla, aut admodum lenta febris ei adſit: & quamuis vrinæ turbidæ, craſſæ, ruffæqúe exiſtant, deiectiones tamen albicent: eò quòd multa bilis ex veſicula fellis, atque etiam ex iocinore in aluum deferatur. Eius autem arquati, qui ex obſtructione meatuum ad veſiculam fellis pertinentium natus eſt, ſigna ſunt: quòd hominem repentè adoriatur, ſine febri, ſinéque magna corporis, aut virium defectione: item quòd alui deiectiones albicent: quia bilis, ne inteſtinis incidat, impeditur: ſtercus exiguum, & leuiter viſcoſum, paulatim deſcendit, idque crebra deſidendi cupiditate: vrinæ craſſeſcunt, rubéntque adeò, vt ferè nigreſcant: grauitas in dextris præcordijs ſine manifeſto

feſto

festo tumore percipitur. at in illo Arquato, qui ex inflammatione procreatus est, vehemens ardénsque febris superuenit: dolor, grauitásque dextra præcordia exercet: alui deiectiones, & vrinæ biliosæ apparent: iecorísque inflammati signa comitantur. atque hic quidem rariùs incidit, nec omninò simplex est. Porrò eius Arquati, qui ex bestiarum, vt viperę, & similiũ, aut ex veneni potu prouenit, indicium est, quòd euidens causa antecesserit: color subitò aut breui mutatus sit, nulláque febris affligat. MATHETES, Quæ indicant Arquatum ex crisi factum? GERON, Quòd hic repente nascatur, febrímque finiat, nec tamen cum illa desinat, sed diutius aliquando protrahatur: vrinæ & alui excrementa naturaliter respondeant. MATHETES, Quid in hoc morbo regio curando, spei, aut periculi prædici potest? *Præsagia.* GERON, Quibus in febribus ille septimo, aut nono, aut vndecimo, aut quarto decimo superuenit, sanitatem futuram ostendit: nisi dextra præcordia induruerint. sin ante septimum obuenerit, pernitiem: eò quòd natura bilem citiùs critica ratione in corpus perducere nequeat. imò neque post septimum, si iecur inflammatione, aut obstructione laboret, periculo vacabit. Longè autem is est periculosior Arquatus, qui ex iecore prius indurato prouenerit.

MATHETES, Quis Arquatus niger est? GERON, Sicut verus *ICTERVS, seu arquatus niger.* arquatus flauæ bilis, ita hic atræ, seu humoris melancholici in summam corporis cutem est effusio, quæ græcis ἴκτερος μέλας, seu μελανοχλωρὸς dicitur. MATHETES, Qua ratione is efficitur? GERON, *Icterus quomodo fiat.* Crassius iecoris excrementum, aut parum commodè, aut nequaquam à sanguine separatur secernitúrque: atque id trifariàm fieri solet. primùm, cùm lienis infirmior factus, crassiorem, excrementitiámque sanguinis partem, ex iecore ad se nequit attrahere. secundò, cùm lienis meatus, tum hi, per quos excrementum istud allici, tum illi, per quos ipsum educi solet, obstructi sunt. tertiò, cùm maior excrementi est copia, quàm vt tota perpurgari possit. Ea igitur de causa sub hoc affectu, corpus totum nigro colore, aut albo pallido, aut plumbeo, aut fusco, aut alio, atque alio simili *Arquati nigri signa.* inficitur. Quamuis autem huiusmodi colores ex iecoris vitio gegerentur, tamen ob lienis etiam affectum ijdem multò nigriores fiunt. Non solùm autem colores Arquatum nigrum indicant, sed etiam in sinistris præcordijs grauitas, aut distentio, aut subdurus nonnunquam tumor. At in hoc Arquato corpus quidem minùs graue, quàm in altero percipitur: animus autem imaginibus metus & tristitiæ plenis magis perturbatur: sic vt ægri, quando se conuertunt, aliquid in parte affecta conuelli opinentur. ijdem etiam oris ventriculi rosionem sentiunt: difficulter spirant: nausea

laborant: interdum leuiter ipſi per interualla quædam caleſcunt: vrina, & alui deiectio modò naturaliter ſe habent, modò ſubnigræ apparent: aluus tamen ſæpius aſtringitur. MATHETES, Quid ergò verè eſt Arquatus niger? GERON, Symptoma etiam, vt flauus, ex eorum genere, quæ in vniuerſo corpore conſpiciuntur. MATHETES, Quę cauſa illius eſſe dicitur? GERON, Humor melancholicus: qui cum ſanguine in totum corpus effunditur: lienis imbecillitas, vel meatuum ipſius obſtructio, vel excrementi craſsi copia. MATHETES, Quæ ſingulas has cauſas indicant? GERON, Humorem, color niger: viſceris obſtructionem, eiúſque meatuum, grauitas in præcordijs ſiniſtris, diſtentio, & dolor. ſin nihil ex his apparuerit, attrahendi facultatis imbecillitas nunciatur. atque hæc ex quauis intemperie tum ſimplici, tum compoſita contrahitur. MATHETES Vnde intemperies lienis dignoſcitur? GERON, Ex cibo, potu, & ijs, quæ cuticulæ iuxta ſiniſtri præcordia admouentur. nam frigida intemperies ex cibo, potionibus, externíſq; remedijs valdè refrigerantibus augetur: & lien magis euidenter offenditur: à calidis omnibus iuuatur. MATHETES, Quibus notis Arquatus niger ex inflammatione, ſeu ſcirrho natus indicari poterit? GERON, Eorum proprijs, de quibus poſtea. Quia verò affectus hic non minùs, quàm verus Arquatus, ex eiuſdem excrementi copioſi vitio generari poteſt, etiamſi lien nullo peculiari morbo laboret, cognoſcendum id quoq; arbitror: quod facilè poteris, ſi nunc aliquid ex prædictis ſignis, lienis affectui demonſtrando idoneis, adſit: & idem totius corporis color admodum nigricet. MATHETES, Cùm excrementi *huius copia à duabus cauſis*, nempe *iecoris intemperie*, & *ciborum vitioſitate gigni* poſsit, vnde diſtinguere id licebit? GERON, Ex ijs, quæ anteceſſerunt, ſic vt ægrum, aut ei familiares interroges, num cibis ac potionibus melancholicis vſus fuerit, nec ne. vbi enim talis victus ratio præceſſerit, quæ humorem craſſum, & natura fæculentum procreare poteſt, inde morbum regium atrum prouenisse cenſebis. Sin verò nulla talis alimenti ſpecies aſſumpta fuerit, iecoris autem frigidi & ſicci notę apparuerint, quæ id affectum eſſe denuncient, eidem ipſi quòd excremēto tali generando ſit accommodum, tanquam auctori aſcribes. MATHETES, Quæ ſigna extant, vbi morbus hic Arquatus ex vtriuſque viſceris, tum iecoris, tum lienis vitio excitatus fuerit? GERON, Color nigrior, quàm pro conſuetudine veri morbi regij, ſic vt flaua bilis fuligini permixta videatur. Porrò lienis nunquam flauum arquatum parit: iecur ſępe nigrum: quanquam hic non æquè nigricet, vt ille, qui ex liene affecto oritur. MATHETES, Quę de iſto præſagire licet? GERON, Quia ſuperiore

grauior

grauior est, magísque inueterascit, nullis remedijs idoneis quanuis commodè adhibitis, cedit: & quacunque ex causa inceperit, iecore consentiente, hydropis periculum minatur: præcipuè, si vrina prorsus alba, aut certè multùm diluta diu feratur. Quinetiam calculus niger in fellis vesicula concretus, sub hoc affectu periculosus est. Quòd si in eo malo hæmorrhoides fluere inceperint, securitatem portendunt. sin inflatio quoque huic vitio aderit, metum parit, maximè si curationibus non discutiatur. Nimia etiam vigilia in hoc morbo tuta non est, neque amissa cibi cupiditas, aut lingua resoluta adeò, vt æger loquelam exprimere nequeat. grauius est delirium, si interuenerit. postremò febris vtrique Arquato superueniens, perniciosa est, modò præcordia quoque dura permaneant.

Inflatio lienis.

MATHET. Quibus alijs morbis lien conflictatur? GERON, Inflammatione, licet rariùs quàm cætera viscera. MATHETES, Quæ hanc adesse notant? GERON, In sinistris præcordijs dolor, feruor cum febri continua ac vehementi, & siti: item lingua subnigra, humoris lentore grauata, spiritus difficilis, cibi fastidium, & distentio: nec non tumor durior, qui facilè tactu deprehendetur, maximè temporis processu. nam per initia, dum humor adhuc fluit, ille humidior apparet. MATHETES, Cur in liene maior durities tumoris, quàm in iecore inflammato percipitur? GERON, Primùm, quia ille tali quoque sanguine, non autem optimo, & mediocri nutritur: deinde, quia etiam rariùs ex huiusmodi, sed frequentiùs ex crasso, limoso, & fæculento inflammatur, qui facilè, & promptè durescit. Qua de causa, vbi inflammatio fortè ex sanguine optimo, vel bilioso fuerit excitata, non difficulter ex temperamento, ætate, habitu, anni tempore, & victus ratione dignosci poterit. MATHETES, Quæ sunt de liene inflammato præsagia? GERON, Quòd si in hoc affectu sanguis è nare sinistra, tanquam è directo profluat, multùm inde commodi accidet. si parùm in eo curando laboris ac diligentiæ adhibeatur, non modò praua insequentur symptomata, sed etiam temporis interuallo interitus, maximè si illa in scirrhum conuertatur.

LIENIS inflammatio.
Inflammationis notæ.
Tumor lienis cur durior, quàm in iecore.
Præsagia de liene inflammato.

MATHETES, Quid est lienis scirrhus? GERON, Tumor in sinistris præcordijs, vt anteà dixi, induratus: cui ille vt iecur maximè est opportunus. quanquam hic rariore natura præditus, magis quàm iecur, scirrhosis vitijs ob alimenti speciem fit obnoxius. Porrò qui eiusmodi indurato lienis tumore laborant, propriè lienosi, aut splenetici nominantur. MATHETES, Quæ indicia sunt scirrhi lienis? GERON, Nigrior totius corporis color: sinistra præcordiorum pars tumida, duráque, prementi renitens,

SCIRRHVS lienis quid.
Scirrhi lienis signa.

venter intentus, grauis oris fœtor, gingiuæ exeſę, vlcera crurum, quæ aut non ſaneſcunt, aut vix cicatricem recipiunt: in ambulatione intenſa, curſúque, & cubando in dextrum latus dolor, & quædam ſpiritus difficultas, ac frequentia: cibi ferè cupiditas manet, ſed malè idem concoquitur, & in ventre fluctuat: multa ex ore ſaliua defluit: ſiniſtra præcordia murmurant: flatus ſuprà infráque erumpunt plurimi. MATHETES, Ex quibus cauſis lienis ſcirrhus oritur? GERON, Non ex aliis quàm iecoris. atque duo ſunt ſcirrhi generationis modi, vtricꝫ viſceri communes: vel cùm per initia paulatim colligitur augetúrque, & in magnum tumorem attollitur: vel medicantium errore, ac imperitia accidit, vti cùm illi inflammationes & eryſipelata vehementer refrigerant. Notandum autem eſt, lienem etiam ex ſpiritu flatuoſo indurari quodammodo renitíque. MATHETES, Quo pacto hic tumor à vero ſcirrho diſtinguitur? GERON, Si ex flatu contrahitur, tactui non reſiſtit pertinaciter, ſed impoſita manu cedit, & lien puncturam tenſionémque experitur, ſic tamen, vt nullum pondus & grauitatem ſentiat. at ſi grauitas pondúſque, cum renixu, tumore, ac duritiæ in ſiniſtris præcordiis deprehendatur, tumor durus ex humore lento craſſóque lieni infixo prouenisse dicetur. atcꝫ hic propriè ſcirrhus, aut ſcirrhoſus tumor appellatur. MATHETES, Quid in hoc affectu futurum iudicas? GERON, Vbi diuturnus fuerit, aquam inter cutem, iecore potiſsimùm conſentiente generari poſſe. ſin autem exquiſitus extiterit, prorſus eſſe inſanabilem.

Cauſa ſcirrhi lienis.

Scirrhi veri à tumore differentia.

Præſagia in ſcirrho lienis.

MATHETES, Quæ alia præcordiorum vitia reſtant? GERON, Quod græcis vocatur ὑποχονδριακὸν πάθος, hoc eſt, hypochondriaca affectio: cuius vtrunque viſcus, maximè verò lien auctor exiſtit: quanquam etiam ſuperiùs inter melancholiæ ſpecies ipſius facta ſit mentio. Duę verò eius ſunt differentię: vna ſanè lenior: altera verò aſperior. MATHE. Vnde vtraque trahit originem? GERON, Prior ex terreſtri humore melancholico, ac ſanguinis fęce, quæ in liene, & propinquis eius partibus immodicè accumulata, tumorem excitat: vnde noxius vapor ſurſum in cerebrum exhalat. Sub hoc malo ſiniſtra præcordia neque tument, neque diſtenduntur, aut premuntur, neque vnquam, niſi forſan obſcuriùs dolent. interdum autem conſpicuus lienis tumor, & ingens, ſine arquato, ſinéque malo corporis habitu apparet: præcordia æſtuant, præſertim cibo potúcꝫ calidiore aſſumpto. quia hic non facilè concoquuntur: flatus & ructus plurimus accedit. Cùm autem humor ater propria è ſede in venas eruperit, arquatum, & malam habitudinem parit. vbi verò calidior, deteriórque contra naturam euaſerit, atro vapore exhalante, mentem variè perturbat, hypo-

HYPOCHONdriaca affectio.

Hypochondriacæ affectionis notæ.

hypochondriacæ melancholiæ opifex. MATHETES, Quomodo se gerunt hoc vitio laborantes? GERON, Multùm diúque sunt cogitabundi: omnia habent suspecta: pudore afficiuntur: solitudinem quærunt: tristitia & timore infestantur: animo deficiunt: de omnibus desperant: mentem & sensus habent obtusiores: somnúmque tumultuosum: iudicium corruptum, ac sæpè præposterum. MATHETES Vnde altera gignitur affectio? GERON, Ab atra bile, quę vel ex terrestris sanguinis fæce nimiùm calida exustaq́;, vel ex bile flaua contracta est. MATHETES, Vbi atra ista bilis colligitur? GERON, Aliquando in liene: sæpiùs in mesenterio, sic tamen, vt nullus inde tumor appareat. Cùm autem ea humor sit acris & pernitiosus, etiam exiguus, sæuissima quoque symptomata inducit. MATHETES, Quibus signis hæc Melancholia cognoscitur? GERON, Iisdem, quibus superior, sed multò grauioribus. præcordia in hac sæpe ingenti feruore æstuant: arteriæ in præcordijs supráq́; vmbilicum valdè mouentur, vt in pulsu: cor crebrò palpitat aut premitur, vapore quauis ex causa sursum exhalante: animus deficit: fauces præcluduntur, vt sæpe hoc vitium ab vteri suffocatu secerni nequeat. Sub hoc malo facies rubet ardescitque: oculi quasi suffusione caligant: mens denique perturbatur. MATHETES, Quid spei de miserabili hoc malo curando haberi potest? GERON, Si inueterascit, ægri adeò fiunt pusillanimi, vt se ad meliorem valetudinem redire, imò vitam diutiùs agere posse desperent. Quòd si vapor ille noxius extinctus discussúsque fuerit, symptomata nuper enumerata, mitescunt: quamuis sæpe reuertantur. sin autem idem malum in cerebrum penetret, & obfirmetur, furorem siue insaniam, & postremò febrem hecticæ proximam, ac marcorem inducit. Hîc omittendum non est, similia incommoda ex simplici bile excitari, quæ circa iecur congregata copiosiùs æstuat. Sub ea igitur corpus inardescit, animus deficit, oculi suffunduntur, facies rubescit, & nisi vires iam à malo superentur, animus incitatior inflammatur: ira sæpe vlciscendi libidine mouetur, hac autem affectione corpus denique consumitur, liquatúrque, nisi in Melancholiam degeneret.

Atræ bilis collectio vbi.

Melancholiæ alterius notæ.

Præsagia in melancholia.

MATHETES, Quibus renes morbis afficiuntur? GERON, Inflammatione, obstructione, abscessu, & exulceratione: quanquam rariùs inflammentur, eò quòd caro illorum firma multúmque dura, defluxionibus minùs sit opportuna. interdum tamē ex ictu casúue contusi, & sanguinis per cauæ venæ ramos ad ipsos tendentes, fluxionem experti, eodem malo infestantur. MATHET. Quomodo hęc iocinoris inflammatio græcis appellatur? GERON, νεφρῖτις: quanquam nonnulli hodie præclari aliâs medici, λιθιάσιν

RENVM inflammatio.

Inflammationis causa.

Nephritis.

Inflammationis renum notæ.

etiam nuncupent. MATHETES, Quæ vitium hoc indicant? GERON, Febris aſsidua, ſinéque certo ordine vrgens, & ardor magnus: qui nunc increſcit, nunc imminuitur: dolor grauis ac pulſans in dorſo, paulò altiùs quàm minores coſtæ ſunt, excrucians, iſque inde ad iecur vſque tendit, ſi dexter ren laboret: deorſum verò ad veſicam, naturalia, pectinem, & fœmora, ſi ſiniſter afficiatur. Idem dolor ſternũtamento, atque tuſsi intenditur: aliâs continuatur, aliâs per interualla remittit: in alijs adeò ſæuit, vt ægri animo deficiant, ſudoribúſque digerantur. Super hæc ingens cibi faſtidium vrget, nauſeáque & ſtomachi dolor, crebérq; bilis vomitus: aluus maximè aſtricta eſt, vnde etiam venter inflatur, & ructus frequentes accedunt: vrinæ reddendę difficultas, aſsiduáque cupiditas adeſt: ſæpè ipſa cum ardore quodam profluit: primùm tenuis & diluta, in qua nihil ſubſidet: deinde magis rubra: tandem craſſa & mucoſa: extrema, præſertim pedes ſæpiſsimè frigent: crus propinquum, ſiue è directo ſitum, ſtupet, adeóque locus offenſus dolet, vt ſpina dorſi vix inflecti, ægérque erigi, aut incedere poſsit. quinetiam in latus affectum faciliùs decumbit: nec non ſupinus magis quàm pronus. MATHETES, Quid de hoc genere morbi futurum præſagis? GERON, Si concoctio probè peracta, & dolores finiti fuerint, æger iam ſanatus eſſe dici poteſt. adhæc, ſi vrina copioſa, & craſſa prodierit: in qua quod ſubſidet, bonum eſt. Periculum verò inſtat, ſi frequens bilis vomitus incidit: magis autem terret delirium: præcipuè ſi extremæ partes frigeſcant. ſin autem renes præ nimio tumore diſrumpantur, certa mors in propinquo eſt. Porrò vbi inflammatio remedijs diſcuſſa fuerit, dolórque in loco affecto, & grauitas maneat, febríſque adhuc creſcat, & frequens vrinæ reddendæ deſiderium, magnáque eius difficultas adſit, ſuppuratio intus fieri ſolet. Vbi iam abſoluta fuerit, grauitas in rene manet, dolor autem miteſcit, & febris imminuitur. MATHETES, Quid de renum abſceſſu ſentis?

Præſagium.

ABSCESSVS renum ſigna.

GERON, Cùm erupturus eſt, æger inhorreſcit: febris & dolor vehementior inſequitur. quamprimum autem ille eruperit, hæc omnia protinùs conquieſcunt. vrina craſſa, turbida, ſubcruenta, & multa profluit: cum qua ſi pus album, læue, æquale, & non mali odoris fertur, poteſt ægro bona valetudo contingere: ſin id ad inteſtina quoque, aut aliorſum diuertit, quod cum vrina redditur, malè olet, liuidúmque eſt, & inæqualiter mucoſum, periculum ſignat, ex eáque grauem intus exulcerationem portendit: atque tunc etiam carunculæ quædam exiguæ, quaſi cum vrina ex putrida renum carne prodeunt. Quòd ſi inflammatio interim perperàm curata fuerit, ſitis dolórque poſt concoctionis tem

pora

pora desinunt: tumor autem durus cum multa loci grauitate remanet: eò quòd dolores citra materiæ resolutionem, citráque suppurationem conquieuerint: quódque vrina diu aquosa, & pauca reddatur, & quòd coxæ, partésque his inferiores stupescant, infirmæqúe fiant, & emacientur. Hoc vitium certè nulla medicina subtrahitur, sed temporis processu in hydropem desinit, mortémque minatur. MATHETES, Quid est renum obstructio?

RENVM obstructio.

GERON, Eiusmodi vitium, quo illi vel crasso, & viscoso humore, vel arenosa materia, vel calculo siue topho replentur: quod græci communiter vocant ἔμφραξιν τῶν νεφρῶν. Raro autem, aut vix vnquam accidit, vt renes in totum à solo humore crasso, vel glutinoso obturentur: à calculo autem, vel arenulis sæpissimè: à quibus etiam solis vrina supprimitur. MATHETES, Quæ partes renum ab his afficiuntur? GERON, Non solùm interior eorum sinus, sed etiam propria ipsorum caro: à qua arteriæ duritiam, rubrúmque colorem sortiuntur. illinc etiam vrinæ effluentis impetu in sinum feruntur: ex hoc deinde per meatus vrinarios in vesicam fluunt, atque sic vrina arenosa redditur. Quòd si arenarum collectio minùs curiosè caueatur, temporis spatio illæ crassescunt, vel mutuò inter se cohęrentes calculum generant: quod cùm fit, gręci λιθίασιν appellant. MATHETES, Quid igitur propriè hoc malum dici potest? GERON, Nihil aliud, quàm materia quædam à natura in totum aliena, calculi seu tophi instar, in carne renum, vel in sinibus ipsorum concreta: eòque in illorum genere ponitur, qui in excessu naturæ prorsus contrario substant. dignoscitur autem ille ab alijs renum vitijs, doloris ratione: vt qui velut aculeus ægrum pungat, firmitérque renibus inhæreat: nisi quòd nonnunquam per ilia coxam versus, vel ad testiculum proximum perueniat: in dextra quidem parte, si dexter: in sinistra verò, si sinister affligatur. similiter fœmoris stupor è regione affecti renis siti: item testiculus retractus eiusdem lateris, idémque indolescens: atque id vasorum consortio contingit, quæ cauæ venæ arteriæqúe magnæ incumbunt: ac harum interuentu tum crura, tum testiculus renibus consentiunt. MATHETES, Quibus temporibus id accidit? GERON, Non ijsdem, sed diuersis. nam vbi calculus, vel nascitur, vel erumpit, renes grauissimè dolent: reliquo autem tempore quasi re quadam graui eis incumbente afficiuntur, eò quòd exilibus neruis donati sint: quanquam illorum dolor, vbi calculus ipsis impactus fuerit, à Colico cruciatu, qualitate non possit discerni, nisi insequentia symptomata respicias. MATHETES, Quando potissimùm dolores calculosis istis excitantur? GERON, Vbi ægri cibo, seu alimentis, & intestinorum excrementis repleti fue-

λιθίασις.

rint:vbi verò affectus renum increuerit perſeueraueritque, tunc etiam vomitus,primùm pituitæ,mox bilis flauæ,ac tandem æruginoſæ incidit,ſanguine ob cruciatum, & vigilias corrupto:præſertim quando ægri ſimul febricitant,& inędia euacuantur. Poſt vomitum dolores leuantur:aluus aſtringitur:vnde cruciatus rurſus augeſcit, eò quòd illa renes excrementis,aut flatibus comprimat. ſi forſan ipſa reſoluatur, excrementum leuiter bile tinctum cum flatu redditur: vrina in acceſsione, pauca, tenuis, & diluta eſt:vbi dolor augeſcit,ſtatim tota ſupprimitur.deinde,vbi calculus à meatu vrinario excuſſus fuerit, craſſa illa copioſáque profluit:in qua arenulæ multæ,& plęrunque grandiores,calculíque inæquales,& eorum fragmenta ſubſident. Eadem interdum vrina bullat,& malè olet,crebróque redditur,ſic vt ęger ardorem quendam in exitu ſentiat.ſæpe etiam veluti ſanguis cum ea fertur,pręſertim,ſi vehementior exercitatio cùm alio in motu, tum in equo anteceſſerit. MATHETES, Qualis igitur vrina eorum eſſe ſolet, qui calculo ſunt obnoxij? GERON,Craſſa,ſubrubra cum denſa ac tenaci ſpuma:in qua nunc rubrum leuiter, viſcoſum, arenoſúmque ſubſidet:nunc turbidum remanet. Talis vrina ſæpe multorum annorum ſpatio, nullo vitæ incommodo citra renum dolorem,aut vllam calculi notam excernitur. tandem autem ipſa repentè,& ex inopinato cum acutiſsimo dolore fertur, aluúſque ſimul contrahitur,&crus è directo ſitum torpet.Per interualla rurſus dolor redit: & quamuis calculus non expellatur, vrina craſſa & turbida apparet: interdum ob duram equitationem cruenta *prorumpit.ſæpe ſolus ex veſica deſtillans ſanguis* calculum in rene ſubeſſe *indicat:qui neque doloris,neque* alterius cuiuſdam ſenſu deprehenſus ſit. Sin autem calculus poſt renis dolorem excretus in meatus vrinarios impegerit, vrinæ tenues, paucæ, ſubaquoſæ profluunt, & non raro in totum etiam ſupprimuntur. quando verò calculus renis inde in ſinum ipſius reuertitur, vel certè forâs in veſicam excutitur, ſimilis ſtatim vrina exit. quòd ſi calculus grandior ſit,quàm vt è renum carne,in qua gignitur,extendi in ſinum ipſius poſsit,ſtatim etiam vrina,ei quam modò retuli,ſimilis redditur,& nullus ferè dolor adeſt. Quinetiam ſi ęger corpus vehementiùs exercuerit,aut duriùs equitauerit, non modò talis vrina profluit,ſed etiam verè cruenta: in qua ſanguis tanquam in grumum concretus ſubſidet. MATHETES, Qualis vrina excernitur,vbi calculus in renis ſinum inciderit, iſque grandis adeò in meatum vrinarium deſcenderit,vt eum obſtruat? GERON, Pauca, ſolito tenuior, & ſubaquoſa, vel ex toto intercipitur, idque cum dolore acerbiſsimo. MATHETES. Cuiuſmodi vrina prodit,

dit,

dit, quando calculus renis minor est, quàm vt in meatum illius, cùm ad hunc descendit, multùm impingere posit: item vbi grandis est, & in sinu eius contentus, húcque è carnosa renis parte depulsus, nondum ad vrinæ meatum incidit? GERON, Crassa, turbida, rubra, aut subliuida, obscura. hoc autem sciri debet in ijs, qui grauioribus doloribus renum sunt obnoxij, vrinam claram vix vnquam excerni. MATHETES, Qua ratione calculi inter se differunt? GERON, Alij magni, alij parui, alij mediocres sunt, eóque pro meatuum amplitudine, vel exilitate, facilè, aut difficulter excernuntur. hi rursus lęues, & rotundi sunt, ac faciliùs: illi asperi, & longi, ac difficiliùs exeunt. Quibus autem vetustus renum dolor molestus est, hos grandiores calculi magis affligunt: mediocres minimè: quia vrinæ itinera in his magis patent. quibus recens hoc vitium, aut certè rarum est, eos vel minimus calculus excruciat. MATHETES, Quo colore calculi renum prædit sunt? GERON, Subrubro, vel albo, si renes purulenti sint, vel nigro, & pallido. MATHETES, Qui duriores, & firmati magis existunt? GERON, Qui cum vrina diu aquosa feruntur: in qua pauciora habeantur subsidentia. MATHETES, Qui hoc renum vitio frequentiùs tentari consueuerunt? GERON, Pinguiores, & seniores: adulti, rariùs: pueri rarißimè. sicut etiam illi, qui sæpius vomunt, & aluum habent minimè astrictam. MATHETES, Quę spes in curando, quódue periculum expectatur? GERON, Omnia renum vitia in senibus difficillima: calculorum autem desperata. Qui à parentibus calculosi nati sunt, ij hæreditario ferè semper eiusmodi affectu corripiuntur. MATHETES, Quod restat renum vitium?

Calculorum differentiæ.

Prænotio.

RENVM exulceratio.

GERON, Vlcus, siue exulceratio, græcè dicitur ἕλκος, siue ἕλκωσις: quæ nihil aliud existit, quàm carnosæ ipsorum partis continuæ diuortium. MATHETES, Quæ renes exulceratos indicant? GERON, Dolor, & grauitas circa lumbos substans: in vrina pus mixtũ subsidens, & carnosę particulæ innatantes: æger sæpißimè dolorem in affecto rene percipit: interdum pus cum vrina inæqualiter diffusum apparet: interdum sanguis cum vrina redditur. is nanque, & pus, si pluribus diebus ac mensibus excernatur: nec non carunculæ paruæ cum crassa vrina simul prodeuntes, renum, aut vesicæ exulcerationem testantur. MATHETES, Quæ renes exulcerant? GERON, Acrium, erodentiúmque humorum copia: deinde abscessus erumpens: vasis ruptura, seu erosio: item calculus. adhæc exteriores causæ, vt medicamenta rodendi facultate prædita, si assumantur: aut vulnus illatum, quod ex ægri, aut familiarium narratione percipere licet. MATHETES, Quæ singularum vlcerum renis causarum notæ sunt? GERON, Vrina cruenta,

recens,& simplex vlcus significat: crassior,alba,fœtida,purulenta,lactíque similis ferè, in qua pus subsidet: cauum ac fœdi odoris vlcus,in rene esse portendit. at acrium humorum in toto corpore abundantiam,vlcus renis excitasse, non solùm vrinę,sed etiam temperamentum,ætas, habitus,anni tempus, victus antecedens demonstrant, sic vt nullius rupti seu erosi vasis, nec erumpentis abscessus,aut calculi nota adfuerit. Porrò vlcus ex calculo perrodente factum,vrina crassa,turbidáque, & vbi corpus exercitatur, magis colorata signat: vbi verò conquiescit,id quod subsidet,crassiusculum fit,& reliqua vrina ferè clara euadit. MATHETES,Poteruntne eiusmodi renum vlcera sanari? GERON,Quòd si non summa diligentia labores, vt renes vlcerati circatrice obducantur, vix ad sanitatem perduci poterunt: quamuis in illis excitata faciliùs,quàm in vesica curationem admittant,eò quòd carnosæ partes promptiùs, quàm neruosæ glutinentur. sunt tamen tum renum,tum vesicæ exulcerationes curatu difficiles, præsertim ex erosione ortæ: vnde pauci perfectè hoc vitio liberantur, quamuis etiam id recens adhuc fuerit: quia hæ partes in continua sunt actione,& excrementum acre illos exacerbat. In senibus & renum & vesicæ affectus longè sunt difficillimi: quoniam ętiam alij omnes in illis præcipuè diuturni manent.

Prognosticum.

Vrina cruenta è renibus.

MATHETES, Quid præter excrementa iam comprehensa prodire ex renibus solet? GERON, Sanguis, qui vniuersæ *vrinæ* sic miscetur, vt ipsa quasi dilutus sanguis esse videatur. *hic autem* protinùs subsidet rubicundus, liquidus, ac minimè concretus. MATHETES, A qua parte potissimùm cruor iste emanat? GERON, A *vesicæ ceruicis musculo: qui inde in sinum vesicæ* lapsus, hinc destillat, vrinæ non æqualiter temperatus. vbi autem subsedit, in grumum mutatur. Si calculus cruentam vrinam efficit, vt ferè semper, nisi casus, aut ictus eius auctor fuerit, peculiares notæ obseruari debent: quamuis sæpe solus calculus sine renum dolore, aut alio morbi indicio, cruentum reddere vrinam possit. Quòd si interim sanguis copiosè, & subitò præter opinionem profluat, vena intus rupta est, casúsq; simul violentus antecessit: siue ictus aliquis est, siue onus graue tentauerit, siue aliud id genus incommodi perpessus fuerit. MATHETES, Qua alia ex causa cruenta vrina profluit? GERON, Ex renum imbecillitate: quanquam longè rariùs: vel ex venarum adapertione, vel ex iecoris infirmitate, vel ex solitæ euacuationis defectu, vel ex vita summè otiosa, vel ex membro aliquo pręsecto, sæpe à renibus erosis & exulceratis, eadem prodit: quæ paulatim, & cum aliquo mista destillat, idque diutius. At quando sanguis è rupto renum abscessu cum pure descen-

Vnde cruor, qui vrinam tingat.

Calculus solis cruentam vrinam reddit.

Causæ cruentæ vrinæ.

ſcendit, non ab vlcere reddi cenſetur, quòd non longo tempore deſtillet, ſed intra tertium ferè diem deſinat. MATHETES, Quid de ſanguinis fluxu iſto prædicitur? GERON, Hippocrates eum cum febre, & dolore ſæpius reddi, malum eſſe indicat. non autem prænoſci poteſt, púſne profluxurum ſit, númque febres eodem tempore finiendæ. verùm ſi periculoſum non eſt, cruenta vrina ſine dolore, ſinéque febri erumpet: quod per laſsitudines ferè incidit: ac hæ ſtatim inde reſoluuntur. *Prænotio.*

MATHETES, Exulceratorum renum notas explicaſti, quæ ſunt vulneratorum? GERON, Dolor ad inguina, teſticulóſque deſcendit: vrina difficulter redditur, eáque aut eſt cruenta, aut cruor ipſe interdum fertur. atque hi ſunt ferè omnes renum affectus, ſi vnum adhuc eis addidero. *RENES vlcerati.*

MATHETES, Quis ille eſt? GERON, Vrinæ fluor, qui græcis διαβήτης, vel δίψακος, vel ὕδρωψ εἰς ἀμίδα, vel διάῤῥοια εἰς οὖρον: idque ob rationes diuerſas. Cùm enim renes præcipuè ſanguinis ſerum ex venis vniuerſum attraxerint, vaſa alium humorem ex iecore alliciunt: deinde hoc ex inteſtinis, & ventriculo. vbi verò oris venæ exiccatæ fuerint, ipſe rurſus humectari deſiderat: deinde venæ ex iecore ad ventriculum tendentes, totam potionem exhibitam tanquam aridæ arripiunt: atque ex his aliæ deinceps, donec illa ad renes attrahentes transferatur. Cùm autem iſti adeò fuerint imbecilles, vt ſeroſum illum humorem continere diutius nequeant, ſtatim is, quàmprimùm aſſumptus eſt, per vrinam excernitur. MATHETES, Quæ pars igitur propriè in hoc vitio affecta eſt? GERON, Non alia quàm renes, tum attrahendo, tum retinendo, tum immutando imbecilles. atque ideò malum hoc ventriculi, & inteſtinorum læuitati, & caninæ appetentiæ reſpondet. MATHETES, Quibus notis cognoſcitur? GERON, Potio aſsiduè quæritur: deinde non multò poſt, quàm aſſumpta eſt, iterum per vrinam redditur, nihil ferè immutata, ſed aquæ inſtar cruda: æger autem inde non ſatis expletur, neque ſatiatur. imò id, quod bibitur, ſæpe cumulatiùs quàm ſumptum fuerit, excernitur, eóque corpus totum contabeſcit, & veluti liquatur: quanuis vrina quandoque paulatim retineatur. Nonnullis lumbi, coxæ, & teſtes, maximè verò pedes leuiter intumeſcunt: nonnulli in viſceribus æſtum ſentiunt. Si acris calor adhuc magis in illis augeatur, ſuperior venter corrugatur, venæquè in eo attolluntur, & vniuerſus corporis habitus gracileſcit. MATHETES, Quæ hunc morbum generant? GERON, Interdum calida nimis renum intemperies, abſque humoribus vitioſis: interdum hi ipſi renibus infuſi: qui aut bilioſi, aut pituitoſi, aut ſalſi fuerint. Num igitur intempe- *VRINÆ fluor, διαβήτης.*

ries duntaxat molestet, aut humores siue in renibus, siue in vniuerso corpore redundarint, facilè ex superioribus dignosci poterit. MATHETES, Quid de morbi huius euentu coniecturare licet?

Præsagia.

GERON, Quanuis rarissimè incidat, plerunque tamen diuturnus est, & à renibus pendet: recens sanari, vetustus nunquam potest, sed corpus liquatur, ac marcore consumitur. Non solùm enim venarum humores, sed etiam totius corporis siccitas, & tabes temporis spatio necessariò consequitur: eò quòd hæc affectio, vbi incœperit, paulatim increscat, eiúsque initium, & augmentum vix percipiatur, quousque ad statum peruenerit: sic vt subitò aduenire videatur: quod renum desiderium, non animale, vt ventriculi, sed naturale existit. MATHETES, Cur vrinæ profluuium censetur exitiosum? GERON, Quia plures instrumentorum actiones & vires impediuntur, aût in totum pereunt. nunc ad vesicæ affectus digrediar. MATHETES, Quibus illa torqueri solet?

VESICÆ affectus.

GERON, Iisdem ferè, quibus renes: sed calculo crebriùs, inflammatione & abscessu rarissimè: exulceratione verò interdum. MATHETES, Quibus notis calculus vesicæ deprehenditur?

Calculus vesicæ.

GERON, Dolor partes interiores circa pubem multùm & diu excruciat: interdum, vbi remiserit, per interualla recurrit. adhęc grauitatis quoque cuiusdam in eo loco sensus est: qui si calculus grandior existit, in cursu omníque motu augetur: si verò exiguus, & leuis adhuc est, titillatio quædam eadem in sede percipitur: vrina prodit cruda, alba, crassa, & turbida: inque ea subsidet purulentum, vel mucosum: aliâs cruentum quippiam coactum exit. adhæc vrina difficillimè redditur: sic tamen, vt assidua eius sit cupiditas, paulatímque adeò destillet, vt vix retineri posse videatur: interdum etiam sine voluntate. quamprimùm autem erumpere cœperit, protinus tota intercipitur: eò quòd calculus ei obuiam veniat: qua de causa fluor eius minimè continuatur, sed per vices repetit: ac dolor aliâs totum colis meatum, sæpe glandem solam obsidet. renes autem sub eo tempore affligit, quo vrina postremò excerni desinit, & tunc aluus quoque cum vrina reddi solet. Hanc quidam promptè recti, quidam resupinati, maximéque hi, qui grandiores calculos habent: quidam etiam inclinati reddunt, colémque contrectando extendendóque, dolorem leuant: quidam etiam, cùm torquentur, pedes inter se subinde mutatis vicibus implicant. fœminæ verò naturalium oras manibus suis admotis scabere crebrò coguntur: nonnunquam, si digitum admouerint, vbi is vesicæ ceruicem vrget, calculum sentiunt. MATHETES, Qualis calculi vesicæ generandi est materia? GERON, Crassus crudúsque humor: qui ex renibus per venas cum vrina in vesicæ sinum in-

num in-

num influit: in qua tanquam fæx subsidens loci calore siccessit, & paulatim in calculum concrescit. MATHETES, Quid limum istum tam diu potest in vesica remorari, cùm dixeris antea, & grumos sanguinis, & pus, & pituitam mucosam, aliáque multò crassiora facilè illinc cum vrina profluere? GERON, Quamuis limosa illa materia ob angustam, aut astrictam vesicæ ceruicem ab exitu prohiberi queat, tamen sola ipsa calculo componendo sufficere non potest, nisi ille rudimentum quoddam è renibus traxerit: è quibus si grandiusculus est, per cruciatum excidens, aliquandiu in vesica hæret, immoratúrque, & sordibus eò delapsis, coagmentatur, dum calculus verè confirmetur. Qua de causa nullus ferè calculo vesicæ laborat, quem non antea renum dolores cruciarint. id testatur, quòd in quorumlibet vesicæ calculorum medio, si exempti atterantur, quiddam veluti nucleus offendatur: quod cuilibet illorum rudimentum è renibus est expulsum, alio quàm inuolucrum ipsius ac tegumentum colore, & materia prǽditum. MATHE. Estné eadem calculi vesicæ causa, quæ renum? GERON, Non in totum: nam principalis in vesica materiæ qualitas, nempe vrinarum crassitudo existit: vt quæ eis insiti caloris vi concrescendis sit idonea: quanquam calor in hac etiam ad calculum coagmentandum non parum sit efficax. Quamobrem non solùm ascititius & ingens, sed etiam quiuis mediocris, vt in pueris reperitur, ad spissandam huiusmodi materiam satis esse potest. quia ipse quoque aliquid calculo coagmentando præstare valet.

Vesicæ calculi causa.

MATHETES, Quomodo calculi tum renum, tum vesicæ inter se differunt? GERON, Vesicæ magis albicant, grandioresque ac duriores quàm renum existunt. quanuis etiam in his olim mihi calculus grandis oui gallinacei instar, tum in viro, tum in muliere conspectus per anatomen fuerit. Hoc etiam notandum est, si minor calculus in vesica natus est, faciliùs in illius ceruicem impingi, & vrinam pertinaciùs retinere, quàm maiorem. hic enim vel idoneo corporis situ, vel iniecto instrumento facillimè excutitur.

Calculi vesicæ & renum quomodo differant.

MATHETES, Qui tandem calculis sunt obnoxij? GERON, Pueri sæpius, quàm adulti: & viri crebriùs quàm fœminæ. MATHETES, Cur autem pueri potius, quàm alij? GERON, Quia illi natura edaces, voracésque sunt, ciböque citra delectum, ordinem, & tempus opportunum vtuntur, ac rursus alijs se replent, antequam priores fuerint concocti: vnde multi crudi humores in venas ac renes distribuuntur: & deinde ad vesicam percolantur. MATHETES, Soláne humorum ista collectio calculum vesicę generari potest? GERON, Minimè: sed etiam calor quilibet, siue ascititius, & ingens: siue natiuus, & mediocris, licet minor quàm in iecore, aut renibus. Qui

Causæ calculi.

ergò adulti, & senes minùs, tum in vesica, tum in toto corpore calidi existunt, non tam facilè, vt pueri, calculis vesicæ laborare solent. MATHETES, Quid spei, aut periculi in illis ostenditur? GERON, Minor faciliùs in ceruicem vesicæ impingit, vrinámque pertinaciùs retinet, quàm maior. non leue periculum in quouis calculo circumstat: quia æger immensis fractus doloribus ex vrina ob angustum vesicæ iter nimiùm suppressa, extingui potest. Haud rarò desidendi cupiditas, vel infimi intestini procidentia à vesicæ calculo incipit. multi hunc in vesica diutissimè citra dolorem fouerunt. pueri ad quartum decimum annum vsq; ob corporum ipsorum mollitudinem facilè curantur: senes propter duritiem vix consanescunt. Qui calculi in medijs ætatibus procreati sunt, mediocrem etiam curationem recipiunt. Rursus qui maiores experiuntur calculos, facilè sanantur: eò quòd inflammationibus assueuerint: qui minores habent, difficulter sanantur. MATHETES, Quod aliud vesicæ vitium oboriri solet?

INFLAMmatio vesicæ.

GERON, Inflammatio: quanquam non ipsiusmet proprium, cùm tenuis exanguisq; naturæ sit, sed musculi, qui ceruicem eius stringunt. MATHET. Quæ illam subesse indicant? GERON, Febris acuta, & ardens, distentióque à pube, tum ad vmbilicum vsque, tum ad partes inferiores: sic vt summa vrinæ reddendæ difficultas cupiditásque adsit. sæpe ea tota diutiùs supprimitur, præsertim cùm æger cubat: interdum guttatim, magnóque conatu destillat: & quod excernitur, tenue est: atque etiamnum subsidet: aliquando inflammationes sequuntur: & aluus solita astrictior est, quàm rectum intestinum, ob inflammationis magnitudinem comprimatur: adhæc vigiliæ, delirium, bilis sinceræ vomitus, & extremarum partium frigus vrget. MATHETES, Quibus familiaris est vesicæ inflammatio? GERON, Pueris, sed alijs perrara: à calculi cruciatu excitata. MATHETES, Qualis ipsa morbus est? GERON, Grauissimus, & maximè lethalis. Ea verò inter alias omnes eius species perniciosior est: in qua vehemens dolor, febrísq; magis comitatur: vrina aluúsque prorsus supprimitur. minùs pestifera est, in qua contraria prędictis apparent. nam febris non citra rationem ex inflammatione vesicæ incidit, & quantò illa maior est, grauiórque, tantò magis febris augetur. Vbi vrina purulenta prodit, cui album ac læue subsidet, minùs est horribilis. Quòd si dolores in hoc vitio non soluantur, neque vesica mollescat, periculum est, ne æger primis circuitibus moriatur. nulla etiam spes est salutis, quando febris acuta diu trahit, vrináqne simul, & aluus prorsus astringuntur: aut quando illa nullam concoctionis notam edit, doloresq; magis simul indies ingrauescunt.

Notæ.

Vesicæ inflammatio quibus familiaris.

Sæpe

Sæpe Gangræna lethalis sua sponte oritur: ex qua nemo vnquam ferè euasit: vbi graue hoc malum suppurare incipit, omnia fiunt deteriora. Quòd si id eruperit, antequam æger intereat, dolores, cæteráque omnia mitescunt, ac vrina copiosa cum pure fertur: abscessus ea parte viam sibi aperuisse videtur, qua vrina omnis per anum elabitur. Quòd si æger ex abscessu superstes seruetur, vlcus cauum ac sordidum, in strictore vesicę musculo permanet: è qua nunc sanies, nunc pus copiosum, & grauiter olens cum vrina crassa excidit, tandémque in imo subsidet.

VRINA cruenta.

MATHETES, Quid præterea vesicæ accidere solet? GERON, Vrina cruenta, quę paulatim veluti stillicidio quodam redditur, dolorémque in exitu mouet, ac radicem colis veluti adurit. MATHETES, Quamobrem cruor ille ex vesica ferri consueuit? GERON, Præcipuè ob calculum, dum hic vehementi conatu promitur. idem autem non totam vndique vesicam vrina perfundit, sed cùm per quietem subsedit, in grumum concreuisse videtur. Subinde pars quædam istius cruoris sine vrina elabitur: vbi sanguis in vesica concretus fuerit, grauissima quoque incidunt symptomata. nam anima crebrò deficit: spiratio fit exigua: pulsus obscurus, paruus, & frequens apparet: multa etiam nausea superuenit: animi anxietas, & sudor frigidus. hinc igitur multùm debilitatur, & pallescit, extremæqúe ipsius partes refrigerantur: vt plurimùm autem violentus aliquis casus antea vesicæ obuenit: quem cruenta vrina aliquandiu secuta est, ac subitò sine certa causa desijt. Iam rigor etiam subinde inuadit, ac alia signa modò comprehensa protinus hunc comitantur. MATHETES, Quando igitur cruenta vrina ex vesicæ affectu nata, curatur? GERON, Tardiùs quàm si à superioribus locis prodierit. MATHETES, Quid reliquum de vesica habes? GERON, Quòd ipsam quoque non rarò duplex exulceratio infestet: nunc grauior, nunc leuior. prima in ceruicis vesicæ musculo: altera in ipsamet vesica. MATHETES, Quæ sunt vtriusque indicia? GERON, Vehemens in pube & imo ventre dolor: vrina crassior, nunc sanguine, nunc pure exiguo perfusa. Cum hac membranulæ, aut squamulæ, aut furfurum similia prodeunt. Quinetiam in vesica vlcerata ægri acuto dolore, quouis tempore laborant, præsertim cùm vrinam reddunt, & pus excernunt, assiduò decumbunt: coacti consistere nequeunt: neque etiam reclinati quiescunt: eò quòd vrina assiduè vlcera contingat. ob quod etiam vesica nunquam in totum vacuari potest, licet vrina copiosissima excernatur: sed aliquid eius semper in illa relinquitur. Quòd si vlcera fuerint sordida, fœculenta simul, & mucosa exeunt: in quibus crassa, farinæ similia subsident.

Exulceratio vesicæ.

Notæ.

interdum menbranulæ, foliorum & laminarum modo tenues cum vrina excernuntur. At si ulcera serpendo depascantur, saniosa, & odore fœda exeunt. insuper vrinæ difficultas vrget: naturalia eriguntur: non solùm autē vrinæ meatus, sed etiam ipsiusmet vesicæ vlcus: dolor circa pubem comitatur. MATHETES, Quando ceruix vesicæ exulcerata dolescit? GERON, Cùm æger vrinam reddere vel cœperit, vel desierit: præsertim si illa fuerit acrior.

Causæ. MATHETES, Vnde procedit vesicæ exulceratio? GERON, Vel ex abscessu, vel ex calculo perrodente, vel ex vrina acriore: quam vel meracioris vini, & ciborum calidorum vsus, vel acris salsúsq; humor commistus procrearit. MATHETES, Quomodo causę hæ inuicem discernuntur? GERON, Ex proprijs ipsarum indicijs. Nam vlcus in vesicæ ceruicis musculo ex abscessu ortum, maius, atque grauius existit, vtpote cauum & sordidum: eóque nunc sanies, nunc multum puris fœtidi cum vrinà crassa fertur: in qua id ipsum per quietem subsidet. vlcus autem, quod ipsammet vesicam obsidet, ex vrina acriore, vel calculo concitatur. tenuius est, in quo interior illius membranula leuiter abraditur. sub hoc vrina crassa excernitur, quę aliâs momentum puris, aliâs cruoris trahit: & cùm paulò penitius insideat, membranulas & furfurum quædam educit. si vlcus in penitiore vesica est, membranulæ istę magis crassæ, albæ, grandésque existunt. si verò iuxta canalem vrinæ, atque fistulam consistit, minùs albæ, magis autem tenues, & exiguæ redduntur. In hoc casu etiam tam magna vrinæ adest cupiditas, vt illa vix retineri posit, nec non grauis dolor pubem, & partes interiores exercet: maximè, cùm vrina reddi postremò desinit: magis etiam æger dolescit, cùm se erigere conatur. Porrò in vlcere depascente, sæpe etiam cruor cum sanie, & pure fœdi odoris in vrina deprehenditur. In vlcere admodum sordido, præsertim, quod à venereo seminis profluuio subortum est, quædam veluti filamenta sæpissimè in vrina hærent, eáq; primùm tenuia, deinde statim crassa, adeò vt vrinam quoque talem efficiant: postea crassum glutinosúmque muci, & alboris oui instar subsidet.

MATHETES, Quo pacto vesicæ & renum vlcera inter se discrepant? GERON, Si illa exulcerata est, maior vrinæ, tum cupiditas, tum difficultas vexat. quicquid excernit, album est, nisi id à renibus descendat, minúsque vrinæ mistum est. Sub renum vlcere vrina non æquè difficulter exit: quod in eadem hæret, rubescit: quod decesit, rubet, seu carunculæ tenues, seu filamenta capillis similia trahantur: dolor etiam minor incidit: cruor sæpius & copiosior, magísq; toti vrinę permistus redditur. At si meatus vrinarius exulceratus fuerit, vrina subcrassa, & exigui cruoris, vel certè

Vlcera vesicæ quo modo à renum differant.

puris,

puris,capillorum modo innatantis particeps excernitur. Similiter etiam membranulæ, ac quædam veluti furfurea prodeunt: *Colis exulceratio.* dolor autem inter cutem & pubem affligit. Aduertendum quoque colem aliquando exulcerari, ficut veficam quoque, fed proprijs fignis internofci. In colis vlcere excrementum primo exitu apparet:vrina verò fequitur. quòd autem è vefica affecta egreditur,vrinæ mixtum videtur. quanquam fi interea ramentum, fiue pus vrinis admixtum in veficæ vlceribus excernatur, protinus tamen,vbi redditum eft,fubfidet. MATHETES,Quid de colis vlcere prædicis? GERON, Diu perdurare folet, & vix vnquam fponte fua confanefcit.Quamobrem eo neglecto,vel tuberculum carnofum verrucæ inftar fuppullulat,vel fordes congregata in callum obdurefcit,idque non vno meatus loco, fed duobus,ac plærunque tribus. MATHETES, Vnde tuberculum, callúmque natum depræhendam? GERON, Inde,quòd vrina fupprimatur: vel tenuis reddatur:quódq; non pleno curfu,ac fluore, fed exili quodam ceu filo prodeat: tuberculum durum cole compreffo percipitur,& fiftula demiffa occurrit, & tanquam offendiculum obfiftit.MATHETES,Quid in curandis veficæ vlceribus fpei,aut periculi prænofci poteft? *Prognofticon.* GERON, Omnes ijs affecti, dolore continuo,febribus,vigilijs, & tabe intereunt: hi quidem citiùs:illi verò tardiùs,idque tum illorum, quæ dixi gratia, tum quòd vefica ipfa neruofa fit.Ea uerò ulcera maiori periculo fubiecta funt,quę ex ueficæ erofione contrahuntur. Quæ uerò huius ceruicem occupant,minùs periculofa funt: quoniam ea non tam neruofa & exanguis, ut caua eius regio, fed carnofa exiftit. Senes fub eiufmodi ulceribus nullam curationem,aliæ ætates difficillimam admittunt. MATHETES, Expofitis iam ueficæ affectibus, cupio etiam abs te optime præceptor audire, quænam urinæ reddendæ incommoda euenire folent?

GERON, Aliud, quo illa contineri nequit, fed inuitis, feu *INCONTInentia vrinæ.* contra uoluntatem, ac intempeftiuè, fine acrimoniæ & doloris fenfu excernitur. græcis ἀκούσιος ἔκκρισις τῶν οὔρων, uel οὔρησις ἀπροαίρετος, καὶ ἄκαιρος: nonnullis hoc uitium ἐνουρούντων appellatur. Aliud, quo urina paulatim deftillat, ac ad excretionem afsiduè irritatur, græcè uocatur στραγγουρία. Aliud,quo in totum fupprimitur,ac grę- *στραγγουρία.* cè dicitur ἰσχουρία. Aliud quo eadem fumma cum difficultate efflu- *ἰσχουρία.* it,& gręcè δυσουρία nuncupatur.MATHETES,In qua parte primum *δισουρία.* malum confiftit? GERON, In fecundo ueficæ ipfius mufculo, qui ceruicem eius ambit,refolutionem experto. MATHETES,In qua alterum? GERON,In uefica, licet ea non proprio femper,fed interim accidentario affectu fubeat, idque dum excretrix ipfius fa-

cultas immoderatiùs excitatur, vel ab excrementorum multitudine, seu acrimonia, vel ex propria eiusdem imbecillitate. MATHETES, Quæ pars in tertio vitio oblæsa est? GERON, Coles, & vesica, sic vt hęc imbecilla, & veluti torpida euaserit. MATHETES, Quæ singulorum horum vitiorum causæ existunt? GERON, Incontinentia vrinæ, tum musculus, qui vesicæ ceruicem constringit, tum nerui, qui è lumbis in illum inseruntur, resolutionem experti auctores sunt. resoluuntur autem modò ex ictu, aut casu, modò ex refrigeratione, aut defluxione. Quibus vrina per somnum profluit, ijs musculus vesicam stringens, qui neque abundantiam, neque acrimoniam vrinæ ferre potest, resolutus non est, sed laxus, mollisque euasit, præsertim cùm vires animales somno sopitæ, obscuram functionem obeunt. Suppresionem verò totius vrinæ, sola vesicæ astrictio, vel obstructio efficit: qua vel vtriusque meatus vrinarij capita, vel ceruix vesicæ oppletur. Si verò alter tantùm meatus obstructus fuerit, nequaquam vrina supprimitur: id quod indicat vtriusque renis dolor, summa lumborum grauitas, interdum vehemens utriusque partis cruciatus: nulla uel minima adest urinæ reddendæ cupiditas. In pube neq; dolor, neque tumor, etiamsi premas, sentitur: uesica inanis, uacua, ut ne indita ei fistula, quicquam vrinę prodeat. At si ceruix uesicę obstructa vrinam impediat, continuum vrinæ reddendæ adest desiderium: summus, sed inanis conatus est: pubes vrinæ collectę copia distenditur, dolétque: meatuum vrinariorum capita obstruuntur calculis grandioribus, raro humore crasso, vel sanguinis grumo, rariùs ab inflammatione, vel pure: vesicæ ceruix subinde obstruitur, calculo inserto hærentéque, vel tuberculo carnoso, aut callosо, quale ex uirulenti seminis profluuio generatur: minùs frequenter humore crasso, uel pure, vel grumo quodam vrina uisa est ceruice vesicæ obstructa, affatim profluxisse, dum umbilicus non benè uinctus initio natiuitatis esset, neque coaluisset: nimirùm quòd urina è uesica in umbilicum, sicut in vtero accidit, reflueret. Stillicidium tum ex urina acri, tum ex retentricis facultatis uesicæ imbecillitate contrahitur. Nam excretiones asiduæ, vel ob illam, vel ob rosionem humorum concitantur: interdum etiam ob renes purulentos: interdum ob alias partes, quæ uitiosos ipsarum humores, aut pus, vbi abscessus aliquis infestat, cum urinis in vesicam possunt transmittere. Sub hoc malo vrina paulatim profluit, idque aliâs sanè cum quodam conatu, sed nullo cum dolore: aliâs cum vehementi dolore, & irritatione. At difficultas urinæ vel ex eius acrimonia, vel ex inflammatione, vel ex vlcere ceruicis vesicę proficiscitur. MATHETES, Vnde fit vrina acrior?

Causa incontinentiæ vrinæ.

Suppressionis.

acrior? GERON, Ex victu calidiore, aut ex bile permista, aut ex pure acri, quod è rupto abscessu emanauit. MATHETES, Quid in singulis istis vitijs curandis prænoscendum erit? GERON, Inuitum vrinæ profluuium ex causa quadam exteriore, musculo qui vesicæ ceruicem ambit, refrigerato, obortum celeriùs curari potest, quàm quod citra illam excitatum est, cùm proprij eiusdem musculi nerui circa os sacrum offensi fuerint: adhæc qui vrinam ob ceruicis vesicæ vulnus, aut casum, aut vertebram luxatam continere nequeunt. si mortis notæ superueniunt, nulla medicina sanantur. In senibus id mali curari nequit: & si per febres acutas inciderit, viribus iam debilitatis, exitium portendit. MATHETES, Quid de suppreßione vrinæ prędagis? GERON, Quæ ex spina percussa, aut casu, aut vertebra luxata, aut pestiferis accesßionum insultibus generatur, nullam curationem recipit: vesica resoluta, nunc vrina contra voluntatem profluit, nunc in totum supprimitur. qui verò illam inuiti emittunt, minùs periculo sunt obnoxij: quibus eadem supprimitur, magis illi de vita periclitantur. Nam post vrinam interceptam vesica, lumbi, pecten, distenduntur: fœmora intumescunt, & cùm vrina non excernatur, subdita membra emoriuntur: atque ita longè pòst intereunt. Quinetiam, si concretus sanguis, seu grumus vrinæ exitum impedierit, perniciosum est. nam partes affectæ putrescunt, contabescúntque, & omnes ferè talem vrinæ suppreßionem experti, intereunt. MATHETES, Quæ in difficultate vrinæ expectantur? GERON, Si ardentißimis ac malignis febribus superueniat, maligna censetur. non enim vesica solùm sub hac, sed etiam omnes partes neruosæ affliguntur. Quæ verò alijs ex causis orta fuerit, tantò salutarior existit, quantò minùs doloris inducit. at quæ ex frigida intemperie prouenit, senibus periculosior quàm alijs esse solet. MATHET. Quid de stillicidij euentu prædicis? GERON, Id malum senibus diuturnum, iunioribus breuius: neutris nisi quid accesserit, mortiferum est. Si Ileum ei adiunctum fuerit, primis diebus septem ægrum è medio tollit, nisi febri etiam interueniente vrina copiosiùs fluere cœperit. Quæ ex sanguine intus concreto exorta est, grauißimis periculis ægrum infestat. natiuus enim calor perit, pulsus fit paruus, frequens, & languidus: vel totus plærunque collabitur. His accedit rigor, febricula, nausea, animi defectio, sudores frigidi, & similia, quæ sanguine intra vesicam coacto fieri constat. MATHETES, Quid accidit, si vesica vulnerata fuerit? GERON, Inguina dolent: quod super pubem est, intenditur: pro vrina sanguis, aut ex ipso vulnere vrina descendit: stomachus afficitur: ægri aut bilem vomunt, aut singultiunt: frigus, & tandem mors

Prænotio.

Prognosticum.

Vesicæ vlcus.

ſubſequitur. MATHET. Quid reliquum de veſica habes? GERON, Solet etiam ex illa, ſicut è renibus, cruenta quædam excretio, interdum cùm alijs plæriſque de cauſis, tum ob vehementes in calculo exprimendo conatus fieri. puri verò, ſincerique ſanguinis ex interiore colis meatu eruptio, non poteſt cruentæ vrinæ effuſio appellari: eò quòd ille citra vrinam, & voluntatem ex vena adaperta, vel rupta, vel exeſa profluat. At vbi ſanguis vrinæ copioſus permiſcetur, vel à renibus, vel à muſculo veſicæ ceruicem ſtringente effluit. Non enim ſanguis à meatu vrinario, neq; à veſica ipſa multus poteſt emanare: qui verò à renibus defluit, toti vrinę ad amuſsim permiſcetur, vt ea quaſi dilutus, & tenuis quidam ſanguis exiſtat: qui mox ſubſidet, rubicundus, liquidus, ac minimè concretus. MATHE. Vnde talis vrina cruenta procedit diſtillátque? GERON, Vel ex caſu, vel ex ictu, vel certè ex calculo: qui dum æger valida exercitatione renes eiúſque venas atterit, ſanguinem profundit. Nam cùm ſolus ſanguis per colem redditur, calculum renis, eius auctorem fuiſſe ſæpe conſtat. Iam etiam aliæ cauſæ huius fluxionem excitant, vt renum imbecillitas, eorundem adapertio, iecoris infirmitas, corporis repletio, menſium, aut hæmorrhoidum ſuppreſsio. MATHETES, Quid aliud vrinam cruentam reddit? GERON, Sanguis, qui è muſculo veſicę ceruicem conſtringente in ſinum illius inſtillat, non autem æquabiliter vrinam perfundit: portio eius aut grumus citra illam interdum excidit: dolor plærunque, dum urina redditur, premit, & ueluti colis radicem adurit. MATHETES, Ex quibus purulenta urina prodire conſueuit? GERON, Interdum è renibus, interdum è colis fiſtula, illic pus urinę accuratè eſt permiſtum, aut ſi quid craſsius ſeorſum eſt, id ſub finem profluit: hìc pus ſinceru͂, quod à colis ceruice, uel à glandibus uеſicę ceruici aſtantibus (quos grecè προςάτας uocaui) exulceratis, uel à uaſis ſeminarijs exiuit: deinde purior vrina ſubſequitur. MATHETES, Quales aliæ excretiones vrinæ exiſtunt? GERON, Subnigræ, ac turbidæ, ſine dolore exeuntes. MATHETES, Vnde hæ proueniunt? GERON, Si neque ab arquato, neque à criſi prodeant, à calculo extracto, qui poſtea è rene grauiùs expellitur. Mucoſa excretio, vel ab vlcere quodam, vel à calculo veſicæ trahit originem. Inſuper excretio veluti capillamentis conſperſa, vel à viſcoſa meatuum vrinariorum pituita: vel à ſeminis excremento, quod in vaſis ſeminarijs longitudinem hanc conſequitur. Hactenus de renum & veſicæ affectibus egi: nunc ad naturalium partium, quæ illis ſunt proximę, vitia digrediar. ac principio ſcroti & teſticulorum, qui in illius ſinu continentur, tum inflammationem, tum tumorem durum, ac ſcirrhoſum:

Vrina cruentæ cauſa.

Vrina purulenta.

Vrina nigra.

Vrina mucoſa.

Vrina capillamentis plena.

ſum: deinde omnium ramicum genera perſequar. MATHETES, Quid indicat ſcroti inflammationem?

GERON, Diſtentio eius, durities, rubor, calor, dolor punctorius, qui leui contactu intenditur, ſic vt febris plærunque comitetur. *SCROTI inflammatio.* Quòd ſi teſticulus ſolus inflammetur, ſymptomata iſta in alto percipiuntur, tactu magis quàm aſpectu. MATHETES, Vnde generantur? GERON, Ex tenui feruidóque ſanguine in ſcrotum & teſticulos profluente. Sin autem is in illud effundatur, omnia foris conſpectui ſubijciuntur. ſi verò malè curata fuerit inflammatio, calore ſcilicet eius præproperè reſtincto, prædurus ſępe tumor illic, & durities citra ruborem doloremq́; relinquitur.

Aliud ſcroti vitium eſt, cuius apud Romanos veteres indecorum, ſed commune his herniæ nomen eſt, græcis κήλη, latinis ramex. ſunt autem plures eius ſpecies: prima in inguine prominet, ac græcis βουβωνοκήλη dicitur, mulierum, atque virorum communis: altera in ſcroto, quæ virorum ſolùm propria eſt. atque hę duæ fiunt, quando tunica ea, quæ inteſtina ab inferioribus partibus diducit, græcis περιτοναῖος vocatur, rumpitur laxatúrue, & omentum, vel inteſtinum, vel aliud quippiam protinùs in alienam ſedem deuoluitur, vnde euidens tumor excitatur: quanuis non perſeueret. *Hernia in inguine.* nam curſu, exercitio, ſatietate, & ſpiritu retento augeſcit: vbi verò æger reſupinatus fuerit, eo quod intus eſt remeante, vel ſponte, vel leui digitorum impulſu euaneſcit. Quando igitur omentũ in ſcrotum delapſum fuerit, nobis ramex, ſeu hernia omenti, gręcis ἐπιπλοκήλη nuncupatur. *Ramex omenti.* Is tumor nunquam in ſcroto tollitur, ſiue inędia fuerit, ſiue corpus huc illúcue conuerſum, aut alio quodam modo collocatum. ſi verò idẽ tumor attingatur, inęqualis, mollis, & lubricus deprehenditur. Quòd ſi inteſtinum ſcroto inciderit, latinis hernia inteſtinorum, græcis ἐντεροκήλη vocatur. *Ramex inteſtinorum.* atque is tumor, & doloris, & inflammationis expers, nunc minuitur, nunc increſcit. vbi verò ęger conquieſcit, aut etiam vigilat, diutiùs tamen reſupinus iacet, ille non apparet: interdum ex toto euaneſcit: contra ex clamore, ſatietate, ac violento corporis motu, nixúque ſub graui pondere augeſcit, & omni frigore contrahitur: calore autem diffunditur, ſeu laxatur. atq; tunc ſcrotum rotundum eſt, tactúque leue; idque quod ſubeſt, lubricum eſt: ſi preſſum eſt, ad inguen reuertitur: demiſſúmque iterum cum quodam quaſi murmure, vel interdum ſpontè deuoluitur. Quando vitium hoc ingraueſcit, inteſtinum ſtercore accepto, vaſtiùs tumet, retróque compelli non poteſt: vnde periculoſus ille morbus Iliacus generatur: qui ægro quoque vitam adimere ſolet. *Iliacus morbus.* Inter hæc, dolores magni, tum ſcroto, tum inguinibus, tum abdo-

mini ſuperueniunt. Quinetiam ſtomachus frequenter affici incipit, biliſque vomitus, initio rufæ, deinde viridis, aliquando etiam atræ ſequitur. MATHETES, Quomodo internoſcam, vtrum hernia ex peritonæi ruptura, an ex eiuſdem laxitate concitata fuerit? *Hernia ex peritonæi ruptura.* GERON, Si inteſtinum ex ſola violenta cauſa antecedente ſtatim ab initio, atque vniuerſim in ſcrotum deuoluatur, tumórque grandis, & minùs æqualis exiſtat: & vbi æger reſupinatus fuerit, inteſtinúmque digitis preſſum ſurſum multo crepitu, ac murmure recurrat, idémque corpore iterum erecto, protinùs vel tuſsi, vel ſpiritu retento in ſcrotum delabatur: *Peritonæi rupti nota.* peritonæi membranæ ruptæ nota eſt. Sin autem inteſtinum longiori temporis interuallo paulatim magis magíſque quacunque de cauſa ſcroto illabatur: tumórque magis æquabilis, & altiùs deliteſcere deprehendatur, atque id quod deſcendit, nullo ſonitu recurrat, neque adeò facilè, cùm æger ſe erexerit, decidat: *Laxitatis peritonæi ſignum.* membranæ iam dictæ laxitatem indicat, quæ vix vnquam extra inguina procedit: ſicut ramex ex illius ruptura ortus, ferè ſemper in ſcrotum promouetur. Hîc etiam notari debet, tum omentum, tum inteſtinum ſimul interdum ad ſcrotum deſcendere: quod vitium græcis ἐπι-πλοεντεροκήλη nominantur. *Omenti & inteſtinorum ramex.* Iam etiam quędam ramicis genera citra peritonęi offenſam accidere ſolent. nam aliâs humor aquoſus intus collectus, aliâs caro increſcens, aliâs varices ramicem progenerant. *Ramex aquoſus.* Cùm humor ſubeſt, græcis ὑδροκήλη, quaſi aquoſus ramex dicitur, & tumor per ſe quidem nullum prorſus dolorem excitat: ſed intento ſcroto firmiùs inhęreſcit, ac nunquam ex toto ſe remittit, vt alij: ſed interdum leuior, aut propter famem, aut propter febriculam, maximéque in pueris ſentitur: iſque mollis eſt, vt tactui cedat, ſi non nimius humor ſubſit. at ſi is vehementer increuerit, renititur, vt vter repletus, arctéque aſtrictus. venæ quoque in ſcroto inflantur: & ſi humor digito preſſus circunfluensq́ cedit, id quod non premitur, ſe attollit, & tanquam in vitro cornúue per ſcrotum apparet. iſque quandiu in ipſo eſt, ſine dolore eſt. MATHETES, Quomodo ſedes ramicis iſtius deprehenditur? *Sedes ramicis quomodo noſcatur.* GERON, Si inter ſummam mediámque tunicam eſt, cùm humor duobus digitis preſſus paulatim inter eos remittens ſubit, ſcrotum ipſius albidius eſt. ſi protrahatur, aut nihil, aut paululum intenditur: teſticulus ea parte, neque viſu, neque tactu ſentitur. at ſi ſub media tunica eſt, ſcrotum intentum magis ſe attollit, adeò vt ſuperior coles, ſub tumore eo deliteſcat.

Ramex flatuoſus. Proximus huic aquoſo ramici eſt, qui flatuoſus dici poteſt, grauem dolorem nim[illegible] diſtentione concitans. Interdum ramex in vtraque parte ſcroti conſiſtit, ac duplex dicitur: eáque ipſa, quę propo-

proposita sunt, cernuntur. Præterea ramex æquè integris tunicis innascitur, qui κιρσοκήλη græcis nominatur, nobis varicosus, cùm venę intumescunt, durus, & ceu virgarum modo oblongus. *Ramex varicosus.* Eędem venę intentæ, conglomeratæque ad superiorem partem, vel ipsum scrotum implent, vel mediam tunicam, vel imam. interdum etiam sub ima tunica circa ipsum testiculum, neruúmque eius increscunt. Ex his eæ, quæ in scroto sunt, oculis patent: hæ verò, quæ mediæ, imęúe tunicæ insident, vt magis conditæ, non æquè sanè cernuntur, sed tamen etiam visui subiectæ sunt. præterea tumoris aliquid est, pro venarum magnitudine, & modo, atque id prementi magis renititur, ac per ipsos venarum toros inęquale est, & qua parte idipsum testiculis magis iusto dependet. Cùm verò id malum etiam super ipsum testiculum neruúmque increuit, aliquando longiùs testiculus ipse descendit, minórque fit altero, vtpote alimento amisso.

Huic ramici aliquando alius accedit, licet rarò: sub quo caro durior, pondere grauior, obscurior, eiusdem coloris inter testium tunicas hæret, σαρκοκήλην græci vocant. *Ramex carnosus.* Tumor huius pulsatus non resonat: longo autem temporis processu sensim increscit. MATHETES, Quomodo omnes herniæ tumores inter se distinguuntur? GERON, Priores interdum ex toto desidunt: carnosi autem, & varicosi perpetui sunt: neque impulsu in abdominis interiora cedunt. adhæc carnosi molliores sunt: pulsati resonant, pondere leues, & obiecto lumine perspicui. Carnosi duri sunt, graues, & obscuri, & longiore tempore increscunt. MATHE. Quibus notis ramices tum virorum, tum mulierum distinguuntur? GERON, In viris omnes herniæ tumores in scrotum: in mulieribus tum intestinorum, tum omenti ramices in naturalia prolabuntur: è quibus illa tanquam è sacculo propendere videntur. *Ramices mulierum.* In his sæpe vmbilicus quoque ex partu, ictúue rumpitur, vt ramex censeri queat, intestinis sub cutem valdè prominentibus. *Vmbilici ruptura* Interdum accidit, vt intestinum aliquod ex accepto ventris vulnere prodeat: è quo stercus nondum cohærens, seu coactum assiduè redditur, itinere intercepto, quod in anum tendit. MATHET. Qui ramicibus istis opportuni sunt? *Ramicibus opportuni.* GERON, Aquosi sanè, malisque succis præditi, græcè κακόχυμοι vocantur, multò magis qui ad aquam subter cutem procliues sunt. MATHETES, Quid de ramicibus curandis spei, vel periculi expectandum erit? GERON, Qui ex ruptura nati sunt, septem primis fortè diebus facillimè discutiuntur, præsertim in teneris: vbi in vetustatem inciderint, vix vnquam remedijs subtrahuntur. *Prognosticum.* MATHETES, Quæ præcipuè naturalium partium vitia existunt?

COLIS. vitia.

GERON, Primùm colis, licet valdè rarum: quo ipse citra veneris desiderium assiduè erigitur, contráque naturam increscit, & quasi rigore quodam distenditur: interdum cum inflammatione, interdum sine illa, nobis inuita Colis erectio, græcis ab effectu πριαπισμὸς nuncupatur. MATHETES, Qua ex causa hoc vi-

Causa priapismi.

tium prouenit? GERON, Ex spiritu flatulento, qui Colis arterias, neruúmque fistulosum abundè replet. MATHETES, Vnde spiritus iste nascitur? GERON, Ex crasso, glutinosóque humore, aut acquisititio calore: vt quibusdam accidere consueuit, qui supini decumbunt. vbi enim lumbi ob supinum decubitum excalfacti sunt, adeò vt Coles extendatur, etiamsi nullum libidinis desiderium vrgeat, nequaquam priapismus dicitur: sed par est, vt lumbis calfactis etiam arterie calidiores reddantur, eóque ora earum magis pateant. Quare tunc non exiguam spiritus portionem in fistulosum neruum effundunt: qui paulatim impletus colem extendit, sic ut calor ob supinum decubitum acquisitus ad venerem instiget. MATHETES, Quibus affectus iste incidit? GERON, Iis, qui an-

Priapismo obnoxij.

tea veneri indulgere soliti, nunc longo tempore ab ea abstinentes, multo semine aliâs abundantes: prǽsertim vbi corpus non satis exercent: vnde sanguinis abundantia dissipetur: adhęc illi, qui cibis mali succi & acribus vsi sunt, quíque antea corpus cingere non solebant, nunc spatio quodam temporis sine cingulo procedunt. MATHETES, Quàm ob causam potissimùm ex hisce iam comprehensis coles arrigi dicitur? GERON, Ideo, quòd arteriarum ora in ipsis ni ipsis nimium sint patefacta, alijs ob humorum copiam, seu vitiositatem, & acrimoniam, alijs ob spiritum flatuosum tum inordinatè, tum violenter vacuetur. MATHETES, Estné affectus hic coli proprius, an arteriarum ora quacunque ex causa patefiunt? GERON, Minimè, sed ex consensu, & lege consortij. qui verò ex spiritu flatuoso prodierit, is primarius ac peculiaris censeri debet. Sed non multis priapismus iste contingit, ísque iuuenibus magis quàm alterius ætatis hominibus. MATHETES, Quid

Præsagia.

de laborantibus eo præsagire licet? GERON, Nisi celeriter discutiatur, ægri subitò intereunt. atque tunc venter eorum inflatur, sudórque toto corpore erumpit. In nonnullis etiam coles post obitum rigidus deprehenditur.

Satyriasis.

Simile huic vitium est, quod græcis σατυρίασις vocatur, nisi quòd coles in hoc non inuitus, sed lasciua quadam libidinis tentatione arrigatur. Non solùm autem viris, sed etiam mulieribus: quanuis rariùs accidat, ex salso humore, & acri effluente contractum: ob quem illi adeò magnum in genitali pruritum, dolorémque sentiunt, vt manum locis naturalibus continuè admoueant, & in-

& ingenti veneris deſiderio contabeſcant,

Contrarium ſuperioribus vitium ſequitur, imbecillitas partium genitalium, quam græci aliâs παθὸς ἀπράκτων μορίων, aliâs ἀδυναμίαν τοῦ ἀφροδισιάσμου nuncupant. *Naturalium imbecillitas.* MATHETES, Vnde ipſa contrahitur? GERON, Ex naturalis facultatis offenſione: per quam fit, vt cùm ad venerem incitamur, coles neque attolli, neque protinus diſtendi queat. atque affectio hæc ſymptoma eſt generalis functionum naturalium noxę, ac propriè genitalis eiuſdem abolitio: ob quam hoc malo affecti frigidi in venerem, ignauiq; fiunt. MATHETES, Quæ igitur præcipuè mali huius cauſæ ſunt? GERON, Genitalis reſolutio, ex frigida quadam intemperie in eo exorta, vel ob ſeminis inopiam, quæ ex ſenio, vel ex morbo, vel ex alijs inceſsit, quæ ſpiritum inſitum, & virilitatem adimunt, vel ex incantamentorum maleficijs, vel ex medicamentis, quę ſemen genitale aut vi propria inſitáq;, aut qualitate manifeſta imminuunt. poteſt etiam idem hic affectus ex renum, aut cæterorum membrorum principum conſortij lege fieri. MATHETES, Ex quibus dignoſcam, num vitium hoc ex ſeminis penuria, an ex colis reſolutione procreatum ſit? *Nota.* GERON, Non modò ex ijs, quæ adſunt, ſed etiam ex illis, quę anteceſſerunt, indicijs, ſi corporis naturam, temperamentum, ætatem, antecedentem victum perſpectum habeas. MATHETES, Quæ igitur præcipua impediunt, cur ſemen non emittatur? GERON, Magna vaſorum illius obſtructio, & partium naturalium reſolutio. hac enim laborantes, licet veneris libidine tentenţur: tamen illam ob membrorum huic ſeruientium imbecillitatem, excernere nequeunt. Quibus autem ſeminaria vaſa obſtructa ſunt, ij neq; ruunt in venerē, neq; eius deſiderio afficiūtur.

Eſt adhuc aliud circa naturalia vitium, quod gręcis γονόῤῥοια, *Seminis profuſio.* latinis nimia ſeminis ex naturalibus profuſio appellatur, quod contra voluntatem ſine venere, ſine nocturnis imaginibus, ſine colis erectione continenter effluit. MATHETES, Quæ partes in hoc affectu malè habent? *Partes affectæ in gonorrhæa.* GERON, Sola vaſa ſemini dicata, non colis meatus, per quem illud veluti iter excernitur: ídque vel leui quodam, vel nullo delectationis ſenſu, vel voluptatis titillatione. MATHETES, Quale id ſemen eſt, quod ita fertur? GERON, Crudum, aquoſum, liquidum, ac tenue, non prorſus album. in mulieribus autem cum aliquo locorum naturalium irritamento, *Seminis profluuij, & vuluæ fluoris differentia.* pruritu, & titilllatione exit. in eiſdem illius profluuium in hoc vuluæ fluori conuenit, quòd humor hic aſsiduò profluat: in illo contrà diſsidet, quòd multò hic ſit craſsior, quódq; vlcus ab acri virulentóq; excremento natum ſemper illam ferè affligat: adhæc quod ſeminis profuſio menſtruis fluentibus non deſinat: vteri

Profuſionis ſeminis cauſa.

Seminis profluuio obnoxij.

vteri autem fluor in ipſis menſtruis, & paulò poſt ea ceſſare ſoleat. MATHETES, Vnde ſeminis profuſio accidit? GERON, Ex vaſorum ſeminariorum facultatis retentricis imbecillitate, ſeu potius reſolutione: qua illud vel concoqui, vel retineri nequit, donec matureſcat, craſſeſcátque. Partes enim ſeminariæ, in quas humores abundantes longa conſuetudine deſcendunt, imbecilles redduntur. MATHETES, Quos malum hoc frequentiùs inuadit. GERON, Eos, qui natura ſemine abundant: quíque olim veneri ſæpè indulſerunt: ſed poſtea continentiùs vitam degerunt: præcipuè verò illos, qui adeò acri, ac tenui ſemine ſcatent, vt retentrix facultas id continere nequeat: quod colorem pallidum, aut flauum repræſentat, cuiúſque ardor acris inter exeundum percipitur, naturaliáque rodit.

Variæ ſpecies profluuij ſeminis.

Quomodo differant profluuij ſeminis ſpecies.

Seminis profluuium proprium, & improprium.

Præter hanc ſeminis profuſionem, alia quædam ſpecies inuenitur: qua illud leuiſsima etiam occaſione, veluti ſolo clyſteris vſu, aut alui deiectione excerni ſolet. Reperiuntur etiam, qui ex longa profluuij conſuetudine per inſomnia, atque imagines purum ſanguinem non minori voluptate, quàm ſemẽ profundunt. Differunt igitur dictæ iam ſeminis profluuij ſpecies in hunc modum: aliæ ob retentricis facultatis imbecillitatem fiunt, cole non intento: aliæ eodem rigido, vt in diſtentione quadam, vel in morbo comitiali aliquando accidit: quanuis minimè abſurdum fuerit, eiuſmodi affectum in vaſis ſeminarijs, ijſque ſolis interdum excitari: cùm ſcilicet aliquid diſtentioni ſimile patiuntur. Non ſolum igitur corpus, ſed aliæ quoque partes, vt manus, aut pedes, aut digiti interdum diſtenduntur. MATHETES, Quibus indicijs hoc ſecundum ſeminis profluuium à priore dignoſcitur? GERON, Primum eſt proprium, ac verum: alterum autem improprium: quo ſemen cole extento, quanuis etiam contra voluntatem, emittitur: & cùm id citra morbum comitialem, aut aliam generalem diſtentionem fiat, nulla ex prædictis affectio indicatur, ſed ſola vaſa ſeminaria vitium diſtentioni ſimile experiuntur: eò quòd non alia ratione quæuis ſingularis diſtentio generari poſsit: maximè verò à ſpiritu flatuoſo trahit originem. MATHETES, Acciditne adhuc alio modo ſeminis profluuium?

Tertium ſeminis profluuium, & eius cauſa.

GERON, Vtique, per libidinis inſomnia, aut attentam veneris cogitationem: ſub hoc ſemen largiter emanat, ídque non crudum, aquoſum, & ſine ſenſu, vt in vera ſeminis profuſione, ſed magna cum voluptati exit: & in mulieribus cum aliquo partium naturalium pruritu, & titillatione. MATHETES, Quid hanc ſeminis profuſionem excitat? GERON, Abundantia ipſius, vel calor, & acrimonia naturam concitans, vel ingens partium ſeminariarum robur:

robur: eò quòd illud iucunda voluptate semper excernatur.

Seminis profluuium genus nouum ac contagiosum.

Præterea aliud nouum, huic finitimum contagiosúmque nostro seculo accessit, de quo suprà mentio facta est: vnde lues venerea contrahitur: sicut hęc quoque illud progignit, eóque fœdum virulentúmque appellatur. MATHETES, Quomodo ab alijs dignoscitur? GERON, Virus in eo album, aut modicè atrum è vasis seminarijs, tum per vigilias, tum per somnum ægris nescijs excidit. MATHETES, Ex qua peculiari causa malum istud oritur? GERON, Ex vasorum seminalium testiúmque imbecillitate: non ea quidem simplici, sed quàm venenata lues peperit. hæc enim, quicquid in vasis hisce colligitur, in fœdum, tetrúmque virus conuertit: quod deinde quemlibet alium contagio inficit, inquinátque. virus hoc temporis processu putridum, & acre efficitur, canaléq; colis transitu exedit, atque vlcerat. MATHETES, Quid vlcus iam factum esse ostendit? GERON, Dolor, qui colem sic afficit, vt cùm is erigitur, veluti fune substringi videatur: nec non adeò pungit, vt cùm vrina reddi incipit, vel desinit, difficultas eius, vel calculus subesse putetur. Idem vlcus tam altè interdum depascitur, vt in summam colis partem forâs erumpat: vbi virulentus fluor prę ter rationem suppressus fuerit, abscessus sæpe intus colligitur, modò in plexu vasorum supra testiculum sito, modò in parte scrotum & anum intercedente: qui, rupta seu adaperta cute, materiam profundit. MATHETES, Quæ tandem facultatis retentricis imbecillitatem efficiunt, vnde seminis profusio contingit? GERON, Omnes intemperaturæ excellentes, præsertim humida, aut calida, seu quæ ex his conflatur. MATHE. Ex quibus signis id distinguere licebit? GERON, Ex ijs, quę propriè easdem intemperies notant: nec non ex totius corporis natura, & antecedente victus ratione: interim ex seminis ipsius copia: quæ eandem vasorum seminariorum retentricem facultatem adeò grauat, vt semen ipsum ab ea retineri prorsus nequeat, & sic contra voluntatem excernatur: idque in ijs potissimùm, qui crebriore vti concubitu, & postea continentiùs viuere consueuerunt. At non solùm humor abundus, sed etiam acris & tenuis id præstare potest: dum facultatem nuper dictam irritat, quod rosionis, feruorísque in semine excernendo sensus ostendit. MATHETES, Cùm igitur variæ sint profluuij seminis species, earúmque causæ, præcipuè autem retentricis vasorum seminariorum facultatis imbecillitas, & adhuc affectio, quæ similiter ac naturalis ipsa vis excretor[illegible], partes mouere potest: dic obsecro, quid de malo hoc curando, vel sperandum, vel metuendum censes? GERON, Prima interdum adeò diuturna & larga existit, vt interposito spatio hominem tabe consumat.

Causa peculiaris seminis profluuij

Vlceris colis notæ

Quæ imbecillitatem retentricis facultatis pariant.

Variæ profluuij sanguinis causæ.

Prognosticon.

Corpus enim paulatim corrumpitur. quia cùm aliјs in locis omnibus,tum maximè circa lumbos emacreſcit. ægri hoc vitio laborantes, os ventriculi habent languidum, totóque corpore ſicci,graciles,pallidi,cauiſque oculis apparent. MATHETES,Qua ætate hoc ſeminis profluuium oboriri conſueuit? GERON, Qualibet: maximè verò poſt pubertatem: quæ quartumdecimum annum exceſſerit.Galenus prodidit,mulierem vterinis morbis obnoxiam,copioſiſsimum craſsiſsimúmq; ſemen priùs in vuluam, deinde ex ea forâs emiſiſſe. MATHETES,Quare ſemen tam diu in vtero retentum erat? GERON, Quia mulier longiore tempore vidua manſerat. quando autem illud emittebat, lumbi, manus, ac pedes ipſius quodammodo diſtendebantur, quaſi comitiali ſpaſmo afficeretur. MATHETES, Quid de colis vlcere præſagis? GERON,Diuturnum eſſe ſolet, & vix vnquam ſpontè conſaneſcit. Quare ſi id negligatur, vel tuberculum carnoſum,verrucæ modo ſuccreſcit: vel congregatæ ſordes in callum obdureſcunt. non vno autem canalis eius loco, ſed duobus, aut plærunque tribus. MATHETES, Quæ id tuberculum,ſeu callum indicant? GERON, Vrina ſuppreſſa,eáque tenuis: eò quòd illa non pleno curſu ac fluore,ſed exili quodam ceu filo prodeat. Tuberculum durum cole compreſſo deprehenditur,&demiſſa fiſtula fit obuium, quaſiq; offendiculum obſiſtit. MATHETES, Viriles partium naturaliũ morbos interpretatus,ſimiliter iam muliebres enumeres.

VVLVÆ INflammatio.

GERON, Iam iam eos aggrediar. ac grauiſsima vuluæ inflammatio principem locum habet, quæ non ſolum eius ceruicem,quamuis ſæpiùs, ſed etiam totam ipſam occupare ſolet. MATHETES, *Quæ ſunt eiuſdem indicia?* GERON, Vehemens pulſánſque muliebrium locorum dolor: & ſi prior eius regio affecta eſt,pubes excruciatur: quædam vrinæ difficultas & ſtillicidium vrget.ſi poſterior,lumbi dolent:aluus aſtringitur. quòd ſi in latere vitium ſubſtet, inguen intenditur, crura grauia ægrè mouentur:febris acuta ſemper adeſt: nec non multus capitis dolor,præſertim in priore ipſius parte, & circa oculorum radices moleſtat. adhæc venter imus, pubes,coxæ, & vicinæ hiſce partes affliguntur, diſtenduntur, grauantúrque: lumbi valdè æſtuant: ſtomachus dolore,nauſea, & ſingultu conuelli incipit. Porrò ipſa mulier adeò incommodè in quamlibet corporis partem mouetur,vt neque ſedere, neque ſurgere,niſi ſumma cum difficultate: neque pedibus ingredi, niſi claudicatione quadam poſsit: difficulter & moleſtè in latus integrum cubat. Si vuluæ ceruix inflammatione laboret,quod crebrius accidit,abdomen dolet:& ſi os ipſius digito per ceruicem indito atttingatur, prematúrque, valdè indoleſcit,du-

Signa.

cit, durúmque feruidum, & periculosum occurrit. MATHETES, Quæ causæ malum hoc vuluæ efficiunt? GERON, Partim interiores, partim exteriores. *Inflammationis causæ.* illæ quidem, vt tenuis ac feruens sanguis, ex caua vena, per exiles eius propagines, in ipsammet vuluam, non eius ceruicem effusus, ardorémque & putredinem expertus: mensium suppresſio: vuluæ eiusdem vlceratio. hæ verò, vt ictus: multus concubitus, abortus, fœtúsque sinistrè editus: durior sella: longa intentáque ambulatio: flatus quoque & frigus: quæ vuluam adeò astringunt, vt transitum impediant. Porrò eadem vuluę inflammatio, interdum tumorem durum, sensúsque expertem facit: rariùs cancrum: sæpiùs abscessum. hic simulatque fieri incipit, dolorem pulsantem, febrésque adauget. atque hę frequentiùs cum horrore sub vesperam incursant, & accesſiones inordinatas habent, intenduntúrque. Pure iam confecto, statim hæc ipsa remittunt, atq; iterum, vbi abscessus rumpitur, inualescunt: ac tum quidem modò vrina, modò aluus, modò vtrunque supprimitur. nonnunquam pubes intumescit, & profluentis cuiusdam rei ceu inundatio percipitur, vbi abscessus maior fuerit. MATHETES, Quæ inflammationem neq; solutam esse, neq; in abscessum abiisse, sed in scirrhi naturam degenerasse significant? GERON, Febris, dolórque, & leuiora symptomata remissa: sic tamen, vt tumor, & renixus, grauitásque permaneant, totúmque corpus non solùm crura ad omnes vitæ actiones segniter moueantur. MATHETES, Quid de inflammationis curatione, & abscessus prædici potest? GERON, Quæ ceruicem, aut os vuluæ obsidet, ratione *Præsagium.* quadam sanari: quæ totam affligit, nulla potest. quæ fundum, siue sinum eiusdem occupat, magis periculosa est, sicut etiam, quæ plures vuluæ partes, quàm quæ pauciores infestat. Si pus album, leue, æquale, & non fœdi odoris forâs per vuluæ ceruicem prodit, salutem fœminæ portendit. si verò virulentum, fœtidum, & variè coloratum exierit, vitam in periculo versari indicat. MATHETES, Quid si non inflammatio, sed erysipelas vuluam in grauida excruciet? GERON, Mortiferum est: quanquam vera inflammatio modo sit exigua, minùs periculi signet: imò neque acutam febrim habet coniunctam, licet ea in iocinore, ventriculo, aut septo transuerso sit procreata. MATHETES, Quod vitium rupto va- *Vuluæ vlcus.* cuatóque abscessu sequitur? GERON, Vlcus vel simplex, vel sordidum. MATHETES, Quæ vtrunque notant? GERON, Primùm *Signa.* humor paucus, æqualis, crassus, & albidus ex eo affluens: alterum autem plus quidem humoris, sed minore cum dolore exiens. Eadem hæc vlcera vuluæ interdum maligna redduntur, quòd illa excrementis, & putredini pateat. sæpe ipsam inuadunt, quæ pro-

Nomæ. ximas partes depaſcendo ſerpunt, græcis νομαὶ appellantur. atque tunc multò magis ſordida, fœtida, atque contumacia quàm anteà exiſtunt, vel in carcinomata degenerant. MATHETES, Vnde vlcera prædicta omnia oriuntur? GERON, Non vna ex cauſa. *Cauſæ.* nonnunquam enim vulua ab acribus medicamentis: nonnunquam ex partu difficili, fœtu excuſſo, aut corrupto vlceratur: frequenter etiam ex abſceſſu rupto, aut ſuccorum rodentium fluxione: vt ex ægris ipſis mulieribus, aut ex earum familiaribus, aut ex hiſce quę comitantur, vel ex tuo ipſo ingenio animaduertere poteris.

CANCER vuluæ. Prēter hęc vitia, etiam cancer tum ſub hoc caſu, tum ſub duro, longo, diuturnóq; vulvę tumore oboriri ſolet: quando dolor circa inguina, imũ ventrem, abdomen, & lumbos percipitur: moles intus, veluti pondus aliquod, grauis eſſe videtur: febríſq; ei iungitur, non tamen adeò ardens, vt in eiuſdem vuluæ inflammatione. non celeriter malum hoc ſanari poteſt, ſed valdè eſt diuturnum. Quòd ſi ei exulceratio acceſſerit, non ſolùm dolor partem affectam excruciat, & durus eſt: ſed etiam oræ adſunt prætumidæ, & ſordibus concretis liuidæ, horridęque: pus ex eo defluens, grauiſsimi odoris eſt, tenue, nigrum, ſeu fuluum. Si roges num malum hoc citò ſanari queat, reſpondeo ex Hippocratis ſententia, nulla illud medicina ſubtrahi poſſe. MATHETES, Quomodo exulceratio deprehenditur? GERON, Specillo oriculario: altiùs autem condita, per humores excrementitios indicatur. MATHETES, *Præſagium.* Quid in vlceribus vuluæ medendis ſpei habendum putas? GERON, Non multum, niſi ſumma maturáque diligentia eis adhibeatur. Cùm enim illa totius corporis recrementa excipiat, naturáque ſit neruoſa, haud facilè, præſertim inueterata vlcera curationem recipiunt: quanquam ea, quæ in conſpectum veniunt, celeriùs, quàm quę in alto ſunt: puráque, aut etiam ſordida faciliùs curentur, quàm depaſcentia.

SCYRRHVS vteri. MATHETES, Quis alius tumor, præter eos, quos retuliſti, vuluæ obuenire ſolet? GERON, Qui græcis σκίῤῥος dicitur, nunc totam illam, nunc alteram eius partem obſidens: tactu durus, & renitens percipitur: dolorem nullum, aut certè obſcurum mouet, vrinam vel aluum reddit difficilem. cùm fœmina recta conſiſtit, graue pondus tanquam forâs prolapſurum in naturalia decumbit. quando autem ſedet, aut cubat, rectum inteſtinum pondere ſuo premit. Cæterùm grauiter incedit, totúmque corpus, præſertim inferiùs langueſcit, vt vix moueri queat. MATHETES, Vnde tumor iſte contrahitur? GERON, Ex humore craſſo, iterúmque per vuluæ ſpatium diffuſo, concretóque, vel ex inflammatione, neque reſoluta, neque in abſceſſum conuerſa.

MATHE-

MATHETES, Qui alij casus vtero superuenire solent? GERON, Cùm vterus fœtus concipiendi, alendíque sit instrumentum, natura ei sanguinem ex toto corpore transmittit, cuius melior pars fœtui si adest, nutriendo communicatur: deterior singulis mensibus expurgatur, idque plurimis anno ætatis quarto decimo: quinquagesimo autem fluere desinit. nonnullis ijsq; paucis â duodecimo, & ante decimumtertium incipit, durátque ad sexagesimum: non autem vniuersis eodem tempore mensuráque, & totidem diebus prodit. nam plærísque ad duos, aut tres: pluribus vsque ad quinque, alijs ad septem: paucis ad duodecim dies expurgatur. MATHETES, Quantum sanguinis fœminæ singulis vicibus excernere solent? GERON, Complures minùs quàm duas heminas diebus quatuor reddunt. MATHETES, Quando repetit menstruorum purgatio? GERON, Singulis viginti duobus, aut summum triginta diebus: nonnullis tardiùs erumpit, & citiùs deficit, præsertim obæsis: quibus à trigesimo quinto anno vt plurimùm cessare incipit. id quod tum naturæ, tum victus diuersitas efficit: vnde etiam alijs ea purgatio copiosior, alijs paucior emanat. MATHETES, Quæ idonea, & naturæ familiaris esse dicitur? GERON, Quæ opportuna, mediocris, æqualísque, & boni coloris singulis temporibus, & ijsdem ferè mensium diebus fertur: quæque vbi desijt, neque vires imbecillas, neque grauatas relinquit. MATHETES, Quandiu sanguis iste menstruus, vbi inceperit, augescit? GERON, Vsque ad ætatis florem, idque paulatim: deinde æqualis aliquandiu permanens, modicè admodum crescit, aut imminuitur: ętate declinante, rursus sensim minuitur, donec ex toto deficiat. MATHETES, Omnésne fœminæ ex naturæ præscripto hac purgatione destitui solent? GERON, Nequaquam: sed aliæ naturaliter, vt quæ infra quartum decimum annum subsistunt, vel quinquagesimum excesserunt: nec non grauidæ, in quibus sanguis ad alimentum fœtus retinetur: sicut etiam cantatrices, & saltatrices, quibus id quod in eis est superfluum, nimia exercitij vehementia consumitur. adhæc quæ calidiore temperamento sunt præditę, & validis vtuntur exercitijs, vt plærunque agrestes, parum purgantur: sic tamen, vt nulla inde, vel totius corporis, vel vteri molestia afficiantur: cùm alijs, quibus erumpunt, horrores, lassitudines, capitis grauitates, & ceruicis dolores incidant. aliæ contra naturam non purgantur, vtpote quibus menses rariùs, quàm alijs, & parciores quàm naturæ & victus ratio exigit, profluant. MAT. Quibus menstrua mulieri suppressa esse indicantur?

Sanguinis quantum fœminæ excernant.

Menstrua purgatio quæ idonea.

GERON, Lumborum, scapularum, capitis, prȩsertim in priore eius parte: denique totius corporis grauitate, & dolore, tan-

SVPPRESSIO menstruorum.

quam tenſoriæ laſsitudinis: qui etiam ad ceruicem & oculorum radices perueniat. fœmina à menſtruis defecta: ſępè inareſcit: ac ſi conceperit, ſæpiùs nauſeat, cibúmque faſtidit: frequenter etiam febricula vrgetur, triſtiſque ipſa, & inquieta eſt: crebrò viri conſuetudinem concupiſcit: vrinę eius craſſę ſunt, turbidæ, rubicundæ, & nonnunquam nigricantes: ex quibus tandem graues, ac diuturni morbi proueniunt. MATHETES, Quæ menſtrua impediunt, ſupprimúntque, ne rectè atque ordine ex naturæ præſcripto fluant? GERON, Cibus, potúſque minutior, labor ingens, ſudor, immodica ſanguinis, vel ex naribus, vel ex hæmorrhoïdibus, vel è vena ſecta profuſio: vomitio, aut largior alui deiectio, corporis extenuatio, ex quocunque morbo ſit contracta. adhæc curæ, ac mœrores, magnus timor. idem etiam efficiunt cauſæ interiores in partibus principalibus, vt in iecore, liene, ventriculo, aut pulmonibus: alię in toto corpore, alię in ſolo vtero. MAT. Quę autem ſunt huiuſmodi cauſę? GER. Intemperies frigidior, in illis contracta, multa obſtructio, aut ſcirrhoſa durities: vt in arquato, malo habitu, aqua ſubter cutem, ſuſpirio, ſeu aſthmate, & in alijs affectibus: quorum vitio ſanguis venarũ labefactatur. Pręter hęc craſſorum viſcoſorúmque ciborum vſus, aut larga frigidę potio, aut vita otioſa, frigidus, craſſúſque, & glutinoſus ſanguis, menſtruam purgationem remorantur. MATHETES, Quando vterus eandem impedit? GERON, Vbi refrigeratus eſt, aut obſtructus per ſe, vel ex tumore, ſiue ſcirrho, ſiue inflammatione. adhæc ſi idem vterus ſit peruerſus: aut ſi os eius obturatur ſanguine concreto, vel carne excreſcente, vel adipe copioſa, vel pellicula circa ceruicem eius adnata: vel à cicatrice vlceris poſt abortum malè inducta, vel à vitioſa figura ipſius in origine contracta. Quibus mulieribus hæc contingit, eæ, licet nunquam menſtrua, vel alia quædam ex vtero ferantur, incolumes tamen aliquando perſiſtere poſſunt. MATHETES, Quæ poſt menſtruorum retentionem comitari ſolent? GERON, Grauiſsimi affectus, vt furor, melancholia, morbus comitialis, ſanguinis reiectio, & ſyderatio, reruorum reſolutio, caligo oculorum, tuſsis, difficilis ſpiratio, vteri ſtrangulatus, duri tumores viſcerum, aqua ſubter cutem, cholera, palpitatio cordis, ſyncope, & id genus alij. Qua de cauſa niſi maturè euacuentur, maximè ſi à partu fuerint ſuppreſſa, grauiſsima pericula inuehunt. quia non modò humorum abundantiam: ſed etiam inſignem eorum prauitatem pariunt. At quibus vlcerum poſt abortum cicatrices, vaſorum vteri oſcula excæcarunt, eóque menſtrua fuerint retenta, nullam prorſus curationem recipiunt, ſicut etiam illæ, quibus membranula quædam ori vuluę oppoſita fuerit,

Cauſæ menſtrua impedientes.

Quæ menſtruorum retentionem ſequantur.

Prognoſticum.

rit, nisi statim ab initio perforetur. MATHETES, Quibus notis fœmina à menstruis defecta esse cognoscitur? GERON, Quæ lac habet: non autem nuper peperit, neque grauida est: & si cum diù sic manet, acerbissimos in capite dolores percipit, vel alia quæpiam pars morbo affligitur. cui interea sanguis è naribus profluit, ea planè secura est. Porrò quæ mulier non peperit, ea grauius, & citius quàm quæ peperit, menstruorum retentione laborat.

Notæ.

MENSTRVorum nimia profusio.

MATHETES, Soléntne eadem menstrua etiam largiùs aliquando profluere, quàm natura postulat, sicut aliquando parciùs, vel nullo modo ferri iam dixisti? GERON, Indubiè, non rariùs hoc quàm illud malum æquè horrendum infestare consueuit. non solùm autem menstrua vberius profluunt, sed etiam aut diutius, aut crebrius, aut non stato circuitu: græcè vocatur ὑπερκάθαρσις, hoc est purgatio, quæ iustum naturæ modum excedit. MATHET. Quæ ergo ex naturę præscripto, & moderata est? GERON, In qua, cùm mulier sana est, duæ heminæ sanguinis menstrui, aut paulò plures, aut pauciores, idque in duobus, aut tribus diebus, profluunt. quanquam eadem mulieribus albis, ac mollioribus, vtpote copiosiore, & tenui sanguine præditis, etiam per sanitatem diutiùs perduret. in nigris autem, duris, ac gracilibus non item. MATHETES, Quot modis fit nimia menstruorum purgatio? GERON, Tribus. primùm cùm celeriùs fit, quàm anteà: deinde vbi copiosior: tertiò cùm à partu, aut abortu. At cùm menstruorum profluuium, ob grandiorem partum incidit, minùs periculosum est, & sua sponte propemodum desinit: vbi abortum comitatur, fœminam exanimat, & in præceps rapit exitium. Si grandior vena rupta, aut patefacta nimis fuerit, sanguis largissimè profunditur: si verò minor, parciùs, & paulatim ille manat. Si quæ vena erosa fuerit, non modò sanguis pedetentim, sed etiam cum sensu doloris fertur. Fœminę humidiores, menstruis diutiùs laborant, eóque citò, si illa cessent, intumescunt. MATHETES, Quę mali huius notæ sunt? GERON, Totum corpus infirmum redditur: calor eius vitiatur: cibi cupiditas, & concoctio intercidit: febriles ardores crebri sunt: deinde pedes molli tumore, qui gręcis οἴδημα dicitur, inflantur: nouissimè totum corpus intumescit: unde aqua inter cutem subit. MATHE. Quę immoderata menstrua excitant? GERON, Vasorum ruptura, aut apertio: item quę sanguinem adeò calefaciunt, & extenuant, vel quomodocunq; exagitant, vt venarum ora adaperiant, & ille adeò efferatur, vt naturæ vi, & robore vix cohiberi possit. Quinetiam nimius menstruorum fluor, ab omnium ex æquo humorum plenitudine fieri solet, quæ plerunque adeò magna est, vt non solùm venarum ora patefaciat,

Nimia menstruorum purgatio quot modis fiat.

Notæ.

Causæ.

sed etiam ipsásmet, præsertim tenues interdum disrumpat: id quod his ferè contingit, quibus menstrua diù suppressa, deinde simul, & concitatiùs erumpunt: item quibus abortus factus est: aut veri, aut irriti fœtus, quauis ex causa sunt editi. Insuper largius etiam profluuium efficit partus laboriosus, & difficilis: cùm vel grandior infans, vel obliquè situs, nimio conatu excluditur: in quo venæ vel rumpuntur, vel nimiùm dehiscunt. Nam si grandior vena plus iusto patefacta fuerit, sanguis largissimè profunditur: si verò minor, paruus, & paulatim ille exit. at si quæ vena erosa fuerit, non modò sanguis pedetentim, sed etiam cum grauissimi doloris sensu fertur. MATHETES, Vnde cognoscam, sanguinem ex vasis ruptis profundi? GERON, Ex antecedente frigore, vehementi motu, illius abundantia, dolore. MATHETES, Quæ notant ex apertis venis menstrua ferri copiosius? GERON, Calida corporis affectio præcedens: vt si mulier crebris, eísque calidis balneis vsa fuerit, & regionem inhabitet calidam: tempúsque tale intercesserit: nec non cibi, & potiones similes assumptæ, sic vt nullus dolor sentiatur. MATHETES, Quando purgatio nimia ex erosione vasorum excitata esse dicitur? GERON, Cùm sanguis non vniuersè, sed modicè, & paulatim, summóque cum dolore fertur. MATHETES, Quid parit erosionem, largioris illius fluoris menstrui causam? GERON, Vitiosi humores toto in corpore abundantes, nempe biliosi, aut pituitosi, salsiq;: id & reliqua eorundem humorum indicia propria, & sanguinis menstrui color testantur. MATHETES, Quid periculi, aut spei in hisce menstruorum profluuijs expectari solet? GERON, Quędam ex his in aquam subter cutem incidunt: sicut etiam, cùm menstrua purgatio in totum cessarit: cùm vtrunque fœminam ad summum frigus perducat. Quæ menstruorum profluuia, partus grandiores sequuntur, non adeò periculosa sunt: imò plærunque sponte suâ desinunt. quæ verò abortum comitantur, fœminam exanimant, & in præceps rapiunt exitium. Quacunque ex causa immoderatius menstruorum profluuium euenerit, animi defectionem, & syncopen, interdum etiam mortem minatur, vt in alijs sanguinis fluoribus accidit. MATHETES, Semélne tantum in vno quoque mense purgatio ista sanguinis incidere solet? GERON, Vtique, si fœmina sana est: aliâs bis, aut ter in mense, easdem ob causas redit: eò quod copiosior fuerit, quàm & naturę ordinem, ac mensuram in ea seruare possit. Atque tot modis immoderatæ menstruorum purgationes vniuersæ, ac subitò fiunt.

Notæ sanguinis ex vasis ruptis nimium profusi.

Ex erosione vasorum.

Vnde erosio, quæ largioris menstrui fluoris parens est.

Præsagia.

VTERI STILlicidium.

Alia quædam etiam his contraria nonnunquam incidit, quæ vteri stillicidium, seu fluxio diuturnior dici potest: sub hac

quoq;

etiam ſanguis parcior, ac paulatim abſque ordine deſtillat: nunc purus, nunc ſeroſus, & veluti ſanioſus: aliâs aſsiduò, aliâs breuiore interuallo. MATHETES, Vnde hæc fluxio prouenit? GERON, Ex venarum eroſione, vel ſimplici, vel coniuncta vlceri: quod modò vterum, modò ceruicem eius infeſtat. MATHETES, Quid eroſionem oſtendit? GERON, Ardor aut nullus, aut obſcurus. MATHETES, Quid vlcus? GERON, Manifeſtus ac vehemens cruciatus, qui plærunque digito demiſſo deprehenditur.

Cauſa.

Nota.

FLVXIO muliebris.

His alius fluor vteri accedit, qui græcis γυναικεῖος ῥοῦ, nobis fluxio muliebris, vel profluuium nominatur: ſub quo totius corporis recrementa per vterum expurgantur. Quimadmodum enim menſtrua vitio corporis aut ſupprimuntur, aut parcius, aut æquo largiùs profluunt: ita vitioſi humores, ac excrementitij illius, per hunc fluorem excernuntur. idque continuò, abſque vllo ordine, & circuitu. MATHETES, Quæ pars corporis in hoc malo affecta eſt? GERON, Nulla certa: quanquam vterus toti corpori euacuando inſeruiat, ſicut interdum etiam renes. MATHETES, Quibus notis muliebris fluxio ab alijs differt? GERON, Id quod excernitur, nunc liquidum eſt, albicans, lactis ſero, aut ptiſanæ cremori ſimile, à pituitoſo ſanguine proueniens: quo corpus abundat, & ſine dolore prodit: nunc luteum, aut pallidum, nunc ſubuiride, adeóque acre, & rodens, adurénſque, vt quamcunque partem attigerit, erodat, aut leuiter vlceret, bilis amaræ ſoboles. atque id rurſus aliâs tetri grauiſque odoris, aliâs nullius eſt. Loci muliebres continuè madent humoribus, colore varijs: ægra colorem decorémque amittit: alimentum non ſentit: cibum faſtidit: inter ambulandum difficulter ſpirat: oculos habet prætumidos, modò cum dolore, modò ſine illo: aut cum exulceratione, aut abſque illa, ſiue inflammata, ſiue ſordida, ſiue pura. præter hęc triſtitia ſumma vrget, tumórque pedum. in quibuſdam deſtillatio perpetuò continuatur: in quibuſdam per interualla redit. At ſi purus ſanguis, vt ex vena inciſa, iſque cum dolore profluat: vteri eroſionem fluoris huius auctorem eſſe teſtatur. hic autem non muliebris fluor dicetur, vt in quo vterus affectus non ſit: ſed in hoc peculiari morbo, nempe ipſius eroſione laboret. MATHETES, Vnde vitium hoc contrahitur? GERON, Ex humoribus vitioſis: qui non ſolum in vulua, ſed etiam in principibus partibus aliquando conſiſtunt, vel à retentrice facultate imbecilla, vel ab expultrice nimium concitata: vel ab vtriſque læſis, tum copia, tum qualitate: aut quòd totus ſanguis tenuis, ſeroſúſque ſit redditus. MATHETES, Quando talis efficitur? GERON, Vel cùm facultatis ſanguificæ munus deficit: vel eius, quæ tenue & ſeroſum ſeparat:

Fluxio muliebris quibus notis ab alijs differat.

Loci muliebres.

Cauſa.

vel cùm retentrix facultas actionem ſuam nimium vrget, cutiſque inſpiſſatur,& renes ſunt occluſi. Quinetiam alia cauſa,ſed rarior hunc morbnm efficit: nempe vel frigida ferè vteri intemperies,vel imbecillitas,ab vteri geſtatione,partu, contuſione, caſuum exteriorum vi contracta: vel eroſio, vel vlceratio ex inflammatione,vel ex abſceſſu relicta. Si fluor iſte parcior fuerit, ſolus vterus affectus eſt:ſi amplior, veſicæ totiúſq; corporis vitia illum gignunt. MATHETES, Quæ mulieres huic vitio potiſsimùm ſunt obnoxiæ? GERON, Complures: ſed peculiariter hæ, quibus hydrops conſpicuus ſingulis menſibus per vterum expurgatur. non ſolùm autem hic affectus fœminas ætate maturas,ſed etiam puellas octodecim,aut pauciores annos natas malè coloratas inuadit. Cæterùm rubra fluxio, mulieres ætate vigentes ferè infeſtat: declinantes,alba. MATHETES, Quid de curatione huius fluoris præſagis? GERON, Si vterque ætati, in qua oriri ſolet,reſponderit,facilè ſanatur: ſi ab illa diſsidet, difficulter. Porrò in quouis fluore muliebri,os vteri aperitur,velutique relaxatur. nonnullis etiam vulua ipſa ad naturalia vſque procidit. Qua de cauſa affectio iſta diligenter eſt curanda:ſic tamen,vt non protinùs illa remedijs loco inductis reprimatur. nam quædam in hydropem: quædam in neruorum affectus, aut oris ventriculi, aut capitis moleſtias collabuntur.

Quæ mulieres huic vitio ſint obnoxiæ.

Prognoſticum.

SEMINIS profuſio.

Huic fluori muliebri affinis eſt ſeminis profuſio,quæ *ſimiliter* frequentiúſque fœminas ac viros, exercet, græco nomine γονοῤῥοία dicta. ſemen harum crudiùs,minúſque dilutum ſubſiſtit. id à vaſis ſeminarijs,non ab vteri ſinu in eius ceruicem,citra vllam veneris voluptatem profluit:non autem aſsiduè,nec quotidiè,vt in vterino fluore: ſed per quædam interualla: non fœdi odoris, non acre,ſed planè modicum. Eadem cauſa hanc ſeminis profuſionem,quæ virorum excitare conſueuit.

VIRVLENtum ſeminis profluuium.

Longè crebrius ea eſt, virulentum quoddam ſeminis profluuium:quod contagioſa,impuráque venus progignit,vt anteà de virorum fluore eſt comprehenſum. MATHETES, Quale ſemen, & quomodo in hoc vitio profluit? GERON, Multò craſsius,interim album, interim flauum, aut viride, odore fœdum, acre, & erodens: non autem continuè aſsiduéque, vt in vterino fluore excernitur: eóque raro citra naturalium vlcus infeſtare depræhenditur. Maximè verò hæc ſeminis profuſio à muliebri fluxu diſtinguitur: quòd ipſa non ab vtero, vt hic, ſed à ſeminarijs vaſis procedat. adhæc,quòd eadem menſtruis emanantibus non deſinat,ſed ſimul cum eis,& poſtea perſeueret: muliebre autem profluuium ceſſet, quando menſtrua feruntur, & breui interuallo

Quomodo à muliebri fluxu differat.

poſt

post illa. Præterea hoc discriminis inter seminis fluorem, & vterinum intercedit, quòd in illo morbi gallici indicia: in hoc autem nulla appareant, vt antea, cùm de virorum seminis profluuio egimus, tractatum est.

CONCEPTIONIS impedimenta.

MATHETES, Cùm vterus seminis tum maris, tum fœminę concipiendi ad fœtus procreationem sit instrumentum, quę functionem ipsius interdum impedire solent? GERON, Non pauca. primum sanè partium naturalium, quæ ad concubendum sunt accommodatæ, offensio, à primo ortu contracta: vt si puellæ non pubescant: mares non barbati fiant: deinde si in ætatis processu plenior corporis habitus ex liberaliore alimento proueniat: postea si ex morbo viri semen frigidum humidúmque emittant: item si mulierum purgationes menstruæ sint vitiatæ: nouissimè etiam intemperies conceptionem impediunt. Nam vteri bona temperatura præditi, ad concipiendum sunt idonei: mala verò, si parùm à bonitate recedant, ægrè concipiunt. Quare illę nisi tum ex calidi & frigidi, tum ex humidi & sicci mistura temperatę fuerint, fœcundæ esse nequeunt. Nam intemperies adeò frigida, vt vterum spissiorem efficiat, fœcunditati resistit: quia ora vasorum ad vterum ipsum pertinentia, tam angusta redduntur, vt neque secundæ eis possint adnasci: neque si hoc aliquando fiat, fœtus benè ali possit: tum quòd eiusmodi mulieres vel nullas purgationes menstruas, vel omnino paucas, easque vitiosas habeant, dum sanguis solus tenuior, aquosiórque fertur: tum quòd eadem vasorum ora, & natiuę angustię gratia obstruantur, tum quòd mulieres istę pituitosum magna ex parte humorem colligant. nam corpus vniuersum vtero propemodum respondet. Præterea semen virile, nisi natura calidissimum existat, in eiusmodi vteris refrigeratur.

Notæ impeditorum conceptuum ex intemperie frigida.

MATHETES, Quæ vteri conceptum ob frigidam intemperiem impediri ostendunt? GERON, Si menstrua eius supprimantur, aut parcè fluant, iíque decolorati: item lumborum, pubis, & crurum stupor. quandoque etiam impotentia: adhæc si frigidior, ac succi crassi victus antecesserit: & si vterus frigidior euaserit: mulier nullam venerem appetit: & vteri ipsius os est contractum, vt semen viri difficulter intromitti possit. MATHETES, Quid humidam vteri naturam conceptus impedimentum esse nunciat? GERON,

Ex humida.

Humor in concubitu destillans, à quo semen viri extinguitur: tenuiáque & copiosa menstrua. At vteri calorem sterilitatis causam esse, similis totius corporis intemperies nimia testatur: nec non menstruorum paucitas: quæ cum dolore sic prodeunt, vt naturalia muliebria exulcerent, colore nigriora: & quia nimium pungunt, nullum seruant ordinem. mulieres huic intemperaturę ob-

Ex siccâ.

noxię ad venerem sunt procliues, & salaces, corpúsque vniuersum siccius obtinent. MATHETES, Quæ notant siccitatem vteri conceptum impedire? GERON, Si nullus in concubitu humor destillet, menstruáque pauca, & sicciora existant. MATHETES, Cur singulæ istæ intemperies vterum conceptioni minùs reddunt idoneum? GERON, Quia frigida sanè vterum spissiorem densiorémque efficit, ne semen commodè applicari ipsi possit: humida autem, quia semen viri extinguit, alimentum consumit, eóque deficiente illud corrumpitur. MATHETES, Quæ præter intemperies iam dictas conceptui sunt impedimento, & quibus notis demonstrantur? GERON, Mulieres nimium tenues, si grauidæ sint, abortiunt, antequam crassescant. similiter supra naturæ modum crassæ: vt quibus omentum os vteri comprimat, priusquam extenuentur, non concipiunt. adhęc si menstruà pauca ferantur, cùm maxima alimenti pars in pinguetudinem transierit. Quando igitur duo hi corporis habitus, nempe tenuis & crassus naturæ contrarij fœcunditatem impediant, tu ipse cognoscere poteris. MATHE. Cur pingues, & macri seu extenuati nimium liberis procreandis non sunt idonei? GERON, Quia illi priuatim genitalibus se mutuò contingere commodè nequeunt: ambo autem communiter paululum seminis emittunt, tum viri, tum mulieres. MATHETES, Ob quam aliam causam mulier interdum concipere nequit? GERON, Ob vitiosi humoris abundantiam: qui qualis sit, anteà explicatum est: nec non si ob cicatricem vlceri vulua inductam vasa fuerint obcæcata, ipsúmque ob vlcus, & membranam ori vuluæ obtensam: præterea ob nimiam eiusdem oris angustiam, vel amplitudinem, siue propter obliquum ceruicis situm, qui ex obstetricibus percipi potest. Impediunt quoque conceptum menstrua retenta, vel pauciora quàm conuenit, vel æquo largiora. idem faciunt etiam flatus in vtero contenti: quos pectinis imíque ventris tumor, extensióque: cui interdum dolor adsit punctorius, & ad vtrunque, vel ad alterum inguen frequenter tendens, signat. Iidem flatus, qui in vtero conceptionem remorantur, sæpe per naturalia erumpnut, sic, vt mulieres ipsæ percipiant, sicut etiam aliquando strepitum sonitúmque. interdum per medicamentum aliquod assumptum, conceptus impeditur, vt mulier, & familiares eius animaduertere possunt. Quinetiam mulieres ex inuito concubitu concipere semen nequeunt. nam amor semen conciliat, eóque fœminæ amantes sæpe pariunt. Insuper ætas fœminæ iunioris, vel prouectioris, inelegánsque illius forma ad concipiendum parum est accommodata. MATHETES, Quod concumbendi concipiendíque tempus opportunum est? GERON, Cùm

Alia conceptus impedimenta, eorumque notæ.

Causæ eorũ, quæ conceptum impediunt.

Cùm menſtrua fluere vel incipiunt, vel deſinunt: reliquum autem totum, quo illa expurgantur, quanuis ora venarum tunc ſint aperta, prorſus eſt ineptum: eò quòd tunc ſemen in vulua permanere nequeat, ſed ab influentis ſanguinis copia eliciatur. Vbi verò illa vel ceſſant, vel incipiunt, tum ora vaſorum aperta ſunt, tum menſtrua non larga, neque vniuerſa, ſed pauca, & paulatim effluunt: vnde ſemen ob aſperitatem vuluæ adhæret, alimentíque ſatis ex ſanguinis affluentis paucitate habet. MATHETES, Cur conceptio antequam menſtrua accedant, fieri nequit? GERON, Quia ſemen & alimento caret, & vuluæ leni adhærere nequit: cùm aſpera magis quàm leuia ad coaleſcendum idonea exiſtant. MATHETES, Quæ alia præter enumerata conceptus ſunt impedimenta? GERON, Ali^s vteri genitaliúmque partium, aliâs viſcerum vitia, tum viris tum mulieribus communia. primùm impuberum, atque ſenum ætas: eò quòd ſemen tenuè, aquoſum, languidúmque habeat: deinde morbi in confirmata ætate, vel acuti, vel etiam longi: qui aut humores, aut ſpiritus corrumpunt: poſt hæc manifeſta corporis; actionúmque vitæ offenſio, & abdita principalium partium, ventriculi, iecoris, lienis, ac pulmonum in temperies, obſtructio, aut ſcirrhus, præſertim ſi vel malus halitus, vel aqua inter cutem, quæ græcè λευκοφλεγματία dicitur, vel arquatus, vel tabes, & corporis extenuatio, vel lenta febris, vel alia quædam ex vitioſis humoribus excitata. MATHETES, Cur vitia iſta conceptum impediunt? GERON, Ob haſce duas cauſas: primùm quòd viri eis laborantes, aut nullum ſemen, aut minus efficax emittunt, vt quod neque ex vtili materia, neque ex benignis ſpiritibus ſit conflatum: deinde quòd mulieres affectæ ſemen viri vtero non concipiant: aut concepto eo, ipſarum proprium non commiſceatur: ſed ſtatim excidat, aut retentum nobiliorum partium vitijs obrutum, ilico, aut paulò poſt tempore extinguatur. MATHETES, Quæ naturalium membrorum vitia fœcunditatem abolent? GERON, In viris ſanè, genitalis reſolutio, infirmitas, ſeminis profuſio, vaſorum ſeminariorum obſtructio: anguſtia, & contuſio: adhæc teſticulorum & membri genitalis exilitas: & mala cuiuſque partis ad conceptionem neceſſarias conformatio. MATHETES, Quæ in mulieribus illi obſiſtunt? GERON, Eadem vt in viris, teſtium, & ſeminalium vaſorum incommoda, vt nimia oris vteri, & ceruicis eius amplitudo: vel anguſtia, obſtructio, ſitus obliquus, peruerſio. atque hinc or[illegible] menſtruorum ſuppreſsio: quæ per ſe cognoſci poteſt, & percipi. MATHETES, Quæ mulier ad concipiendum idonea cenſetur? GERON, Quæ ad venerem non eſt ignauior, ſed in ea mediocritatem retinet.

Tempus ad concipiendum quod opportunum.

Mulier ad conceptionem idonea.

Conceptionis indicia.

MATHETES, Quæ sunt conceptionis iam factæ indicia? GERON, Si mulier, vbi cum viro concubuerit, semen magna voluptate ac oblectatione simul cum illo, aut paulò post emittat. sicq; id exceptum retineatur, non autem excidat, neque loci muliebres humore madescant: adhæc, si mulier eodem die, aut læuiter inhorrescat, aut vterus titillatione quadam contrahatur, donec semen arctiùs comprehendat: aut si dolor leuis imum ventrem vrgeat, sique os vteri interiùs adeò arctè claudatur, vt ne specilli quidem mucronem, seu acum summam admittat: ac idem rursus temporis interuallo interius retrahatur, & sursum remeet, vt vix immisso obstetricis digito attingi posit. Inter hæc grauida minus venere delectatur: à menstruis defecta est, nisi sanguis primis, aut nouissimis mensibus, non ex ipsa quidem vulua, sed ex ijs venis, quæ ad ceruicem eius pertinent, sicut in virginibus, nullo fœtus incommodo, feratur. Secundo mense natura etiamsi quid ex menstruis profluat: tamen nonnihil eius in superiores pectoris sedes reponit, venásque ipsius adeò implet, vt mammæ inturgescant, durescántque. deinde fœtus augescit, & latera lumbique extenduntur, ac venter totus citra vllam ponderis molestiam, ac grauitatem intumescit: in quo Mola, vt statim audies, & vteri hydrops à conceptu differunt. Eodem hoc tempore, facies maculas habet, siue citreas, siue liuidas: item lenticulas: vel oculorum ambitus languido aspectu liuescit, vel alij casus vrgent. MATHETES, Qualis vrina tunc in mulieribus apparet? GERON, Citrea, vel subliuida, crassa, & leuiter turbida: quæ modicè concussa bullat, vel granula è summa corona demittit: subsidentia illius crassa sunt, lanæ carptæ instar, non benè cohærent. Si eidem vrinæ vinum admisceatur, ipsa fabarum elixarum iuri respondet. Posthęc fœtus concepti indicia certissimum illud quoque accidit, si leniter, blandè, & ordinatè, non grauiter & molestè, sed muscæ volantis modo dimoueri incipiat, sic vt manus calens admota persentiscat: quod alijs citiùs, alijs tardiùs, plærisque omnibus vt tardissimè in medio grauiditatis tempore contingit. Quòd si etiam ex rebus externis certior fieri de conceptu voles, mulsam crudam, ex aqua cœlesti, sub somnum mulieri potui exhibeto. hinc si illa ventris torsiones experiatur, grauida: si non affligatur, à fœtu libera existit. MATHETES, Quomodo internoscitur, masculúsne an fœmella in vtero gestetur? GERON, Illo grauida benè colorata est, & hilaris: hac autem, decolor, & tristis. adhæc mares magna ex parte dextra vteri regione continentur: fœmellæ sinistra. Præterea si mas gestatur, dextra grauidæ mamma est amplior, tumidiórque, ac papilla eius nigrescit: firma, erectáque, & citiùs stillat: omnem tum

Vrina grauidarū.

Conceptus an factus sit.

Conceptus experimentum.

Maris & fœminæ situs in vtero.

tum venæ, tum arteriæ dextræ magis quàm ſiniſtræ, præſertim ſub lingua plenæ,ac tumidæ apparent. Similiter pulſus in dextra manu euidentior,maior,ac vehementior,quàm in ſiniſtra deprehenditur. Si verò fœmella geſtatur, ſiniſtra omnia valentiora, & magis conſpicua: papillæ autem flaccidiores exiſtunt. Inſuper ſi maſculus in vtero geritur,lac multũ: id ſi aquę inſtilletur, diutiùs cohæret,& in ſummo perſiſtit: ſin autem fœmellæ, quia illud tenue,& dilutum eſt,protinus diuellitur. MATHETES, Dum fœtus ſic in vtero continetur, nihílne incommodi ſuſtinet, priuſquam abſoluatur,& in lucem prodeat? GERON, Si mulier,quæ fœtum tempeſtiuè conceperit, eúmque viuidum geſtet, integra ſanitate fruitur,nihil moleſtiæ, ac incommodi toto grauiditatis curriculo percipit: ſin autem veletudinaria, ac vitio cuidam ante illam obnoxia fuerit, id ſecundo, tertióque menſe (quando purgatio menſtrua iam diu ſubſiſtit, nondum tamen in fœtus alimentum abſumpta) percipere incipit: imò quicquid anteà in corpore latuit,hoc tunc in apertum prodit: ſicut etiam in mulieribus non grauidis accidit,cùm menſtruorum tempus imminet. Eius igitur mulieris, quæ antea vel humorum vitio, vel ciborum copia laborauit,corpus laſsitudinem his menſibus ſentit: lumbi,inguina,& fœmora grauantur, doléntque: ſomnus grauis interdiu ipſas accedit. inter hæc autem, cibi deſiderium imminuitur: ingens vrget nauſea: quæ modò eſt irrita,modò vomitionem bilis, vel pituitæ circum præcordia hærentis excitat. Quòd ſi illa non erumpat,ilico fit difficilis reſpiratio, vertigo, animíque anxietas, & breuis eius defectio. Quòd ſi humores vitioſi tunicis ventriculi infarcti fuerint,affectio,quam ſuperiùs gręcè κίτ⁊αν,ac μαλακίαν nominaui,abſurdáque rerum alienarum,vt terræ, carbonum,teſtarum,& ſalſorum vel acidorum, vel acrium ciborum cupiditas ad quartum quintúmue menſem vſque adeſt.

Quomodo grauida valeat, interim dum parit.

MATH. Quę alia grauidas incomoda,dum vterum geſtant, infeſtare ſolent? GERON, Immaturi fœtus excluſio, quæ latinis abortus,ſeu abortio,græcis ἔκτρωσις,vel ἔκτρωμα nuncupatur. Excutitur enim aliâs viuus,aliâs mortuus, extinctúſque. MATHET. Quando viuus? GERON, Cùm acetabula violenter ſunt reſoluta: mortuus autem, cùm eadem ſunt valida, & firma. MATHETES, Quæ cauſæ hoc malum excitant? GERON, Tum interiores, tum exteriores. illæ quidem ſicut cibus æquo largior: omnium humorum repletio,quæ fœtum ſtrangulat,extinguitque: ſuccus mucoſus,acetabula vuluæ opplens: qui ligamenta ipſius adeò emollit, diſſoluítque,vt ipſa fœtum continere nequeant. adhęc cibus mali ſucci, humorúmque vitioſitas inde contracta: quæ faciunt,vt

ABORTVS.

Abortus cauſæ.

fœtus propè alimento deſtitutus, paulatim elangueſcat, & emoriatur. Præterea morbi acuti: vnde fœtui maius vitæ periculum, quàm matri imminet: tum principum partium, tum vteri ipſius affectiones, quarum nuper mentionem fecimus. MATHETES, Quæ cauſę externæ, ſeu euidentes fœtum interimunt excutiúntque? GERON, Syncope, timor, & triſtitia: item quæcunque odoratu, vel natura ſunt virulenta. adhęc, quæ alimentum fœtui ſubtrahunt, vt inędia, vel immodica purgatio, ſanguinis profluuium è naribus: nec non ex venis in ano extantibus, aut alijs ex locis illius excretio. nam mulier ſanguine profuſo abortum facit, præſertim, ſi fœtus eſt auctior. Aliæ cauſæ ſunt, cùm acetabula relaxantur, per quæ fœtui alimentum ſuppeditatur, vt exercitatio violenta, ſaltatio, durior equitatio, vectura, grauioris oneris geſtatio, caſus impetu violento concutiens, ventris ictus fœtum contundens. MATHETES, Quæ mulier citra cauſam euidentem abortire ſolet? GERON, Quæ vel totius corporis, vel ſolius vteri vitio laborat.

Abortus ſine cauſa.

MATHETES, Quæ fœtus in vtero mortui ſunt indicia? GERON, Nulla motio intus percipitur, quæ antea fuit crebra: venter grauis eſt, adeò vt iam quaſi ſit prolapſurus: intumeſcit æquè ac hydropica, diſtenditúrque: nec non refrigeratur, ſicut etiam latera ipſius, quæ antè caluerant: magno dolore circa vmbilicum afficitur: ſtomachus roditur: ſpiritus fœdum odorem reddit: oculi minuuntur: dolent nares, auréſque frigeſcunt: tota facies malè colorata eſt: frequens horror grauidam inuadit: animi defectio torquet: nonnunquam acceſsione tanquam comitiali diſtenditur. ſemper autem ferè illa vigilijs cruciatur.

Mortui fœtus ſigna.

MATHETES, Quæ ſunt abortus futuri notæ? GERON, Lac è mammis ſpontè effluens, præſertim aquoſum. quia fœtum imbecillum eſſe teſtatur: ſic etiam mammæ vltrò extenuatæ. In ea, quæ gemellos geſtat, ſi dextra eius mamma gracileſcat, de maſculi vita periculum eſt: ſi verò ſiniſtra, de fœmella: latera, ventérque ſuperior coarctantur: lumbi coxæquę grauantur, & ad motum ſunt tardiores, ſegnioréſque. vbi fœtus iam moueri incœperit, id deinde fit rarius languidiúſque. Cùm abortiendi tempus in propinquo eſt, aqua primùm ſanioſa profluit, carnium loturæ ſimilis: deinde cruenta, mox purus ſanguis, poſtea grumi, nouiſsimè fœtus ipſe, aut formatus, aut informis excluditur.

Abortus futuri notæ.

MATHETES, Quæ fœtum iam extinctum in vtero demonſtrant? GERON, Omnia ſuperiùs commemorata inualeſcunt: nec non ſtomachi roſio vrget: animi defectio: capitis & oculorum dolor: frequens horror febrilis: ſpiritus fœdus, & grauiter olens, venter grauis, ac veluti procidens, & ad tactum frigidus, ſicut etiam ceruix ipſius digitis immiſsis depre-

Fœtus extincti in vtero ſigna.

Partus tempestiuus.

deprehenditur. MATHETES, Quomodo fœtus sani partus tempestiuus accidit? GERON, Magis laboriosus in pingui mulieri est, quàm in tenui ac macra: magis in puella edenda, quàm in masculo. porrò etiam abortus ferè plus negotij, quàm partus maturus facessit. MATHETES, Quid est partus difficultas? GERON, Eiusmodi casus, quo fœtus conceptus, diutiùs quàm natura postulat, in vtero continetur. MATHETES, Quæ illius causa est? GERON, Noxa facultatis naturalis, aut retentricis, aut expultricis, siue infantis, siue grauidæ. interdum aliæ sine hac, causę, seu affectiones naturæ contrariæ exoriuntur. at vniuersæ, vel euidentes, vel abditæ existunt. illæ quidem vt nimium frigus, quod vuluam densauerit, aut calor immodicus, qui vires resoluit, aut alius quidem casus superueniens: hæ verò, vt parientis, aut fœtus, aut membranarum culpa. parientis sanè, si crassa sit, & obęsa, dolorúmque imperita: aut timidiuscula: aut natura imbecillis, vt infantem nequeat propellere: aut etiam si ante tempus pariat: aut si inflammationem in locis genitalibus, aut alia in parte experta fuerit: aut alio vitio laboręt: aut si vulua ipsius sit nimis exigua, aut ceruix eius obliqua: aut caro eidem, vel ori ipsius sit adnata: aut si abscessus, vel durities illam obsideat. Quinetiam si ossa pubis nimiùm conserta fuerint, nam cùm in partu dilatari nequeant, pariendi difficultatem efficiunt. adhæc grauida ægrè parit, si vesicæ calculo laboret: vel si excrementorum copia in recto intestino, aut vesica fuerit retenta: aut si prouectior ætate: aut puella nondum nubilis, neque robusta. Præter hæc difficilis partus fit, ob nimiam lumborum cauitatem, quæ vuluam comprimit, fœtus ratione partus fit difficilis: si ille inusitatæ magnitudinis, vel exiguæ, & modicæ grauitatis, seu magni capitis, vel monstruosus, vel mortuus, aut viribus quidem, sed adeò imbecillis, vt forâs prodire nequeat. Eadem difficultas in partu accidit, si fœtus plures fuerint. similiter figura fœtus naturæ contraria, difficilem partum efficit, vt si obliquus, aut in pedes procedat. MATHETES, Quæ est naturalis fœtus prodientis figura? GERON, Prima, vt rectè in caput manibus ad vtrunque fœmur extentis prodeat. proxima huic, vbi in pedes conuersus est, præsertim, si manibus super vtroque fœmore expansis exeat: reliquę omnes figuræ naturæ sunt contrariæ, vt si caput in dextram, vel sinistram vteri partem declinet, aut altera, aut vtraque manus exeratur: vt crura intus inter se diducantur: aut si altero pede intus detento, altero infans excludatur: quanuis hi exitus minùs sint improbandi. MATHETES, Cur in caput procedit secundum naturam? GERON, Quia superiores partes grauissimæ ipsi sunt, si ex vmbilico per-

Partus difficilis vnde fiat.

Fœtus prodientis figura.

Partus difficultas. pendantur. Atqui ſi fœtus obliquum, aut tranſuerſum ſitum habeat, aut caput ante, vel manum exerat, quod rarò accidit, difficilem, alijs membris exitum reddit. MATHETES, Quando membranarum vitio grauida difficulter parit? GERON, Quando ſecundę, quibus infans integitur, ob craſsitiem non facilè auelluntur, aut priuſquam opus fuerit, ob ſubtilitatem, ſimul cum alijs membranis fœtum ambientibus abrumpuntur. humore ſiquidem euacuato, infans præ ſiccitate ægrè deuoluitur, ac per vuluæ os, & ceruicem, difficiliùs delabitur. Nam humor ille, qui in fœtus membranis continetur, non ſolum hiſce fabricandis: ſed etiam ad vteri ceruicem maxime dilatandam conducit. atque hæ ſunt præcipuæ partus difficultates. quanuis autem tam multæ exiſtant: non tamen difficulter à medico cognoſci poterunt. à foris quidem ex aſtantium, ſeu puerperæ colloquio: intus autem ex propria medici inueſtigatione: nec non ex ipſarum parientium ſiue obſtetricum interrogatione. MATHETES, Vnde prænoſci poteſt, qualis partus futurus ſit? GERON, Inter parientes primò

Præſagium. fœtu grauidæ acerbiùs in eo edendo cruciantur: eò quòd huiuſmodi doloribus anteà non ſint aſſuetæ. MATHETES, Qua parte dolent? GERON, Toto corpore, præſertim lumbis, ac coxis, vt quæ diſparentur. at quæ iam anteà quoque pepererunt, minùs primiparis dolent: quæ verò ſæpiùs partum ediderunt, multò minùs. Adhæc in quibus infans obliquus, aut in pedes procedat, hæ non ſolùm difficulter pariunt, ſed complures, vel ipſæ, vel infantes, vel ambo ſimul intereunt. Si ei quæ difficulter parit, ſternutatio ſuperueniat, benè proficit: quia hæc naturam concuſſu vehementiori, atque feruore partim excitat, partim excernit, quæ partibus corporis firmiùs adhæreſcunt.

SECVNDÆ. Accedit etiam parienti periculoſa quædam affectio, ſub qua membrana, quæ velamentum infantis intus fuit, poſt fœtum in vtero diutiùs relinquitur: latini ſecundas vocant, quòd poſt infantem editum prodeant: ob quod etiam græci aliquando appellant ὕστερον, ſeu δευτέριον. MATHETES, Quæ pars in hoc vitio afficitur? GERON, Vterus ipſe: quia inuolucrum hoc fœtus, ſecundas contra naturam retinere cogitur. MATHETES, Qua de cauſa? GERON, Quia illę vteri fundo vaſorum in hunc diſtendentium commercio adhuc connexæ ſunt. & licet ſeiunctæ fuerint: tamen circum partem aliquam vteri pilæ modo conuolutæ, vel quod os vteri clauſum ſit, adeò vt ipſę forâs prodire nequeat. MATHETES, Quid de ſecundis in vtero relictis prænoſci licet? GERON, Quòd ſi diutiùs quàm par eſt, in vulua retineantur, magnam noxam cerebro, cordi, & ſtomacho inferunt, dum vitioſi vapores ex illis

ad viſ-

ad viscera modò citata attolluntur. si statim ac violenter extrahantur, procidentiæ vteri, de qua postea, periculum imminet.

Accidit etiam vtero, vt nunc spiritibus, nunc materia aquosa, nunc mole carnosa infletur: ideò vitijs inde contractis sua singulis nomina sunt imposita. ac primum græcis ἐκπνευμάτωσις dicitur, quod nos inflationem interpretati sumus. MATHETES, Vnde inflatio generatur? GERON, Ex copiosis flatibus: qui aut fœtu edito in sinum irrupuerunt, aut alia ex causa illic procreati congregantur. *Inflatio vnde.* MATHETES, Quibus indicijs malum hoc cognoscitur? GERON, Imus venter valdè intumescit, extenditúrque, & dolore afficitur, qui ad septum transuersum, & stomachum vsque pertingit: nec non latera vtraque molestat: frequenter inguen alterutrum excruciat: aliquando vtrunque. adhæc vmbilicum, lumbos, & pectinen: consortij autem lege ipsummet caput plærunque affligit: venter digito percussus, tympani instar, sonum efficit: præsertim si flatus amplum vteri sinum impleuerint. Similiter etiam murmura, strepitúsque intus, quando corpus flectitur, exaudiuntur. Sæpe flatus per naturalia fœminarum manifestò erumpunt. MATHETES, Quibus hoc malum magis obuenire solet? GERON, Puerperis maximè, idque non sine periculo. MATHETES, Quid igitur de finienda inflatione ista vteri præsagis? GERON, Non facilè discutitur: sed quia tam diu perseuerare solet, *Præsagium.* vt in nonnullis per omnem vitam perduret: & si flatus meatibus inhærescat, dolores grauissimos excitant, difficiliúsque remedijs tolluntur. MATHETES, Quid est hydrops vterinus?

GERON, Collectio aquarum, quibus totus vteri sinus scatet. *HYDROPS vterinus.* MATHETES, Quæ huius sunt indicia? GERON, Ea quę inflationem notant: maior autem ventris grauitas percipitur in hoc vitio. etsi ille in partem aliquam conuersus fuerit, aquæ in eo fluctuantis sonitus eliditur. MATHETES, Quæ causa huiusmodi hydropem generat? GERON, Quæ etiam id genus hydropis, quo velut in vtrem multa aqua contrahitur, parit, nempe iecoris & lienis vitiati. Sed tamen etiam aqua, ex sinuosa abdominis regione proueniens, cæco, & latente itinere in vterum: interdum, solum sanguinis serum ex vena caua eodem destillat. Luteciæ olim mulier quædam à plærisque visa est, quæ huiusmodi hydrope laborarit: sic autem, vt cùm menstrua appropinquarent, vniuersa aquarum feruentium lutei coloris colluies ex vtero per ceruicem eius expurgaretur, eáque copiosa, quæ sex aut octo pelues repleret, dum venter totus subsideret. deinde statim menstrua naturę pręscripto, subsequebantur: post mensem exactum, æqualis colluuies stato rursus tempore profluebat. Eadem mulier hoc mor-

bo leuata vterum gestare cœpit, & fœtum benè vitalem peperit.

Mola. MATHETES, Quid de mola refers? GERON, Proprium vteri vitium est: nempe inutilis, formæque expers caro: quæ non ipsòmet vtero, sed in ipsius sinu contrahitur, cute, vel membranis circundata: mollis & confusa: intus etiam venis compluribus respersa, sed absque visceribus, intestinis, & ossibus: nunc firmiter, nunc leuius acetabulis cohæerescit. ac per venas stirpium modo nutritur, adeóque increscit indies, vt ventrem totum repleat, intendátque, vt octomestrem fœtum gestare videatur. Huic molæ conceptus irriti, & inutiles propemodum accedunt: qui frequenter euenire solent: multi interdum cum illa simul in vtero gestantur, eduntúrque. interdum cum legitimo fœtu prodeunt. MATHETES, Cur huic vteri vitio molæ nomen imponis? GERON, Quia huius instar ventrem grauat, & ægrè mouetur. MATHET. Quare carnem esse inutilem dicis? GERON, Quòd aliena sit à natura, aut fœminæ incommoda, dum ipsam generat, molestátque, & menstruam purgationem impedit, vt generis propagationi minùs sit idonea. MATHETES, Quare molam, carnem informem appellas? GERON, Eò quòd artificiosa humanáque forma careat. quamuis non solum vnam quandam figuram, sed varias pro materiæ, ex qua conflatur diuersitate, & opificis ratione obtineat.

Molæ indicia. MATHETES, Quæ sunt molæ indicia? GERON, Si menstrua sistantur: mammæ turgescant: cibi vrgeat fastidium: facies decolor sit: ventérque indies magis ac magis grandescat, vt magna inde fœtus concepti sit suspicio. Verùm hæc cum grauiditate sunt communia: propria verò, quòd moles eius durior quàm fœtus existat, firmitérque inhærescat, figatúrque: adeò vt nullo intus motu cieatur, nisi cùm aut premitur, aut fœmina in latus se conuertit. tunc enim non leui blandóque, vt legitimus fœtus, motu, sed impetuose agitatur. corpus in eo vitio extenuatur: grauiter incedit, sic vt pondus aliquod propendere videatur.

Fœtus irriti. Proximè ad molam accedunt fœtus irriti, & inutiles, qui sæpè cum illa simul gestantur, eduntúrque: interdum eadem cum vero ac legitimo partu eliditur.

Molæ causæ. MATHETES, Vnde mola generatur? GERON, Ex modico viri semine, aut vitioso, aut quauis ratione debili, copiosis menstruis commixto: quod alimentum quidem ad se trahere, non autem conformare potest. At qui molam ex solo sanguine menstruo, aut semine muliebri, vt oua subuentanea dicta gigni posse affirmant, à vero aberrant: eò quòd nulla vnquam mulier, illam sine communione viri concepisse literis est proditum. Hoc annotandum etiam videtur, non modò carnem informem in vtero progigni posse: sed etiam multum sanguinem cum humoribus in-

bus in-

bus intus, flatúque frequenter commoueri excludique. adhæc dolores ex eo, & compresione, quales inter pariundum esse solent, infestare. MATHETES, Quid de huiusmodi mola præsagire consueuisti? GERON, Plærisque omnibus tertio quartóque mense excluditur, omnémque grauiditatis, seu prægnationis spem falsò conceptam præcidit: nonnullis quarto, aut quinto anno forâs excidit: nonnullis per totam vitam tutò intus manet, donec mulier affecta cum ea consenescat, ac simul commoriatur. Cùm autẽ affectus hic augetur, & iecur simul affici incipit, in aquam subter cutem degenerat: interdum etiam insanabilis magna ex parte redditur. ob quod Hippocrates curationem eius tentandam non esse, aut certè cum prædictione periculi suadet. alij recentem tantum curari posse confidunt. eóque desperandum non esse. MATHETES, Quomodo malum istud per initia dignosci poterit? GERON, Cùm menstrua sine certis grauiditatis notis retinentur, simúlque venter sine hydrope intumescit, sciendum est, aliquid in vtero, quod contra naturam sit, inesse, nempe vel irritum conceptum, vel molam, vel flatum.

Præsagia.

MATHETES, Quid est vuluæ procidentia? GERON, Eiusmodi symptoma, siue casus, sub quo vterus deorsum à propria sua sede adeò euertitur, vt forâs promineat: græcis πρόπτωσις, latinis procidentia, seu prolapsus vteri dicitur. Interdum, licet raròo, totus à ligamentis, & appendicibus suis resolutus procidere solet: id quod olim in Ducatu Lutzelburgensi in muliere quadam vidi. nam vterus sacculi longi figura, trium digitorum latitudinis instar, extra naturalia propendebat. quidam negant sic vterum prolabi posse. MATHETES, Quibus signis cognoscam, vterum procidisse? GERON, Vbi prolapsus est, ouum anserinum magnitudine representat, aut maior minórue apparet, pro vt violenter euersus fuerit: sanguis largior erumpit: deinde præcordiorum, lumborum, imi ventris, ac naturalium dolor subsequitur: & metus est, ne locis mulieribus perfrigeratis, distentio neruorum superueniat. quanuis processu temporis, vbi malum inualescit, & loci euaserint callosi, neque distentionis periculum imminet, neque dolor infestat. MATHETES, Quæ hanc vteri procidentiam efficiunt? GERON, Tum exteriores, tum interiones causæ: illæ sanè cùm mulier ab alto deciderit, in coxásque delata fuerit: aut cùm membranulæ, ac ligamenta, quæ vterum continent, ac vicinis partibus connectunt, diruptæ sunt. adhæc, vbi secundæ violenter extractæ fuerint: quod magna ex parte in abortu accidit. item quando vehementior pariundi conatus est: quo vterus fœtum, & secundas excludit, & se inuertens præcipitat. interdum impru-

PROCIDENtia vteri.

Signa vteri prolapsi.

Causæ procidentiæ exteriores.

dentis obſtetricis temeritas, vterum cum fœtu, aut ſecundis inuertit, detrahítque. nonnunquam ſpiritus retentio: immoderata oneris eleuatio: aut plaga ipſius vteri: inſuper vehementiores animi affectus, vel ob liberos amiſſos excitati, vel ob nuncia de hoſtium incurſu: vel ob nauigationem periculoſam, vel ob alias id genus cauſas: quibus mulieres toto corpore ita reſoluuntur, vt vterus ſimul procidat. MATHETES, Quæ interiores huius vitij

Interiores cauſæ.

cauſæ ſunt? GERON, Largi lentíque humoris defluxio: partus crebriores: ob quos ligamenta, ex quibus vterus dependet, laxantur, ſoluuntúrque. interdum etiam membranarum & muſculorum, quæ vterum ſuſtinent, laxatio, ſeu reſolutio: quæ in ætate declinante maximè euenire ſolet. Has cauſas inuicem dignoſcere tu ipſe poteris: aut ægra aſtantéſque tibi indicare. MATHETES, Quid in reſtituendo vtero ſpei habendum putas?

Prænotio.

GERON, Quacunque ex cauſa ſymptoma hoc eueniat, cùm recens adhuc eſt, rectè vterus contrahitur. Nam per initia facilè dirigitur, & in locum ſuum reſtitutus, in eo permanet, idque potiſsimum in ætate vigenti: in prouectiore autem, quanuis etiam contrahatur, tamen ex leui occaſione rurſus procidit.

MATHETES, Sempérne vterus hoc vno tantum modo à ſede ſua dimouetur, an etiam alijs. GERON, Procul dubio aliis quoque. nunc enim aſcendit, nunc deſcendit. interdum in hoc, interdum in illud latus inclinat.

Vteri aſcenſus.

In nonnullis adeò vehementer aſcendit, vt veluti globus quidam etiam ad ventriculum attollatur, eúmque grauiter premat: atque inde in ſedem ſuam manu repelli queat. Galenus, eiúſque ſectatores, vterum, aut nihil, aut parum commoueri, ſed ligamentorũ & appendicum, quibus annectitur, vitio, affirmant: dum illa ob materiam copioſiorem diſtenta contrahuntur, redduntúrque breuiora: Plato contra, tam varios eius eſſe motus, vt animal dici poſsit. MATHETES, Quæ indicant vterum aſcendere?

Aſcenſus notæ.

GERON, Ægræ præcordiorum dolores: ſpiritus difficultas: animi defectio: mente incolumi & omninò ſalua.

Deſcenſus.

MATHETES, Quæ vterum deſcendere ſignant? GERON, Cùm mulier erecta eſt, ille tanquam pondus in naturalia prouoluitur, quod obſtetrix digito immiſſo obuium percipit: ſi vterus hoc pacto diù perſiſtit, vix vllum præſidium periculo ſubtrahit: cùm ſupina eſt, aut aluum deijcit, rectum inteſtinum tanquam onere vrgetur: cùm illa prona decumbit, vrinam difficulter reddit, & viri concubitum non facilè admittit. Quòd ſi vterus in alterum inguen ſiniſtrum, vel dextrum contorqueatur, vehemens hunc, ac ſæpiùs coxam dolor exercet: & ſi hic augeſcat, furor vteri appellatur, totúmque crus, maximè fœmur ſtupeſcit, frigétque: idem

idem dolor, si magis adhuc excruciet, neruorum distentionem accersit. MATHETES, Quibus fœminis tot vteri motus, erroresque, & quibus ex causis proueniunt? GERON, Illis duntaxat, quibus vteri appendices ex graui ipsius gestatione, vel ex casu ac contusione, vel ex copiosi humoris profusione, laxiores euaserint. Quibus ergo hoc accidit, his vterus, quoties irritatur, aut sursum deorsúmque, aut in alterutrum latus se conuertit. MATHETES, Quæ motus vteri causa est? GERON, Vel interior, vel exterior ipsi molesta. nam cùm ille lacessitur, indignatúrque, proprio è loco decedit: aliàs in aliam sedem oberrans, vt infestum, ingratúmque fugit: amicum autem & familiarem amplectitur. MATHET. Qualis vteri motus est, naturalísne an voluntarius? GERON, Naturalis, quemadmodum etiam cordis & ventriculi. Sicut enim hic àre quadam infestatus, magno conatu hanc vomitione expellit: aut cùm per inediam exinanitus grato cibo auidè occurrit, eúmque exceptum vndique arctiùs comprehendit, ipsique concoquendo totus incumbit: ita vterus in concubitu primùm semen virile concipit: deinde conceptum ad nouem menses retinet: tandem his exactis, fœtum iam maturum excludit, tanquam ratione præditus. Vnde Plato hunc ipsum vterum animal esse existimauit. quanquam autem id verum non sit: tamen etiam Galenus in eo minùs rectè docuisse videtur, quòd vterus aut nihil, aut parum commoueatur.

Motus vteri causa.

Naturalis vteri motus.

Platonis & Galeni sententia de vtero.

VTERI SVFfocatio.

Post omnia hactenus commemorata vuluę mala, vnum adhuc insigne restat, quod varijs modis fœminas afficere consueuit. græcis πνῖξ ὑστερική, vel ὑστέρα, latinis suffocatio, seu strangulatus dicitur. non solũ enim ipsa in hoc morbo offenditur: sed etiam principes corporis partes, quæ cum ea habent communionem: sicut cor quidem arteriarum, cerebrum verò membranarum, spinę, & neruorum, iecur autem venarum consortij lege condolescit. MATHETES, Quid autem est suffocatio vuluæ? GERON, Recursus ad superiora. siue autem tota vulua sursum ęqualiter, siue ad latus inæqualiter trahatur, tanquam ad elatiores partes ascendisse videtur. MATHETES, Quæ pars in hoc malo offenditur? GERON, Ipsámet vulua: vt inde colligi potest, quòd huiusmodi affectus, solis viduis, & ijs, quæ à menstruis defectę sunt, obueniant. MATHET. Qualis affectus propriè est suffocatio? GERON, Qualis ex incommodo situ, & vitiosa figura consistit. non solum autem ex retractione, seu peruersione vteri, sed etiam alia ex causa, nempe ex immoderata ipsius intemperie, præsertim frigida generatur: quæ primùm nobilioribus vuluæ partibus: deinde toti corpori fuerit communicata. Semper itaque vulua in hoc affectu intemperie

Pars affecta.

nimium frigida laborauit. quare etiam vitium hoc vuluę non inflammatio, sed potius flatuosa refrigeratio appellatur. verum vterus non solum inflatur: sed etiam è sede sua interdum mouetur, figurámue alienam sortitur, idque pro causarum, ex quibus traxit originem, varietate, & magnitudine. MATHET. Quæ sunt ipsius suffocationis indicia? GERON, Cùm ipsa in propinquo est: ægra multa premitur nausea: deinde cibi vrgetur fastidio, & ventris murmure: quauuis hæc duo non semper comitentur. Post hæc spiritus difficilis, ac breuis esse incipit: pectus & fauces adeò arctantur, vt quasi vinculo sint præclusæ, magno suffocationis metu. Inter hæc anima leuiter deficit: sic vt pulsus vix immutetur: deinde malum hoc caput inuadit, mentémque rationalem cum timore, & similibus affectibus perturbat. interdum illam sensúmque, & vocem intercipit. Plærunque ægra in altum soporem incidit: sub eóque ipsa obmutescit, totáque pallescit, & oculis clausis prolabitur, & tanquam attonita, sensu motúque defecta iacet. interdum etiam sic exanimatur, vt tanquam comitiali morbo prosternatur. Verum hic casus à comitiali morbo distat, eò quòd neque oculi vertantur, neque spumæ profluant, neque nerui distendantur. Cùm autem suffocationis huius accessio remittit, corpus restitui incipit: vulua paulatim laxatur, humorísque aliquid emittit, ita, ut tactu percipiatur: intestina murmurant: oculi aperiuntur: malæ rubescunt: mens, sensus, motúsque ægris redeunt, sic vt omnium ferè meminerint, quæ ipsis interea euenerunt. obstetrices ceruicem vuluæ inclinatam manu deprehendunt: interdum totam illam sursum: interdum ceu ad latus tractam esse percipiunt. Plęrunque frigus nunc per ceruicem in scapulas, & brachia peruenit, quod stuporem, motúmque difficilem efficit, & resolutionis quandam speciem excitat: quæ breui pòst dissipatur. Varij sunt vteri suffocationum ordines, ac formę, quę comitialis morbi instar, circuitu in alijs fœminis frequentiùs, in alijs rariùs repetunt, donec causæ ipsorum distributæ fuerint. MATHETES, Quæ peculiares causæ suffocationem pariunt? GERON, Menstrua retenta, vel semen potius suppressum, vt quod magna vi sit præditum. sicut enim in mulieribus humidius, sic etiam frigidius existit. nam id paulatim in vtero collectum, aut etiam menstrua vitiantur, refrigerantúrque. ex his vterus quoque simili refrigeratione afficitur: ab hoc deinde frigus ad cerebrum, ac cor, processu temporis transmittitur. hinc tandem vniuersum corpus celeriter immutatur, refrigeratúrque, & superiora experitur symptomata, sic vt vel tenuis vapor, tanquam aura ab eisdem excrementis per venas, & arterias ad principes partes ascendat; vel

Suffocationis signa.

Suffocatio & comitialis morbus differentes.

Causæ peculiares suffocationum.

Semen fœminæ.

dat; vel

Vapor vuluæ.

dat: vel vt venenata qualitas alijs membris distributa partium quas attingit, facultatem offendat, earúmque functiones intercipiat. MATHETES, Qualis naturæ vapor existit? GERON, Plurimorum venenorum conditione frigidus, & melancholicus. MATHE. In qua parte consistit? GERON, In vulua, vbi sanguis menstruus, vel semen conclusum, vel alius quiuis humor in hac venenosa malignitate corrumpitur. Quemadmodum igitur morbus comitialis sæpè etiam in grauida ab vtero excitatur, è quo humor venenatus tetrum vaporem in cerebrum exhalat, idémque affectus cum partu finitur, ita quoque suffocatoria vteri symptomata eueniunt. MATHETES, Possúntne ea ab alijs dignosci? GERON, Grauia facilè: leuia difficulter, eò quòd melancholicis & cardiacis ferè consimilia sint. Non solum igitur symptomata eiusmodi ex sanguine menstruo, & semine retento, sed etiam ex alio humore quodam venenoso, in vulua corrupto, similem vaporem exhalante, nascuntur: quia etiam illæ mulieres plerunque suffocatu laborant, quæ menstruis legitimè purgantur, vterúmque gestant, & virorum commercio fruuntur. Proinde quilibet humor in vtero sic corruptus, similem vaporem è loci natura venenatum exhalat: qui efficit, vt viri quoque, licet sanguinis profusionem ex ani venis, αἱμοῤῥοΐδας græci vocant, diù experti non sint, aut à venere abstinuerint, nulla tamen eis symptomata vterinis similia superueniant: nisi humorum vitiositas veneni instar partes nobiliores inuaserit: quamuis exigua illorum sit portio. Sicut totum corpus à phalangij, & scorpionis ictu exiguo veneno, ac breui tempore, canísque rabidi sputo per morsum iniecto afficitur. adhæc etiam humores in nobis ipsis adeò corrupti, vt veneni qualitatem, & vires æquent similes affectus ijs, qui veneni periculosi potu excitantur, generare possunt.

Semen & menstrua vitiata principes partes inficiunt.

Cùm igitur semen vitiatum, & menstrua retinentur, partes principes, vt dixi, ab istis inficiuntur: deinde ex his totum corpus temporis processu affligitur: aliâs alio symptomatum genere. MATHETES, Obsecro te, explices, quibus causis singula sunt symptomata orta?

Causæ symptomatum.

GERON, Si nerui distendantur, crassa, vel acris materia infestat: si tristitia ægrum afficit, atra bilis in causa est: si animi defectiones vrgeant: et sensus & motus aboleantur, pulsus autem sit paruus, obscurúsque, & tandem intercipiatur: aut si in nonnullis sensus quidem, & motus ratióque adsit, spiratio autem difficilis: & quibusdam vox supprimatur, artúsque contrahantur, vehemens extensio, refrigeratio, & stomachi affectus, arteriarúmque contractio, auctores sunt.

Suffocatus ex menstruis suppressis.

MATHETES, Quando vteri suffocatus ex menstruis suppressis generatur? GERON, Hæc ipsa quidem ad vterum perueniunt, inte-

riora verò ipſius ingredi nequeunt: id quod duplici fit ratione: prima, quia illa ſint craſsiora, quàm vt per vaſorum ora penetrare poſsint: ſecunda, quòd hæc venas, in quibus ſunt accumulata occluſáque, extendant, ligamentáque eis vicina humectent: vnde vterus etiam peruertitur. Nam partes repletæ, in latum quidem, & altum extenduntur, ſed breuiores euadunt: ob quod protinus vulua retrahitur. Quòd ſi id vndique fiat, æqualiter, rectè, ac citra inclinationem tranſmutatur: ſin autem inæqualiter, vehementius ad partem inclinat. Atque in hac ſuffocatione ex menſtruis retentis contracta, ægræ ſpiratione non deſtituuntur, neque animi defectione, aut aliis ſymptomatibus modò recitatis grauiter laborare videntur. MATHETES, Quomodo ſuffocatio ex ſemine ſuppreſſo noſcitur? GERON, Maius incommodum, quàm ex menſtruis orta corpori inducit: eóque in illa ſpiratio, & pulſus intercipitur: nerui diſtenduntur: animus deficit, aliáque id genus ſymptomata infeſtant, idque in viduis ſæpius, & in fœminis cœlibatum profeſsis: etiamſi menſtruis optimè purgentur, præſertim ſi natura multo ſemine ſcatuerint, aut concubitu, quo antea frequenter vſæ fuerunt, prorſus abſtineant. Sæpè tales ſuffocationes etiam citra vteri peruerſionem fiunt: quando ſemen retentum, aut tenue & paucum fuerit. Interdum ſimul cum conuerſione ſeu retractione: quando ſcilicet idem ſemen tum copioſum, tum craſſum eodem modo, quo menſtruus ſanguis, vaſa ac ligamenta replet, extendit, & madefacit. Ideò etiam Galenus in opere de locis affectis mulieris cuiuſdam meminit, quæ cùm longo tempore vidua fuiſſet, neruorúmque diſtentione præter alia incommoda laboraſſet, eiúſque partes naturales obſtetrix manibus tractaſſet, calidíſque medicamentis fouiſſet, craſſum tandem, multúmque ſemen cum labore, & titillatione, vt in coitu euenire ſolet, excreuiſſe, ac ſic moleſtia fuiſſe alleuiatam. MATHETES, Soletne hic affectus ex alia etiam cauſa excitari? GERON, Solet vtique, vel ob vterum refrigeratum, dum menſtrua prodeunt, vel ob abortum, vel ob ſanguinis ab vtero eruptionem, ex re quadam ſubitò ſuppreſſam: id quod ab aſtantibus perdiſci poteſt. MATHE. Quæ fœminæ potiſsimùm huic vitio ſunt obnoxiæ, & quando? GERON, Calidæ & humidæ puellæ, ac viduæ etiam, quæ præter earum conſuetudinem veneris vſu diutiùs caruerunt: item illæ, quæ ob certa quædam medicamenta, non ob ætatem ſteriles euaſerunt. MATHETES, Quo anni tempore potiſsimùm fœminæ hoc affectu tentantur? GERON, Hyeme magis quàm autumno, idque per interualla quædam, tanquam circuitus, ſicut etiam morbus comitialis. MATHETES, Quæ ſunt vterinæ ſuffocationis præſa-

Suffocatio ex ſemine retento.

Suffocatio ex refrigeratione, & aliis.

Suffocationi obnoxiæ.

præſagia? GERON, Prima eius ſpecies, quę ex ſemine retento prouenit, grauior, difficiliórque exiſtit, quàm quæ ex menſtruis contracta fuerit, moleſtáque magis ſymptomata inducit. adhæc illa, in qua ſpiratio, & pulſus intercidit, periculoſior eſt. nam quædam mulieres eadem laborantes intereunt, licet quædam etiam ſuperſtites maneant. Vbi hic affectus inuadere aſſueuerit, multis crebrò repetens, vti comitialis perpetuus eſt: & quanuis tutus eſſe videatur: ſingulis tamen acceſsionibus non eodem duntaxat die, ſed etiam paucis poſt horis in vitę diſcrimen præcipitat. In eodem hoc malo ſpiritus difficillimè per initia trahitur: pulſus eſt frequens, & inordinatus, licet ex toto interdum, ſicut etiam ſenſus motúſque aboletur: totum corpus ſudore frigido digeritur: deinde vires omnes deficiunt, & mors propinqua eſt. Minùs periculoſa eſt ſuffocatio: in qua caſus quidem commemorati adſunt, ſola verò ſpiratio manet integra. MATHETES, Cur benè ſperas, cùm ægra in hoc caſu ſpirare poteſt? GERON, Quoniam, quæ ſpirat, viuere: & quæ viuit, ſpirare poteſt. MATHETES, Quomodo autem in ſuffocatu viuere poteſt, vbi ſpiratio non depręhenditur? GERON, Non ſolùm ea, quæ ab ore fit, & naribus: ſed etiam illa intelligi debet, quæ in toto corpore à corde & arterijs perficitur: græcis nominatur διαπνοή. Nam ſæpè mulieres, quæ hoc vitio laborant, mortuæ prorſus apparent, quòd per os, & nares ſpirare prorſus nequeant. Porrò læuior adhuc eſt ſuffocationis ſpecies, in qua non ſolùm ſpiratio: ſed etiam ſenſus, motúſque ſaluus eſt. in vniuerſum illa, ſalutem futuram denunciat, in qua ſternutatio ſuperuenit. MATHETES, Quo alio morbo præterquàm ſuffocatione vulua laborare ſolet?

Spiratio quid commodi adferat.

GERON, Aliquando etiam vulneratur. MATHETES, Vnde hoc noſcitur? GERON, Inde, quòd inguina, coxæ, & fœmora doleant: ſanguis partim per vulnus, partim per naturale exeat: vomitúſque bilis inſequatur. Quędam mulieres ex hoc caſu obmuteſcunt: quędam mente labuntur: quędam ſui compotes manent: neruorum oculorúmque dolore ſe vrgeri confitentur: morienteſque tandem eadem quæ corde vulnerato patiuntur.

Atque hîc nunc de internis totius corporis agere deſinam: deinceps inde ad extremarum illius partium, quæ articulis inter ſe conferuntur, affectus digrediar, initiúmque ab eo faciam, qui omnes articulos obſidere ſolet, græcè ἀρθρῖτις: latinè morbus articularis dicitur. MATHETES, Quot eius ſunt differentiæ? GERON, Tres duntaxat, ex quibus duo in manibus pedibúſque articulorum ſunt vitia, ac græcis, latiniſque χειράγρα, & ποδάγρα vocantur: tertia verò gręcis tantùm ἰσχίας, hoc eſt coxarum dolor appellatur.

Arthritis, morbus articularis.

Chiragra.
Podagra.

at qui affectus seu dolor cuicunq; articulo intus inciderit, generali nomine articularis, græcis ἀρθριτικὸς nuncupatur. MATHET.

Articularis morbi indicia.

Quæ communia morbi articularis sunt indicia? GERON, Diù ille trahit, & per interualla propè reuertitur, grauibus tormentis ægrum conficiens: interdum is ipse, repente in omnes articulos irruit: sæpiùs paulatim accedit, leuisque chiragra, vel etiam podagra oritur, calidis natura hominibus dicata. Ab his partibus dolor longo spatio cæteros articulos, quos infestare solet, inuadit. Quinetiam cùm malum hoc inualescit, spinæ vertebræ afficiuntur, genæq; dolent: atque nonnunquam ipsum guttur: imò omnia ferè ossa, quæ inuicem connectuntur, huiusmodi dolore cruciantur. ac quæcunque pars huic vitio opprtuna est, leni occasione æqualiter, siue frigore, siue calore offenditur. MATHETES, Quomodo singulæ morbi huius species distinguuntur? GERON, Dolores alij alias partes affligunt. si ossium membranas, aut musculos, aut neruos, aut medias regiones occupant: illi articulos

Chiragræ signa.

tantum infestant. In chiragra manum, vel eius & brachij iuncturam, quæ græcis κάρπος dicitur: vel partem exteriorem, vel digitorum articulos, ac ligamenta: atque plærunque ei adest etiam tumor, rubor, calor pulsánsque, & venæ plenæ, turgidæq; appa-

Podagræ indicia.

rent. In podagra verò dolor talos, vel plantas: præcipuè pollicis articulum inuadit. Tumor quoque in hac, sicut in chiragra extat, partísque affectæ, & venarum ipsam ambientium rubor, ca-

Coxæ dolorum notæ.

lor, dolórque pulsans deprehenditur. In coxarum affectu cùm vehementissimus dolor sentitur, maximè in eo articulo, quo fœmoris caput coxe vsque ad nates summas inseritur: qua nerui à lumbis & osse sacro emergentes in crura feruntur. Cruciatus autem non tantùm in coxa persistit, sed etiam in fœmur, suram, pedémque extremum pertingit, quocunque tandem neruus ab affecta coxa profectus, pertineat. aliquando circa inguina inhærescit: & vesica offensa, vrinæ difficultatem parit. ipsum verò crus, nunc calidum, nunc frigidum existit. Hoc vitium ferè post longum morbum materia in coxam inclinata, gignitnr. pars affecta non sæpè in illo tumescit, rariùs calet, aut rubescit: eò quòd nullæ propemodum venę in summa cute extent. MATHETES, Quomodo affectus humeri cognoscuntur? GERON, Dolor quidem in eius articulo sentitur, nullus autem insignis tumor, rubor, vel calor, sicut neque in coxa est manifestus. MATHETES, Qui potissimùm infestari podagra solent? GERON, Pleniore habitu prediti: renum

Podagræ obnoxij.

imbecillitate, & calculo affecti, raro autem castrati, vel pueri ante veneris vsum. non sæpè mulieres, quæ menstruis adhuc purgantur. Quanquam ego Argentinæ viderim etiam nonnullas, quæ

licet

licet menstruis purgarentur, eo vitio laborasse. aliâs solùm illæ, quibus menstrua suppressa sunt, podagra laborare solent. MATH. Quæ proximæ causæ, articulare vitium generant? GERON, Si tumor euidens est, humor naturæ contrarius, crasiórque illis inhærescens, mali huius auctor est: si exiguus conspicitur, tenuis aliquis ac paucus eum generat: qui ligamenta, & membranas extrema ossa foris ambientes, nec non tendines eò directos penetrat. Id inde cognoscetur, quòd humor fœculentus, qui vulgò tartarum dicitur, renibus, & articulis communis in calculum concretus, in chiragra, & podagra, callosa nodosáque, si cutis aperta aut rupta fuerit, è digitorum articulis extundatur, ligamine saluo & incolumi. Hac de causa coxæ dolor, etiam longè est vehementior: quia humor illum excitans, in coxæ acetabulo non reconditur, neque tam latè diffunditur: adhæc quia idem humor non tam varius, vt dici solet, existat. neq; enim sanguineus, neq; biliosus, neq; melancholicus vnquam est: sed omninò vel pituitosus, vel serosus. MATHE. Si hoc ita habet, vnde rubor, aut calor interdum, præsertim in chiragra, vel podagra prouenit? GERON, Non ex morbi materia, sed ex doloris vehementia contrahitur: qui ruborem, calorémque, & febrim nonnunquam procreat: idque potissimùm in calido valdè habitu, & pleniore donatis, & qui leui occasione febri conflictantur. Frigidus igitur humor: & tenuis, dum articulorum ligamenta, membranas, aut tendines replet, distendítque, aut ferit, dolorem concitat. hic autem ruborem, calorem, atque febrim parit: quæ humorem distendentem, aut feruentem comitantur. MATHETES, Continentem seu proximam articularij doloris causam explicasti, quæ est primaria, siue antecedens? GERON, Humor, qui aliunde in articulos imbecilles, vel influit, vel influxurus est: quo autem ex loco, & per quas vias, nulli satis exactè est compertum. Ob quam causam morbus iste articularis, à medicorum turba desperatus, & relictus censetur. MATHETES, Quæ igitur illius origo est? GERON, Caput, è quo tenuis pituitosus humor in articulos profluit. MATHETES, Cur non ex cerebro, aut ex interiore eius ventriculo, in quibus excrementum pituitosum accumulari consueuit? GERON, Quia id forâs, vel per nares, vel per palatum, in asperam arteriam, atque pulmones, aut in ventriculum, sedésque interiores illabitur. Doloris itaque articularis origo sunt, externæ capitis partes, extráque caluariam sitæ, è quibus humor superuacaneus, per summum corpus sub cute deorsum defluit, manétque ibi diutiùs: eò quòd is ob crassam densámque capitis cutem, non facilè expirat, sed magis magísque colligitur. MATHETES, Quæ copiam eius indicant? GERON, Capitis

Articularis morbi causæ.

Coxæ dolor cur vehementior.

Articularis morbus ex solo frigido humore.

Articularis morbus cur desperatus dicatur.

Articularij doloris origo.

Humoris excrementitij in summo capite notæ.

grauitas,ſomnolentia,dolor externus:qui dum ipſum contingis, pedéſque inuertis,inualeſcit.adhęc tumor ceræ inſtar mollis,qui græcis οἴδημα,dicitur,cuti iuxta occipitium ſubiectus. Porrò immodicus humor ſæpè, aut æſtus, aut frigoris,aut fricationis gratia, aliâs ſponte etiam,in partes ſubditas delabitur. Cùm autem aquæ,& ſeri inſtar tenuis exiſtat, qualem tempeſtate frigidiore è cerebro per nares defluere depręhendis, non per ſpinæ medullam,vt in reſolutione accidit, neque per neruos, & muſculos,verùm ſub cute in extimas corporis regiones facilè influit. Idem interea ob tenuitatem,in ſolis articulis ceu compactis denſisq́;,non autem in medijs ſedibus,amplis,laxíſque ſubſiſtit, hæretque. MATHETES,In quod corporis latus humor ille ſuperueniens præcipuè fertur? GERON,In illud,ceu corpus frequentiùs incumbit. verbi gratia,ſi ipſe iam concitatus in dextrum latus tendit, dolor humerum brachiúmque dextrum affligit. ſi in ſiniſtrum inclinat, ſiniſtrum impetit. ſi in dorſum profluat, ceruicem, ſcapulas,coxas,vel crura moleſtat. MATHETES,Qua ratione homines articulario morbo laborare incipiunt? GERON,Primùm humor è capite fertur: deinde ſubitò in extremos pedes, latenter, & ſine ſenſu influunt:idque facilè,cùm per initia admodum ſit tenuis,& in calidiore orbis regione. Vbi verò is humor,temporis ſpatio craſſiuſculus iam euaſerit, præſertim in regionibus frigidis, & in ſenioribus, non ilicò in extrema profluit, ſed in medijs hæret regionibus:quando etiam tum mali origo,tum propagatio eſt manifeſta. MATHETES,Quomodo? GERON,Dolor è ceruice vel per humeros in cubitus,& manus:vel per dorſum in coxas,genua,& pedes pertingit: ſic vt frigus interdum percipiatur, quo corpus totum perhorreſcit. MATHETES,Obſecro te dicas,num dolor,vt è ſupernis partibus ad inferiores, ita etiam ab infernis ſurſum aſcendat? GERON,Minimè, imò neque ex dextris ad ſiniſtras,aut contrà,ab his ad illas commigrat. MATHETES,Quid ſi dextri doloris,ſiniſtri cruciatum comitetur? GERON,Tunc non loci permutatio,ſed noua defluxio illum generat.notandum autem omnem humorem,cùm defluit, aliquanto eſſe tenuiorem: cùm autem articulo iam impactus eſt,caloris natiui, & vehementium medicamentorum vi eundem concreſcere, & ſubtili eius portione diſsipata diſcuſſáque, fœculam quandam terreſtrem reliquam manere:quæ crebro influxu coagmentata, in euidentem tophum, & calculum in articulis,præſertim digitorum coaleſcere. Atque hic eſt morbus articularis nodoſus, quo articuli diſsiliunt, diſtorquentur,& motu abolito incurueſcunt. MATHETES, Quæ ſunt huius vitij cauſæ euidentes? GERON, Eædem, quæ fluxionis. vna ſiqui-

Quomodo homines articulario morbo laborare incipiant.

Articularius morbus nodoſus.

Cauſæ euidentes.

ſiquidem eſt, humoris abundantia: altera verò, imbecillitas articulorum. neutra ſeorſim, ſed ambæ ſimul concurrentes, hoc malum efficiunt. MATHETES, Vnde imbecillitas artuum æſtimari debet? GERON, Tum ex ligamentorum membranarúmque laxitate, tum ex tranſitus viarúmque amplitudine. MATHETES, Vnde ergo vitia iſta proueniunt? GERON, Vel ex imbecillo parentum ſemine (atque hac ratione morbus eſt hæreditarius) vel ex cauſis euidentibus, vt ex crebro veneris, balneorúmque vſu: & exterioribus, quæ arterias contundunt. MATHETES, Quæ humoris abundantis cauſæ ſunt interiores? GERON, Imbecillitas, & frigida humidáque intemperies cerebri, & capitis vniuerſi. nam humor etiamſi alimenti vice in capite ſit exceptus, dum vitia illa vrgent, totus elaborari conficíque non poteſt: eóque excrementum neceſſariò temporis proceſſu gignitur, augeſcitque. MATHETES, Quomodo? GERON, Si euidentes cauſæ adhuc illis acceſſerint, quæ fluxionis materiam adaugent: cuiuſmodi ſunt cibi iuſtò pleniores: omnis potio, præſertim vini liberalior: ſomnus æquo largior, maximè ſecundum cibum ſtatim: ocium, exercitationes intermiſſæ: ſolitarum vrinarum, ſudorúmque excretiones ſuppreſſæ, vel ſaltem imminutæ. MATHETES, Quæ de morbo hoc articulari communiter, prædici poſſunt? GERON, Vbi ad ſenectutem vſque inueterauerit, aut ſaltem in ea oriri cœperit: aut ſi ante ætatem hanc, callum, nodúmue contraxerit, nunquam ex toto ſaneſcit. Iuueni ſemper faciliùs ſuccurritur, qui laboris cupidus eſt, probáque victus ratione vtitur, & aluum habet facilem: maximè ſi morbi materia non ex diuerſis conflata ſit humoribus. atque hæc ſi non omnia fauſta pollicentur, certè eam ſpem faciunt, vt nullus nodus interea generetur. Tormina & aluus quomodocunque fluens, omnium maximè huic morbo ſuccurrit: vinum contra, & venus immodica ſunt nocentiſsima. febris & generare, & fouere articulorum vitia poteſt. varices nati, aut vrina craſſa, multáque excreta, ſalutem portendunt. Quæcunque pars tum in podagrico, tum in chiragrico vitio affecta eſt, ea debilior eſt, & emacreſcit. Podagrici dolores, vbi inflammatio remiſerit, intra quadraginta dies conquieſcunt: iidémque magis in autumno, quàm in vere mouentur. Coxendicus dolor, cùm ſit grauiſsimus, longior etiam cæteris exiſtit, vt qui nequaquam anno finiatur: ſi ingens torpor ſubſit, & crus, coxa, & lumbi valdè frigeant, aluúſque non niſi ſollicitata reſpondeat, & nihil præter mucum excrementitium reddat: ſi denique genitalia arrigi nequeant: & ætas annum iam quadrageſimum ſuperauerit. In vere, & æſtate hoc malum faciliùs, quàm hyeme & autumno curari poteſt. Dolor in eodem

Artuum imbecillitas.

Præſagia.

Aluus fluens commoda morbo articulari.

Vinum & venus articularijs noxia.

Coxendicus dolor

Coxæ doloris tempus.

Præſagia.

isto vitio perinde grauis, in iunioribus ac in senioribus: non autem æquè longa ipsius spatia existunt. nam iuuenes ante diem quadragesimum liberantur. torpores etiam in his minùs vehementes fiunt, cruráque ac lumbi minùs frigescunt. Quòd si dolor sub eodem affectu latens, à lumbis ac coxis ad inferiora descendat, benè sperandum est: contra si coxis, lumbísque adhuc affectis dolor ad superiora tendat, res in periculo versatur. si vitio inueterascente, fœmoris caput extra coxam elabatur, protinus id contabescit, & æger nisi vstus fuerit, claudicabit. non raro hydrops, ex

Podagræ & coxæ præsagia.

hoc coxæ dolore nascitur. Podagræ & coxæ vitia facilè reuerti, reliquorum autem articulorum, non item consueuerunt. Vbi articularis cruciatus in humerum decumbit, nullus euidens tumor vel calor, vel rubor apparet. Quando ille cubitum, aut genu obsidet, multum & doloris, & tumoris: parum autem ruboris, calorísque exhibet. MATHETES, Cur obsecro quælibet articularij

Cur articularij morbi desperata ta curatio dicatur.

morbi species difficillima, vel desperata curatio esse dicitur? GERON, Quòd varijs modis generetur, & ægrè dignosci possit. Nam si constaret, quę, & quales eius sint differentiæ, quæqúe propria remedia, & conueniens victus ratio: inprimis autem si ægri per omnia obtemperarent, faciliùs curarentur. Habes nunc omnia, quibus interiores corporis affectus cognoscere posis: tempus nunc est, vt me ad exteriora corporis vitia, conuertam.

EXTERNI affectus tumores

MATHETES, Quænam obsecro sunt? GERON, Tumores, tubercula, pustulæ, abscessus, vulnera, vlcera, & postremò ossa fracta, luxata, aut aliter vitiata. MATHETES, Quæ sunt singulorum species? GERON, Tumorum inflammatio, & bubo phygethlon: tuberculorum phyma: pustularum carbunculus, & furunculus. MATHETES, Quibus notis inflammatio indicatur? GERON,

Inflammationis notæ.

Pars affecta tumet, digitóque prementi renititur, tenditur, calet, rubétque, & pulsanti dolore vrgetur. MATHETES, Quæ res illam

Causa inflammationis.

excitat? GERON, Sanguis è venis prodiens, non soli cuti, sed etiam carni subiectæ impactus. Cùm enim venæ arteriæqúe maiores immodico sanguine distenduntur, hunc illę grauatæ in minores: ex his tandem in minimas deponunt. Quando autem sanguis per illarum oras, ac tunicarum meatus cohiberi non potest, in spatia musculorum, venarum, arteriarũ, neruorum, & membranarum effluit, elabitúrque. hæ verò partes, dum fluxione perfunduntur, implentúrque, sanguinis abundantia distentæ, quasi diuelluntur, ac ardore illius incalescunt, dolorémqꝫ pariunt. nam sanguis extra vasa contentus (sic vt libero perspiratu difflari nequeat) necessariò putrescit, inflammatúrque. Quòd si is purus fuerit, exquisitas inflammationes excitat: cuius species sunt, lippitudo, an-

gina,

gina, & alia, quæ aures, aut gingiuas, similésque partes affligere solent. Si verò non syncerus sanguis, sed aliorum quoque humorum particeps fuerit, minùs exquisita inflammatio gignitur, quales græcis nominibus erysipelades, oedematodes, & scirrhodes appellantur. MATHETES, Quid de finienda inflammatione sperari potest? GERON, Aut materia eius latenter resoluitur, quod salutiferum est: aut maturatur, & pus mouetur: quod bonam spem ostendit. interdum sine his maligna esse incipit: quod pestiferum existit. aliquando etiam cùm malè curatur, in durum, sensúsque expertem tumorem degenerat: id quod bonum non est. MATHE.

Præsagia.

Quid est phygethlon? GERON, Glandularum tumor non altus, sed latus: in quo sanè quiddam pustulis simile apparet: latinis pannus ad figuræ similitudinem vocatur: frequenter in ceruice, aut in alis, aut in inguinibus nascens, iam dictis minor, pleniórque: minùs autem rubens, ac dolens, vt qui ex sanguine, & pauca pituita sit conflatus. MATHETES, Quæ signa phygethlon indicant? GERON, Dolor, distentióque vehemens, ac maior, quàm pro magnitudine tumoris: interdum etiam febricula: idque tarde maturescit: neque magnopere in pus conuertitur. MATHETES, Quibus ex causis contrahitur? GERON, Ex ijsdem, quibus inflammatio: atque id ferè post febres, aut partis alicuius dolores, maximéque eos, qui ventrem infestarunt, & materiæ fluxionem in glandulas prouocarunt. Sæpius oculis expositum hoc est vitium. nam latiùs aliquando intumescit, rubétque cum calore, & paulò post cum duritie, magísque innocenter indolescit, & sitim vigiliámque exprimit. Interdum tamen horum nihil in cute deprehendi potest: maximéque vbi pus altiùs mouetur: sed punctiones aliquæ intus, cum siti vigiliáque sentiuntur: & quod de subito duriùs non est, melius est: & quanuis non rubeat, coloris tamen aliter mutati est: quæ signa iam pure oriente nascuntur. tumor rubórque multò antè incipiunt.

PHYGETHLON. Signa. Causæ.

MATHETES, Quid phyma dicitur? GERON, Tumor glandularum ad suppurationem spectans, vel in abscessum degenerans: id quod ex Hippocrate cognosci potest, dum in hunc modum scribit: «In quibus phyma meatum vrinarium obsidet, hi abscessu in vomicam erumpente, liberantur.» Cæterùm vitium hoc rotundum phygethlo minùs, pleniúsque est, rubens, dolens. MATHETES, Vnde oritur? GERON, Ex eo sanguine, cui pituitæ aliquid sit admistum, veluti inflammatio œdematis particeps.

PHYMA.

MATH. Quale vitium est bubo? GERON, Inflammatio inguinum, vel alarum, vel ceruicis, quæ modò ictibus, modò doloribus, modò alijs vlceribus: maxima autem ex parte lui pestilẽtiali,

BVBO.

aliquando veneno superuenit. MATHETES, Qui alij calidi affectus præter hos restant?

GERON, Qui summam cutem vehementi ardore affligunt: inter quos principem locum obtinet, qui græcè ἐρυσίπελας, dicitur. sub hoc neque tumor manifestus eminet, neque partem attollit, distenditque, neque carnem subditam penetrat: sed latiùs diffunditur, nulla materia coaceruata definitus. quemcunque verò locum apprehendit, valdè rodit vritque. color eius rubro flauus, qui digitis prementibus euanescit: ijsdem remotis, statim reuertitur. adhæc neque dolorem pulsantem, neque admodum vehementem inducit, sed ex vna sede in aliam serpendo migrat, ac per initia sanè cum horrore inuadit, febrem mouet, & semper minùs doloris ac tumoris, quàm inflammatio adfert. Duæ eius species habentur: simplex, & exulcerata. illa veluti ardor ac deflagratio quædam rubicunda, sine vlcere existit. Hippocrates ἐπιφλόγισμα: vulgares à caloris rubri similitudine Rosam, & Pulchellam nominarunt: hæc Celso ignis sacer dicitur: sub qua summa aliâs cutis afficitur, in eáque crustulæ tanquam furfuraceę oriuntur: aliâs tota exulceratur, & ruptis pustulis saniem purulentam reddit. Hæc vlcerata rursus duplici constat differentia. in priore summa cutis exulcerata sine altitudine lata, subliuida, inæqualiter tamen apparet, mediúmque sanescit extremis procidentibus. Altera est, sub qua exulceratio altiùs cutem penetrat: ex qua sanies purulenta ruptis pustulis prodit. MATHETES, In qua parte versatur potissimùm erysipelas? GERON, In facie, eámque serpendo subinde occupat, & multum attollit, latiúsque expandit. MATHET. Vnde simplex erysipelas oritur? GERON, Ex sanguine feruido & tenui, seu bilioso. Exulceratus autem ex eo, cui bilis excrementitiæ, & incalescentis aliquid sit admistum. MATHETES, Vnde hic prouenit? GERON, E venis tenuioribus, eóque in carne non subsistit hærétque, sed ob ipsius tenuitatem in cutem fertur, euanescítque: quæ cùm sit densior, ac compactior, ipsum retinet, & remoratur: humor autem cùm sit tenuis, facilè dissipatur, & nullum tumorem excitat. Hoc totum erysipelatis genus exquisitum est: inflammatorium autem, seu φλεγμανῶδες græcè dictum, tumorem quidem magis conspicuum, sed minùs feruidum efficit. multò autem minùs id quod οἰδηματώδης grǽcè appellatur. MATHETES, Quę corpora huic malo magis sunt opportuna? GERON, Seniora, aut quæ mali habitus sunt, præcipuè in cruribus. MATHETES, Quæ præsagia de hoc vitio habes? GERON, Nisi statim remedijs ei succurratur, rapere etiam hominem strangulatu potest. Hippocrates hoc vitium per anginam pestiferũ esse prodidit, si postquam

ERYSIPELas.

Erysipelas duplex.

Ignis sacer.

Ignis sacer duplex.

Pars affecta.

Erysipelas vnde.

Erysipelati obnoxia corpora.

Præsagia.

semel

ſemel in pectore exortum eſt, ſubitò rurſus intrò reuertitur. Prauum quoque eſſe, quod propter os confractum, aut nudatum prouenit. Si ab interiore parte ad externam vertitur, ſemper eſt ſalutare: ſi ab hac ad illam declinet, peſtiferum exiſtit. Putredo, aut ſuppuratio ab eodem vitio ſuborta, malum indicat, id quod ſimplici eryſipelati nunquam ferè poteſt accidere, vt quia magis latenti cutis perſpiratu diſſipatur.

PAPVLA. *Simplex.* Huic ſimile eſt vitium, quod latinis papula, græcis ἕρπης appellatur. Eius duo ſunt genera: alterum ſimplex ac mitiùs eſt, in quo cutis per minimas puſtulas milio ſimiles exaſperatur, rubet, leuitérque roditur, & prurigine ſolicitatur: medium habet pauxillo leuiùs, tardè ſerpit: ídque vitium maximè rotundum incipit, eadémque ratione in orbem procedit. *Feru.* Alterum ſęuiùs eſt, vnde græci τἄγριον, quaſi ferum nuncupatur, & papulas ferè habet, quas gręci ἐσθιομένας vocant: eò quòd totam cutem excdant. in hoc cutis quidem ſimiliter, ſed magis exaſperatur exulceratúrque, ac vehementiùs & roditur, & rubet: interdum etiam pilos remittit. MATHETES, Videtur ex narratione tua papula exulcerata, eryſipelati eſſe finitima? GERON, Eſt quodammodo, ſed hoc intercedit diſcriminis: quòd hoc manifeſta fluxione de ſubito emergit: illa verò ſenſim, longóque tempore, non palàm conſpectui patet. *Papularum puſtulæ.* Papularum puſtulæ aridæ ſunt, è quibus ruptis neque ſanies, neque pus exit. eryſipelatis autem magnæ exulceratæ, & humidæ, ſanioſum pus effundentes. Rurſus papnla pruritu, eryſipelas dolore, & ardore cruciat. denique omnis papula diuturna eſt, febris omninò expers. *Cauſæ papularũ.* MATHETES, Quæ cauſa vtranque papulæ ſpeciem gignit? GERON, Bilis ſincera, excrementitia, eáque ardentiſſima, vt porracea, vel æruginoſa, quæ paulatim è venis expurgata, partes omnes, præſertim carnoſas, ob tenuitatem ſuam tranſit, donec cutem denſiorem attingat. Quia verò illa craſsior viſcoſiórque eſt, quàm in igne ſacro, diutiùs tenaciúſque in cute ſubſiſtit. ſin autem maior ſimul fuerit, puſtulas mouet: quibus ruptis, cutéque exulcerata, papula fera, ſeu herpes exedens excitatur. ſi tenuior bilis cutem permeat, & in ſola ſumma cuticula remoratur, ita vt ſudoris modo eam tranſire nequeat, tunc eam erodit, & puſtulis intercurrentibus exedit. *Prænotio.* MATHETES, Quid præſagis de vitio hoc papularum? GERON, Hæ inter omnia vlcera, quę depaſcendo ſerpunt, minimè periculoſæ ſunt. nam læues, & rotundæ inter ipſas, etiamſi ieiuna tantùm ſaliua quotidie defricentur, ſaneſcunt. Quæ verò minùs rotundæ exiſtunt, difficilem, longámque curationem habent. niſi enim ſublatæ fuerint, in impetiginem, de qua poſteà, vertuntur.

CARBVNCVLUS.

Similis ferè affectus eſt, qui græcis ἄνθραξ, latinis carbunculus nominatur. Sub hoc pars offenſa primùm prurit: deinde rubore picis, aut bituminis inſtar, ſplendeſcit, maximóque dolore cruciatur: ac ſtatim puſtulæ plures excitantur: vel ſaltem vna, eáque flagrantiſsima, colore nigra, interdum liuida, & pallida, quæ non multum eminet. hac rupta, vlcus cum cruſta gignitur: quale à ferramentis candentibus inuri ſolet. reliqua eius caro feruida inflammatione cingitur: quæ græcis φλόγωσις, dicitur: cruſta ipſa modò cinerei coloris, modò nigra eſt, ſic vt ipſa carni inferiori continuè adhæreſcat, & quaſi affixa ſit, vt inde diduci diuidíque nequeat: partes vicinæ omnes, calorem dolorémque conſenſione quadam percipiunt: ſubinde æger horreſcit, ac febricitat, nauſeat: acceditque ſomni cupiditas, & cordis tremor: tumor in hoc malo nunquam ſuppurat. vbi autem carnis corruptæ ob exuſtionem particula tandem excidit, cauum ſordidúmque vlcus generatur. Oritur hoc malum ex ſanguine craſſo, nigro, feruente, & corrupto. MATHETES, Quid de hoc malo ſperari poteſt? GERON,

Prognoſticum.

Nihil boni: vt quod acutum ſit, & ex toto peſtiferum: præſertim ſi febrim excitauerit: et nō longè à principalibus abſit viſceribus, vti in alis, & inguinibus. Timendum enim eſt, ne id facilè intrò reuertatur: quia cùm id acciderit, ęger in certo vitæ periculo verſatur, præcipuè, ſi plura mala ſigna etiam comitentur. Solet idem malum, cùm circa ſtomachum, aut fauces prouenerit, ſpiritum ſubitò elidere: at rubens carbunculus, pallidúſque minùs *terribilis* eſt: niger in totum pernitioſus. denique omnis ferè carbunculus grauia peſtilentiæ tempora, & antecedere, & comitari ſolet: idémque tunc prorſus eſt exitialis. *qui verò alio tempore oboritur: is licet maximis quoque doloribus terreat*, curatu tamen eſt facillimus. MATHETES, Quid eſt furunculus?

FVRVNCVLUS.

GERON, Tuberculum acutum, dimidij oui magnitudinem rarò explet, nunquam excedit: gręcè δοθιὴν, vocatur, phymate minùs latè patet. maior autem inflammatio & dolor in eo ſentitur, maximè vbi iam in pus vertitur. Quando ille adapertus eſt, & exit, ſuper apparet pars carnis in pus verſa, pars corrupta, ſubalbida, ſubrubra. Differt à ſimplici carbunculo: eo quòd perinde ac inflammatio ſuppuret. MATHET. Vnde contrahitur? GERON, Ex craſſo vitioſóque ſanguine, non tamen exuſto, vt in carbunculo: rarò ſimplex ac ſolus erumpit, ſed complures ſimiles ſummam corporis cutem inficiunt. MATHETES, Quid de curatione eius expectari poteſt? GERON, Nullum periculum, etiamſi nulla curatio adhibeatur.

GANGRÆNA

Vbi inflammatio grandior extiterit: gangræna, atque ſphacelus

Sphacelus.

celus ſubinde conſequuntur: in illa pars emori incipit, calórq; natiuus extingui: nec non color inflammationis amittitur, ſimúlq; dolor, & pulſatio vrget, in hoc, qui latinis etiam ſyderatio vocatur, pars affecta, ſenſum motúmq;, & vitam ipſam tota amittit, euaditq; prorſus nigra, mollis, putris, malè olens, & cadaueroſa. hoc malum niſi pars corrupta maturè præcidatur, præceps adfert exitium. MATHET. Calidos affectus expoſuiſti: quinam ſunt frigidi?

OEDEMA.

GERON, Primus græcis οἴδημα dicitur, laxus, mollis, albidus, coloris, dolorísque expers, qui digito prementi cedit, veſtigiúmque relinquit.

Oedema duplex.

Duplex eius ſpecies eſt. vna ex mera pituita: altera ex pituitoſo ſanguine gignitur: nec non illa frequens eſt pedibus, aliisq; nonnullis partibus. hæc toti corpori communis, eorum præcipuè, quos aqua inter cutem, aut tabes, aut malus corporis habitus conſumpſit, ex pituitoſo ſanguine ducens originem. Sæpè hæc reſoluta conquieſcit, ac in nodos quoſdam tuberáque excreſcentia degenerat. MATHETES, Quando iſtud, & quibus accidit? GERON, Promptiùs per hyemem luxui deditis, & ſenibus. MATHETES, Vtrum exquiſitum œdema dici poteſt? GERON,

Oedema exquiſitum.

Quod ex pituita ſuperflua generatur, quæ tantum vel aquoſa ſit, vel mucoſa, quacunque ex parte in locum affectum deferatur. plærunque tamen hæc ex capitis deſtillatione prouenit, quæ crebrò in genua, aliquando in humeros, aliáſque partes defertur. MATHETES, Súntne alij tumores hiſce ſimiles? GERON,

Tumores aquoſi.

Sunt aquoſi, quibus vel aqua citrea, ſeu lutea, vel ſerum ſanguinis continetur: ſicut hydrops, qui ab eo, quod aqua tanquam in vtre comprehenditur, ἀσκίτης, græcè nominantur, hydrocephalon, & hydrocele, ſeu ramex aquoſus, aliáque his ſimilia vitia ſub cutem extantia.

Tumores flatulenti.

Huius generis ſunt etiam tumores flatulenti: vt in quibus flatus aliqui naturæ contrarij continentur, vt hydrops tympanites, ramex flatulentus: aut alij, qui aut ſub cute, aut ſub oſſium membranis, aut in muſculis, vapore partem inflante excitantur: raro autem ſoli flatus ſine humoribus permiſti, tumores generant. Id genus tumorum nullum dolorem gignit, niſi membranas magna vi diuellat, diſtendátque.

SCIRRHVS.

Poſt hoc, ſequitur alius tumor contra naturam durus, renitens, ſenſus expers, coloris inter rubrum & nigrum medij, græcis σκιῤῥός, appellatur. Duæ eius ſunt ſpecies: vna tanquam incipiens, nondum confirmata, nec legitima: in qua cùm premitur, dolor ſentitur. atque hæc tumor œdematodes vocari poteſt. Altera verum œdema, & exquiſitum, omnis tum doloris, tum ſenſus expers. MATHETES, Vnde vtraque ſpecies conflatur? GERON, Ex craſſo viſcoſóque humore, qui parti membróue impactus inſer-

túsque eius spatijs ita obduruit, vt non nisi difficulter resolui, discutique possit. MATHETES, Qualis humor est? GERON, Vel pituita vitrea, & gypsea, vel naturalis humor melancholicus, qui fæx est sanguinis, in parte quadam accumulatus. principio malum hoc

Partes affectæ. exiguum est: paulatim grandiùs euadit. MATHETES, Quæ partes hoc vitio magis infestantur? GERON, Sæpiùs iecur: sæpiùs lien: idque non sine certo grauissimorum, ac exitialium morborum metu tentatur: nonnunquam aliæ etiam partes, cùm inflammatio, vel erysipelas malè in ipsis curata fuerit: cùm scilicet medici vitiorum istorum materiam plus æquo refrigerarint, astrinxerintque: aut cùm tenuis eius portio discutientibus medicamentis dissoluta fuerit, crassior remanet, ac subsistit. MATHETES, Quid futu-

Præsagia. rum solet in scirrho accidere? GERON, Recens, si premitur, exiguum quidem doloris sensum aliquem affert, medicinæ tamen locum facit: absolutus, sensu penitus caret, nec vllis tolli remedijs potest. sic etiam in alijs scirrhus resoluitur: alijs perpetuò durus manet: nonnullis etiam in cancrum degenerat.

STRVMA. Huic vitio finitimus tumor est, qui græcis χοιρὰς, latinis struma, barbaris scropula dicitur, glandularum modo durus, præsertim in ceruice, in qua longa serie dispositus cernitur: inde nunc ad alas: nunc in pectus: nunc ad fœminarum mamillas: aliâs ad inguina peruenit. interdum simplex est, ęqualis, rotundus, circumscriptus, non vehementer durus, vt scirrhus: aliâs per *omnia ei similis*: inflammationis & doloris expers. vbi in vetustatem inciderit, grauísque factus est, in vlcus malignum, serpens erodénsque degenerat: *vnde ipsa quoque glandula*, qua compræhenditur, & loca *vicina exeduntur*: *interdum* adeò maleficum euadit, vt parùm à cancri natura differat: tumet inæqualiter: febris in eo mouetur, & dolores pulsantes: venæque ipsæ turgescunt. MATHET. Vnde ipse contrahitur? GERON, Ex pituita non simplici, sed ob caloris vim, ac putredinem acri: quæ ab extrema capitis parte per ceruicis tendines, glandulásque adeò lentè defluit, vt origo eius sæpè percipiatur. Interdum ea ipsa pituita atræ bilis mistura ferocior redditur, vt struma carcinomatis naturam imitetur: vnde

Strumæ obnoxij. carcinodes struma appellari potest. MATHETES, Qui strumæ magis sunt obnoxij? GERON, Pueri, quibus etiam minùs nocet, pręcipuè breui ceruice, pressísque temporibus, & longis maxillis pręditi. rarò quidem adultiores, & magis qui ad prouectiorem ætatem peruenerunt. MATHETES, Quid in struma curanda sperari

Prognosticum. potest? GERON, Si manibus contrectetur, multò fit deterior, & per totum vitæ curriculum perseuerat: quoniam nunquam facilè maturescit, siue ferro, siue medicamentis curetur: plærunque iterum

iuxta

iuxta cicatrices ipsas resurgit, deterior quoque est, quæ dolore caret: qualiscunque autem fuerit, difficillimè tollitur.

MATHE. Quis huic succedit tumor? GERON, Qui in omnibus ferè totius corporis partibus oriri consueuit, pręcipuè in fœminarum mammis, quoniam naturæ fungosæ sunt, & inanes: ab animale cancro nomen sortitus est. apud græcos καρκὴς, latinis cancer. MATHETES, Quibus notis dignoscitur? GERON, Durus est tumor, rotundus, inęqualis: magis nigricans liuidúsque, quàm inflammatio, minùs autem feruens. vicinæ eius partes latiùs vndique dolent, induratæq́ sunt: venæ circa eum interdum vel plenæ, vel pallidæ, vel liuidæ tenduntur, & veluti cancri animantis pedes diductę, incuruantur. Per initia hoc malum ciceris instar exiguum est, durum, rotundum, obscurique doloris, cum dolore & calore, nunc sine his: tempore interposito crescit, sic vt modò fabam, modò nucem iuglandem, aut aliquid maius magnitudine æquet. Idem tumor aliquando vlceratus est, aliquando vlceris expers. vbi hoc infestat, pars eius assiduè exeditur, & rodendo altiùs penetrat, carnis corruptæ modo: à qua sanies pestifera, tenuis, nigra, aut fulua, odoris grauissimi prodit: vlcus ipsum inæquale est, labris tumidis, duris, inuersisq́, concreta humorum eluuie plenum. in hoc quoque febris lenta assiduè vrget: anima crebrò deficit, præsertim si malum hoc cordi vicinum sit. interdum copiosus sanguis ex vlcere ob venam exesam profluit. MATHETES, Quid de illius fine prænosci potest? GERON, Tam diù id crescendo serpit, donec ægrum occidat. Vbi cancer recens est, nec per vetustatem membro alicui penitiùs insederit, sanationis spem aliquam præbet. Cùm verò inueterauerit, aut altiùs inhæserit, nullo remedio tollitur, præsertim etiam, si vlcus simul accesserit. quinetiam curando magis exacerbescit, quàm iuuetur. Si ferro aduratur, multò magis irritatur, ferociórque euadit, & certi interitus causam præbet: nec non si scalpello excisum fuerit, post cicatricem inductam reuertitur, augescitque, donec vitam è medio tollat. quanquam aliqua hodie inuenta sint medicamenta, quibus ritè adhibitis, si non in totum sanari, certè mitigari potest, modò maturè adhibeantur.

CANCER.

Præsagia.

Post hæc vitia solent etiam alia in varijs corporis partibus oriri. primùm hoc, quod græcis σάρκωμα dicitur: eò quòd caro in illis excrescat, idq́ aut intus, aut foris, cùm exulcerata est. MATHE. Vnde contrahitur? GERON, Ex partis cuiusq́ alimento, non autem humorum affluxu. nam caro illa excrescens, continua nutrimenti ipsius accessione, diffunditur augetúrque. Frequenter ex venis & arterijs in eam pertinentibus, alimentum assumit: sæpè

SARCOMA.

etiam caro in vlceribus malè curatis excrescit: vt polypus in naribus contusis. sic tubercula quædam in gingiuis dolentia oriuntur, ad dentium radices, græcis παρούλιδες, dicta. Similiter vitium quod græcis à fici similitudine σύκωσις, nominatur, his insidens partibus, quæ pilis conteguntur, nascitur: sub quo etiam caro excrescit. Duplex eius species existit. prima vlcus durum, & rotundum est: altera humida & inæqualis. ex duro exiguũ quiddam, & glutinosum: ex humido plus, idq́ꝫ mali odoris exit. Illud sanè, quod callosum & rotundum est, barbam maximè infestat: quod humidum, capillum præcipuè: sæpiùs etiam anum cruciare dicitur, ceruicem, alas, inguinum glandulas, quarum partium caro circumscripta, non facilè in tumorem attolli potest. MATHETES, Vnde oriri dicitur? GERON, Ex eo, vnde inflammatio, nempe ex sanguine feruente, non copioso, sed paulatim affluente, quantum partibus alendis sufficiat.

ANEVRISMA

Huic verò simile est, quod græcis ἀνεύρισμα, vocatur: tumor tactu blandus, digitis cedens. Galenus arteriæ apertæ seu dilatatæ affectum esse dicit. MATHETES, Quomodo cognoscitur? GERON, Arteriarum pulsu, imò prementibus nobis in totum euanescit: nonnunquam partes externas, vt manus, alas, ceruicem, pectus, inguina, pedes, artus, vel caput infestat: nonnunquam arterias interiores, præsertim sub pectore circa lienem, & mesenterium: vbi magna pulsatio sæpè deprehenditur. MATHETES, Vnde gignitur? GERON, Ex sanguinea, spirituosáque materia, quæ cùm tumor premitur, intrò statim subterfugit. MATHET. Rumpitúrne in hoc affectu vena, aut arteria? GERON, Minimè. si enim sanguis ex vena, aut arteria proflueret, non magis illic consisteret, sed statim corruptus computresceret, & alterius generis tumor oriretur.

VARIX.

Finitimus huic tumori est Varix, qui græcis κίρσος, nominatur: immodica scilicet venæ dilatatio, crura magis quàm cæteras partes infestans. MATHETES, Quibus notis agnoscitur? GERON, Cùm vena multo & crasso sanguine impletur, pars aut liuescit, aut nigricat: atque etiam citra dolorem tumet. tumor autem digitis pressus, quàmprimum cedit, & paulò pòst redit. MATHET. Vnde generatur? GERON, Ex ictu, contusione, nimio conatu, labore, & peregrinatione. nonnunquam ex corporis plenitudine: vti in plerisque mulieribus grauidis.

SCABIES.

MATHETES, Quæ reliqua sunt cutis vitia? GERON, Primùm est scabies, quæ græcis ξυσμὸς, appellatur. MATHETES, Quomodo nascitur? GERON, Durior in ea cutis aspretudo, rubicundior apparet, & pustulæ oriuntur nunc humidiores, nunc sicciores,

res,ſitq́ ex his continua exulceratio pruriens,ſerpítque rodendo: in quibuſdam citiùs:ea ſanie expurgata,cruſtuláque tecta,obdureſcit:in aliis ex toto deſinit: in alijs verò certo omni tempore reuertitur. quò aſperior eſt, quóque magis prurit, & plures partes occupat,ſomnúmque magis impedit, eò difficiliùs tollitur: quæ græcis ἀγρία,hoc eſt,fera nuncupatur. MATHETES, Quid de ea prænoſcere poteris? GERON, Quòd ægerrimè in ſenibus ſaneſcat,& deterrima in capite eſſe ſoleat. MATHETES,

IMPETIGO.

Nunc, ſi placet, impetiginem interpreteris. GERON, Ipſa quoque dura, aridáque cutis aſpretudo eſt, multáque prurigine moleſta:ſcabiei ferè ſimilis,ſed grauior.nam & rubet, duriórque & exulcerata eſt, roditque. Diſtat autem ab ea, quòd magis exulcerata ſit: puſtuláſque habeat varis ſimiles, & quòd in ea quaſi bullulæ quædam eſſe videantur: ex quibus ſquamulæ tempore interpoſito reſoluuntur:& quòd ipſa certioribus temporibus reuertatur. MATHETES, Quas partes infeſtare conſueuit? GERON, Vel manus, vel pedes. ac quatuor conſtat generibus. primùm ſcabiem(cuius mentionem feci)repręſentat.in hac cutis aſperata rubet,duráque eſt, & acri pruritu laceſsitur: vnde communiter prurigo dici ſolet. Alterum peius eſt,ſimile papulę feræ,ſed aſperiùs, rubicundiúſque, figuras varias obtinens, magíſque rodit, celeriûs & latiùs procedit:ſquamulæ ex ſumma cute deſcendunt, certioribus temporibus nonnunquam prior & fit, & deſinit: græcê λειχὴν,Celſo rubrica appellatur. Tertium etiámnum deterius eſt, quod græcis ψώρα dicitur, à ſcabie diuerſum: in quo cutis craſsior,ſiccior,duriórque,ac magis tumida, variáque exiſtat, & ſerpentibus puſtulis aſperior. ipſum quoque ſquamoſum,ſed nigrum procedit, latê & tardê eminùs ſerpit: ſumma cutis finditur, vehementiúſque roditur, & furfuracea quædam nigra ex ſe remittit, ex atra bile originem trahens: non facilè diſcuti, neque ſaneſcere poteſt. MATHETES, Quas partes hoc impetit? GERON, Tempora, & in his aut oritur, aut deſinit, neque in totum tollitur. Celſus nigrum cognominat. Quartum peſsimum eſt,ſubalbidum,recenti cicatrici ſimile: gręcis λέπρα nuncupatur: cutem rodit,atque altè depaſcit: ſquamulas habet pallidas, quaſdam ſubnigras, quaſdam lenticulis ſimiles: quibus demptis, nonnunquam ſanguis profluit: præterea humor eius albidus eſt, cutis dura,ac diffiſſa, proceditq́ latiùs. MATHET. In quibus omnia iſta genera maximè oriuntur? GERON, In pedibus, manibus,atque vngues quoq́ infeſtant. MATHETES, Superiùs(ſi benè memini)retuliſti, impetiginem cum ſcabie aliquid habere commune? GERON, Dixi quidem primam illius ſpeciem hanc repræſentare: ſed in hoc

Quatuor genera impetiginis.

Quas corporis partes impetigo inuadat.

differunt inter se, quòd illa pustulas habeat siccas, omnis humoris & saniei expertes: hæc autem è contrario. MATHETES, Vnde *Causa.* trahit originem? GERON, Ex atra bile, aut ex pituita tenui, eáque putrida, aut salsa, & quæ sub summa cuticula coërcetur, eámque exedit. MATHETES, Quid de curanda illa speras? GERON, Negle- *Præsagia.* cta in scabiem, & hæc in lepram vertitur: & qui hac semel laborarunt, paulatim ferè tabescunt marcescúntque.

VITILIGO. Huic finitimum est aliud vitium, quod latinis vitiligo dicitur: sub quo totum corpus alieno colore, maculísque non conti- *Tres eius species.* nuatis, sed variè dispersis fœdatur. partis affectæ sensus in eo vel torpescit, vel ex toto amittitur. Tres sunt eius species. prima græcis ἄλφος vocatur: sub qua summæ cutis color albus est, ferè subasper, & non continuus, vt quædam quasi guttæ dispersæ esse videantur: interdum etiam latiùs, & cum quibusdam intermissionibus serpit. Altera græcis λευκὴ dicitur, quæ simile quiddam alpho habet, sed magis albida est, & altiùs descendit: ita vt etiam carnem ad ossa vsque afficiat. pili in ea albi, seu cani sunt, & lanugini similes. omnia hæc serpunt: sed in alijs celeriùs, in alijs tardiùs. Tertia μέλας græcis appellatur: quia nigra est, & vmbræ similis: in cæteris eadem sunt. In hoc inter se differunt, quòd ἄλφος vix vnquam, nisi cùm inueterauerit, cutem penetret: nec non quòd in eodem pili sint naturales. Leuce, quem locum occupauit, non *Vitiliginiobnoxij.* facilè dimittit: alphus & melas in varijs temporibus, & oriuntur, & desinunt. MATHETES, Qui vitiliginis vitio magis sunt opportuni? GERON, Omnes qui in malo corporis habitu consistunt. Exoritur interdum alia quædam vitiligo rubri, aut fusci, aut liuidi coloris: sub quo sensus, aut stupidior est, aut in totum perit. *Malum mortuum.* hoc vitium vniuersum, iuniores malum mortuum appellant. MATHETES, Vnde species istæ omnes generantur? GERON, Ex *Causæ.* atra bile. reliqua vitia ex humore, quem fœdus color repræsentat. MATHETES, Quid de curatione trium istorum præsagiri potest? *Præsagia.* GERON, Alphos & melas, non difficilimam recipiunt: leuce vix vnquam sanescit. ac si quid ei vitio demptum est, non tamen ex toto sanus color redditur, sed praui aliquod seu vitiosi vestigium remanet. Ex vno horum vitiorum siue alpho, siue mela sanguis exit, vbi cutis inciditur, aut acu pungitur, in ijs remedio locus est. si humor albidus, sanari non potest, sicuti in leuce accidit, quę sanguinem aquosum duntaxat obtinet. Alphos & melas quanuis initiò sint sanabiles, tamen cùm inueterauerint, nulla medicina tolluntur, præsertim si multas corporis partes occupent, sicque altiùs intra carnem subiuerint, sic vt locus affectus pristinum calorem amiserit: nec cutis aspero panno perfricata eum recuperat.

MATHET.

MATHETES, Restántne alia adhuc cutis vitia? GERON, Vtique, vt pustulæ: sed aliæ insigniores, aliæ leuiores.

MATHETES, Quæ igitur sunt pustulæ? GERON, Aspredines quædam, modò totum corpus: modò partem obsidentes. ac plura sunt earum genera. quædam similes his, quæ ex vrtica, vel sudore nascuntur: eæqúe nunc rubent, nunc colorem cutis non excedunt. Nonnunquam plures Varis similes oriuntur: nonnunquam maiores pustulæ liuidę, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato: humórque his subest. vbi hę ruptę sunt, caro infrà quasi exulcerata apparet: id quod gręcis ἑλκώδες nominatur. *PVSTVLÆ.*

Ex his quædam græcis ἐπινύκτις vocatur: eò quòd noctu potissimùm affligat. MATHETES, Quæ eius sunt indicia? GERON, Vehemens inflammatio, & cùm adaperta est, exulceratio mucosa: color humori suo respondet, subruber, & quodammodo liuescens, ex eáque sanies leuiter cruenta emanat: carbunculo ferè similis, sed leuior, minórque, & nullius pestilentiæ particeps. faba maior non est, nec supra magnitudinem eius dolorem affert, idque in partibus eminentibus. *EPINYCTIS.*

Huius generis sunt pustulæ, græcis φλυκταῖναι, aut φλυκτίδες dictæ, quæ bullarum instar lucidæ: atque ĳs quę à feruente aqua, vel ab igne fiunt, similes apparent: non tamen cum manifesto dolore graues. his ruptis humor subflauus effluit, crustulísque obducuntur, donec sanescant. MATHETES, Vnde contrahuntur? GERON, Ex bile feruentissima, quæ igni viribus similis est: vnde vulgò ignem syluestrem appellant. *PHLYCTÆNÆ.* *Ignis syluestris.*

His respondet pustula nigra, quæ græcis τερέβινθος, nobis terminthus dici potest, in extima parte apparēs: quibusdam cutis excrescentia vocatur rotunda, nigrouiridis terebinthum referens: quæ si scalpello aperitur, pus erumpit, ex feruido assatóque sanguine contracta. *TERMINTHVS.*

Incidunt interdum aspredines quædam, pustulis ex vrtica vel sudore similes, græci ἐξανθήματα vocant. hæ vbi intùs quidem remorantur, nondum tamen foràs erumpunt, huiusmodi euadunt. Sub his totum corpus grauatur, & punctiones quasdam sentit: dolorem vehementem in capite, aliquando in pectore, faucibus, & dorso. sputum crassum, ore sicco vix redditur: oculi tumidi cernuntur: nares pruriunt: vox rauca est: spiritus difficulter, & crebrò trahitur: facies ardescit, rubétque: inter hæc magna somni cupiditas est: febris, continua siue synocho ferè similis affligit. Quando hoc malum foris in cute prodit, omnia quæ superiùs dixi, increscunt, præsertim capitis dolor: spirandi difficultas: pulsus etiam perinde vt anteà, creber, velox, ac vehemens *EXANTHEMATA.*

remanente: quando ferè in facie materiæ intus hærentis fit eruptio, crebras maculas, crebrósque tumores habet: qui statim humore subeunte, vel in altũ aguntur, vel latè expanduntur. atque illa sublimia exanthemata: hæc lata vocantur: priora exulcerant, mouéntque pruritum: lata non item. Hæc vitia vel corrupti excrementi deiectione, vel copiosis sudoribus finiuntur. MATHET. *Omnes semel in vita exanthematis laborant.* Qui hoc vitio plærunque infestari solent? GERON, Nemo inter omnes homines extat, qui non vel semel ante legitimam ætatem eò laboret. magis autem exanthematis pueri expositi sunt: seniores rarissimè, & non nisi cum summo vitæ periculo affliguntur. MATHET. Quo anni tempore malum hoc grassari solet? GERON, Quouis, magis tamen vere, & sub autumni finem, præsertim in humidis corporibus. MAT. Quid de euentu exanthematum prænoscere possumus? *Prænotio.* GERON, Quæ citò emergunt, tutiora sunt. nonnullis enim protinus erumpunt: nonnullis tertio, vel quarto die interdum quotidie, ab infirma valetudine. si in cute eminent, maturescunt: rubra magnáque, & non sibi mutuò contigua: adhęc quæ non vehementem febrem mouent, vbi hæc decesserit, finiuntur. Mala portendunt, quæ lentè prodeunt, magísque si violacei sint coloris: quia sub his frequens virium resolutio, quæ συγκωπὴ græcè dicitur, incidit. nihil quoque boni indicant, quæ vel liuidi coloris, vel viridis, aut atri sunt: nec non quæ iteratis vicibus nunc emergunt, nunc rursus celantur. pestifera quoque sunt: quibus febris ingens accedit: & si magna spirandi difficultas, corporis inquietudo, multa sitis, & imbecillæ naturæ vires vrgent, ægri magna ex parte intereunt, magísque si exanthemata fuerint latiora. quòd si ęgri in syncopen incidant, & vrina viridis, sub virium imbecillitate existat, mortis est indicium. vrina nigra post cruentam reddita, etiam pernitiem testatur. si vox & respiratio benè habent, magna salutis spes est: sin violatæ, dubia. Qui ab hoc malo vincitur, tanquam ex angina præfocatus, emoritur, aut certè, vbi natura ob intestinorum tormina, aluique profluuium labescit, exanimari solet. MATHETES, Sempérne exanthemata periculum minantur? GERON, Minimè: sed etiam sæpè sine vllo vitæ discrimine, sinéque pestilentiæ nota, paulatim aëris vitio grassantur: plærunque hæc ipsa pestem malásque febris sanguineæ crises comitantur. eminentia siue sublimia rarò aliquem, late multos è medio tollunt.

HIDROA pustulæ sudatoriæ. Inueniuntur etiam paruulæ & aquosæ pustulæ in cute extantes, quæ à sudando ἱδρῶα nuncupantur: emergunt subitò in corpore vniuerso, hîc illic dispersæ: frequentiùs autem in manibus pedibúsque, milij magnitudine, aqua plenæ, ruboris, dolorísque

riſque expertes. MATHETES, Vnde naſcuntur? GERON, Ex ſudoribus ſub cuticula retentis: qui per latentes cutis meatus minimè diſsipari poſſunt, papulæ ſudorum quibuſdam nominantur.

EPHELIDES. Tales ſunt etiam Vari, lenticulæ, & quæ græcis ἐφήλιδες dicuntur, puſtulæ adeò leues, vt Celſus ineptias vocarit. *Vari.* Vari quidem, exigua ſunt in facie tubercula vulgo nota. *Lenticula.* rarior ſpecies exiſtit lenticula: rubicundior, & inæqualior. *Ephelis.* Ephelides nihil ſunt aliud, quàm aſperitates quædam, & durities mali coloris, alijs tamen aliquanto maiores, rubræ, ac feruidæ, leui cum dolore: ex quibus ruptis, albus humor lactis inſtar emanat, ſequitúrque ſcabies. Origo eius eſt, ex ſanguine impuro feruentíque, ſub cutem effuſo. MATHETES, Quas partes ſingulæ ex his inficiunt? GERON, *Origo eius.* Cætera non niſi faciem: lenticulæ etiam in alia parte nonnunquam naſci ſolent. Sunt adhuc alia, quæ vocantur pſydratium, faui, & manantia capitis vlcera. MATHETES, Quid eſt pſydratium? *Pſydratium.* GERON, Puſtula durior, ſubalbida: acuta, ex qua ipſa, quod exprimitur, humidum eſt. *Fauus.* Fauus tumor eſt, in cute foraminibus peruius: per quæ ſanies mellis inſtar craſſa excernitur: græcis κηρίον inde vocatur.

ACHOR. Simile vitium eſt, quod capitis cutem infeſtat, tenuiſsimis foraminibus glutinoſam ſaniem emittens: latini manans vlcus: *manans vlcus.* græci ἄχωρ nominant. MATHETES, Quæ hæc ſcabiei genera procreant? GERON, *Cauſæ.* Pituita nitroſa, ſalſáque, aut melancholica ſub cute computreſcens: támque maligna eſt, vt cum radicibus capillorum copioſior inhæreſcat, cutiſque capitis quàm aliarum partium denſior ſit, víx tota aufferri poſsit. Pueris præcipuè ob humoris perniciem contagioſum eſt, & vlcus difficulter ſaneſcit.

Extant etiam ſæpè aliæ cutis eminentiæ exiguæ, doloris expertes, calloſæ, rotundæ, anguſta plurimùm baſi, vt ſuſpenſæ eſſe videantur. vnde quædam ex ipſis græcis ἀκροχόρδων, quaſi verruca *Verruca penſilis.* penſilis vocatur. hæc enim infra tenuior, ad cutem latior exiſtit. Plures ſæpe non vna tantum eodem tempore, præſertim in puerorum manibus & pedibus naſcuntur, eæque nonnunquam ſubitò deſinunt: nonnunquam mediocrem inflammationem excitant: quædam in pus conuertuntur. Vt autem varia eius ſunt vitia, ita & nomina diuerſa ei impoſita ſunt, primáque eius ſpecies verruca dicitur, dura, aſpera, modica, vt raró fabæ magnitudinē excedat. altera Thymion, à thymi floris colore nominatur: *Thymion.* quæ ſuper corpus, quaſi verrucula eminet, ad cutem tenuis, ſupra latior, ſubdura, & in ſummo peraſpera. ea facilè finditur, & cruentatur: aliâs aliquantum ſanguinis funditur: modò vna, modò plures, vel in talis, vel in palmis, vel in inferioribus pedum partibus

nascuntur: pessimè tamen in obscœnis: præsertim vbi sanguinem fundunt. *Myrmecia.* Alia ex verrucis Myrmecia vocantur, humiliora Thymio, durioráq; lupini magnitudinis, infra lata, supra tenuia, quæ minùs sanguinis emittunt. Nascuntur hæc quoque aut in palmis, aut in inferioribus pedum partibus: radices altius exigunt, maióremque dolorem mouent. Nascitur etiam vitium nonnunquam, *Clauus.* quod græcis ἧλος, latinis Clauus vocatur, maximè in pedibus, ídque ex contuso: quamuis interdum etiam alio modo, dolorémque mouet: si non aliâs, tamen ingredienti. MATHETES, Quomodo finiuntur? GERON, Ἀκροχορδὼν, hoc est, verruca sessilis, & thymion: sæpe etiam per se desinunt, & quò minora sunt, eò magis myrmecia, & claui sine curatione vix vnquam terminantur. *Callus.* Callus his quoque additur, summa cutis obdurata, clauo similis colore, & materia, quæ ex labore in palmis, aut in partibus pedum inferioribus succrescit, sine alta tamen radice, eóque prorsus doloris expers est.

ECCHYMOMA. Est vitium etiam, quod græcis ἐκχύμωμα, quasi sanguis per cutim effusio dicitur: quod inde fieri solet, vbi caro à graui quodam pondere, quod extrinsecus superinciderit, contusa, veníisque exiguis ibi diuisis sanguine perfunditur: qui ex illis, vel ob ipsius copiam, vel ob tenuitatem, vel ob acrimoniam, vel ob saliuæ eruptionem, vel ob vasorum adapertionem subsiliendo perrupit, eò peruenit: vnde tanquam tumor mollis, cedens, liuidus, & magna ex parte doloris expers comitatur. frequentiùs autem venæ, vel ex labore immodico, vel ex contusione ex ictu, seu casu rumpuntur. *Suggillata.* Species ecchymomatis sunt suggilata, & liuores ex ictu, qui græcè ὑποσφάγματα dicuntur. primùm cutis liuescit, ac vitium tunc græcè πελίωμα vocatur: inde etiam interdum nigrescit, ac græcis tunc μέλασμα dicitur: nobis vtraque hæc vitia suggillata nuncupantur. Quinetiam cutis maculis punctorum, decoloratur, ac vitium στίγμα vocatur: atque sic etiam defœdiatur flagris, ac græcis μώλωπες, nobis fibices nuncupari possunt.

ABSCESSVS. MATHETES, Quid post tumores, tubercula, pustulas, & alios affectus reliquum adhuc est? GERON, Cuiuscunque materiæ in pus, aut in alterius rei speciem conuersio, quæ græcis ἀπόστημα, latinis abscessus appellatur: in inflammatione quidem sanguis extra venas putrescit, ídque adeò, vt si à natiuo calore vinci nequeat, in gangrænam sæpe degeneret. sin autem superet, concoctione in pus transeat: cuius collectio ferè abscessus est. MATHETES, *Abscessus incipientis notæ.* Quæ hunc fieri notant? GERON, Cùm pars, in qua subsistit, magis humida, quàm ante, dura, rubicunda, feruida apparet, & dolor eam vehementior, pungénsque, & lancinans excruciat: et si vbi

vbi locus inſignior fuerit, febricula, rigórque ſine ordine, præſertim noctu moleſtet. MATH. Quæ abſceſſum iam factum notant? GERON, Quòd omnia miteſcant, tumórq; in acutum faſtigietur, cutiſq; prurigo excitetur. MATHE. Fiúntne abſceſſus ſemper ex tumoribus calidis? GERON, Non ſolùm, ſed etiam ex frigidis, duris, & inueteratis: quorum materia neq; inflammatur, neq; ſuppurat. MATHE. Quid ex his educitur? GERON, Non pus, ſed aliena quædam materia, ex humore frigido concoctionis vi contracta. Nam ſi hi vel ſcalpello, vel medicamentis aperiantur, maximè inueterati: reperiuntur in ijs vel grumus, vel os, vel vnguis, vel pilus, vel lapis, vel glans, vel lignum, vel carbo, vel lutum. hæc in carnoſa parte ſuccreſcunt, ſed nulla veſicula obducta. Quinetiam alij quoque abſceſſus fiunt, quorum materies veſica & tunica includitur. Atheromati nanque ſubeſt, quaſi tenuis pulticula, meliceridi liquidior humor: ideóq; preſſus circūfluit ſteatomati pingue quiddam, quaſi ſeuum. MATH. Vbi hæc progignuntur? GERON, In capite potiſsimùm: quia huius cutis denſa materiam diù retinet, dum in alienam naturam degeneret. Omnia hęc ex paruulo incipiunt, & diù paulatímq; increſcunt, ac tunica ſua includuntur. quædam etiam ex his dura ac renitentia, vt lapilli, aut concreti connexíq; pili: quædam mollia, cedentiáq; ſunt, vt tenui pulticulæ ſimilia: quædam ſpatio nudantur, vt quaſi raſa cartilago: quædam tecta capillo ſuo permanent.

Abſceſſus facti. *Atheroma.* *Steatoma.*

Poſt abſceſſum purgatum, manet plærunq; intus capacitas quædam, quæ ſubiectis partibus non coaleſcit: græci κόλπον, latini ſinum nominant. MATHET. Quomodo hic accidit? GERON Vbi ſanguis in inflammatione, aut alia in abſceſſus materia putreſcens contagione vicinam quoq; carnem, & nonnunquam neruorum, venarúmq; fibras corrumpit, exeditq;. Si in ſuperiorē partem inclinat, facilè ſanies per os emanat: ſin in inferiorē, illa proximam partem aliquam intus erodit, ſinúſq; relinquitur. Quòd ſi hic in longum vergat, & pus vlteriùs emittat, ſinus arctior oblongiórq; redditur: & deinde fiſtula nuncupatur, quę callo obducta eſt, doloris ferè expers, in plurimis naſcens particulis: magna verò ex parte ex abſceſsibus parùm dextrè curatis. Eſt autem hæc nunc ſimplex, nunc varia, quaſi in ramos diſtincta: modò recta: modò tortuoſa, flexuoſáque. Callus verò, quo ſinus obducitur eſt, caro continua, albida, humoris doloríſq; expers, ad quam neque vena, neque neruus pertinet. Porrò ſinus interim ſiccus: interim humidus eſt: aliâs humor ex eo continuè fluit: aliâs certis temporibus remittit, dum os ipſius repletum eſt, iterúmque adaperitur.

SINVS. *FISTVLA.* *CALLVS.*

Supereſt, vt nunc de vnionis diuortio agamus, quæ græcis

Vnionis diuortium.

τραῦμα, latinis vulnus, ἕλκος, ſeu vlcus illis nominatur: vtriſq; partibus tum ſimplicibus, tum compoſitis commune: cuius multæ *Vulnus. Vlcus.* ſunt differentiæ. Prima vulnus, altera vlcus dicitur. illa verò propriè, cùm pars carnoſa inciditur: ſi ab acuto telo pungatur, *Punctura. Contuſio. Fractura. Ruptura.* punctura: ſi à re graui collidatur, contuſio: ſi os diuidatur, fractura: ſi membranæ, nerui, venæq; diuellantur, ruptura: ſicut anteà quoq; dictum eſt. Rurſus alię multę vulneris ſpecies exiſtunt. aliud enim ſimplex eſt, aliud cauum. *Aliæ vulneris ſpecies.* ſimplex rurſus, aut in ſummo eſt, cùm ſolam cutem occupat: aut altum, cùm in carnem, aliáſque partes ſubiectas penetrat. item aliud longū, aliud breue: nec non hoc altum, & illud latū: quoddam rectum, quoddam obliquum: æquale, vel inæquale: vt cùm hîc ſummum, aut anguſtum: illic altum, aut latum. Pręterea aliud viſui, & tactui expoſitum eſt: aliud abditum & occultum. adhæc differunt inter ſe materia, quæ ipſa excitarit: idq; non vna figura, ſed vel acuta, vel obtuſa, recta, vel curua, anguloſáq;: ſic vt vires eorum interdum ſimplici qualitate, aut venenata infectę ſint. Quinetiam vulnera interdum non anteà ſimplicia manent, ſed etiam vel intemperiem, vel dolorem, vel inflammationem, vel pruritum coniunctum habent. MATHE. *Partis affectæ notitia.* Quibus notis coniectare licet, quæ corporis pars in quouis vulnere potiſsimùm ſit affecta? GERON, Si vena inciſa eſt, ſanguis largiter effluit, & quò illa grandior fuerit, eò largiùs. *VENÆ vulneratæ ſignum.* ſanguis autem craſsiuſculus continuè, & ęquabiliter, nō ſubſiliendo ex illa erumpit. *Arteriæ,* ex arteria tenuis, flauus, feruénſq;, cum pulſu quodam ſaltúq; prorumpit. *Nerui.* cùm neruus vel punctim, vel cęſim vulneratus eſt, motum, & interdum ſenſum amittit, aut minùs acrem retinet, partéſq; vulneri ſubiectæ torpeſcunt, dolor multus excruciat: inflammatio exercet: in gangrænam aliquando deſinens: febris & delirium ſępè ex cerebri conſenſu ſuperuenit: nec non conuulſio, præſertim cùm neruus punctus magis, & quodammodo ſectus quàm præciſus fuerit. *Tendinum.* Si tendines vulnerati ſunt, aut membranæ caluariam, aliáq; oſſa ambientes, eadem ſigna apparent, magis tamen obſcura: *Ligamentorum.* multò autem magis, ſi ligamenta articulorum inciſa fuerint. *Oſsis.* Vbi os lęſum, nudatumq; eſt, ſcabrum & exaſperatum cum nullo dolore percipitur, ſpecillo indito: niſi fortè illud membranæ eius duriùs inducatur. MATHETES, *Partes internæ percuſſæ.* Quomodo noſcitur, pars quædam interior percuſſa? GERON, In membranarum capitis vulneribus dolor grauiſsimus ineſt, qui, dum manditur, *Membranarum capitis.* maxillęq; abducuntur & ſpiritus agitatur, augeſcit: vomitio frequēs repetit: ſanguis intrò effuſus, vel per nares, vel etiam per aures, vel per oculos exit: quorundam ſenſus obtunduntur, appellariq; ignorant, & nerui diſtenduntur: febris & delirium non multò

pòſt

pòst accedit, præsertim vbi inflammatio adfuerit: ante mortem plærique, fascias quibus caput deligatum est lacerant, ac nudum vulnus frigori obijciunt. *Cerebri.* Si cerebrum ipsum leditur, quod facilè fieri solet, cùm in plenilunio totus caluariæ sinus repletur: ægri mente labuntur, omniáq; symptomata grauiora experiuntur: sæpè cerebri portio cum vitæ discrimine excidit. *Sinuum cerebri læsorum indicia.* quòd si cerebri sinus oblęsi penitius, aut oculi transfosi fuerint, mors subita, perinde ac corde percusso, sequitur. illic enim facultas animalis: in hoc spiritus sanguisq; confertim effluit. *Pulmonis.* Pulmone icto, sanguis ex ore spumans: ex plaga rubens, simúlq; etiam spiritus cum sonitu fertur: in vulnus inclinare iuuat: quidam sine ratione consurgunt: multi si in ipsum vulnus locati sunt, loquuntur, si in aliam partem obmutescunt, ac febris marcórq; ęgrum sensim conficit. *Cordis.* Corde lęso, extremæ partes frigent, venę languescunt: color pallidissimus est: sudores frigidi, malíq; odoris oriuntur, ac matura mors comitatur, si vulnus sinum ipsius penetrauerit. *Arteriarum & venarum ampliorum.* Vbi arterię & venæ ampliores vulneratæ fuerint, magna sequitur sanguinis profusio, viriúmq; deiectio: sudores frigidi & fœtidi mortis indices erumpunt. *Septi transuersi.* Septo transuerso percusso, pręcordia conuelluntur, summa adest spiritus difficultas, delirium, mentis alienatio, interius tussis: cruentum sputum: deniq; tabes, atq; interitus: præsertim cùm media eius pars, quæ neruosa est, & exanguis, continuè agitatur. *Stomachi.* Vbi stomachus vulneratus est, singultus & bilis vomitus insequitur: si quid cibi aut potionis assumptum est, citò redditur: arteriarū motus elanguescunt: sudores tenues oriuntur, per quos extremę partes frigescunt. *Ieiuni intestini & ventriculi.* Ieiuni intestini, & ventriculi vulnerati communes notæ sunt, quòd cibus & potus per vulnus exeant, pręcordia indurescant: nonnunq; bilis per os reddatur. *Intestinorum aliorum.* Cętera intestina ista, vel stercus, vel odorem eius exhibent. *Spinæ medullæ.* in spinæ medulla discissa nerui resoluuntur, aut distenduntur. *Iecoris.* Iecoris vulnus, multus sanguis sub dextra parte pręcordiorum profusus indicat: item præcordia ad spinam reducta: nec non in ventrem cubandi dulcedo: deniq; punctiones, doloresque ad iugulum vsque & latus scapularum ei iunctum: os intentum, quibus etiam vomitus biliosus nonnunquam accedit. *Lienis.* Liene icto contrà sanguis niger è sinistra parte prodit: pręcordia cum ventriculo ab eadem parte indurescunt: sitis ingens oritur: dolor ad iugulum pertingit: in vtroq; viscere cruentę fiunt vomitiones, deiectionésq;, laterum punctiones, animi defectiones, febres, alui profluuia: vnde tandem corpus, alimento destituitur, contabescit, & consumitur. si vulnera fuerint altiora, sudore frigido, mors acceleratur. *Renum.* Renibus percussis, dolor ad inguina, testiculósq; descendit: vrina diffi-

culter redditur, eáq; vel cruenta est, vel cruor ipse fertur: interdũ vrina sub abdomine collecta, aquæ subter cutem speciem quandam repræsentat. *Vesicæ.* Vesica vulnerata, inguina dolent: quod super pubem est, intenditur: pro vrina sanguis, aut ex ipso vulnere vrina descendit: stomachus afficitur. itaq; ægri, aut bilem vomunt, aut singultiunt, delirántq;, & refrigerantur, ac mors tandem sequitur. Cùm vulua percussa est, dolor in inguinibus, coxis, & fœmoribus sentitur: sanguinis pars per vulnus, pars per naturale descendit. vomitus bilis insequitur: quædam obmutescunt: quędam mente labuntur: quædam sui compotes, neruorum oculorúmq; dolore vrgentur, ac eadem morientes patiuntur, quæ corde vulnerato.

VLCVS. MATHE. Quæ continuationis solutio vlcus est? GERON, Quę internam, & ex corporis vitio habet originem: aut quę pus, seu putredinem contraxit. nam & inflammatio manifesta, & vulnus, quod negligentia sordidum ac putridum euasit, specie mutata sic nominatur. Est itaq; impura vnionis diuisio: non ex sanguine, vti vulnus, sed vel ex humoris vitio, vel ex sanie hinc genita, vel ex pure, vel ex quauis alia corruptione: non à foris, sed ex vulnere ipso procreata. *Vlceris causa.* MATHETES, Quæ eius causa existit? GERON, Interior, eaq; duplex, antecedẽs, & proxima. Illa quidem corporis impuritas, & succi vitiositas, quæ vel ex malo victu, vel ex praua viscerum affectione contracta est. proxima causa est vitiosus humor, putridúsq; in affecta parte consistens. *Vulneris & vlceris differentia.* Differt itaq; vulnus ab vlcere. illud absq; causa solitarium existit: *hoc semper* suam habet coniunctam, quę quod peperit, etiam nõ fouet. MAT. *Vulnerum differentiæ.* Vnde sumuntur vlcerum differentiæ? GERON, Pręcipuè tum ex his, quæ effluunt, tum ex causarum varietate. aliud sanè vlcus, sicut & vulnus, magnum, aut paruum: aliud aut summum, aut in altitudine: aliud rectum, vel obliquum: aliud æquale, vel inęquale. Ab ijs autem quæ in vlcere succrescunt, species hæ sumuntur, vt hoc vlcus sit saniosum, illud virulentum, aut sordidum, aut purulentum, aut verminosum. MATHE. Quę sunt, & qualia, quæ ex vlceribus defluunt. GERON, Sanguis, sanies, pus. sanguis nulli ignotus est. *Sanies.* sanies hoc est tenuior, variè crassa, glutinosa, & colorata. *Pus.* pus crassissimum, albissimum, glutinosius, & sanguine, & sanie. MATH. Vnde singula exeunt? GERON, Sanguis ex vulnere recenti, aut iam sanescenti: sanies intra vtrunq; tempus: pus ex vlcere iam ad sanitatem spectante. Rursus saniei & puris distinctæ quædam species apud græcos habentur, vt Celsus docet. est enim quędam sanies, quę illis vel ἰχωρ, vel μελικηρία nominatur. est etiam pus quod ἐλεῶδες, dicitur. MATHE. Qualis est ἰχωρ? GERON, Tenuis, subalbidus, ex malo vlcere exiens, præsertim vbi neruo læso inflammatio

tio ſecuta eſt. Meliceria craſsior, glutinoſior, ſubalbida, & melli albo ſubſimilis fertur. atq; hæc quoq; ex malis vlceribus exit, vbi nerui circa articulos læſi ſunt, & inter hęc loca, maximè ex genubus. Pus ἐλαιῶδες tenue, ſubalbidum, quaſi vnctum colore, atq; pinguetudine, oleo albo non diſsimile: idq; in magnis vlceribus ſaneſcentibus apparet. Sanguis nimiũ tenuis, aut craſſus, colore vel liuidus, vel niger, aut pituita mixtus, aut varius, malus eſt. calidus autem rubens, modicè craſſus, non glutinoſus, optimus eſt. MAT. Quid ſperandũ metuendúmue eſt, vbi ſingula hæc excernuntur? GERON, Vulneris magis expedita curatio eſt, ex quo ſanguis bonus effluxit: item poſtea ſpes in his maior eſt, ex quibus melioris generis quęq; proueniunt. ſanies igitur mala eſt multa, nimis tenuis, liuida, aut pallida, aut nigra, aut glutinoſa, aut mali odoris, aut quæ & ipſum vlcus, & iunctam ei carnem erodit. melior non multa, modicè craſſa, ſubrubicunda, aut ſubalbida. ἰχὼρ autem peior eſt, multus, craſſus, ſubliuidus, aut ſubpallidus, glutinoſus, ater calidus, mali odoris. tolerabilior eſt ſubalbidus, qui cetera omnia contraria prioribus habet. meliceria mala etiam multa & percraſſa: melior, quę & tenuior, & non nimis copioſa eſt. Pus inter hęc optimum eſt. ſed id quoq; peius eſt, multum, tenue, dilutum, magiſq; ſi ab initio tale eſt: item colore ſero ſimile, pallidum, liuidum, fœculentũ, maliq; odoris, niſi locus hunc excitet: melius eſt, quò minus eſt, quò craſsius, & quò albidius: adhęc ſi leue eſt, ſi nihil olet, ſi æquale eſt, modo tamen, & magnitudine vulneris, & tempore conuenire debet. nam plus ex maiore, plus nondũ ſolutis inflãmationibus naturaliter fertur. ἐλαιῶδες quoq; peius eſt, multum & parum pingue, quo minus etiam, quóq; id ipſum pinguius, eò melius. MATHE. Quę alię vlceris differentiæ ſubſiſtunt? GERON, Aliud phlegmonodes, aut eryſipelatodes, aut œdematodes, aut carcinodes, quæ ex tumore quodam fiunt, adaperto: aliud excedens, malignum, & putridum, quæ ex humore, aut parte corrupta, ſine tumóre concitantur: aliud vicinas partes depaſcitur, vnde grecè νομῶδες appellatur: quia non ſolùm affectam partem excauat, ſed etiam vicinas integras abſumit. Huius generis eſt, Phagedęna, quæ cutem ſolam, non carnem ſubiectam rodit, ac depaſcitur. MATH. Quę omnium eiuſmodi vlcerum cauſa eſt? GER. Humor bilioſus, acris & rodens, modò craſſus, modò tenuis vniuerſę parti infuſus. ſuccedunt autẽ ea vlcera herpeti, & eryſipelati: nonnunquam etiam vulneri, quod acriori medicamento fertur acceptum. Sub his continentur maligna, & curatu difficilia, quę veteribus telephia nominantur, aut chironia: quæ ampla quidem ſunt, ſed non putrida, nec fœtida: non etiam depaſcunt, neq; do-

Sanguis optimus quis.

Prognoſtica.

Celſus libro quinto.

lore cruciant, ſed oris tumidis, & calloſis prędita, eóq; non facilè ſaneſcunt. Interdum tenui cicatrice obducuntur: mox autem diſrupta renouantur, ſicut cancer ferè exulceratus, niſi quòd in ambitu tumore careant. Huiuſmodi vlcera generat etiam occulta quędam malignitas, qualis ex peſtilentia contrahi ſolet. MATH. Quid

Putridum vlcus.

putridum vlcus exiſtit? GERON, In quo non ſolùm quod exit, ſed etiam vlceris caro computreſcit, molliſq;, glutinoſa, cadaueroſáq; redditur, & odore fœda: id niſi prohibeatur, in ſphacelum degenerat. MATHE. Vnde tale vlcus oritur? GERON, Interdum ex ſola humoris pernicie, frequentius autem inde, quòd natiuus partis calor, vel ab arteriarum obſtructione, vel alia quauis ex cauſa ſit extinctus, vt partis naturam & integritatem tueri nequeat. MAT. Vnde igitur cuiuſq; vlceris ſpecies & materia noſci poterit? GERON, Ex ipſorum natura, eſſentia, colore, duritie, tumore. Adhæc antecedens cauſa etiam explorari debet, vt intemperies naturæ contraria, inflammatio, omníſq; tumor: item varix, contuſio, vel alia carnis corruptio: adhęc viſcerum, pręſertim iecoris, atq; lienis affectio: deniq; totius corporis habitus accuratè perquiri debet. Explicatis iam morbis, qui tum medicamentis, tum victus ratione curantur. neceſſarium etiam videtur, vt tandem de his quoq; aliquid adijciam, quę ſolùm manus adminiſtrationem requirunt, ſicut ea ſunt, quæ ad oſſa pertinent.

VNIONIS oſſium ſolutio.

MATH. Quænam exiſtunt oſsibus peculiaria? GERON, Cùm & vnionis diuortium pati, & loco moueri ſoleant, vlceri finitima. MATH. Quomodo ſoluuntur? GERON, Si frangantur, aut collidantur, aut perforentur, aut findantur: imò etiam ſi vitientur, quod accidit, ſi vel nigreſcant, vel à ferro candente vrantur: ſi maligno vlcere, fiſtula, cancróq; inficiantur: vel ſi pinguia molliáq;, vel etiam carioſa fiant: ex quibus non ſolùm colorem amittunt, ſed etiam robur, & ſoliditatem: quæ in nudatis ſatis eſt manifeſta: in contectis autem ſpecillo tenui in vlcus immiſſo, vſq; dum ipſa attingat, vitium percipitur, vt cum os nimis molle aut aſperum fuerit. MATH. Quomodo oſſa colliduntur, contunduntúrq;? GERON,

Oſsium colliſio, & contuſio.

Cùm ſumma illorum pars ex ictu ſolum cum nulla diuiſione exaſperatur: interdum, cum integra continuatione inflectuntur, vt coſtę, & cartilagines: propriè verò cùm ad interiora impelluntur, fiunt ea concaua, ſicut etiam vaſa plumbea, aut ænea cùm illiduntur. Hoc autem vitium ijs eſt peculiare, in quibus oſſa etiamnum ſunt tenella, vt in infantibus. nam in his caro ſumma contuſa eſt, & os ſub ea depreſſum & cauum tactu deprehenditur. MATHET.

Oſſa forata.

Quando oſſa forata cognoſcentur? GERON, Si cum tenui ſpecillo demiſſo explorantur, ſolidiora vndiq; deprędenduntur. MATHE.

Quo

Fractura ossium.

Quo pacto ossa finduntur? GERON, Rectâ, ligni instar in longitudinem. MATHE. Qua ratione franguntur? GERON, Vel transuersim, vel obliquè. atque horum extrema nunc retusa, nunc acuta sunt. atque hæc sæpiùs carnem, aut neruum vulnerant. interdum etiam fragmenta tenuia ab his cum punctura & dolore recedunt. MATHE. Quomodo ossa fissa aut fracta noscuntur? GERON, Si fragmenta illorum sedibus suis moueantur. alia nanque super alia afficiuntur, eóque asperitas inęqualitásque tangenti occurrit, partísque figura interim mutatur. cùm autem fragmenta in sedibus suis persistunt, quod aliquando contingit, tunc vitium est obscurius. quanquam inde coniecturari posit, si pars contactu doleat, sicque officio suo perfungi nequeat, totáque intumescat, & plærunque caleat: nec non si euidentes ictus causę antecesserint. Hæc quidem omnibus osibus corporis communiter eueniunt. quæ verò singulis, nunc exequar. MATHE. Id facias obsecro: ne aliquid ex osium affectibus desideretur.

Fissorum aut fractorum notio.

Caluariæ pertusæ indicia.

GERON, Caluariæ pertusæ notæ sunt, si sanguis per nares, aurésue effluxerit, siue bilis vomitio, & vertigo insequitur, sicque neruorum vel resolutio, vel distentio succedit, & si homo conciderit, sineque sensu & voce quasi dormiens iacuerit. hæc non nisi osse fracto eueniunt: quanquam ea etiam interdum caluaria nondum fracta, sed cerebro duntaxat vehementiùs concusso, contingant. Certius fracturę signum est, si specillo in plagam demisso, os asperum extra suturas occurrat. sin autem nihil, nisi leuum & lubricum obueniat, integrum id videri potest. Quòd si ea symptomata non statim ab ictu, sed longè pòst tempore superuenerint, ex inflammatione, vel ex humorum influxu originem trahunt.

NARIUM fractarum notæ.

Cartilaginis.

Maxillæ.

In naribus tum os, tum cartilago frangi solet, & quidem aliâs aduersa, aliâs à latere. si aduersa fracta sunt, aut alterum ex his, nares desidunt: spiritus difficulter trahitur. si à latere os fractum est, is locus cauus est. si cartilago, in alteram partem nares declinantur. si maxilla fracta est, communia omnium osium signa apparent. omne igitur os rectum ligni instar in longitudinem finditur: modò frangitur in transuersum: interdũ in obliquum. atque id ipsum retusa habet capiat, nõnunquam acuta. MAT. Quod genus ex his est pessimum? GERON, Acutum: quia neque facilè committuntur, quę nulli retuso innituntur, & carnem vulnerant. Insuper aliquando plura fragmenta à fragmento fiunt: sed in aliis quidem osibus, ex toto sæpè fragmentum à fragmento secedit. maxillæ verò semper aliqua parte etiam vexata ossa inter se cohærent. Iugulum, si transuersim fractum est, nonnunquam per se rursus rectè coit, & nisi moueatur, sanari sine iunctura potest: nõnunquam

Iuguli.

verò, præsertim vbi motus est, elabitur, feréq; id quod à pectore, sub illud, quod ab humero est, in posteriorem partem inclinatur: quia per se nõ mouetur, sed cum humeri motu consentit. Itaq; eo subsistente, humerus sub id agitatur. Rarò verò admodum in priorem partem iugulũ tendit. verùm vt dissimilis vterq; casus est, sic dissimilia requirit. Costa si tota fracta est, præter communes has peculiares notas habet: sanguinis sputum, febriculam, dolorem grauissimum, suppurationem, spirandi difficultatem, vitę periculum. si fracta tota non est, signa enumerata nõ apparent. Contusa autem, & depressa, eadem quoq;, sed leuiora habet symptomata. Si id quod ex vertebra excidit, aliquo modo fractum est, locus quidem fit concauus, punctiones autem in eo sentiuntur: quia ea fragmenta spinosa esse oportet: quo fit vt homo in superiorem partem subinde nitatur. Humeris, brachijs, fœmoribus, cruribus, digitis fractis, communia sunt indicia. nam ea media minimè periculosè franguntur. quò propior fractura capiti vel superiori, vel inferiori, eò peior est. nam & maiores dolores adfert, & difficiliùs curatur. maximè tolerabilis est, simplex, transuersa: peior vbi fragmenta, atq; vbi obliqua: pessima vbi eadem acuta. Interdũ fracta in his ossa, in sedibus suis remanent: multò sępiùs excidunt, aliúdq; super aliud effertur. Si sedibus suis mota, resima punctionisq; sensum reprę sentant, tactu inæqualia sunt. si verò non aduersa, sed obliqua iunguntur, quod fit vbi loco suo non sunt, membrum in altero latere breuius est, & musculi eius tument. ac de fractis ossibus quidem hactenus: nunc de ijs agam, quæ sedibus suis mouentur. MATHETES, Quot id fit modis?

Costæ.

De luxatis ossibus.

GERON, Duobus. nam modò quæ iuncta sunt inter se, dehiscunt, vt cùm latum scapularum os ab humero recedit, & in brachio radius à cubito, & in crure tibia à sura: interdum saltu calcis os à talo, quod tamen rarò accidit. modò articuli sedibus suis excidunt: quod vitium gręci ἐξάρθρωμα: alterum παράρθρωμα vocant. illabitur autem os aut in partem priorem, aut in posteriorem: aut exteriorem, aut interiorem. MATH. Quibus ex causis? GERON, Ab externis, vt ab ictu, casu, aut alijs, quę illud aut violenter propria sede mouent: aut vincula dirumpunt, laxántq;: idq; magis in pueris, & imbecillis, quàm in robustis. Interim ab internis causis, quę ligamenta & articulos soluunt, infirmántq;: vt humor pituitosus, mucosus, ac lubricus. MATHET. Quod luxationis est indicium? GERON, Qua parte os excidit, articulus extuberat: aduersa, è qua recessit, sinum habet: figura membri peruertitur: recta non manet: articulus difficulter in eam partem flectitur, in quam os excessit: in aduersam, perfacilis. MATHE. Videntur ista luxatis omni-

Luxatorum causæ.

Luxationis indicium est.

bus

Maxillæ luxatio.

bus eſſe communia, quæ ſingulis artubus eueniunt? GERON, Maxilla in partem priorem, & in alterutrũ latus propellitur, ſed modò altera parte, modò vtraq; : ſi altera, in contrariam partem ipſa mentúmq; inclinatur: dentes paribus non reſpondent, ſed ſub his qui ſecant, canini ſunt. at ſi vtraque totum mentũ in exteriorem partem promouetur, inferioréſq; dentes longiùs, quàm ſuperiores excedunt, intentiq; ſuper, muſculi apparent. cùm verò in latus, mentum in contrariam partem mouetur, nec dentes inferiores partibus reſpondent. Quod ſi vertebræ ceruicis in poſteriora procidant, difficulter tum ſpiritus trahitur, tum cibus aſſumitur, & locus ineſt ſinuoſus: ſi in exteriora, mentum præter hæc pectori committitur, & tumor in ceruice eminet.

Celſus ex Hippocrates.

Capitis luxatio.

MATHET. Quomodo caput luxatur? GERON, Duobus proceſsibus, in duos ſinus ſummę vertebrę demiſſus ſuper ceruicem continetur. hi proceſſus interdum in poſteriorem partem excidunt: quò fit, vt neruus ſub occipitio extendatur, eóq; mentum pectori agglutinetur, neq; bibere is, neq; loqui poſsit: interdum ſine voluntate ſemen emittit, quibus celerrimè mors ſuperuenit.

Vertebræ luxatæ.

MATHET. Quomodo vertebræ in ſpina excidunt? GERON, In poſteriorem & priorem partem, ſupráq; ſeptum tranſuerſum, & infra. ſi in vtranq; partem exciderint, à poſteriore parte vel tumor, vel ſinus oritur: ſi ſuper ſeptum id incidit, manus reſoluuntur: vomitus, aut diſtentio neruorum inſequitur: ſpiritus difficulter mouetur: dolor vrget, & aures obtuſæ ſunt. ſi ſub ſepto crura reſoluuntur, aut aluus, aut vrina ſupprimitur: interdum etiam ſine voluntate prorumpit. Ex huiuſmodi caſibus, vt tardiùs quàm ex capitis, ſic tamen intra triduum homo moritur. Nonnunquam enim neruorum imbecillitas efficit, vt quanuis non exciderit vertebra, parum tamen in priorem partem promineat: id non iugulat, ſed ab interiore parte non contingit quidem poſſe. ab exteriore, ſi propulſum eſt, plærunque iterum redit, niſi (quod admodum rarum eſt) vis neruis reſtituta fuerit.

Humeri luxatio.

MATHET. In quam partem humerus excidit? GERON, Modò in alam, modò in partem priorem: ſi in alam delapſus eſt, & victus cubitus recedit à latere, rurſum iuxta eiuſdem partis aurem cum humero porrigi non poteſt, longiúſq; altero id brachium eſt. Si in priorem partem, ſummum quidem brachium extenditur, minùs tamen quàm naturaliter, difficiliúſq; in priorem quàm in poſteriorem partem cubitus porrigitur.

Cubitus luxatus.

MATH. Quid de cubitu dicis? GERON, Si ab humero, cui annexus eſt, excidit radius, qui adiunctus eſt, interdum trahitur, interdum ſubſiſtit. in omnes autem quatuor partes excidere poteſt:

ſed ſi in priorem prolapſus eſt, extentum brachium eſt, neqꝫ recuruatur: ſi in poſteriorem, brachium curuum eſt, neqꝫ extenditur, breuiúſqꝫ altero exiſtit: interdum febrim vomitúmqꝫ bilis mouet: ſi in exteriorem, brachiũ totum intrò ſpectat, eſtqꝫ altero breuius. ſi in interiorem, brachium totum extrà porrigitur, eſtqꝫ altero longius. rariùs autem vel in priora, vel in poſteriora luxatur.

Manus luxatio.

MATHET. In quot partes manus prolabitur? GERON, In omnes quatuor: ſi in poſteriorem excidit, porrigi digiti non poſſunt: ſi in priorem, non inclinantur: ſi in alterum latus, manus in contrarium, id eſt, aut ad pollicem, aut ad minimum digitum conuertitur: reponi non difficillimè poteſt.

Palmæ oſſa luxata.

MATHET. Poſſúntne palmę oſſa, interdum etiam ſedibus ſuis promoueri? GERON, Proculdubio: nunc in priorem partem: nunc in poſteriorem. In latus enim mouęri paribus oſsibus oppoſitis, non poſſunt. At tumor in ea parte apparet, in quam os venit. ſinus autem in ea, à qua receſsit.

Digiti luxati.

MATHET. In quas partes digiti tum manus tum pedum excidunt? GERON, In omnes: communéſqꝫ notas habent. quia neqꝫ naturalem figuram retinent, neque in eam partem, in quam prolabuntur, flecti poſſunt.

Fœmoris luxatio.

MATHET. In quot partes fœmur promouetur? GERON, In omnes quatuor. ſępiſsimè in interiorem: deinde in exteriorem: raró admodum in priorem, aut poſteriorem. ſi in interiorem partem prolapſum eſt, crus longius altero, & vaſtius eſt: nam pes vltimus extrà ſpectatur. ſi in exteriorem, breuius rarúmqꝫ fit, & intus inclinatur. Calx ingreſſu terram nõ contingit, ſed planta ima, meliúſuqe id crus ſuperius corpus, quàm in priore caſu fert, minúſqꝫ baculo indiget. ſi in priorem crus extenſum eſt, implicariqꝫ non poteſt, alteri cruri ad calcem par eſt, ſed ima planta minùs in priorem partem inclinatur: dolórqꝫ in hoc caſu præcipuus eſt, & maximè vrina ſupprimitur. Vbi cũ dolore inflammatio quieuit, commodè ingrediuntur ægri, totúſqꝫ eorum pes eſt. Quinetiam ſi crus in poſteriorem partem extendi non poteſt, breuiúſqꝫ eſt, vbi conſtitit, calx quoqꝫ terram non contingit. Magnum autem fœmori periculum eſt, ne vel difficulter reponatur, vel repoſitum rurſus excidat. Hæc ſunt omnia quæ ad medicinę cognitionem neceſſaria eſſe putaui, eoqꝫ illa ęqui boniqꝫ conſulas, dum ad eius faciundæ, exercendæqúe rationem, explicandam me præparauero. Quanuis autem omnia ſuperiùs comprehenſa, breui compendio ſim perſecutus: nihil tamen ſpero præteritum neglectúmqꝫ eſſe, quod ad adoleſcentem de re medica informandum requiratur.

INDEX EORVM QVÆ IN hoc Commentario continentur.

Numerus prior paginam, posterior lineam significat.

A

YY

Assimi-

Dolo-

Febris

L

Morbi

P

V

Vena

INDEX.

FINIS.

Errata

Operarum incuria commiſſa, ſic reſtitues. primus numerus paginam: ſecundus lineam ſignificat.

Pag. 17 *lin.* 7 *portendit.* 18. 33 *tranſmittitur.* 19. 7 *eos.* 19. 9 *collectos.* 19. 10 *qui.* 20. 25 *inſpici.* 20. 30 *fuerint.* 40. 20 *impatibilibus.* 55. 6 *tangenti.* 59. 3 μήνιγγες. 100. 8 *proximi, vna: tres.* 101. 19 *hæc.* 113. 12 *Quot ponis.* 131. 22 *tibia.* 164. 10 *ſub abdomine inter veſicam.* 164. 11 *tanquam validiſſimis.* 194. 18 *medullaris eſt.* 249. 25 *ad ſuum.* 255. 30 *quo ſuperiùs.* 256. 40 *extremum.* 262. 15 *anatomes.* 266. 16 *viuunt: contrà.* 290. 31 *concoctrix.* 312. 14 *temperatus.* 327. 29 *flatulentus.* 329. 37 *flauum.* 332. 9 *porrorum.* 335. 38 *excitat.* 336. 30 *qui & in quos.* 343. 20 *perpetuis.* 349. 34 *quæque genere.* 357. 35 *deleta.* 359. 26 σφυγμὸς. 369. 35 *ſpaſmodem.* 377. 7 *potatoribus.* 378. 32 *leuis.* 378. 41 *coniunguntur.* 385. 9 *naſcetur.* 388. 37 *talis.* 391. 23 *pulſus.* 391. 27 *continénſne.* 394. 26 *cum arterijs.* 414. 2 *ſiccitatem.* 415. 40 *purpureæq́;.* 419. 27 τραῦμα. 423. 39 *recidiuamq́;.* 431. 31. *reddunt.* 450. 4 *affectam.* 453. 27 *ſuſcipere.* 470. 22 *polypus.* 470. 42 *in ore ſapor.* 481. 21 *notitia ad cauſas.* 498. 22 *ſolent.* 499. 32 χυλὸν. 500. 42 *aërem.* 506. 22 *potatoribus.* 510. 4 *cibi.* 515. 8 *inimiciſſimus.* 519. 1 *Huic.* 519. 2 *putrido.* 519. 3 *continentem.* 520. 8 *quod.* 522. 11 *periculoſè.* 523. 14 *ita acceſſiones.* 529. 15 *inordinati fiunt.* 535. 21 *tertiana.* 536. 40 *ſine.* 539. 33 *quæ.* 540. 20 *ſtatiuis.* 543. 19 *piſis* 547. 25 *materia.* 552. 32 συνεχὴς, συνοχὸς. 556. 40 *præcordiorum.* 561. 15 *cubili.* 570. 37 *vim.* 571. 28 *vi adacta.* 574. 9 *reſidet.* 577. 29 *ſuppurari.* 579. 17 *leuioribus.* 583. 42 *ſolent.* 599. 37 *vtraq;* 608. 23 *medio.* 612. 35 *illum.* 623. 22 *ſolet.* 625. 40 *vt ſimile.* 626. 20 *patefacto.* 636. 6 *præſagis.* 636. 32 *concitatur.* 642. 8 *eliditur. quando.* 644. 19 *dolorémq;.* 649. 18 *Quæ.* 660. 39 *antecedente.* 667. 40 *animi.* 671. 8 *ſi acre.* 671. 17 *irrorato.* 675. 19. *rodentibúſque.* 677. 31 *concoquere.* 677. 32 *ſitiunt.* 678. 6 *continuò per.* 681. 33 *caloris vis.* 684. 42 *abundantia.* 684. 9 *imbutæ.* 684. 11 *ventriculi.* 686. 11 *ventri.* 686. 40 *omnis.* 687. 14 *cauſa.* 687. 35 *qualitatum.* 690. 2 *retentrix.* 690. 11 *retentrix.* 693. 35 *retineri.* 697. 20 *quàm alij.* 697. 40 *deſcendit.* 702. 36 *Exteriores.* 714. 20 *partium vitia.* 717. 2 *intemperaturis.* 730. 2 *inambulatione.* 733. 7 *obſtructio.* 746. 20 *nominatur.* 747. 23 *Varicoſi duri.* 759. 11 *Quemadmodum.* 762. 24 *vuluæ.* 763. 10 *vuluæ læui.* 736. 20 *habitus.* 765. 13 *valetudinaria.* 765. 15 *ſubſtitit.* 769. 24 *inhæreſcant.* 770. 21 *ratione.* 771. 2 *compreſſiones.* 783. 4 *eryſipelatodes.* 784. 28 *vlceratum.* 792. 17 *lanugini.* 794. 37 *lata.* 795. 38 *altera thymion.* 796. 17 *ſanguinis.* [illegible] *ſanguinis erupt.* 799. 29 *inteſtina icta.* 803. 35 *capita.*



